Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
M 8.
49 E
10

~~C. 29 a.~~
C. 28. e.

Digitized by Google

8.49.E.10.

completo

Digitized by Google

8.49.E.10

ALEXANDRI MADERNI MEDIOLANENSIS

In Tertiam Partem Diui Thomæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Maderno, Alessandro

ALEXANDRI MADERNI MEDIOLANENSIS

Ex Clericis Regularibus Barnabitis Congregationis S. Pauli olim Sacræ Theologiæ Profeſſoris, nunc in Vrbe Examinatoris.

QVAESTIONES
In Tertiam Partem Diui Thomæ,

HOC EST

TRACTATVS,

De Incarnationis Myſterio, De Sacramentis in communi, De Sacramento Euchariſtiæ, Sacrificio Miſſæ, & De virtute, & Sacramento Pœnitentiæ.

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

GASPARI

PRESBYTERO CARDINALI

DE CARPINEO

BIBLIOTECA ... ROMA

S.D.N. Clementis Papæ X. Vicario, & Prodatario &c.

DICATAE.

Cum duplici Indice materiarum, & rerum notabilium locupletiſsimo

Nunc primum in lucem prodeunt.



CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

ROMÆ, Ex Typographia Michaelis Herculis. MDC.LXXV. 1675

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS.MO ET REVERENDISS.MO PRINCIPI

GASPARI

TITVLI SANCTI SYLVESTRI IN CAPITE PRESBYTERO CARDINALI

DE CARPINEO

Sanctiſsimi D. N. Clementis X. Vicario, Prodatario &c.

CVM primò librum hunc intueris oblatum Eminentiſs. Princeps, precor ne donum cogites, aut tributum, dicantis vſura eſt, qui pretioſum efficere tentat, dum facit tuum. Illi ſi nomen tuum indulgeas, poterit vna hæc gemma primæ pagini impreſſa reliquis æſtimationem accerſere. Timet tenebras opus, ideo, dum erumpit in lucem, tuos ab oculos ſiſtitur, iactaturus hoc ſaltem, quod in conſpectu Solis fuerit aliquando. Septimo iam ſeculo genus tuum fulſit continuato ſplendore heroibus identidem mundo datis; & ne, vt cetera omnia ſolent, ſenio ſuo ſteriliſceret annoſa propago, in te, ac Vlderico Carpineis geminos Eccleſiæ dedit, quibus purpura decus adijceret, indidemque reciperet. Refulſit ex affinitate Pontificium Alexandri VII. atque nunc Clementis (quem Decimum huius nominis colimus ornamentum) qui tanta fulget integerrima ſanctitate, vt vnicus ſufficiat inocciduum vniuerſo lumen adiungere. Quidni modo, cum adeo ſplendeas, lucem adigas admoto volumini: Hoc ſi ſemel aſpectu tuo digneris, dum primò è typis enaſcitur, quantùm ſibi fortunæ promittet, cuius ortus benignum habuerit Iouis aſcendentis aſpectum. Beneficos tuos influxus experti ſunt pauperes, dum Sancti Iuonis apud nos Congregationi præeſſes, motuſque vltrogrados Roma vidit, ac ſtupuit, dum te vtriuſque Præſulem Signaturæ, dein vtriuſque Auditorem, Apoſtolicum inter Pontificem, Magnumque Ducem Hetruriæ Commiſſarium, Auditorem Rotæ, Prodatarium, Purpuratum, ac demum Summi Pontificis Vicarium aſpexit. Tam eximio lumini ſuper tot candelabra perenniter emicanti, mirari non debes, ſi admoueam libros meos, quos cupio legi. Sed dedecet tam emerito Principi quicquam dare puri fœnoris gratia: Iura alia id à me penſum extorquent, & tibi eo ſaltem titulo placiturum ſpero, quod iuſtum ſit. Compoſui, quo me tempore ſeruum habes Examinatoris officio fungentem, iuſtum eſt vt laboret Domino ſeruus, vtque tibi germinet arbor, quam tot gratijs irrigaſti. Sæpè in coſpectum tuum admiſſo timenda mihi manuum vacuitas eſt. At quid di-

gnum

Digitized by Google

gnum Principe offeram Chriſti pauper, cui diuitias omnes ſæculi votiua, & religioſa paupertas omnino ſubtraxit? Nihil mihi reliquum eſt præter Chriſtum, & ſacra, deque his meditandi, ſcribendique licentiam. Commendat tamen munuſculum iſta neceſſitas, quæ præſcribit dandi potentiam, & dum facit ſolùm id poſſe, quod offerro, facit totum offerre, quod poſſum. Primum operis argumentum eſt Deus homo, vt in eo conciliata conſpicimus ima ſummis, facta mihi inde fiducia nomen tuum Cęlo dignum, ac cedro, rudibus hiſce paginis immiſcendi. Ingratum tibi opus eſſe non poterit, quod continet IESVM. Cetera omnia habent à forma, quod placeant, hoc tibi reddet materia formoſum. Alia ſcientiarum volumina quæſtionibus, controuerſijs, dubijs plena ſunt, & plerumque veritatem abſcondunt ratiocinijs ijſdem, quibus tentant eruere; iſtud verò facilem dabit, ac obuiam veritatem, quando tibi vel primas legenti paginas Chriſtus occurret, qui via, ac veritas eſt. Reliquam tomo materi am Sacramenta ſuppeditant, & hæc mihi titulum renouant oblationis: Supremi Vicarium Pontificis, quodque ſynonimum Apoſtolo eſt, Diſpenſatorem myſteriorum Dei tua te fidelitas fecit. Quidni quoque ad te veniant aliquando ſacra eadem, quæ tam prudenter Vrbi, ac Orbi diſpenſas. Æconomus diuinorum es, cum librum non illibenter excipies, in quo cæleſtis ærarij numerum, valoremque reperies acuratè deſcriptos. In ea domo repoſuit Deus theſauros, quam ſeptem exciſis columnis Sapientia extruxit, in Verbo ſcilicet Incarnato, ſeptemque ab eo inſtitutis Sacramentis: ex hoc iterum tibi hæc omnia debeo, quod te ſupremum ſperem aliquando Clauigerum. Vt mentem, moreſque habes Angelicos, vbi tibi Euchariſticam in eo menſam, Angelorumque eſcam apponi comperies, amplecteris auidius. Maximè inuigilas pro paſcendis Chriſti ouibus: En Pœnitentia omnimodè neceſſarium medium, vt oues Saluatoris Sanguine pretioſo redemptas, & poſt baptiſmum in peccatum lapſas in cæleſtia, ſemperque virentia paſcua perducas. Excipe igitur opus, quod ſaltem inſpecta materia, ac pretio, quod tuum nomen adiecit, ingratum vndequaque eſſe non poterit. Conſpirat in hoc votum tota mea Religio, quam toties beneficus aſpicis, reddiſque deuinctam. Vna mecum tota coofert, & comprecatur ennixè, vt fructum hunc qualemcumque non ab vna arbore tantùm, ſed à vinea tota digneris accipere. Quam vnanimem habes offerentem, ſcito te habere vnanimem oratricem, vt Eccleſiæ Dei, cui prodes, Orbi, quem ornas, nobis, quos foues, æternum incolumis viuas. Romæ è Collegio SS. Blaſij, & Caroli ad Catinarios Die 2. Ianuarij 1675.

Emin. V. Reuerendiſs.

Aeternum addictiſsimus
Alexander Madernus.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

HAbes in hoc Tertio Tomo, candide Lector, totius mei theologici curſus complementum, hoc eſt in Tertiam Partem Angelici Præceptoris ea omnia, quæ ſcholaſticè à Doctoribus ſolent explicari. Primum locum obtinet Tractatus de Incarnatione, vbi Sacroſancti huius Myſterij poſſibilitatem, conuenientiam, neceſſitatem, & finem à Deo Optimo Maximo intentum, duarum naturarum in vna perſona diuina ineffabilem, & admirabilem vnionem, Chriſtum ex his conſtitutum, eiuſdemq; perfectiones tum intellectus, tum voluntatis, & vno Verbo ea omnia, quæ Angelicus Doctor in prioribus 26. quæſtionibus complexus eſt, facili, & clara methodo explicata comperies. Pertractantur ſecundo loco ea, quæ idem Angelicus à quæſtione 60. vſque ad 66. explicat, hoc eſt de Sacramentis, tum antiquæ, tum nouæ legis, de eorum eſſentia, neceſſitate, cauſalitate, auctore, & miniſtro, vbi non ieiunas ſolùm ſpeculatiuas difficultates, ſed quamplurima ad praxim deducta inuenies, rationibus tamen more ſcholaſtico roborata, & firmata. Tertio loco, omiſſis, quæ de Baptiſmo, & Confirmatione dici poterant, tum quia facilia, tum quia ſi aliqua eſſent diſputanda, ea ex dictis de Sacramentis in communi facilè erui poterant, ad explicandum ea maiori claritate, qua potui ſummum omnium Sacramentorum, hoc eſt Euchariſtiæ Sacramentum acceſſi, vbi de Sacroſancto Miſſæ ſacrificio præcipuas difficultates pertractatas inuenies, moralia varia deduxi, alia purè moralia Summiſtis ipſis relinquendo. Tandem habes de virtute pœnitentiæ, & actibus eius præcipuis contritione, & attritione, & de ipſa quatenus Sacramentum eſt nouæ legis, nihil omittens, quod ad exactam huius virtutis, & Sacramenti cognitionem ſpectaret. Fruere igitur, candide Lector, hoc meo qualicumq; labore, in quo, ſi quid gratum inter legendum occurrerit, id Deo bonorum omnium largitori referas, ſi quid minus gratum, id mihi tribuas, & vt ignoſcas exoro, ſi poſt tot tantorumq; virorum lucubrationes theologicas, auſus ſim has paruipendendas adijcere, amicis enim rogantibus obediendum fuit ſciaſq; me non lectoribus, et magiſtris ſcribere, ſed ſtudentibus, et in Theologia tyronibus. Vale.

Digitized by Google

Don Gabriel Fantes Cong. Cleric. Regul. S. Pauli Præpoſitus Generalis.

CVm Librum, cui titulus eſt, Quæſtiones in tertiam partem Diui Thomæ, *à R. P. Don Alexandro Maderno* Aſſiſtente noſtro, & in Vrbe Examinatore compoſitum duo eruditi Viri è Congregatione noſtra, quibus id commiſſimus, recognouerint, atque in lucem edi poſſe probauerint, Nos, quantùm in Nobis eſt, facultatem facimus, vt Typis mandetur. In quorum fidem has noſtras, manu ſigilloque noſtro munitas dedimus. Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli Die quinta Ianuarij M. DC. LXXV.

Don Gabriel Fantes Præpoſitus Generalis.

Don Antonius Maria Burontius Cancell.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Prædicat. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

Digitized by Google

ALEXANDRI MADERNI

E CONGREGATIONE SANCTI PAVLI

TRACTATVS PRIMVS

DE SACROSANCTO INCARNATIONIS MYSTERIO

In tertiam partem D. Thom.

INcarnationis Sacratiſſimum Myſterium, quo æternum Verbum in temporis plenitudine homo factum cum hominibus conuerſari dignatum eſt, nouum omnium nouorum, *&* *ſolùm* ſub Sole nouum, per quod Dei apparuit infinita Virtus, Bonitas, & Sapientia, explicaturus, Angelici præceptoris methodum ſequar, qui poſtquam in prima parte ſuæ ſummæ luculenter de Deo vno, & trino tractaſſet, deindè de Angelis, & hominibus; tum in prima ſecundæ de vltimo fine noſtro, & de principijs humanarùm actionum, hinc de virtutibus in particulari in ſecunda ſecundæ, tandem ad tertiam partem peruenit, in qua diſputat de Chriſto Domino, & beneficijs eius, & præſertim de Sacramentis. Idque totum optima fuit præſtitum ratione; etenim cum Chriſtus Dominus Deus ſit, & homo, prius de Deo, & homine debebat ſingillatim tractare, mox de Chriſto ex Diuinitate, & humanitate conſtituto: tum quia conſiderato primo principio, & vltimo fine hominis, congruum eſt agere de medijs, quibus ad hunc finem peruenire valemus; Chriſtus autem eſt mediator Dei, & hominum, & vnicum medium, quo ad vltimum finem noſtrum poſſumus peruenire: Chriſtus ipſe eſt, qui nobis omnia dona gratiæ promeruit, ad cuncta opera noſtra efficienda nos adiuuat, *ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum* ad Eph. 2., & per crucem, & ſanguinem ſuum nos ab omnibus peccatis emundans à Dæmonis poteſtate liberauit. Vnde manifeſtum eſt congruentiſſima ratione D. Thomam in principio huius tertiæ partis de Incarnationis myſterio pertractaſſe.

Circa hoc nomen, *Incarnationis*; Aduerte plus ſignificare, quam natura ſua exprimat; nam quandò dicitur Deum fuiſſe incarnatum, tantùm ſonat Verbũ Diuinum ſolam aſſumpſiſſe carnem, cum tamen de fide ſit, totam aſſumpſiſſe naturam humanam, ſcilicet, & animam, & corpus; nihilominus hoc nomen, licèt nouiter à Patribus Latinis, & Græcis in Concilio Niceno inuentum, iure tamen illi myſterio impoſitum fuit, tum quia nouis rebus noua nomina imponenda ſunt, vt inquit Tullius lib. 1. accadem. quæſt. Quod ſi in qualibet arte licitum eſt excogitare propria, & peculiaria nomina, etiam SS. Patribus, & Concilijs ad indicandum hoc opus omnium nouorum maximè nouum licuit peculiare illi nomen imponere. Patres autem hoc deſumpſerunt ex illo Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt*. Idem enim eſt Verbum fieri carnem, ac incarnari: tum quia nomine carnis in Scriptura ſæpè intelligitur tota natura hominis, vt Gen. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*, & Pſal. 77. *Recordatus eſt, quia caro ſunt*, & alibi ſæpè. Quamuis autem ex Scriptura, & Patribus plura alia poſſint adinueniri vocabula ad hoc myſterium ſignificandum, etenim ab alijs dicitur *mixtura admirabilis*, ab alijs, vt à Damaſceno lib 3. de fide c. 6. *inhumanatio &c.* attamen in Eccleſia magis vſitatum eſt hoc nomen *Incarnatio* ad indicandam ingẽtem magnitudinem charitatis, & miſericordiæ Dei erga homines, qui eo vſq; voluit noſtri cauſa ſe ipſum demittere, & exinanire, vt etiam naturam ex carne conſtitutam ſumeret, & Virginis Vterum non horreret. Cur hoc myſteriũ dicatur incarnatio.

Obiectum huius tractatus clarè conſtat eſſe Deum vt incarnatum; omnia enim, quæ in hoc tractatu explicantur ad Deum incarnatum reducuntur. Obiectum huius tractatus. Mouent aliqui difficultatem, quod Chriſtus ſit ſingularis, & de ſingulari non poſſit dari ſcientia. Verum in primis falſum eſt de ſingularibus non poſſe dari ſcientiam, ſaltem ſecundariò, vt ſuppono ex logica: De ſingulari quomodo detur ſcientia. tum quia ideo de ſingularibus non poteſt dari ſcientia, quia ſunt innumera, & corruptibilia: at Chriſtus vt ſubeſt diuinæ reuelationi eſt ens neceſſarium, de quo licèt non poſſit dari ſcientia propriè euidens, vt definita fuit ab Ariſt. quia ei deficit euidentia, datur tamen vera cognitio theologica: tum quia illa, quæ hic explicantur, vt plurimum in vniuerſali explicantur de perſona diuina vnibili, vel vnita cum

Digitized by Google

naturâ humana; & ſi quandoque agitur de Chriſto in particulari, nil tamen obſtat, ſi de illo non detur propriè ſcientia, ſufficit enim, ſi detur cognitio certa, quatenùs ſubeſt diuinæ reuelationi.

Totum hunc tractatum nouem quæ-
Tractatus diuiſio. ſtionibus concludemus; quarum prima erit de poſſibilitate, & conuenientia Incarnationis; ſecunda de neceſſitate; tertia de decreto, & motiuo; quarta de vnione ipſa tam ex parte aſſumentis, quam ex parte naturæ aſſumptæ; quinta de gratia, & virtutibus, quibus humanitas Chriſti decoratur; ſexta de ſcientia Chriſti; ſeptima de voluntate Chriſti; octaua de merito Chriſti; nona tandem de eiuſdem adoratione, & communicatione idiomatum.

QVÆSTIO PRIMA.

De poſſibilitate, & conuenientia Incarnationis.

CVm Ariſtoteles 1. poſter. cap. 1. doceat ab vniuerſalioribus eſſe inchoandum, hinc priuſquam accedamus ad explicandas ſpeciales difficultates huius myſterij de poſſibilitate ipſius agendum eſt. Quod ſi D. Thom. prætermiſſa quæſtione de poſſibilitate ſtatim incęperit à conuenientia, cum tamen poſſibile ſit pręedicatum vniuerſalius, quam conueniens, exiſtimo id feciſſe, quia cum ex fide ſupponeretur iam factum, certè etiam ſupponitur fuiſſe poſſibile, tum quia non ita facilè ſolui poterant argumenta contra poſſibilitatem, quæ commodius infra ſoluuntur, & propter hanc rationem prætermiſſis argumentis quæ contra poſſibilitatem huius myſterij fieri ſolent, quæ commodius infra agentes de vnione adducentur, & ſoluentur, hìc tantum inquiremus, an hoc myſteriũ ab aliquo intellectu creato cognoſci poſſit vt poſſibile.

ARTIC. PRIMVS.

An aliquis intellectus creatus poſſit cognoſcere poſſibilitatem Incarnationis.

1 INcarnationis Sacratiſſimũ Myſterium non ſolùm eſſe poſſibile, ſed etiã Meſſiam veniſſe contra Iudeos fides docet, & qui huius veritatis longam probationem ex Scriptura ductis argumentis cupit inſpicere, videat Valentiam in principio huius tertię partis, & Suarez, qui fusè hanc quæſtionẽ pertractant. Quarè ſuppoſita fide, quod
Euidenter negatiuè hoc myſterium eſſe poſſibile cognoſcitur. hoc myſterium ſit factum, hic inquirimus, an poſſit ab intellectu creato cognoſci poſſibile, & quidem poſſe cognoſci à nobis fidelibus poſſibile cuidenter negatiuè certum eſt; nulla enim poſſunt adduci argumenta, quæ à nobis ſolui non poſſint, vt in progreſſu videbimus; quod ergo hic inquirimus eſt, an pręſcindendo à fide poſſit intellectus ſaltem Angelicus cognoſcere hoc myſterium eſſe poſſibile, aliquas rationes adducendo, quæ aliquo modo probent eiuſdem poſſibilitatem.

2 Aduerte tamen, quod dupliciter poteſt eſſe quæſtio, an hoc myſterium poſſit cognoſci poſſibile ab intellectu Angelico, primo eo modo, quo factum eſt, nempè ex natura humana cum perſonalitate diuina Verbi: ſecundò ex natura humana cum perſonalitate diuina, ſeu cũ Deo, præſcindendo ab hoc, quod in Deo ſit vnica, vel triplex perſonalitas, & hoc etiam dupliciter, vel antequam hoc myſterium factum eſſet, vel poſtquam factum eſt. Status quæſtionis qualis.

3 Prima ſententia abſolutè negat Incarnationis myſterium potuiſſe cognoſci poſſibile etiam probabiliter: Ita Suarez hic tom. 1. diſp. 3. ſect. 1. Amicus hic diſp. 2. ſect. 2. & 3. Arriaga tom. 6. diſp. 1. ſect. 3. ſubſec. 2. & alij apud ipſum, Gabriel à S. Vincentio hic diſp. 1. dub. 4. & plures alij.

Secunda ſententia eſt Medinæ 3. part. quæſt. 2. introd. concluſ. 4. Radæ 2. par. contr. 8 art. 4. Fabri in 2. diſt. 36. cap 2. & plurium Scotiſtarum hæc docet myſterium incarnationis non eo modo, quo factum fuit cum perſonalitate Verbi, ſed vt potuit fieri cum Deo, ab Angelis potuiſſe cognoſci probabiliter vt poſſibile; Lugus diſp. 1. ſect. 1. videtur inclinare ſoluendo omnes rationes contrarias, licèt poſtea in contrariam magis propendeat.

4 Concluſio prima. Poſſibilitas myſterij incarnationis eo modo, quo factũ eſt nullo modo potuit ab intellectu creato etiam Angelico cognoſci. Eſt cõmunis, & probatur ex pluribus ſcripturæ locis. Ad Epheſ. 3. dicitur. *Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo.* Ad Col. 1. *Myſterium abſconditum à ſæculis in generationibus.* 1. ad Cor. 2. *Sapientia in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quem locum S. Leo ſer. 3. de natiuitate, ad generationem temporalem Chriſti Domini refert. Pſal. 23. introducuntur Angeli ſe interrogãtes. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* & alibi. *Quis eſt iſte, qui venit de Edon?* & Matth. 16. reſpondit Chriſtus Petro confitenti myſterium Incarnationis. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi.* & ex pluribus alijs locis hæc veritas deducitur. Vnde in Concil. Epheſino can. 13. dicitur, *Vnio hæc ineffabilis, & indeprehenſibilis.* Proba-

tur

Digitized by Google

tur ratione. Hoc myſterium factum eſt cum perſonalitate Verbi: ſed perſonalitas Verbi à nullo intellectu creato eſt cognoſcibilis viribus naturæ; ergo neque hoc myſterium eo modo, quo factum eſt ab vllo intellectu creato eſt cognoſcibile: maior eſt de fide: minor etiam patet, quia Trinitas perſonarum à nullo intellectu creato eſt cognoſcibilis naturaliter; etenim ſi deberet cognoſci, maximè ab effectibus, nam cauſam nullam habet; effectus autem omnes ſunt indiuiſibiliter à tota Trinitate, vnde deducunt nos quidem in cognitionem Dei, ſed nullo modo Trinitatis.

5 Concluſio 2. Poſſibilitatem vnionis naturæ humanæ cum perſonalitate diuina probabiliter potuit Angelus cognoſcere. Probatur, quia Angelus habet claram cognitionem totius naturæ humanæ, & omnium rerum infra ſe, & cognouit ſubſiſtentiam eſſentialiter reſpectu naturæ nullam exercere cauſalitatem, ſed ſolùm puram rationem termini, ex alia parte cognoſcebat Angelus Deum eſſe infinitè ſubſiſtentem, vnde ſic poterat argumentari; non repugnat naturam humanam vniri perſonalitati diuinæ, neque ex parte Dei, neque ex parte naturæ humanæ; ergo eſt poſſibilis vnio naturæ humanę cum perſonalitate diuina: probatur antecedens quo ad primam partem. Quod eſt infinitè ſubſiſtens poteſt non ſolùm facere ſubſiſtere propriam naturam, ſed etiam quamcumque aliam: ſed Deus eſt infinitè ſubſiſtens; ergo non ſolum poteſt facere ſubſiſtere propriam naturam, ſed etiam quamcumque aliam: probatur idem antecedens quo ad ſecundam partem: Quod eſt ſeparabile à propria natura, & eſſentialiter reſpectu naturæ nullam exercet cauſalitatem, ſed tantùm puram rationem termini, poteſt diuinitus ab illa ſeparari, & loco illius à Deo ipſo ſuppleri: ſed Angelus clarè cognoſcit ſubſiſtentiam creatam eſſe ſeparabilem à propria natura, & eſſentialiter reſpectu propriæ naturæ nullam exercere cauſalitatem, ſed ſolùm purã rationem termini; ergo cognoſcebat, quod poſſet diuinitus ſubſiſtentia creata ſeparari à propria natura, & loco illius poſſet poni ſubſiſtentia diuina: maior videtur clara: probatur minor, quia Angelus clarè cognoſcit omne poſterius poſſe ſeparari à ſuo priori, clarè cognoſcit ſubſiſtentiam eſſentialiter reſpectu naturæ nullam exercere caúſalitatem, ſed ſolùm puram rationem termini, & hoc patet, quia ſecùs non clarè cognoſceret Angelus totam eſſentiam naturæ humanæ ſicuti eſt, quia de facto nos edocti ex fide id fatemur in myſterio Incarnationis; ergo ſi totum hoc clarè cognoſcit, potuit etiam cognoſcere, quod ſi ſepararetur ſubſiſtentia creata; & loco illius ponatur diuina, nulla ſequitur, neque ex parte naturæ, neque ex parte Dei implicantia, & ideo hanc vnionem eſſe poſſibilem.

6 Dices 1. cum Arriaga inter Deum, & naturam humanam eſſe infinitam diſtantiam, & Deum eſſe completiſſimum actum purum in ſe; ergo Angelo præciſa reuelatione nec potuit venire in mẽtem, quod talis vnio ſit poſſibilis. Sed contra, quia licèt inter Deum, & naturam humanam ſit infinita diſtantia, nihilominus cognoſcebat Angelus in Deo eſſe infinitam potentiam, & ex eo, quod ſit actus puriſſimus, cognouit in ſe eminenter continere omnem rationẽ actus, quæ poſſet conuenire cuicumque actui creato; ergo cognouit ex parte Dei nullam eſſe implicantiam, cur non poſset per propriã ſubſiſtentiã diuinã terminare naturam humanam.

7 Dices 2. Angelum cognoſcere quidem naturam humanam vti eſt, & ideo cognoſcere naturaliter non poſſe ſpoliari propria ſubſiſtentia, ſed non cognoſcere, vtrum per abſolutam potentiam poſſit ſpoliari: quod probatur, quia Angelus quidem comprehendit naturam humanam conſiderando ipſam ſecundũ potentiam naturalem, verùm non comprehendit naturam humanam ſecundũ potentiam obedientialem, cum hoc nõ ſit de ratione talis comprehenſionis: atqui quod ſubſiſtentia poſſit ſeparari à propria natura eſt tantùm ſecundùm potentiam obedientialem; ergo hoc ab Angelo non cognoſcitur: imo nec in mentem ipſius venire potuit. Sed contra, quia Angelus non tantùm cognoſcit naturaliter conuenire naturæ creatæ non ſpoliari propria ſubſiſtentia, ſed etiam, cum comprehenſiuè cognoſcat ipſius eſſentiam, cognoſcit hoc ei eſſentialiter non conuenire; ergo cognoſcit, quod ſi ſpolietur nulla ſequetur implicantia, probatur antecedens, quia cognoſcit Angelus, quod omne prius poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori: ſed etiam cognoſcit naturam eſſe priorem, ſubſiſtentiam poſteriorem; ergo etiam cognoſcit ſubſiſtentiam eſſe ſeparabilem à natura; non ſequitur autem per hoc, quod cognoſcat potentiam ſupernaturalem obedientialem, ſed ſolùm, quod comprehendat eſſentiam talis naturæ.

8 Probatur 2. Angelus clarè cognouit naturam humanam Chriſti, & in ipſo vi-

Digitized by Google

ſo videbat non eſſe propriam ſubſiſtentiam; tum ſic argumentari poterat: hæc natura non habet propriam ſubſiſtentiam, nec habet aliam creatam, quia ſi aliam haberet, illam viderem, cum cognoſcam omnia naturalia; ergo poſſibile eſt, quod habeat diuinam; nam hæc, cum ſit infinita, non tantùm poteſt facere ſubſiſtere naturam diuinam, ſed etiam quamcumque aliam: & hoc præſertim deducere poterat, ſi vera eſſet sẽtentia, quæ aſſerit non poſſe naturam ſtare ſine ſubſiſtentia, cum enim non videret creatam, facilè deducere poterat adeſſe diuinam.

9 Dices 1. Angelum non potuiſſe cognoſcere huiuſmodi priuationem, eo quod inducta ſit actione ſupernaturali, ſed ſolùm potuiſſe dubitare, an talis ſubſiſtentia illi occultaretur, de reliquo ipſi non potuiſſe in mentem venire hoc myſterium, ſed ad ſummum potuiſſe dubitare, quomodo poſſet ſtare natura ſine ſubſiſtentia. Sed contra, quia ſiue priuatio illa inducta fuerit actione naturali ſiue ſupernaturali, adhuc poterat cognoſci; etenim cæcitas inducta per miraculum à D. Paulo in illum magum, æquè cognoſcebatur, ac cæcitas cæci nati, & oculus cæco reſtitutus, licèt per actionem ſupernaturalem reſtitutus fuiſſet, attamen naturaliter cognoſcebatur; ergo & in propoſito, ſiue natura ſit priuata propria ſubſiſtentia per actionem naturalem, ſiue per ſupernaturalem, huiuſmodi priuatio clarè ab Angelo cognoſci poterat. Nec verum eſt, quod ſolùm potuerit dubitare, an talis ſubſiſtentia illi occultaretur; etenim clarè cognoſcebat totam eſſentiam naturę creatæ Chriſti Domini, & ita eam cognoſcebat, vt videret non eſſe de eſſentia naturæ, vt non poſſet ſeparari à propria ſubſiſtentia; ergo potius ex hoc probabiliter deduxiſſet non adeſſe ſubſiſtentiã creatam, ſed loco illius poſitam eſſe diuinam, quæ illi occultaretur; cum eius cognitio non eſſet illi debita, & ex alia parte videret nullam adeſſe implicantiam, nec vllum firmum argumentum, quod ſolui non poſſet; & certè, ſi poſito myſterio, quod per fidem credimus, poſſumus nos omnia argumenta contraria ſoluere; multò maiori facilitate, & claritate hoc poſſet facere Angelus.

10 Dices 2. hinc probari Angelum poſſe euidenter negatiuè cognoſcere poſſibilitatem incarnationis, quia poteſt ſoluere omnia argumenta, quæ contra hoc myſterium fieri poſſunt, ſicuti etiã nos ſoluimus; at non probari, quod poſitiuè Angelus potuerit hoc myſterium cognoſcere. Sed contra; quia non ſolùm poterat Angelus ſoluere argumenta, vt nos ipſa ſoluimus, ſed inſuper habebat claram cognitionem extremorum, & videbat naturam non eſſe ita cõnexam cum propria ſubſiſtentia, quin poſset ab illa ſeparari, & loco illius poni alia, præſertim, ſi hæc ſit infinita; ergo non tantum euidenter negatiuè, ſed etiam poſitiuè per probabiles rationes potuit huius myſterij poſſibilitatem cognoſcere.

11 Obijcies primò. Si Angelus poſſet cognoſcere poſſibilitatem incarnationis, ſequitur, quod poſset etiam cognoſcere omnes alios effectus ſupernaturales gratiæ, qui poſsunt à Deo fieri in creatura; ſed verè debemus fateri multa eſse poſſibilia Deo, quæ non poſsunt in mentem creaturæ cadere; ergo multò magis debemus fateri hoc myſteriũ, ita eſse poſſibile, vt numquam potuerit in mentem alicuius creaturæ cadere; hoc enim myſterium eſt præcipuum inter omnia alia; vnde à Ieremia 31. dicitur. *Nouum fecit Dominus ſuper terram: fęmina circumdabit virum.* ab Iſaia 9. vocatur conſilium Dei inquit enim. *Vocabitur nomen eius conſiliarius.* vbi ſeptuaginta legunt. *Magni conſilij Angelus*; per magnum autem conſilium plures Patres intelligunt incarnationem.

Reſpondeo negando ſequelam, & ratio diſparitatis eſt, quia natura humana v. g. ſine charitate, aut alijs habitibus ſupernaturalibus eſt in ſe completa, & perfecta naturaliter: at ſi ſeparetur propria ſubſiſtentia à natura, vt factum fuit in Chriſto, vel vt Angelus cognoſcit poſse fieri, quia omne prius poteſt eſse ſine ſuo poſteriori, tunc natura non eſſet completa, & ſic poteſt Angelus argumentari, & deducere, quod poſſit perfici; neque auctoritates adductæ sũt contra nos, quæ loquuntur de hoc myſterio eo modo, quo factum eſt cum perſonalitate Verbi, quomodo concedimus non poſse in mentem Angeli venire, vt dictum fuit in prima concluſione.

12 Obijcies 2. In tantùm Angelus poſset cognoſcere poſſibilitatem incarnationis, in quantùm poſset cognoſcere naturam poſse ſeparari à propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtentiam diuinam eſse infinitam, & per conſequens hoc myſterium non implicare: ſed hoc cognoſcere non poteſt; ergo nec poſſibilitas cognoſci poteſt: maior conceditur: probatur minor, quia naturam humanam poſse terminari a ſubſtantia diuina eſt per potentiam obedientialem ipſius, quę eſt quid ſupernaturale: ſed nullum ſuper-

per-

Digitized by Google

pernaturale poteſt naturaliter cognoſci ab Angelo; ergo nec poſſibilitas huius myſterij cognoſci poterit.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, concedo eſse per potentiam obedientialem, nego autem hanc potentiam obedientialem, vt cognoſcibilem naturaliter eſse ſupernaturalem: etenim etiam potentia ligni, vt fiat ſtatua, eſt per potentiam obedientialem ipſius, vt ſubeſt ſtatuario agenti, & tamen talis potentia non eſt ſupernaturalis, cũ agens ſit artificiale, & ſolùm poteſt dici artificialis huiuſmodi potentia; ita cum potentia naturæ, vt poſſit terminari ſit in ordine ad Deum, vt Deus agens eſt naturaliter cognoſcibilis, ſub hac præciſa ratione, ſub qua cognoſcitur poſſibilis, non eſt ſupernaturalis, licèt ſi à parte rei poſtea fieret, eſset ſupernaturalis: & ratio diſparitatis eſt ex ſe clara, quia poſſibilitas myſterij nõ cognoſcitur per ſpecies proprias, non enim habemus ſpeciem propriam ſubſiſtentiæ diuinæ, ſed tantùm per alienam ſpeciem cognoſcimus Deum, & abſtractiuè, vnde potentia obedientialis naturæ humanæ in ordine ad Deum operantem, & ſic cognitum non eſt ſupernaturalis, ſed naturalis: ſi verò hoc myſterium fiat a parte rei, erit ſupernaturale, & ſi per ſpeciem propriam cognoſceretur, hæc ſpecies eſset ſupernaturalis, quia in ſe tale myſterium eſt ſupra exigentiam cuiuſcumque naturæ.

13 Obijcies 3. Si Angelus poſset cognoſcere poſſibilitatem incarnationis, maximè id deduceret ex ijs, quæ naturaliter cognoſcit: ſed ex ijs, quæ naturaliter cognoſcit potius deduceret eſse impoſſibilem talem vnionem; ergo probabiliter viribus naturæ non poteſt hanc poſſibilitatem cognoſcere: maior patet: probatur minor; nam ea, quæ naturaliter cognoſcit, vel ſe tenent ex parte Dei, vel ex parte naturæ: ſed tam ex parte Dei, quam ex parte naturæ humanæ deduceret potius hanc vnionem impoſſibilem, quam poſſibilem; ergo non poſset probabiliter cognoſcere eſse poſſibilem: probatur minor, nam ex parte Dei cognoſcit ipſum eſse actum puriſſimum, & immutabilem; ergo potius deduceret talem vnionem impoſſibilem; nam ſi de nouo fieret homo, videretur mutabilis: ex parte creaturæ verò videret naturam terminari per ſubſiſtentiam modalem; & ideo ſicut quãtitas nõ poteſt conſeruari ſine propria figura, nec corpus ſine aliqua vbicatione; ita nec natura ſine ſubſiſtentia propria; vnde ex ijs, quæ naturaliter cognoſcit, potius deduceret hãc vnionem eſse impoſſibilem, quam poſſibilem.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem, iterum nego minorem: ad eiuſdẽ probationem, dico veriſſimum eſse Angelum Deum cognoſcere tamquam actũ puriſſimum, & immutabilem; at dico, quod etiam Angelus clarè cognoſcit eſsentiam naturæ humanæ, & ſubſiſtentiæ eius, & ideo cognoſcit, quod de ratione ſubſiſtentiæ, vt ſubſiſtentia eſt, eſt tantùm terminare, & ideo hoc poſse ſuppleri per ſubſiſtentiam diuinam ſine ipſius mutatione per ſolam mutationẽ naturæ: Quod verò ſubſiſtentia naturæ ſit modus, dico non eſse ita certum, probabilius enim eſt, quod ſit res, vt infra videbimus; deinde etſi modus ſit, cum adueniat naturæ, poteſt ſeparari a Deo, quia omne prius poteſt eſse ſine ſuo poſteriori. Ad illud de quantitate dico, quod poteſt eſſe quantitas ſine figura, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ, vbi eſt quãtitas tota corporis Chriſti Domini, & tamen ibi nulla eſt figura: Corpus autem non poteſt eſse ſine vbicatione, quia vbicatio per me nil aliud eſt, quam complexum ex re, & loco: eo ipſo autẽ, quod res aliqua producta eſt, alicui ſpatio correſpondere debet; etſi vbicatio eſset modus non video cur non poſſit dari corpus ſine vbicatione; cum omne prius poſſit eſse ſaltem diuinitus ſine ſuo poſteriori; vnde in ſententia admittente vbicationem eſse modum, deberet etiam admitti, quod corpus aliquod nullibi poſſit eſse; & ſi hoc putãt abſurdum, fateantur eſse complexum, non modum.

Cur corpus non poſſit eſſe ſine vbicatione.

14 Quæres an poſita exiſtentia huius myſterij, Angelus cognouerit illud eſse factum. Reſpondeo poſse 1. cognoſci euidẽter ab Angelis Beatis in clara Dei viſione, ſicut enim modò omnes Beati vident illud myſterium, ita & Angeli in beata viſione illud cognouerunt, & vt poſſibile, & vt ponendum, & vt a parte rei ſuo tempore poſitum fuit: ſecundò poſse cognoſci per fidem, vt cognoſcũt nunc omnes fideles: tertiò poſſe cognoſci per euidentiam in atteſtante; vt diximus de alijs myſterijs in tractatu 9. de Fide quæſt. 1. ar. 13. quartò ex miraculis à Chriſto Domino patratis in confirmationem, quod ipſe eſset Filius Dei: poterant enim Angeli ſic argumentari: Miracula non poſsunt fieri niſi virtute diuina, & Deus non concurrit ad miracula patranda, niſi in teſtimonium veritatis: ſed Chriſtus plura patrauit miracula ad oſtendendum ſe eſse Filiũ Dei; ergo verè talis eſt: quomodo Dæmones coacti tot miraculis credunt Chriſtum eſse Deum.

Quomodo ab Angelis cognitum fuerit.

An

Digitized by Google

15 An verò Dæmones cognouerint hoc myſterium ſtatim, ac poſitum fuit a parte rei in vtero Sacratiſſimæ Virginis. D. Hieronymus in cap. 1. Matth. adducens auctoritatem S. Ignatij Martyris ſuſtinet contrarium dicens, *Martyr Ignatius quartam addit cauſam cur à deſponſata conciperetur, vt partus eius celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de vxore generatum*. Et quidem potuit Deus hoc myſterium Dæmoni occultare, & eſt probabile, quod occultauerit; ex coniecturis tamen poterat Dæmon ſuſpicari, nam ſciebat Virginem à Ioſepho, aut ab alio cognitam non fuiſse, optimè intelligebat ſcripturas, potuit conſiderare circumſtantias Natiuitatis Chriſti, vt cantum Angelorum, adorationem Paſtorum, & Magorum, prædictionem Simeonis, Virginis puritatem etiam poſt partum, vnde varias coniecturas poterat habere, quod Chriſtus eſset filius Dei; poſita verò tentatione in deſerto, & factis tot miraculis à Chriſto Domino, Dæmones moraliter dubitare non poterat, vnde Lucæ 4. dicitur. *Quia ſciebāt ipſum eſſe Chriſtum*.

ARTICVLVS II.

Vtrum conueniens fuerit Deum Incarnari.

1 De facto Verbum Diuinum eſſe incarnatum eſt pręcipuum noſtræ fidei dogma: Rationes verò, quę probant eſse factum deducuntur ex pluribus locis ſcripturæ, vt ex illo Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda &c.* quem locum noſter Torniellus latè exponit contra Iudeos, & ex Daniele 9. Aggeo 2. & ex pluribus alijs locis, quæ poſsunt videri apud Doctores, qui ex profeſso contra Iudeos ſcripſerunt, & in particulari apud Valentiam, & Suarez hic diſp. 1. & 2. Ethnicis autem debet hoc myſterium proponi tamquam euidenter credibile, ſicuti ſunt omnia alia noſtræ fidei, vt dictum fuit de fide. Cōtra hæreticos verò ſcripturis vtendū eſt, vt in progreſsu videbimus.

2 Non inquiritur, an hoc myſterium ſit conueniens ex fine, quem habuit Deus; nam hanc difficultatem tractat Angelicus præceptor articulo ſequenti, ſed inquiritur ſolùm hic, an hoc myſterium fuerit conueniens ex ipſis naturis rerum, & ex circumſtantijs; quare videbimus primò, an fuerit conueniens ex parte Dei, & naturæ humanę: ſecundò an fuerit conueniens ex parte Verbi: tertiò an etiam ex circunſtantijs peccati, & temporis.

3 Concluſio. Conueniens fuit hoc myſterium Deo quatenus Deus eſt. Eſt communis omnium. Probatur ratione D. Thomæ: vnicuique conuenit, quod ſuæ naturæ conſentaneum eſt: ſed communicare ſe naturæ humanæ per vnionem hypoſtaticam eſt conſentaneum naturæ Dei; ergo communicare ſe naturæ humanæ per vnionem hypoſtaticam eſt conueniens Deo: maior patet, nam conueniens dupliciter aliquid poteſt eſſe; nempe negatiuè, & poſitiuè; illud eſt conueniens negatiuè, quod in ſe nullum includit inconueniens, ſeu nullam includit implicātiam, & in hoc ſenſu clarum eſt hoc myſterium eſſe conueniens; nam non ſolùm nullam dicit implicantiam, vt patebit ex ſolutione argumentorum, quæ infra ſuis locis ſoluentur, ſed fides docet, poſitum eſſe à parte rei: cōueniens autē poſitiuè eſt, quod affert aliquam vtilitatem, vel delectabilitatem, vel laudabilitatem; & in hoc ſēſu hoc myſterium eſt etiam conueniens Deo, non quia afferat aliquā vtilitatem, aut delectabilitatem intrinſecā Deo; nam Deus; cum ſit ſibi ſoli ſufficiens, nullam vtilitatem, aut delectabilitatem accipit à creaturis; eſt igitur cōueniens hoc myſterium Deo, quia ex ipſo maximè manifeſtantur bonitas, ſapientia, & aliæ perfectiones diuinæ, Quare ſi Apoſt. ad Rom. 1. dicit. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* multò magis hoc fit per myſterium Incarnationis, ratione cuius tot attributa diuina maximè elucēt; & proindè diuina Maieſtas laudatur. Probatur nunc minor principalis argumenti. De ratione bonitatis eſt communicatio, & ſummę bonitati conueniens eſt ſumma communicatio, vt docet D. Dionyſius cap. 1. de Diuinis nominibus, qui dicit, bonum eſſe ſui ipſius diffuſiuum: ſed natura diuina eſt ſumma bonitas; ergo cum ſe communicauerit ad intra per proceſſiones perſonarum, & ad extra per creationem, gratiam, & gloriam, conueniens etiam fuit, quod ſe communicaret ſummo modo, & ſubſtantialiter per vnionem ſubſtantialem Verbi cum natura humana.

Conueniēs aliquid dupliciter eſſe poteſt.

4 Dices primò. Si ſummam bonitatem decet ſumma cōmunicatio, cum Deus ab æterno habuerit ſummam bonitatem, ſequitur quod ab æterno debuerit habere hanc ſummam communicationem, ne Deo vllo modo deeſſet hoc bonum. Sed contra, quia hæc communicatio per Incarnationem nullum bonum intrinſecum ponit in ipſo Deo, ſed tantùm extrinſecum; vnde non eſt neceſſe, quod hæc communicatio fuerit ab æterno; neque D. Tho. ex hac ratione pro-

Digitized by Google

ne probat factam fuiſſe Incarnationem, ſed ſolùm ſuppoſito ex reuelatione, quod ſit facta, probat eſſe conuenienter factam, liberè tamen facta eſt, cum potuerit non fieri.

5 Dices ſecundò. Deus delectatur, & gaudet, quod Incarnatio Verbi Diuini ſit facta, ſed delectari, & gaudere eſt quid intrinſecum ipſi Deo; ergo ex incarnatione aliqua perfectio intrinſeca fuiſſet poſita in ipſo Deo; cum igitur hoc eſſe non poſſit in tempore, quia ſecus mutaretur Deus, fatendum eſſet Incarnationem factam fuiſſe ab æterno. Sed contra, quia fateor Deum gaudere, & delectari, quod Incarnatio Verbi Diuini ſit facta, verùm hoc non eſt in Deo per actum nouum, qui ponatur in Deo, ſed hoc totum fuit per eumdem infinitum, & ſimpliciſſimum actum Dei, quo Deus complacet de ſua infinita bonitate, & eſſentia, & tantùm per poſitionem extrinſecam Incarnationis denominatur delectatio de Incarnatione. Addo quod hoc argumentum tangit difficultatem de actu libero Dei, vnde non tantùm eſt contra rationem poſitam pro noſtra concluſione, ſed multò magis contra id, quod diximus in tractatu primo de Deo quæſt. 5. art. 5. de libero velle Dei, & ideo vide, quæ ibi dicta ſunt.

Quomodo Deus delectetur de incarnatione facta.

3 Dices tertiò. Dantur plura, quæ ſpectant ad rationem boni, & nihilominus non tribuuntur Deo; ergo etiam, licèt communicatio naturæ diuinæ in Incarnatione ſpectet ad rationem boni, non eſt Deo tribuenda: probatur antecedens, quia ridere, currere, & plura alia ſpectat ad rationem boni, & tamen Deo non conueniunt. Sed contra, quia vt benè notat Caietanus: non dicit D. Thomas, quidquid eſt bonum Deo cõuenire, ſed quod eſt conſentaneum bonitati Deo conuenire: ridere autem, currere &c. non ſunt conſentanea bonitati, ſed ſunt quædam entia participantia bonitatem, & ſunt bona alicui ſecundum peculiarem ipſius naturam; ideo hæc prædicta non ſunt conſentanea bonitati, vt bonitas eſt, ſicuti eſt communicatio; cum bonum ſit ſui ipſius diffuſiuum.

7 Obijcies 1. Quod ab æterno habet omnia, quę ſibi conueniunt in ſummo gradu, & infinito modo, ita vt nullius boni ſibi conuenientis patiatur defectum eidem non poteſt aduenire de nouo aliquid conueniens: ſed Deus ab æterno eſt huiuſmodi; ergo nihil poteſt ei aduenire de nouo, quod ſit illi conueniens: ergo incarnatio in tempore non eſt Deo conueniens, ſed inconueniens; nam ſecus Deus ab æterno habuiſſet omnia ſibi conuenientia, & non habuiſſet, quod implicat.

Reſpondeo Deum ab æterno habuiſſe omnia intrinſecè, quæ ſibi conueniunt in ſummo gradu, & infinito modo, non verò extrinſecè; & ideo nihil potuit aduenire Deo, quod ei intrinſecè eſſet conueniens, at potuit ei aduenire aliquid, quod extrinſecè conueniret, & talis eſt incarnatio, ratione cuius magis manifeſtantur ſapientia, bonitas, iuſtitia, & cetera attributa diuina, ex quorum manifeſtatione accreſcit Deo extrinſeca laudabilitas ipſius, & hoc pacto Incarnatio eſt illi conueniens.

8 Obijcies 2. Illud eſt inconueniens Deo, quod reddit ipſum contemptibilem: ſed per Incarnationem Deus redditus fuit contẽptibilis; ergo Incarnatio eſt Deo inconueniens: maior patet: probatur minor: nam Maieſtas diuina latuit intra corpuſculum pueri vagientis ſemetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens 2. ad Philipp. 6. factus fuit Deus ſubiectus obbrobrijs, & morbis; hæc autem videntur Deo inconuenientia.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem dico, quod Deus ita vnitus fuit corpori pueri vagientis, vt tamen retineret eamdem maieſtatem in cælo, adoraretur ab Angelis, & regeret vniuerſum, & ſic venit inquit Elichius, *quia amari voluit non timeri*, per hoc enim, quod formam hominis, & tot obbrobria, & mortem pertulerit, eluceſcit maximè charitas, & miſericordia: quare Leo Papa ſer. 1. de nat. inquit. *Tanto, & tam mirabili fœdere vtramque naturam conſeruit, vt nec inferiorem conſumeret glorificata, nec ſuperiorem minueret aſſumptio*, & Epiſt. ad Flauianum. *Tenet ſimul proprietatem ſuam vtraque natura, & ſicut formam ſerui, Dei formam non adimuit; Ita formam Dei, ſerui forma non minuit.*

ARTICVLVS III.

An fuerit Incarnatio conueniens ex parte Verbi, natura humana, & circumſtantiarum.

1 Conſentaneam fuiſſe Incarnationem Dei ratione ſummæ ſuæ bonitatis vidimus, quia tamen Deus immediatè non fuit vnitus humanitati, ſed Verbum: nunc videndum eſt, an etiam ex parte Verbi fuerit Incarnatio conueniens, deindè, an fuerit conueniens ex parte naturæ humanæ: tertiò, an ex parte circumſtantiarũ Beatiſſimæ Virginis, temporis &c.

Conclu-

Digitized by Google

2 **Concluſio 1.** Myſterium incarnationis fuit conueniens Verbo, ſeu magis conueniens fuit Verbum Incarnari, quam Pater, aut Spiritus Sanctus. Eſt D. Tho. hic quæſt. 3. art. 8. & communis. Probat D. Tho. concluſionem varijs congruentijs. Prima; nam ſicuti omnia per Verbum facta ſunt, ita fuit conueniens, vt à Verbo reſtaurarentur. Secunda, quia vnio eſt ſimilium; filius autem fuit exemplar, & idea rerum omnium, & ideo maiorem ſimilitudinem habet cum rebus creatis. Tertia, quia imago diuinitatis in nobis per peccatum deleta erat; Ideo fuit cõueniens, vt per Verbum, quod eſt imago perfectiſſima Patris reſtauraretur. Quarta, quia homines per Incarnationem debebant conſtitui filij Dei adoptiui: Ideo decuit, vt tales conſtituerentur, per filium naturalem. Quinta, quia homo peccando appetijt ſcientiam, vt patet ex illo Gen. *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum*. Deo conueniens fuit, vt homo reduceretur ad Deum per filium, qui eſt vera ſapientia Patris. Poteſt addi alia, quam aſſignat D. Bernard. ſer. 2. de Annunciat. quia decuit, vt eadem perſona, quæ eſt filius Dei, eſſet etiam filius Virginis, ne confuſio aliqua fieret inter perſonas Trinitatis, vt alia Dei, alia hominis eſſet filius.

3 Concluſio 2. fuit magis conueniens naturam humanam aſſumi a Verbo, quam Angelicam. Eſt D. Tho. infra quæſt. 4. art. 1. & communis. Dupliciter tamen poteſt conſiderari natura humana in ordine ad Verbum: vel primò conſiderando ipſam ſecundum exiſtentiam ipſius naturalem, & hoc pacto nulla conuenientia poteſt conſiderari ex parte naturæ, vt vniatur Verbo; cum nullo modo habeat potentiam naturalem ad illud. Vel ſecundò conſiderando naturam humanam ſecundùm potentiam obedientialem; & in hoc ſenſu dico, magis conueniens fuiſſe, vt illi vniretur, quam naturæ Angelicæ, aut alteri. Ratio autem eſſe poteſt tum ex parte Dei, tum ex parte creaturarum omnium. Ex parte Dei, quia cum non eſſet expediens, quod Deus vniretur immediatè omnibus creaturis, fuit magis conueniens, vt vniretur illi, in qua omnia alia creata quoddamodo continerentur veluti in compendio, vt ſic dici poſſet, Deum toti mundo ſe communicaſſe: Ex parte verò creaturarum fuit magis conueniens, quod vniretur naturæ humanæ, quam Angelicæ, aut alteri, quia ſic diuina perſona toti mundo ſe quodammodo communicauit; eo quod humana natura conueniat cum Angelis ratione formæ ſpiritualis, & cum rebus materialibus ratione corporis, in ſe habens omnes gradus, & omnes perfectiones, quæ in aliis creaturis ſparſim reperiuntur, vnde natura humana in ſcriptura ſolet intelligi nomine mundi, ſic D. Auguſtinus intelligit illud Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*, ideſt *hominum*. Ad quod facit illud ad Epheſ. 1. *Secundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cælis, & quæ in terra, in ipſo*. ex hac enim vnione cum natura humana noua quædam dignitas, & ſplendor in omnes creaturas redundauit.

4 Dices ex Arriaga, hanc rationem nihil probare; Nam etiam Angelus poteſt dici omnis creatura in eo ſenſu, quo dicitur homo; etenim etiam Angelus habet eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum homine; ergo ſi propter hanc rationem ex D. Greg. Hom. 29. in Euang. homo poteſt dici omnis creatura; etiam idem de Angelo dici poteſt. Sed contra, quia ratio noſtra adducta non probat naturam humanam eſſe mundum paruum, quia contineat ſimpliciter quatuor illos gradus nempè *eſſe viuere, ſentire, & intelligere*, ſed quia ita illos continet, vt cum rebus materialibus ſit materialis, & cum Angelis, & ſpiritualibus ratione animæ ſit ſpiritualis, & propter hoc homo dicitur mũdus paruus, ſeu in compendio, quod dici non poteſt de Angelis; vt de ſe patet.

Cur homo ſit mũdus paruus nõ Angelus.

5 Si verò conſideretur hæc vnio ex parte finis, nempè redemptionis, clarius patet fuiſſe magis conueniens, quod Deus aſumeret naturã humanam, quã Angelicam: tum quia Angeli peccauerunt cum maiori cognitione: tum quia non omnes ceciderunt, ſed tantum aliqui; tum quia, qui ceciderunt, omnes propria voluntate peccarunt, & Angelus peccans ſtatim in malo obſtinatus fuit; at homo non habuit tantam cognitionem, tota natura humana peccauit in Adamo, homo non fuit obſtinatus in malo, & Adamo, & Heua exceptis, ceteri omnes non propria, ſed aliena voluntate peccauerunt; ideo magis fuit conueniens, vt Deus miſericordia motus miſeræ naturæ humanæ redimeret hominem per incarnationem, non verò Angelum.

6 Concluſio 3. Fuit etiam conueniẽter peracta incarnatio ex parte temporis; vt docet D. Thom. hic artic. 5. & 6. Nã nõ fuit conueniẽs, vt fieret in principio mundi: tum vt homo ex malis cogno-

Digitized by Google

cognoſceret infirmitatem ſuam, & clamaret ad medicum, à quo ſciebat debere ſanari: tum quia decuit, vt prius mundus deduceretur per legem naturæ, deindè per legem ſcriptam, & moſaycam, vt ſic diſponeretur ad legem gratiæ, & Euangelium. Nec etiam fuit cõueniens, vt differetur vſque ad finem mundi, ne mores penitus deprauarentur tam longa dilatione, & pauci ſic poſſent ſaluari; Vnde venit quando ſapientia ſua infinita cognouit venire debere, & ſciuit hoc maximum, & diuinum beneficium hominibus gratum futurum.

7 Denique fuit etiam conueniens, vt veniret eo tempore, quo in mundo aderat Beatiſſima Virgo Maria, vt docet D.Thom. infra quæſt. 2. artic. 11. Tum propter eximiam eius ſanctitatem, & dignitatem: tantam enim habuit gratiam, vt congruè potuerit eſse Mater Dei. Tũ quia erat ex ſtirpe Dauid; nam decuit, vt de ipſo genere, quod vitiatum fuerat aſſumeretur homo, per quem generis humani inimicus vinceretur: tum quia hac ratione, ille, qui peccauerat, quoddammodo ſatisfecit.

8 Obijcies primò contra 1. & 2. Si fuit conueniens Verbo aſsumere naturã humanam, maximè quia Verbum eſt ſummum bonum, & per conſequens ſui communicatiuum; ſed falſum eſt bonum eo ipſo, quod bonum eſt, eſſe etiam ſui ipſius communicatiuum; ergo etiã falſum eſt, quod ſummo bono conueniat ſe communicare: probatur minor: nam Angelus eſt maius bonum, quam ſit homo, & tamen non eſt ſui ipſius communicatiuus; ergo etiam licèt Verbum ſit ſummum bonum, non eſt ſui ipſius communicatiuum.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem dico Angelum eſſe maius bonum, quam ſit homo, non tamen tantum bonum eſſe, quo poſſit per vnionem hypoſtaticam communicari alteri naturæ, nam ad hoc requiritur bonum infinitũ, quod bonum non eſt Angelus, ſufficit igitur, ſi Angelus poſſit ſe communicare alijs Angelis, & hominibus per loquelam, & ſocietatem politicam, & aplicando ſuam virtutem in auxilium aliarum creaturarum, & in hoc, cum ſit maius bonum, quam ſit homo, maiorem etiam habet communicationem, quam homo.

9 Obijcies 2. Illud eſt conuenientius Deo, in quo maximè elucet attributum miſericordiæ ſuæ: ſed ſi ſine incarnatione Deus condonaſſet peccata, magis reſplenduiſſet miſericordia Dei; ergo incarnatio non eſt magis Deo cõueniens.

Reſpondeo negando minorem; nam vt 1. Ioan. 4. habetur. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis*. Summè relucet ſapientia, quæ modum excogitauit, quo iuſtitiæ, & miſericordiæ ſatisfieret; ad quod facit illud Pſal. 84. *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt*. Apparuit in hoc myſterio omnipotentia, ſumma liberalitas, & amor erga creaturas, cum Deus factus eſt homo, vt homo Deus fieret.

10 Obijcies 3. Inconueniens eſt exigere pœnas ab innocenti: ſed per incarnationem Chriſtus innocentiſſimus tot pœnas ſuſtinuit; ergo incarnatio nõ fuit conueniens.

Reſpondeo non eſſe inconueniens, quando ipſe innocens ſe offert ad ſatiſfaciendum pro reis, vt fecit Chriſtus. Tũ quia, cum Deus ſit ſupremus omnium Dominus, poterat etiam conſtituere Chriſtum, & ipſum obligare, vt ſatisfaceret,

11 Obijcies 4. Saltem naturæ Angelicę fuit diſconueniens Verbi incarnatio, nam ſic cecidit à prælatione, quam habebat ſupra naturam humanam.

Reſpondeo tamen, nec Angelis fuiſſe diſconuenientem; nam licet ceciderint à prælatione compenſatus fuit hic caſus per tot bona ſupernaturalia. Nam reparatæ fuerunt eorum ſedes, auctus numerus ciuium beatorum, & ex plurimorũ ſententia ex meritis Chriſti confirmati fuere in gratia, & gloriam aſſecuti ſunt.

QVÆSTIO II.

De neceſſitate Incarnationis.

VIdimus incarnationem fuiſſe conuenientem, nunc videndũ eſt, an fuerit neceſſaria: poteſt autem eſſe quæſtio, vel de neceſſitate ſimpliciter, vel de neceſſitate ſecundùm quid; nimirũ, an Deus abſolutè fuerit neceſſitatus ad ponendum hoc incarnationis myſterium, vel liberè illud poſuerit, & ſolùm hoc myſterium neceſſarium fuerit Deo ex ſuppoſitione, quod perfectã ſatisfactionem pro peccatis voluerit, in vtroque ſenſu explicabimus difficultatẽ, & celebres quæſtiones explicabuntur, quæ de Chriſti Domini perfecta ſatisfactione hic communiter agitari ſolent.

ARTICVLVS I.

An Deus fuerit neceſſitatibus ad ponendam incarnationem.

1 VT cognoſcamus clarè neceſſitatem, quam tota natura hu-

Digitized by Google

ra humana habebat incarnationis, & aduentus Chriſti Domini, ſupponendũ eſt tamquam fidei dogma homines per peccatum verè ſub diaboli poteſtate contineri, vnde dixit Apoſt. ad Timoth. 2. *Homines teneri captiuos à diabolo pro voluntate ipſius.* Hæc autem poteſtas diaboli ſuper homines in eo ſita erat, vt docet Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. quod, cum omnes homines per peccatum primi parentis innocentiam perdiderint, facti ſunt omnes immundi, & natura filij iræ, ita vt, licèt liberum arbitrium non eſſet extinctum, ita tamen eſſet debilitatum, vt nullo modo poſſent ſurgere à peccato, ſed vt loquitur Auguſt. in Enchiridio cap. 25. *Iacebat in malis, vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius humani generis maſſa damnata.* Ab hac igitur ſeruitute diaboli, & peccatis nos liberat Chriſtus per gratiam ſuam, ita vt omnes, qui iuſtificati fuere, vel debent iuſtificari, tam ante, quam poſt mortem Chriſti, hi omnes gratiam habuerint, & recepturi ſint ex meritis Chriſti, vt docet Trid. loco cit. cap. 2. & colligitur ex illo ad Timoth. 2. *Vnus eſt enim Deus, vnus mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus, qu dedit redemptorem ſemetipſũ pro omnibus.* Videri poteſt de hac veritate Vaſquez hic quæſt. 1. ar. 2. cap. 1. qui ponit errores Abailardi, Baſsi, & aliorum hæreticorum. Hac veritate ſuppoſita.

2 Raimundus Lullus in explicatione ar. fidei cap. 18. quem refert Vaſquez hic diſp. 1. num. 10. opinatus eſt, Deum eſſe neceſſitatum ad ponendum myſterium incarnationis, eo quod non poſſit Deus non facere illud, quod optimum eſt. In eamdem opinionem videntur inclinare Granad. 1. par. contr 3. tract. 2. de voluntate Dei diſp. 3 & Ruiz de voluntate Dei diſp. 9. & 10. vt diximus in tractatu de Deo vno quæſt. 5. ar. 4. vbi vniuerſaliter tractauimus, an Deus circa creaturas exiſtenres ſit liber.

Communis omnium aliorum ſententia, docet Deum nullò modo fuiſſe neceſſitatum ad ponendam incarnationẽ, cum abſolutè potuerit Deus hominem liberare à peccato abſque incarnatione. Ita cõmuniter omnes Scholaſtici Suarez diſp. 4. ſect. 2. Vaſq. diſp. 1. n. 10. Arriaga to. 1. diſp. 27. ſec. 1. & 2. & hic diſp. 2. Amicus de Incarnatione diſp. 4. de Lugo diſput. 2. Eſparza lib. 9. quæſt. 4. de Incarnatione. Gabriel à S. Vincentio hic diſput. 1. dub. 7. & plures alij, quos in tractatu de Deo allegauimus.

3 Concluſio. Nec phyſicè, nec moraliter fuit neceſſitatus Deus ad volendã incarnationem, ſed omnino liberè illam poſuit. Hæc concluſio remanet probata ex iis, quæ diximus in tractatu de Deo loco ſupra citato quæſt. 5. at. 4. Vnde non opus eſſet hic quicquam repetere, nihilominus, quia hæc difficultas etiam hic communiter tractatur, aliquas rationes afferemus probantes concluſionem.

4 Probatur autem ſic. Deus eſt actus puriſſimus omnes continens perfectiones, & nullo indigens, neque vt ſit, neque vt beatus ſit, & ſibi ipſi ſufficiens eſt; in hoc enim conſiſtit ratio Dei, nam ſi aliqua re indigeret, non eſſet Deus; nam poſſemus concipere perfectius ens, quod ſibi ipſi ſufficiens eſſet nullo indigens, hoc autem ens eſſet Deus, non illud, quod aliqua re indigeret; vnde Pſalm. 15. dicitur. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* & Auguſtinus lib. 83. quæſt. 22. habet. *Vbi nulla indigentia nulla neceſſitas; vbi nullus defectus nulla indigentia: nullus autem defectus in Deo; ergo nulla neceſsitas.* Sed ſi Deus eſſet neceſſitatus ad volendam incarnationem non eſſet ſibi ipſi ſufficiẽs, ſed eſſet aliquo indigens, & aliquis defectus in eo eſſet; ergo non eſſet Deus, ſed Deus eſſet aliud ens, quod poſſemus concipere tamquam actum puriſſimum, ſibi ſoli ſufficientem, & nullo indigentem: maior conſtat: probatur minor, quia ſi Deus eſſet neceſſitatus ad volendam incarnationem, non poſſet exiſtere Deus, niſi vellet efficaciter incarnationem: ſed qui non poteſt exiſtere, niſi dependenter ab alio, non eſt ſibi ſolus ſufficiens, ſed eſt aliquo indigens, vt de ſe patet; ergo talis Deus non eſſet,

5 Dices 1. Deus, licèt ſit neceſſitatus ad volendam incarnationem, nihilominus eſt ſibi ſufficiens, quia incarnatio eſt tantùm quid extrinſecum Deo, & volitio incarnationis eſt actus Dei, & Deus, vnde licèt ſit neceſſitatus ad volendam incarnationem, adhuc eſt ſibi ſufficiens, & nullo indiget. Sed contra, quod eſſentialiter vt ſit, exigit aliquid, quod eſt eſſentialiter inſeparabile ab alio, eſſentialiter, vt ſit, indiget illo: ſed Deus in contraria ſententia, vt ſit, exigit eſſentialiter, & ex neceſſitate volitionem incarnationis, quæ incarnatio eſt eſſentialiter inſeparabilis à volitione efficaci ipſius; ergo ſi Deus, vt ſit, eſſentialiter exigit volitionem efficacem incarnationis, & hæc volitio eſt eſſentialiter inſeparabilis ab incarnatione, ſequitur, quod Deus, vt ſit, indigeat neceſſario incarnatione; & ſic Deus non eſſet ſibi ſolus ſufficiens, aliquo indigeret, nec eſset actus puriſſimus, nec Deus.

6 Dices 2. cum Granado Deum nõ

eſſe

Digitized by Google

eſſe neceſſitatum phyſicè, ſed tantùm moraliter ad volendam incarnationem, & ideo eſſe ſibi ipſi ſufficientem, & nullo indigere; nam phyſicè eſſet hic Deus, etiamſi non eſſet incarnatio. Sed contra primò; nam hæc neceſſitas moralis diminuit dominium Dei, & independentiam ipſius à creaturis: ſed verè nos debemus ponere in Deo abſolutum dominium in creaturas, & independentiam ab ipſis; ergo non debemus vllo modo in ipſo ponere hanc moralem neceſſitatem: maior probatur; quia illud minuit dominium Dei, & independentiam ipſius à creaturis, quod moraliter neceſſitat Deum ad creaturas; nam certè ſi eſt moraliter neceſſitatus ad volendam incarnationem, non eſt independens moraliter ab incarnatione, nec perfectum dominium ſuper illam habet, vt ponat, vel non ponat ipſam: & apertè eſt contra ſcripturas, quæ paſſim docent, Deum ex miſericordia, & liberè miſiſſe filium ſuum ad redimendum genus humanum Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. Ad Titum 3. *Qui ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit*. Et contra Patres. Etenim Athanaſius ſer. 3. contra Arrianos habet. *Poterat ſine vllo aduentu Chriſti ſolummodo loqui Deus, & ſoluere maledictionem: ceterum ſpectandum eſt iſthic, quod hominibus ſit vtile, non quid ſitum ſit in viribus Dei*. Et Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 10. *Parum eſt*, inquit, *ſic repellere, vt iſtum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum Chriſtum Ieſum Deus liberare dignatur, aſſeramus bonum, & diuinæ congruum dignitati, verùm etiam, vt oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent*. Sicuti ergo certum eſt non eſſe moraliter neceſſitatum Deum ad producendum hunc numero lapidem, vel hominem, neque erit neceſſitatus moraliter ad ponendam incarnationem, cũ per Auguſtinum *eius poteſtati cuncta æqualiter ſubiaceant*.

7 Contra 2. Si Deus eſſet neceſſitatus phyſicè ad ponendam incarnationẽ non eſſet ſibi ſolus ſufficiens, aliquo alio indigeret, nec eſſet Deus, vt ſupra probatum fuit: Sed idem ſequitur, ſi Deus eſſet moraliter neceſſitatus ad ponendam incarnationem; ergo nullo modo hæc moralis neceſſitas in Deo ponenda eſt: probatur minor: ſi Deus eſſet moraliter neceſſitatus ad ponendã incarnationem, vt moraliter eſſet in rerum natura indigeret volitione incarnationis, & ipſa incarnatione, quæ eſt eſſentialiter inſeparabilis ab ipſa volitione; ſed moraliter Deum indigere incarnatione, vt ſit, eſt Deum non eſſe ſibi ſolum ſufficientem, & Deum indigere creatura, vt ſit, quod eſt Deum non fore Deum, vt de ſe patet; vnde concedit Granadus. *Non incarnatum fuiſſe à deitate eſt cadere*. Nullo igitur modo admittenda eſt hæc Granadi ſententia.

8 Probatur 2. ratione. Ideo per Granadum Deus eſt moraliter neceſſitatus ad volendam incarnationem, quia melior eſt incarnatio, quem non incarnatio: ſed etiam eſt melior redemptio Angelorum, quam non redemptio, & melior, & magis conducens ad externam gloriam Dei productio mundi perfectioris, quam non productio; & nihilominus Deus nec voluit producere mundum perfectiorem, quem tamen producere poterat, nec redimere Angelos, quos tamen redimere, & ſaluare poterat, & homines reprobos in ſtatu miſeriæ ſinit perire, quos tamen ſaluare poteſt; ergo etiam ab initio poterat Deus erga omnes homines rigorem dominij, & iuſtitiæ exercere deſerendo illos abſq; remedio, cum ipſe ſit ſupremus Dominus, & Iudex omnium. Vnde ſapientiæ 12. habetur. *Quis tibi imputabit ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* & ſic nullo modo fuiſſet neceſſaria incarnatio; neque etiam ex ſuppoſitione, quod vellet reparare hominem; nam poterat ſine incarnatione dare gratiam ſuam, & peccata gratis condonare, & cum Deus ſit offenſus poterat cedere iuri ſuo, & per gratiam ſuam ſibi reconciliare peccatores.

9 Obijcies 1. D. Anſelmum lib. 1. & 2. *Cur Deus homo*, & præſertim lib. 2. cap. 4. qui ſic habet. *Neceſſe eſt ergo, vt de humana natura perficiat, quod incœpit*. & cap. 5. explicat qualis ſit hæc neceſſitas, dicens. *Et cum dicimus Deum aliquid facere, quaſi neceſſitate vitandi inhoneſtatem, quam vtique non timet, potius intelligendum eſt, quod facit neceſſitate ſeruandæ honeſtatis: quæ ſcilicet neceſſitas non eſt aliud, quam immutabilitas honeſtatis eius, quam à ſe ipſo, & non ab alio habet. & idcircò impropriè dicitur neceſſitas: dicimus tamen, quia neceſſe eſt, vt bonitas Dei propter immutabilitatem ſuam perficiat de homine quod incepit*; ergo per D. Anſelmum Deus habuit moralem neceſſitatem ad ſe incarnandum. Sic intelligunt D. Anſelmum non ſolùm Granadus, & eius aſſeclæ, ſed alij etiam DD. vt Vaſquez hic diſp. 1. cap. 4. Poſſunt inſuper addi plures alij S. Patres, & Concilium Francofordienſe; ſed quæ fuerit mens Concilij, & Patrum explicui loco citato de Deo vno quæſt. 5. art. 4. reſtat igitur ſolùm reſpondendum ad auctoritatem D. Anſelmi.

Digitized by Google

Reſpondeo, D. Anſelmum non ſolùm non fuiſſe in contraria ſententia, ſed apertè nobiſcum ſentire; nam lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. inquit. *Nonne monſtratum eſt ſupra, quod Dei voluntas nulla cogitur neceſſitate, ſed ipſa ſe ſpontenea ſua ſeruat immutabilitate, quando dicitur aliquid neceſſitate facere?* & cap. 17. *Sicuti cum Deus facit aliquid poſtquam factum eſt, iam non poteſt non eſſe factum, ſed ſemper verum eſt factum eſſe: nec tamen rectè dicitur impoſſibile Deo eſſe, vt faciat, quod præteritum eſt, non eſſe præteritum. Nihil enim ibi operatur neceſſitas non faciendi, aut impoſſibilitas faciendi, ſed Dei ſola voluntas, quæ veritatem ſemper (quia ipſe veritas eſt) immutabilem, ſicuti eſt, eſſe vult. Ita ſi proponit, ſe aliquid immutabiliter facturum, quamuis, quod proponit, antequam fiat, non poſſit non eſſe futurum, non tamen vlla eſt in eo faciendi neceſſitas, aut non faciendi impoſſibilitas, quia ſola operatur in eo voluntas.* Quare clarè conſtat Anſelmum loqui de neceſſitate ex ſuppoſitione, quod ſe determinauerit Deus, quæ neceſſitas nullo modo tollit libertatem, nec abſolutè ponit moralem neceſſitatem in Deo; & ſic explicant D. Anſelmum, Scotus in 3. diſt. 20. art. 1. q. 1. §. *Tunc ad quæſt.* D. Bonauent. ibidem, & alij.

10 Obijcies 2. Deo debemus concedere id, quod perfectiſſimum eſt: ſed volitio incarnationis eſt moraliter honeſtior, & perfectior, quam nolitio; ergo volitio incarnationis eſt neceſſariò concedenda Deo: maior conſtat: probatur minor, quia ille actus diuinus eſt perfectior, qui amplectitur melius, & nobilius obiectum, ſic nobilior eſt actus diuinus, quo vult producere Angelum, quam actus, quo vult producere muſcam, & ſic de ceteris: ſed Deus volendo Incarnationem amplectitur obiectum omnium nobiliſſimum; ergo talis actus erit omnium honeſtiſſimus, & perfectiſſimus, & per conſequens Deo concedendus eſt.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Deo concedere debemus quod perfectiſſimum eſt intrinſecè, & intenſiuè, ſeu omnem perfectionem intrinſecam, & intenſiuam poſſibilem, concedo maiorem: quod perfectiſſimum eſt extrinſecè, & extenſiuè, ſeu omnem perfectionem extrinſecam, & extenſiuam, nego maiorem: diſtinguo poſtea minorem, & dico volitionem incarnationis eſſe moraliter honeſtiorem, & perfectiorem extenſiuè, & extrinſecè, non intenſiuè, & intrinſecè: vnde negatur conſequentia: ad probationem dico, actum Dei amplectentem obiectum creatum perfectius eſſe moraliter perfectiorem, & honeſtiorem extrinſecè, & extenſiuè, non autem intrinſecè, & intenſiuè; nam perfectio intenſiua, & intrinſeca actus diuini deſumitur ab obiecto primario, quod eſt eſſentia diuina infinita, non à ſecundario, & extrinſeco, cuiuſmodi ſunt omnia creata, cum Deus ſit ſibi ipſi ſolus ſufficiens, & nullo indigens, & actus quilibet diuinus eſt vndequaque, & per eſſentiam infinitus eminenter continens omnem perfectionem extrinſecam, & extenſiuam excogitabilem.

11 Dices intellectus diuinus non ſolùm debet cognoſcere obiectum primarium, ſed etiam omne obiectum ſecundarium, & extrinſecum, & hoc neceſſariò; ergo etiam voluntas diuina debet tendere neceſſariò non tantùm in obiectum primarium, ſed etiam in omne obiectum ſecundarium: probatur conſequentia; Ideo intellectus diuinus debet cognoſcere omne obiectum etiam ſecundarium, quia cognitio cuiuſcumque obiecti etiam ſecundarij dicit perfectionem ſaltem extenſiuam: ſed etiam volitio cuiuſcumque obiecti etiam ſecundarij dicit perfectionem extenſiuam; ergo ſi intellectus diuinus propter hanc rationem debet cognoſcere omnia obiecta, etiam voluntas debet ea obiecta amplecti. Sed contra hæc ratio nimis probat, & ideo nihil probat; nam ſicuti intellectus diuinus debet neceſſariò cognoſcere omnia entia, tum exiſtentia, tum futura, tum poſſibilia, etiam voluntas deberet hæc omnia neceſſariò amare, quod tamen falſum eſt, cum de fide ſit hæc omnia creata liberè creaſſe, & liberè conſeruare. Reſpondeo igitur concedendo antecedens, & negando conſequentiã, & diſparitas deſumitur ex ipſa natura intellectus, & voluntatis, quod intellectus eſt potentia neceſſaria, & ideo debet attingere omne verum, quodcumque illud ſit: at voluntas eſt potentia libera, & ideo Deus ſe ipſum amat neceſſariò, quia eſt ſummum bonum; at extra ſe nihil neceſſariò amat, ſed liber eſt, neq; non volendo aliquod obiectum, hæc carentia volitionis arguit in voluntate imperfectionem; nam hæc carentia infinitè compenſatur à perfectione libertatis, & à dominio abſoluto, quod habet ſuper omnia obiecta creata, quod dominium non haberet, ſi neceſſariò illa amaret, & indigeret rebus creatis, nec eſſet ſibi ſolus ſufficiens, vt probatum fuit in concluſione.

12 Obijcies 3. Omne bonum eſt ſui ipſius diffuſiuum; ergo quo maius erit bonum, eo etiam erit magis diffuſiuum,

Digitized by Google

ſiuum, ſeu erit cum maiori inclinatione ad ſe communicandum, & infinitum bonum habebit infinitā inclinationem ad ſe communicandum: ſed infinita inclinatio ad ſe communicandum tollit libertatem; ergo ſi Deus habet infinitā inclinationem ad ſe communicandum per incarnationem, non erit liber ad omittendam incarnationem: minor clarè probatur; nam ſi quis haberet habitum infinitè intenſum inclinantem ad aliquem actum, careret libertate ad omittendum talem actum, cū implicet, quod quis ſit infinitè inclinatus, & non inclinatus ad aliquod obiectum.

Reſpondeo miſſis varijs reſponſionibus, quæ plurimas patiuntur difficultates, diſtinguendo maiorem: quo maius eſt bonum eo maior eſt inclinatio ad ſe communicandum, ſi inclinatio entitatiuè, & materialiter ſumatur, concedo maiorem; ſi inclinatio formaliter ſumatur, nego maiorem: diſtinguo poſtea minorem: infinita inclinatio ad ſe communicandum entitatiuè ſumpta, & materialiter tollit libertatem, nego minorem: infinita inclinatio formaliter ſumpta in ratione inclinationis tollit libertatem, concedo minorem; ergo &c. negatur conſequentia: etenim ſi daretur aliqua perfectio infinita in genere entis, ſed quæ tantùm finitè inclinaret ad aliquem actum, iſta perfectio non tolleret libertatem; ita licèt bonum, quod eſt in Deo, ſit infinitum, cum tamen habeat inclinationem finitam, non tollit libertatem; & ratio huius eſt, quia hæc inclinatio, vt formaliter talis, non prouenit præcisè à bonitate diuina, ſed prouenit ab ipſa bonitate diuina iuxtà proportionem bonitatis creatæ, cui bonitas diuina debet communicari, & cum bonitas creata ſemper ſit finita, & limitata, & vt talis à Deo cognoſcatur, hinc eſt, quod talis inclinatio ad ſe communicandum creaturis formaliter ſemper finita ſit.

13 Dices. Etiam bonum creatum, ſi in eo nulla appareat ratio mali poteſt tollere libertatem: ſed in volitione incarnationis nulla apparet ratio mali; ergo volitio incarnationis non eſt libera, ſed neceſſaria: probatur maior in motibus primò primis nos non ſumus liberi, quia licèt obiecta creata nobis proponantur, attamen nobis proponuntur ſolùm, vel ſub ratione boni, vel ſub ratione mali; item ſi tempore quadrageſimæ proponatur eius carnis vt delectabilis, & quis non recordetur præcepti contrarij, nulla in tali comeſtione oſtenditur malitia moralis, & ideo non adeſt in tali comeſtione niſi libertas phyſica, non verò in genere moris; ergo etiam, ſi nullum malum phyſicum in obiecto cognoſcimus, nulla erit libertas phyſica. Sed contra falſa eſt maior; nam eo ipſo, quod bonum creatum proponitur, ſemper proponitur bonum limitatum, & finitum, vnde licèt tale obiectum non poſſit odio haberi, non neceſſitat tamen ad amorem, ſed voluntas poteſt ſuſpendere actum; quarè cum Deus clariſſimè cognoſcat obiecta omnia creata, numquam neceſſitatur ad ea amanda. Ad minorem dico; quod incarnatio cognoſcitur à Deo clariſſimè cum omnibus circumſtantijs, non tantùm vt bonum finitum, ſed etiam vt coniunctum cum tanta hominum ingratitudine erga Deum, quæ omnia poterant retardare voluntatem diuinā ad volendum incarnationem. Quod ſi ſubſtantia tantùm incarnationis conſideretur, licèt in eius volitione nulla appareat ratio mali, ſemper tamen apparet ratio boni finiti, quod numquam poteſt neceſſitare Deum. Ad probationem dico neceſſitatem in motibus primò primis non tantùm prouenire ex hoc, quod obiectum aliquando proponatur ſolùm ſub ratione, vel boni, vel mali, ſed quia etiam paſſiones anteuertunt rationem, & modo quodam brutali rapiunt eam in obiectum, & ideo in talibus motibus, non eſt libera voluntas, etiamſi aliqua reluceret ratio mali; Sicuti non eſt libertas in pueris, in brutis, & ſomniantibus, quamuis aliquam rationem mali poſſint, ſed imperfectè cognoſcere, quæ tamen non eſt ſufficiens ad libertatem, ita & in motibus primò primis dicendum eſt. Ad aliud de comeſtione carnis tempore quadrageſimæ ſine vlla prorſus recordatione præcepti contrarij: concedo in tali eſu non adeſſe libertatem moralem, hoc eſt ad peccatum imputabilem, quia neque adeſt obiectum morale peccati; at negari non poteſt, quod in tali comeſtione homo abſolutè non ſit liber, cum poſita ſola delectabilitate finita poſſit homo comedere, vel non comedere, vt ſibi magis placuerit.

14 Obijcies 4. Beati, quia perfectiſſimè amant Deum, non tantùm neceſſitantur ad amorem Dei, ſed etiam ad volendum omnia alia, quæ magis cedunt in Dei gloriam; ergo etiā Deus, cum perfectiſſimè ſe amet, non tantùm erit neceſſitatus ad ſe amandum, ſed etiam ad volendum ea omnia, quæ magis cedunt in ſui gloriam: ſed huiuſmodi eſt incarnatio; ergo erit moraliter neceſſitatus ad volendam incarnationem.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondet Arriaga negando antecedens; nam Beatus ad amandum Deum neceſſitatur ex obiecto ſummæ bono, vnde tantùm neceſſariò volunt ea omnia, quæ ſunt connexa cum hoc ſummo bono, & non poſſunt velle ea, quæ ipſos auertant ab hoc ſummo bono, ceterum ſicuti Deus ſummo modo ſe amat, & neceſſariò, & reliqua creata liberè, & ideo non ſemper producit meliora, ita & Beati diuinæ voluntati ſe conformant, & amant Deum neceſſariò, in ceteris verò non ſemper appetunt meliora, ſed amant ea, quæ amat Deus, liberè; & certè cum ſciant actus aliarum virtutum à charitate diſtinctarum placere Deo abſque eo, quod per actus reflexos ordinentur in Deum, cum ſufficiat eos ex natura ſua in Deum ordinari; ita poſſunt liberè tales actus efficere.

Reſpondent alij concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & diſparitatem aſſignant, quia ſi aliqua creatura plura obſequia poſſet præſtare Deo, & non præſtaret, conuinceretur ſe perfectè non diligere Deum, quia creatura per huiuſmodi obſequia placet Deo, & virtualiter illum amat; & ideo, cum Beati perfectiſſimè, & neceſſariò Deum diligant, moraliter etiam ſunt neceſſitati ad volendum id, quod magis placet Deo, tendunt enim in ſummam vnionem, & conformitatem cum voluntate Dei; at Deus iam volendo incarnationem, quam ipſam nolendo exequitur ſuum liberum velle, quod nulli alij debet conformari, & ſibi ſemper æquè placet.

15 Obijcies 5. Neceſſitas moralis nullam inuoluit imperfectionem, ſed potius dicit perfectionem: iuxtà illud D. Bernardi. *O felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit*; ergo admittenda eſt in Deo.

Reſpondeo negando hanc moralem neceſſitatem nō dicere imperfectionem in Deo, faceret enim Deum dependentem à creaturis, neque haberet perfectum dominium ſuper illas, vt probatū fuit in concluſione.

ARTICVLVS II.

An purus homo poſſit condignè pro ſuo mortali ſatisfacere.

1 Vidimus articulo ſuperiori Incarnationem non fuiſſe Deo neceſſariam, ſed liberam, reſtat hic inquirendum, an ſaltem ſit neceſſaria Deo, ex ſuppoſitione, quod voluerit ſibi perfectam ſatisfactionem ab homine dari; Verùm quia hæc difficultas plures habet quæſtiones annexas, quas oportet clarè examinare, vt inde colligamus neceſſitatem huius myſterii, ideo primò inquiremus, an purus homo poſſit pro ſuo peccato mortali ſatisfacere, & ſi non poſſit, vnde proueniat.

2 Prima ſententia docet hominem poſſe viribus gratiæ pro ſuo peccato mortali condignè ſatisfacere. Sic Alenſ. 3.p.q.1. mem.5.ar.1. Scotus in 3.diſt.70. quæſt.vnica.§. *contra ea*, & in 4. diſt. 15. quæſt.1. art.2. Fauent. in 3.diſp.47.c.2.

Secunda ſententia communis negat hominem poſſe pro ſuo peccato mortali condignè ſatisfacere. Sic D.Thom. hic ar.2.ad 2. Calet. ibi.Suarez 3.p.tom. 1.diſp.4.ſect.7.concluſ.2. & ſect.8.Vaſq. diſp.2. cap.5. Cardin. de Lugo diſput.5. ſect.4. Arriaga hîc diſp.3. & 4. Amicus de Incarnatione diſp. 5. ſect.3. Ioann. à S.Thom. hic quæſt. 1. diſp.1. ar.2. Gabriel à S. Vincentio diſp.1. dub.11. §.3. Eſparza lib. 11. quæſt. 9. Gonet hic diſp. 4. art.1. & communis ferè omnium aliorum Doctorum, licèt poſtea diuerſi ſint in afferenda ratione, cur non poſſit homo pro ſuo mortali condignè ſatisfacere.

3 Concluſio 1. Nulla creatura quauis gratia Dei ornata poteſt pro ſuo mortali condignam exhibere ſatisfactionem. In hac conueniunt omnes DD. pro ſecunda ſententia allegati; diuerſi tamen ſunt in afferenda vera ratione, qua concluſio efficaciter probetur; quare præcipuas rationes afferemus, & refutabimus, mox noſtram, & veram afferemus.

4 Prima ratio ſit illa, quam affert Caietanus, & eſt huiuſmodi. Ille eſt purus homo, qui non ſolum excludit coniunctionem cum diuino ſuppoſito, ſed etiam excludit diuinam miſericordiam gratificantem opus hominis ad hoc, vt à Deo acceptum ſit: ſed excluſa diuina miſericordia gratificante nullum opus hominis eſt Deo acceptum, & ipſa poſita non poteſt eſſe ſatisfactio ad æqualitatem, quia hæc diſtinguitur cōtra ſatisfactionem per gratiam acceptantis; ergo nunquam purus homo poteſt perfectè, & ad æqualitatem pro ſuo peccato mortali ſatisfacere. Sed contra, quia hic non fit quæſtio vtrum purus homo poſſit viribus naturæ ſatisfacere pro ſuo lethali, ſed vtrum homo adiutus gratia poſſit per actus contritionis ſatisfacere, qui actus tantùm honoris reddent Deo, quantùm ablatum fuerat per peccatum: excluſa autem gratia certum eſt peccatorem non poſſe, cum in ipſo nec ſint vires, nec potentia ad eli-

cien-

Digitized by Google

ciendum actum contritionis ſupernaturalem.

5 Secunda ratio eſt cõmunis Thomiſtarum, & plurium aliorum, qui dicunt; Ideo purum hominem non poſſe adæquatè ſatisfacere pro ſua culpa lethali, eo quod offenſa facta Deo per peccatum ſit infinita, quælibet autem ſatisfactio, quæ à pura creatura offeratur eſt finita, & ideo numquam puram creaturam poſſe ſatisfacere pro ſua culpa lethali ad æqualitatem, & proinde fuiſſe neceſſariã Incarnationem Verbi, vt poſſet ad æqualitatem ſatisfacere iuſtitiæ diuinæ offenſę. Sed contra, quia vt latè probatum fuit in tractatu de vitijs, & peccatis quæſt. 2. art. 4. Peccatum ſiue in ratione malitiæ, ſiue in ratione offenſæ eſt finitum, & tantùm extrinſecè, & terminatiuè poteſt dici infinitum, quia cum offenſa habeat pro obiecto extrinſeco ipſum Deum, ſeu offenſa ſit complexum ex malitia, vt ex obiecto diſplicentiæ Dei, & Deo offenſo, quatenus hoc complexum includit Deum offenſum, poteſt dici infinita terminatiuè, & extrinſecè, quod docet D.Th. hìc art. 2. ad ſecundum, ſed etiam actus contritionis, & amoris Dei ſuper omnia licet intrinſecè, & in ſe ſint finiti, ſunt tamen extrinſecè, & terminatiuè infiniti, quatenus verſantur circa Deum infinitum; ergo per actus contritionis, & dilectionis Dei poſſet purus homo ad æqualitatem ſatisfacere pro ſua culpa lethali: probatur conſequentia: quia tunc eſt ſatisfactio ad æqualitem, quando tantùm redditur, quantùm ablatum fuit: ſed tantùm redditur Deo per actus contritionis, & amoris Dei ſuper omnia, quantùm ab ipſo ablatum fuerat per peccatum; cum actus contritionis, & amoris ſint intrinſecè finiti, & extrinſecè, & terminatiuè infiniti, ſicuti eſt ipſum peccatum ſiue ſumatur in ratione malitiæ, ſiue offenſæ; ergo per actus contritionis, & amoris homo purus æqualiter ſatisfaceret Deo pro ſua culpa lethali.

6 Quod verò peccatum intrinſecè ſit finitum latè probatum fuit loco ſupra citato de vitijs, & peccatis, & breuiter ſic ſuadetur. Tale eſt peccatum, qualia ſunt conſtituentia ipſum: ſed partes conſtituentes peccatum, ſiue in ratione malitiæ, ſiue in ratione offenſæ ſunt finitæ; ergo & ipſum peccatum ſiue in ratione malitiæ, ſiue offenſæ finitum erit: maior de ſe patet: probatur minor; nam partęs conſtituentes peccatum in ratione malitiæ ſunt obiectum prauum, actus tendens liberè in tale obiectum dictamine aſſerente talem actũ eſſe malum: peccatum verò in ratione offenſæ ſunt omnia enumerata, vt ſunt obiectum diſplicentiæ Dei, & lædunt diuinum honorem per inobedientiam, & ingratitudinem, & quatenus peccatum eſt malum affectiuè intentatum Deo: ſed hæc omnia finita ſunt, vt de ſe patet: ergo etiam peccatum quomocumque ſumatur, ſemper finitum erit. Confirmatur, quia in tantùm offendimus Deum, in quantùm habemus cognitionem, quod id, quod facimus ſit contra voluntatem ipſius Dei; nam pueri, & amentes defectu cognitionis non peccant, nec offendunt Deum: ſed cognitio cuiuſcumque peccatoris peccantis eſt finita; ergo & malitia, & offenſa finita eſſe debet. Plura de hoc vide in citato loco, vbi etiam ſoluuntur obiectiones probantes peccatum eſſe infinitum.

7 Tertia ratio ſit illa, quam affert Eſparza lib. 9. de Incarnatione quæſt. 9. art. 1. & 2. & poteſt ſic formari. Si purus homo poſſet per opera ſua bona adæquatè ſatisfacere Deo pro ſua culpa lethali, deberet etiam per opera bona tantundem boni inducere in animam, quantùm mali induxit per peccatum mortale: ſed quantumuis creſcat cumulus bonorum operum numquam poteſt induci tantumdem boni in animã, quãtùm mali illatum fuit per peccatum lethale; ergo purus homo per bona opera ſua numquam poteſt adæquatè Deo ſatisfacere pro ſua culpa lethali: maior patet: probatur minor: malum inductũ per peccatum lethale eſt priuatio, primò amoris Dei ſuper omnia tam actualis, quam habitualis: ſecundò priuatio dilectionis Dei erga nos amicabilis: tertiò priuatio gratiæ ſanctificantis, & gloriæ, idque ſecundùm omnes gradus abſolutè poſſibiles; & inſuper excluditur timor, & obedientia Dei, ſimul cum gratitudine, & reuerentia, quas Deo quælibet creatura debet: ſed hæc mala non poſſunt compenſari per actum bonum, aut per cumulum omnium actuum bonorum puræ creaturæ; ergo pura creatura numquam poterit ſatisfacere Deo pro ſuą culpa lethali: maior patet: probatur minor: actus boni tantùm valent, quantùm compenſantur à Deo, qui ad æqualitatem compenſat, & potius eſt liberalis in compenſando, quam auarus in præmijs retribuendis: ſed Deus compenſat hos actus determinatis gradibus gratiæ, & gloriæ, ergo etiam tantùm valent in ordine ad determinatos gradus gratiæ, & gloriæ; nullo igitur modo per hos actus bonos poteſt purus homo ſatisfacere pro malo inducto, cum ma-

lum

lum inductum per peccatum ſit abſolutè priuatio gratiæ gloriæ, & dilectionis Dei ſecundùm omnes gradus poſsibiles. Sed contra primò hæc ratio nullo modo probat intentum, quod ſic oſtendo. Non magis peccatum priuat gratia, gloria, & dilectione Dei ſecundùm omnes gradus abſolutè poſsibiles, quam actus amoris Dei ſuper omnia, & actus contritionis, etiamſi iſti actus ſint tantùm vt vnum intenſi, deſtruant omnia peccata, quamuis eſsent ſine numero in aliquo ſubiectò, & diſpoſitiuè ſaltem dent gratiam, ius ad gloriam, & ponant dilectionem Dei erga tale ſubiectum, eo modo, ac eſsent iſta omnia ante peccatum: ſed ſubiectum ſic conſtituere, ac eſset antequam peccatum committeret, eſt hos actus ita eſse bonos ſubiecto, an peccatum fuerit malum, & in ſententia Eſparzæ tunc eſset ſatisfactio ad æqualitatem, quando actus ſatisfacientes tantumdem boni tribuunt ſubiecto, quantùm mali illatum fuerat per peccatum, ergo ſi actus contritionis tantũdem boni dant ſubiecto, quantùm mali illatum fuerat pec peccatum, ſequitur, quod iſti actus boni ſint perfecta, & adæquata ſatisfactio pro peccato. Contra 2. peccatum veniale quamdiu eſt in ſubiecto priuat ipſum gloria actuali ſecundùm omnes gradus poſsibiles, etiãſi iſti gradus eſsent infiniti, & nihilominus non ſequitur, quod per actus contritionis, & dilectionis Dei homo non poſsit pro peccato veniali ſatisfacere, vt concedit Eſparza; ergo quod purus homo non poſsit pro mortali ſatisfacere non prouenit ex eo, quod mortale priuet gratia, gloria, & dilectione amicabili Dei ſecundùm omnes gradus poſsibiles.

8 Ad argumentum tamen propoſitum directè reſpondeo, negando minorem: ad probationem, iterum nego minorem: ad aliam probationem dico, eſſe veriſsimum, quod compenſat hos actus bonos ad æqualitatem per determinatos gradus gratiæ, & gloriæ, ſed eſt etiam æquè verum, quod compenſat actus malos per determinatos gradus pœnæ, vnde ex hoc capite nihil probatur, & ſi peccatum priuat ſubiectum abſolutè omnibus gradibus poſsibilibus gratię, & gloriæ, etiam actus contritionis diſpoſitiuè deſtruit omnia peccata, quæ ſunt in ſubiecto, quia hoc prouenit ex indiuiſibili oppoſitione, quam habent peccatum, & actus contritionis, quemadmodum ſcientia etiam infinitè intenſa de aliquo obiecto deſtruitur per actũ erroris, quicumque ille ſit; circa idem ſubiectum; & tamen non ſequitur, quod actus erroris vt vnum non poſsit compenſari per actum contrarium ſcientiæ, vt vnum; ita & in propoſito de peccato, & actu contritionis dicendum eſt; alia igitur quærenda eſt ratio.

Actus contritionis deſtruit õnia peccata.

9 Quarta ratio eſt Vaſquez, qui reiectis omnibus alijs hac vnica, quam ipſa putat efficacem, probat concluſionem, ſic autem eam format. Per peccatum primi parentis nos perdidimus omnem ſanctam cogitationem, & contraximus debitum perpetuò carendi illa ſancta cogitatione, & idem debitum nos contrahimus per quodlibet peccatum mortale, & cum non poſsimus elicere actũ contritionis, aut amoris Dei, niſi prius Deus nobis remittat debitum dando ſanctam cogitationem; hinc deducit nos non poſse perfectè ſatisfacere, quia iam eſt remiſsa pars debiti ſcilicet illud debitum carendi auxilio. Et ſic poteſt formari argumentum. Ille adæqualitatem non ſatisfacit pro debito, cui gratis condonatur aliquod debitum: ſed peccatori, dum elicit actum contritionis ſemper condonatur aliquod debitum, nempè debitum carendi ſancta cogitatione cõgrua; ergo peccator per actus contritionis numquam ſatisfacit ad æqualitatẽ. Sed contra hæc ratio communiter ab omnibus reijcitur, & iure quidẽ; etenim hic non controuertitur, vtrum homo poſsit ſatisfacere pro pœna', ſed pro offenſa: ſed debitum carendi omni auxilio non eſt offenſa, ſed pœna reſultans ex offenſa illata Deo; ergo ex eo, quod quis non poſsit ſatisfacere pro pœna, nõ bene probatur, quod non poſsit pro offenſa.

10 Cõtra 2. Siquis debeat alteri centũ, quæ non poſsit ſoluere, & creditor donet ei quinquaginta v.g. con quibus lucretur centum, & poſtea ſoluat, licèt præceſserit gratia in creditore donando quinquaginta, nihilominus, dum debitor ſoluit centum, ex iuſtitia ſatisfacit; ergo licèt peccator ſecundùm ſua naturalia non poſsit ſatisfacere Deo, ſi tamen Deus ei liberaliter donet gratiam, cum qua eliciat actum contritionis ſupernaturalem, cum hoc actu poterit Deo ſatisfacere ad iuſtitiam, & æqualitatem.

11 Contra 3. quia ex ſententia Vaſquez ſequitur, neque Chriſtum potuiſſe ſatisfacere, quod eſt contra ipſum Vaſquez. Sequela probatur, quia non ſolùm per peccatum perdidimus omnẽ ſanctam cogitationem, & facti ſumus indigni ſancta cogitatione, ſed multò magis facti ſumus indigni, ne mitteretur Chriſtus, qui pro nobis ſatisfaceret: ſed Chriſtus non potuit pro hoc debito ſatisfacere; nam iam ſupponitur datus,

vt

Digitized by Google

vt Redemptor antequam faciat vllum opus : ergo nec Chriſtus potuiſſet ſatiſfacere ; præſertim cum Chriſtus in ſententia Vaſquez miſſus ſit primariò, vt nos redimeret à peccatis.

11 Quinta ratio eſt Durandi, & aliorum. Non minor eſt obligatio reddendi Deo gratias pro beneficijs acceptis, quã ſatisfaciendi pro peccatis commiſſis, ſed non poſſumus perfectè reddare, gratias condignas pro beneficijs acceptis ; ergo neque condignè ſatisfacere pro peccatis commiſſis. Sed contra hæc ratio facilè refellitur, quia ideo non poſſumus perfectè reddere gratias pro beneficijs acceptis, quia, quando agimus gratias, accipimus nouum beneficium reddendi gratias : at quando ſatisfacimus Deo ex auxilio gratiæ pro peccato non incurrimus nouam offenſam;ergo nullo modo eſt par ratio. Quod ſi in aliquo ſit par ratio eſt ratione inæqualitatis perſonarum, vt infra patebit dum voſtram afferemus rationem.

12 Sexta ratio eſt Lugi hìc diſput. 5. ſect. 4. qui ideo docet purum hominem non potuiſſe ſatisfacere pro peccato, & offenſa illata Deo, licèt hæc ſit finita, quiã ſi ſcirent homines Deum condignè poſſe placari per noſtram ſatisfactionem, ita vt ad æqualitatem quis poſſit ſatisfacere, facilius auderent ipſum Deum offendere, & minus grauiter ſentirent de huiuſmodi offenſa, quam oporteret ad eam omnino vitandam. Sicut enim penſata grauitate culpæ mortalis, & procliuitate hominum ad malũ condignè ſtatuta eſt pœna æterna, quia minor pœna non ſufficeret ad homines continendos, ſic penſata grauitate offẽſæ, & hominum leuitate, ſequitur nulla hominis obſequia eſſe admittenda pro perfecta ſatisfactione ; ſecus vileſceret apud homines offenſa, quam ſcirent poſſe condigne ſuis operibus compenſari : hęc Lugus. Sed contra, quia Patres, & Scholaſtici cõmuniter docent ex grauitate offenſæ creaturam puram nullo modo poſſe ſatisfacere, & ideo fuiſſe neceſſariam Verbi Incarnationẽ : ſed ſi conſiſteret tantùm hæc impotentia ſatisfaciendi in hoc, quod vileſceret apud homines offenſa Dei, quam ſcirent poſſe ſuis operibus compẽſare, non bene deducerent Patres, & ſcholaſtici ex grauitate offenſæ fuiſſe neceſſariam Verbi Incarnationem ; ergo in aſſignata ratione non conſiſtit impotentia ſatiſfaciendi Deo pro ſua culpa lethali : maior probatur ex D. Amb. ad Hebr. 9. *Tantum*, inquit, *fuit peccatum noſtrum, vt ſaluari non poſſemus aliquando, niſi vnigenitus filius Dei moreretur pro nobis*, & S. Leo Epiſt. 81. *Quæ reconciliatio eſſe poterat, qua humano generi propitiaretur Deus, niſi omnium cauſam mediator Dei, hominumque ſuſciperet.* Et D. Bonauent. in 3. diſt. 20. q. 3. *Tam grauis eſt iniuria, quæ ob eius excellentiſſimam dignitatem Deo infertur, quod nulla pura creatura poteſt recompenſare aliquo ei æquali* ; & idem docent D. Thom. hìc art. 2. & communiter alii Doctores: probatur modò minor; nam data hac ſententia ſatisfactio exibita à pura creatura intrinſecè comparata cum grauitate offenſæ eſſet ei æqualis, vnde ſi nullum eſſet periculum noua peccata committẽdi, vel quia poſt exhibitam ſatisfactionem talis homo ponerentur in termino, vel confirmaretur in gratia, talis ſatisfactio eſſet ad æqualitatem, quod tamen eſt contra ſenſum Patrum, & Scholaſticorum; ergo hæc opinio nullo modo eſt admittenda.

13 Contra 2. Si ad deterrendos homines, & ne vileſceret apud homines offenſa Dei, fuiſſet neceſſaria incarnatio Verbi ad ſatisfaciendum Deo pro offenſa per peccata Deo illata, non autem ſimpliciter propter ipſam offenſam, debuiſſet Deus hoc omnibus reuelare, vt ſic homines deterrerentur : ſed Deus ad homines deterrendos à peccatis hoc nõ reuelauit, ſed ſolùm reuelauit peccata fore punienda in æternum, tùm pœna damni, tum ſenſus in inferno, & de hac opinione nulla eſt mentio in ſcriptura, vel Patribus ; ergo ad deterrendos homines ſufficit pœna propoſita pro peccatis. Confirmatur, quia vt quis ſufficienter deterreatur à peccato, ſufficit conſideratio offenſæ Dei ſummi boni, qui nobis tot beneficia contulit, & ex eo, quod dicamus, peccatum mortale ita graue eſſe ex natura ſua, vt nullo modo pura creatura poſſit pro ipſo ad æqualitatẽ ſatisfacere; ergo ad deterrendũ homines à peccatis ſic dicendum eſt ; non verò, quod hic horror proueniat ex voluntate Dei, vt ſic deterreantur homines.

14 Contra 3. Vnde nam ſciuit Lugus, quod ſi ea offenſa condignè expiari aliter poſſet, quã per ſatisfactionem Dei, homines non ſufficienter ab ea offenſa terrerentur, & apud eos vileſceret eadẽ offenſa ? etenim hoc eſt purè futurum conditionatum, cuius cognitionem, quam plures etiam ipſi Deo negant, quomodo ergo eam cognitionem potuit habere hìc auctor ? Pluribus refutatur hæc opinio ab Arriaga diſp. 4. ſect. 3. & ab Amico loco cit. n. 15.

15 Concluſio 2. Ratio cur non poſſimus perfectè, & condignè ſatisfacere Deo pro noſtra culpa mortali eſt digni-

Digitized by Google

tas perſonæ offenſæ. Eſt communior inter Doctores, eam ſuſtinent Ioannes à S. Thom. hic diſp. 1. artic. 2. à num. 32 Suarez hic diſp. 4 ſect. 3. Arriaga diſp. 4. ſect. 4. & alij, eam apertè docet D. Th. hic art. 2. ad 2. vbi habet. *Peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maieſtatis: tantò enim offenſa eſt maior, quanto maior eſt ille, in quem delinquitur. Vnde oportet ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, vt potè Dei, & hominis exiſtens.*

16 Probatur ratione. Vt aliquis poſſit perfectè ſatisfacere alicui debet tantùm illi reſtituere, quantùm ablatum eſt: ſed nullus purus homo poteſt per actus ſuos quamuis bonos, & ſupernaturales tantùm reſtituere Deo, quantùm ab eo abſtulit per peccatum mortale: ergo nullus purus homo poteſt perfectè, & ad æqualitatem pro ſuo peccato ſatisfacere: maior conceditur, & patet ex ipſa notione iuſtitiæ: nam ſi quis abſtulit ab aliquo centum, vt ſatisfaciat debet centum dare, ſi abſtulit honorem, & famam, debet vt ſatisfaciat, & famã, & honorem reſtituere, & ſic de ceteris: probatur igitur minor, quia homo per peccatum mortale abſtulit quantùm eſt ex ſe honorem Dei, & offendit diuinam maieſtatem infinitam: ſed nulla pura creatura poteſt perfectè, & ad æqualitatem reſarcire hunc honorem, & hanc offenſam; ergo nulla pura creatura poteſt perfectè, & ad æqualitatẽ pro ſuo mortali Deo ſatisfacere: maior probatur ex ſcriptura Ierem. 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.* Et Malachiæ 2. conquæritur Deus de peccatoribus dicens. *Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Si Dominus, vbi timor meus?* Et paſſim ſcripturæ, & Patres docent per peccatum Deum offendi, & diuinum honorem lædi: probatur nunc minor: offenſa ſecundùm prudentem hominum exiſtimationem eo eſt maior, quo dignior eſt perſona, quæ offenditur, offenſa enim creſcit ex perſona, quæ offenditur, ſicuti ſatisfactio creſcit, vel diminuitur ex dignitate, vel vilitate perſonæ, quæ ſatisfacit: ſed perſona offenſa eſt infinitæ dignitatis, & Deus, quælibet pura creatura eſt finita, & vilis; ergo nulla pura creatura poteſt perfectè, & ad æqualitatem ſatisfacere Deo pro offenſa illi per peccatum mortale illata; maior probatur ex Ariſt. 5. Ethicorum cap. 5. vbi habet. *Si is, qui magiſtratum gerit alium percutit non eſt repercutiendus, at ſi quis magiſtratum percuſſerit non ſolùm repercutiendus eſt, ſed & ſupplicio afficiendus.* Quare ſi ruſticus offenderet Princepem, dando ei v. g. alapam, quæcumque ſatisfactio à ruſtico fiat Principi nulla cenſetur conueniens, & adæquata, quia cum ruſticus ſit perſona vilis, & ſatisfactio attendatur pœnes perſonã ſatisfacientem; è contra verò perſona offenſa ſit tantæ dignitatis, & offẽſa attendatur pœnes perſonam offenſam, numquam poterit ruſticus ſatisfacere pro offenſa illata Principi. E contra verò, ſi Princips percuteret ſeruum, vel ruſticum facilè poſſet ſatisfacere propter rationem iam dictam, & huius rei ratio eſt communis hominum exiſtimatio, vt ex Ariſt. loco citato colligitur, cui omnino ſtandum eſt. Quare cum inter perſonam offenſam per peccatum, & hominem offendentem ſit diſtantia infinita, licèt peccatum in ſe, ſiuè in ratione iniuriæ, ſiuè in ratione malitiæ, ſiuè offenſæ ſit ſimpliciter finitum, nihilominus hæc offenſa ſemper eſt in altiori ordine, quia eſt offenſa perſonæ infinitæ; vnde nulla ſatisfactio puræ creaturę poteſt eſſe æqualis, ſed ad ſatisfaciendũ ad æqualitatem fuit neceſſaria Verbi Incarnatio.

Offenſa deſumitur ex Perſona offenſa.

Cur neceſſaria fuit incarnatio.

17 Obijcies 1. contra hanc ſecundam. In tantùm non poſſumus ſatisfacere Deo pro noſtra culpa mortali, quia perſona offenſa eſt infinita: ſed hæc ratio contradicit ſecundæ rationi, quam in præcedenti concluſione re[illegible]itauimus, & dixmus peccatum ſiue in ratione malitiæ, ſiue offenſæ eſſe finitum; ergo alterutra ex his rationibus debet eſſe falſa: maior patet: probatur minor: quo dignior eſt perſona contra quam peccatur, eo maior eſt offenſa; ergo ſi perſona contra quam quis peccat eſt infinita, & offenſa infinita erit: ſed verè Deus, contra quem homo peccat, eſt infinitus; ergo & offenſa erit infinita.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem; diſtinguo primum antecedens: quo dignor eſt perſona contra quam quis peccat eo maior eſt offenſa abſolutè, & ſimpliciter, nego antecedens: comparatiuè, & ſecundum quid, concedo antecedens; diſtinguo poſtea conſequens: ergo ſi perſona contra quam quis peccat eſt infinita, etiam offenſa infinita erit, ſi ratio offenſę attenderetur ex ſola perſona, concedo conſequentiam, ſi attendatur etiam ex modo tendendi, & ex porportione cognitionis, nego conſequentiam: concedo poſtea ſubſumptam minorem, & nego conſequentiam; etenim offenſa creſcit quidem ex perſona offenſa, ſeu ex obiecto, ſed vt ſubeſt cognitioni, & cum cognitio ſit finita

Ratio offenſæ ex quo attendatur.

Digitized by Google

finita etiam offenſa finita erit: vt patet de charitate,& viſione Dei, quæ ſunt de obiecto infinito, nempè Deo, & tamen neque charitas,neque viſio ſunt infinitę, vt conceduntetiam aduerſarij, & ſolùm ſequitur, quod conſtituantur iſti actus, vel habitus ſimilis in diuerſo ordine; ita & nosdicimus de peccato, & offenſa Dei, nempe, quod offenſa ſit ordinis ſuperioris, cui nulla ſatisfactio puræ creaturæ poteſt eſſe æqualis. Reliquis obiectionibus probãtibus infinitatem in offenſa Dei reſponſum fuit loco citato de vitijs, & peccatis.

18 Objicies 2. Tunc aliquis ad æqualitatem ſatisfacit, quando reddit tantùm, quantùm ablatum fuit: ſed per actum contritionis tantùm peccator reddit Deo, quantùm ablatum fuerat; ergo per actum contritionis peccator ſatisfacit ad æqualitatem: maior patet: probatur minor: tunc peccator reddit Deo quantùm ablatum fuit, quandoponit actum,qui tantùm placet Deo, quantùm diſplicuit peccatum: ſed actus amoris Dei ſuper omnia, & actus contritionis tantùm placet Deo quantùm diſplicuit peccatum; ergo peccator per actus cõtritionis, & amoris tantũ reddit quantùm Deo abſtùlerat per peccatum. Confirmatur: ſicuti per peccatũ homo auertitur à Deo,& conuertitur ad creaturã, ita per contritionem, & amorem Dei ſuper omnia homo auertitur à creatura & perfectè conuertitur ad creatorem, ergo tantundem boni ponũt actus contritionis, & amoris quantùm mali illatum fuerat per peccatum: hoc autem eſt ſatisfacere ad æqualitatem, vt de ſe patet.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quæ vera eſt, quando quis reddit tantùm, quantùm ablatum fuit tum phyſicè, tum moraliter ſecundùm humanam exiſtimationem,falſa quando quis ſolùm phyſicè, non autem moraliter, & ſecundùm humanam exiſtimationem reddit tantùm quantùm ablatum fuerat: ad minorem dico, hominem per actum amoris Dei,vel contritionis reddere Deo quãtùm ablatum fuerat phyſicè; non autem reddere quantùm ablatum fuerat ſecundùm humanam exiſtimationem; etenim licèt ita homo conuertatur ad Deum, ſicuti fuerat auerſus per peccatum, & tam bonus ſit actus contritionis, & ita placeat Deo, ſicuti malum eſt peccatum, & ei diſplicuit; attamen cum plena, & condigna ſatisfactio requirat etiam, quod Deo reddatur tantùm ſecũdùm rectam hominum exiſtimationem, quantùm ſecundùm humanam exiſtimationem ablatum fuerat, tanta debet eſſe ſatisfactio ſecundùm hominum exiſtimationem, quanta fuit offenſa, in quo ſenſu actus contritionis, &amoris numquam poſſunt eſſe æquales offenſæ Dei; nam cum offenſa penſetur ex dignitate perſonæ offenſæ, & ſatisfactio ex perſona ſatisfaciente, ſi non habent æqualem dignitatem, numquam ſecundùm moralem exiſtimationem erit condigna ſatisfactio, & ideo cum quælibet creatura ſit ſemper ſummæ vilitatis dignitati perſonæ diuinæ offenſæ comparata; ideo nulla creatura quantumuis gratia ornata poterit ad æqualitatẽ ſatisfacere Deo pro offenſa illi per peccatum illata, ſed neceſſariò ad hanc perfectam ſatisfactionem requiritur Incarnatio perſonæ diunæ, vt tanta ſit dignitas perſonæ ſatisfacientis, quanta eſt dignitas perſonæ offenſæ

19 Objicies 3. In tantùm per nos purus homo non poteſt ſatisfacere Deo, in quantùm grauitas offenſæ penſatur ex dignitate perſonæ offenſæ, quæ eſt Deus, ſatisfactio ex perſona ſatisfaciente, quæ eſt ſemper creatura: ſed falſum eſt iniuriam, & offenſam creſcere ex perſona offenſa; ergo ratio allata nulla eſt: probatur minor, nam ſecundùm humanam exiſtimationem videtur decreſcere iniuria, & offenſa ex dignitate perſonæ,vt patet ſi quis auferat centum à Rege, minor enim cenſetur offenſa, quam ſi quis auferat centum à paupere;ergo falſum eſt, quod offenſa creſcat ex dignitate perſonæ offenſæ.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, quæ quidem vera eſt in quibuſdam caſibus creatis, non in peccatis reſpectu Dei: & diſparitas eſt clara, quia ſi quis ſurripiat centum à Rege, nullo modo aufert eius honorem, ſed tantùm infert damnum illud, quod comparatione facta cum alio paupere erit minus; ceterum ſi quis verbis contumelioſis afficeret in præſentia Regem, vel furaretur centum, quæ eſſent Regis ipſo inuito, & præſente, vtique creſceret iniuria, & offenſa ex perſonà offenſa, & dum homo peccans ſemper auferat honorem Dei, & abutatur re Dei inuito Deo, & ipſo pręſente, ideo offenſa per peccatum illata ſemper creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ. Ex perſona offenſa ſæper creſcit offenſa.

20 Objicies 4. Falſum eſt ſatisfactionem penſari ſolùm ex perſona ſatisfaciente, ita vt inferior non poſſit ſatisfacere ſuperiori; ergo ratio à nobis allata nulla eſt: probatur antecedens: nam iniuria, vel poteſt fieri in bonis vitæ, vt ſi quis alium occidat, vel in bonis fortunæ, vel famæ, vel honoris: Si

Digitized by Google

in bonis vitæ certum quidem eſt non poſſe fieri ſatisfactionem, verùm hoc non prouenit ex vilitate perſonæ, quia nec etiam ſuperior poteſt ſatiſfacere viliori, ſed hoc prouenit ex eo, quod nihil eſt, quod vitam æquare poſſit, vita autem reſtitui nequit: ſi vero in bonis fortunæ, & quæ pecunia æſtimentur, nulla eſt perſona tam vilis, quæ non poſſit Regi ſatiſfacere, vt ſi abſtulit decem, totidem reſtituat; ſi in bonis famæ denigrando illius famam, ſi quis dicat ſe mentitum fuiſſe, & falſum dixiſſe, vtique famam reſtituit: ſi tandem fiat in honore fateor quidem difficile poſſe inferiorem ſatiſfacere ſuperiori; nihilominus poterit dari caſus, in quo vilis ſatiſfaciat ſecundùm humanam exiſtimationem ſuperiori, v.g. vilis ruſticus offendit Regem, ſi Rex poſtea eſſet in periculo mortis, & liberaretur ab imminenti periculo ab illa perſona vili cũ periculo propriæ vitæ, talis actio cenſeretur digna ſatiſfactio per modum meriti; ergo in quocumque caſu perſona vilis poteſt ſatiſfacere perſonæ digniori.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem dico, offenſam illatam Deo eſſe in bonis honoris, quatenus peccator præſente Deo, & contrarium præcipiente tranſgreditur mandatum Dei, quæ offenſa ſemper creſcit ex dignitate perſonæ diuinæ offenſæ, & licèt admitteremus in illo caſu hominis vilis liberantis Regem à morte cum periculo propriæ vitæ, talem ſcilicet per modum meriti poſſe dici ſatiſfeciſſe, nihilominus hoc numquam poteſt accidere reſpectu Dei, qui in tali periculo eſſe nequit.

21 Obiicies 5. Tunc ſatiſfactio pro peccato eſt ad æqualitatem, quando reſarcitur totum damnum, & malum, quod illatum fuit per peccatum: ſed verè totum damnum, & malum illatum per peccatum poteſt reſarciri à pura creatura; ergo à pura creatura poteſt poni ſatiſfactio ad æqualitatem pro peccato: maior patet: probatur minor: damnum, & malum illatum per peccatum, vel eſt reſpectu Dei, vel reſpectu peccatoris peccantis: non poteſt dici, quod per peccatum vllum malum, vel damnum illatum fuerit Deo, cum Deus ſit incapax cuiuſcumque mali, vel damni, nec vllum damnum, vel malum à nobis habere poteſt: totum ergo malum, & damnum illatum per peccatum eſt reſpectu noſtri, quia peccatum Deo diſplicet, & ratione ipſius ſumus Deo inuiſi, & inimici, in quocumque peccatum conſiſtat, ſiue hoc ſit priuatio gratiæ, ſiue peccati macula, ſiue quid poſitiuum: ſed totum hoc malum, vt tollatur, ſufficit ſi ponatur forma contraria, quæ tantæ bonitatis ſit, vt per eam conſtituamur amici Dei, quæ forma ponitur per actus contritionis, & amoris à nobis profluentes; ergo per hos actus poſſumus ad æqualitatem pro peccato ſatiſfacere.

Reſpondeo, quod ad perfectam ſatiſfactionem non ſufficit auferre damnum illatum, ſed etiam debet compenſari damnum intentatum Deo: nego autem minorem, quod damnum intentatum Deo affectiuè poſſit reſarciri à creatura: ad probationem dico, quod malum per peccatum, licèt non ſit illatum Deo, eſt tamen illi intentatum, & quantum in peccatore fuit, abſtulit honorem Dei, peccatori autem malum illatum fuit, quia ratione peccati maculatus fuit, redditus fuit Deo odibilis, & inimicus; quando igitur ponitur contritio, & gratia ſanctificans auſertur macula, & offenſa prout eſt malum illatum peccatori, non verò vt eſt malum intentatum Deo; nam offenſa ſub hac ratione non poteſt ad æqualitatem tolli, niſi perſona ſatiſfaciens ſit æqualis dignitatis, vt ſæpè dictum fuit.

22 Obiicies 6. Tunc eſt ſatiſfactio ad æqualitatem, quando redditur tantùm quantùm ablatum fuit: ſed quando, quod ablatum fuit, finitum eſt, ſemper poteſt reddi æquale; ergo cum offenſa illata Deo per peccatum finita ſit, ſemper poterit à pura creatura gratia diuina ornata reddi æquale, & ſic erit perfecta ſatiſfactio.

23 Reſpondebis 1. offenſam eſſe altioris ordinis, quam poſſit eſſe vlla ſatiſfactio, cum deſumatur à perſona offenſa infinitæ dignitatis, vti eſt Deus ſatiſfactionem verò, cum deſumatur à perſona ſatiſfaciente ſemper vileſcere ex perſona ſatiſfaciente, & ideo numquam poſſe eſſe ad æqualitatem. Sed contra: tum quia etiam aurum maioris valoris eſt, quam argentum, & tamen ita poteſt multiplicari argentum, vt magis æſtimetur, quam aurum ipſum, & certè centum libræ argenti magis æſtimantur, quam vnica auri; ergo etiam licet offenſa facta Deo per peccatum ſit in altiori ordine, quam ſint actus contritionis, & alia obſequia, quæ poſſunt à pura creatura præſtari Deo, poterunt hæc ita multiplicari, vt adequent ſecundùm moralem exiſtimationem ipſam offenſam: tum quia etiam offenſa facta Principi, vel Regi à plebeio eſt in altiori ordine, quam ſatiſfactio, quæ poteſt

Digitized by Google

poteſt fieri à plebeio, & nihilominus poteſt hic ita multiplicare obſequia erga Principem, vel Regem, vt ſecundùm prudentem hominum exiſtimationem cenſeatur adæquata ſatisfactio; ergo etiam licèt offenſa facta Deo ſit in altiori ordine poterit peccator ita multiplicare actus, & obſequia erga Deum, præſertim ſi peccatori daretur à Deo gratia, & cognitio infinita, vt huiuſmodi obſequia cenſeantur condigna ſatisfactio.

Reſpondeo negando minorem, ſi illud, quod ablatũ eſt, ſit altioris ordinis ſicuti eſt offenſa facta Deo per peccatum, vnde accepto reſponſionem datam: Ad impugnationem, concedo, quod aliquando poſſit ita multiplicari res inferioris ordinis, vt adæquet in æſtimatione rem ordinis ſuperioris, vt in exemplis allatis de multiplicatione argenti reſpectu auri, & de obſequijs multiplicatis à plebeio erga Principem: nihilominus dantur alia finita, quæ non poſſunt adæquari à rebus inferioris ordinis, licèt in infinitum multiplicentur, ſic licèt multiplicentur in infinitũ muſcæ formicæ, vel lapides numquam adæquabunt perfectionem hominis, aut Angeli, infinitæ cognitiones rerum creatarum non adæquant cognitionem finitam claræ viſionis Dei, infinita peccata venialia non adæquant grauitatem mortalis; ita nec etiam infiniti actus contritionis adæquant grauitatem offẽſæ Dei factæ per mortale, cum hæc penſetur ex maieſtate perſonæ offenſæ infinitæ, ſatisfactio autem ſemper decreſcat ex vilitate creaturæ ſatisfacientis.

ARTICVLVS III.

An homo per actus contritionis ſaltem ex iuſtitia imperfecta ſatisfaciat pro peccatis ſuis.

1 PVrum hominem quacumque gratia non poſſe ſatisfacere ad æqualitatem pro ſua culpa mortali, & à fortiori, quamuis conſtitutus fuiſſet caput generis humani, non potuiſſe ſatisfacere Deo pro culpa aliorũ, remanet probatum ex ratione allata de inæqualitate perſonarum, ſemper enim adeſt inæqualitas perſonarum, nam perſona offenſa eſt Deus, perſona autem ſatisfaciens, ſiuè pro propria, ſiuè pro aliena culpa eſſet creatura finita, & ideo numquam hæc poſſet ad æqualitatem pro offẽſa illata Deo ſatisfacere, & ideo ad æqualitatem ſatisfactionis requirunt Patres communiter, quod Verbum Incarnatum ſit. D. Ciprianus de Paſſione Chriſti habet. *Cum originali morte nullũ niſi in Chriſti morte potuerat eſſe remedium. nec reconciliare Deo potuit exules, & damnatos quælibet oblatio, niſi ſanguinis huius ſingulare ſacrificiũ. Et ſine hoc holocauſto poterat Deus tantùm condonaſſe peccata.* D. Baſilius in Pſal. 48. *Frater non redimit redimet homo, non homo nudus, ſed homo Deus, quia nullus alius poterat condignum adferre pretium* D. Fulgentius de Incarnatione cap. 4. *Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens, atque idonea fieret, niſi vnione Verbi Dei.* D. Anſelmus de Conceptu Virginali cap. 17. *Ideo Deus factus eſt homo, quia non ſufficeret ad redimendos alios homo non Deus.* Et idem habent plures alij ſancti Patres, qui docent fuiſſe neceſſariam Verbi Diuini Incarnationem ad perfectè ſatisfaciendũ Deo pro peccatis naturæ humanæ. Suppoſito igitur, quod ad æqualitatem non poſſit purus homo ſatisfacere Deo, vel pro ſua, vel pro aliena culpa lethali, hic videndum eſt, an aliquo modo ſatisfaciat, & poteſt eſſe quæſtio, vel de habente iam gratiam, & eoſdem actus eliciente, an talis homo aliquo modo ſatisfaciat Deo pro ſua culpa, & offenſa.

Etiamſi aliquis homo eſſet conſtitutus caput generis humani nõ poteſt ſatisfacere.

2 Prima ſententia eſt Alenſis 3. par. quæſt. 1. mem. 5. ar. 1. Scoti in 3. diſt. 20. quæſt. vnic. § *contra ea.* & in 4. diſt. 15. q. 1. ar. 2. & plurium Scotiſtarum, & aliorum apud Auerſam quæſt. 19 ſect. 15. hæc docet hominem viribus gratiæ pro ſuo peccato mortali condignè ſatisfacere; Verùm hæc opinio remanet reiecta ex dictis in articulo præcedenti.

Secunda ſententia communis Thomiſtarum docet hominem per actum contritionis, & dilectionis Dei ſatisfacere ex iuſtitia imperfecta pro ſuo peccato mortali. Sic Bannes 1. p. quæſt. 22. artic. 4. Cabrera hìc diſp. 14. num. 33. Nugnus tom. 2. quæſt. 85. ar. 3. dub. 2. Ioannes à S. Thom. hìc diſput. 1. artic. 3. Suarez 3. par. diſput. 4. ſect. 8. & plures alij: accipiunt autem hi Doctores actus contritionis, & dilectionis Dei prout præcedunt ipſam gratiam ſanctificantẽ, & eliciuntur ab auxilio actuali ſupernaturali Dei. Aluarez tamen diſp. 7. conc. 4. Nazarius contr 5. & quidam alij accipiunt contritionem, vt eſt formata gratia, & ſub hac ratione dicunt hominem per huiuſmodi actus ſatisfacere ex imperfecta iuſtitia.

3 Concluſio prima. Remiſſio peccati mortalis per infuſionem gratiæ ſanctificantis non datur de condigno homini pœnitenti, & elicienti actus contritionis, & dilectionis Dei, ſed gratis Hæc concluſio eſt certiſſima, & deducitur ex pluribus ſcripturæ locis, quæ ad longum

Digitized by Google

gum adducit Suarez loco citato. Probatur ex illo ad Rom. 3. *Iuſtificat gratis*. Et inſignis eſt locus Trident. ſeſ. 6. cap. 7. vbi habetur. *Merita paſſionis Chriſti in iuſtificatione impij communicari, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur*, & cap. 9 *Neceſſarium eſt credere, neque remitti, neque vnquam remiſſa fuiſſe peccata, niſi gratis diuina miſericordia propter ipſum*, ſcilicet Chriſtum.

4 Probatur ratione. Si non daretur gratis remiſſio peccati mortalis, maximè, quia homo mereretur gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccatorum per actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia: ſed homo per actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia præcedentes gratiam ſanctificantem non poteſt mereri hanc remiſſionem; ergo debet hæc remiſſio dari gratis: maior patet: nam nulli alij actus ſunt vltimæ diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem, niſi prædicti actus: probatur minor, quia meritum debet eſſe à perſona grata: ſed actus contritionis, & dilectionis Dei, vt præcedunt gratiam ſanctificantem non ſunt à perſona grata Deo; ergo neque poſſunt eſſe proprium, & condignum meritum apud Deum.

5 Dices: tales actus proficiſcuntur ab homine adiuto gratia Dei, & ſunt ſupernaturales, imo per Vaſquez ſunt formæ ſanctificantes; ergo nihil eis deeſt ad verum meritum. Sed contra, quia in primis falſum eſt actus contritionis, & dilectionis Dei eſſe formas ſanctificantes, vt latè probatum fuit contra Vaſquez in tractatu de gratia quæſt. 5. art. 7. tum quia ad meritum non ſufficit, quod actus ſint ſupernaturales, & quod ſint ab homine adiuto auxilio ſupernaturali; ſed debent eſſe ab homine iuſto, & grato, per auxilium autem ſupernaturale homo non intelligitur gratus; nam Deus necdum intelligitur inhabitare in tali homine, ſed tantùm mouere, & per conſequens talis homo pro eo ſigno adhuc intelligitur inimicus, ab inimico verò, vt tali, non poteſt proficiſci verum meritum; vnde tales actus ſunt tantum vltimæ diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem, & poſſunt dici meritum ſecundùm quid, & de congruo ex parte operis, non ex parte operantis: vnde ſemper remiſſio peccati à Deo ſit gratis. Dicente Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. *Ideo gratis iuſtificari, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiuè fides, ſiuè opera ipſam iuſtificationis gratiam promerentur*.

6 Concluſio 2. imperfectè, & de cõgruo poteſt peccator ſatisfacere Deo pro ſuo lethali, nõ autem perfectè ad æqualitatem, & de condigno, ſeu de iuſtitia. Prima pars, quod poſſit peccator imperfectè ſatisfacere probatur: Qui nõ poteſt perfectè ſatisfacere, ſi tamen faciat quantùm poteſt, & in ſe eſt ex animo ſatisfaciendi, & eo modo, quo creditor vult, dicitur aliquo modo quantùm eſt in ſe ſatisfacere: ſed peccator ex auxilio gratię eliciẽs actus contritionis, & dilectionis facit quantùm poteſt, & offert ex auxilio gratiæ aliquid ſupernaturale; ergo aliquo modo dicitur ſatisfacere.

7 Secunda pars, quod hæc ſatisfactio non ſit ad æqualitatem, & perfecta, etiamſi homo eliciens actus cõtritionis, & amoris eſſet iuſtus, & ſanctus, patet ex ſupradictis articulo præcedenti; nam offenſa penſatur ex perſona offenſa infinita, ſatisfactio autem ex perſona ſatisfaciente, quæ quacumque gratia ornata, nihilominus Deo comparata ſemper eſt viliſſima, & per conſequens impotens ad perfectè ſatisfaciendum; quare ſi perſona iuſta, & ſancta non poteſt ad æqualitatem ſatisfacere, multò minus poterit hoc præſtare peccator.

8 Tertia denique pars, quod hæc ſatisfactio imperfecta, quam offert peccator Deo eliciendo actus contritionis, & amoris Dei ſuper omnia non ſit de condigno, ſeu ex iuſtitia probatur. Quia actus contritionis, & dilectionis Dei, quibus homo ſatisfacit Deo, vel conſiderantur, vt ſunt diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem, & illam præcedunt eliciti à libero arbitrio, & auxilio actuali ſupernaturali Dei, vel vt intelliguntur iſti actus informati ipſa gratia ſanctificante, quæ aduenit, & eos reddit formatos: ſed neutro modo poſſunt eſſe ſatisfactio ex iuſtitia, & de condigno; ergo nullo modo peccator poteſt per illos ſatisfacere Deo ex iuſtitia propria, ſeu de condigno: maior conceditur: probatur minor: & quidem, ſi loquamur de actibus priori modo, clarum eſt per illos hominem non poſſe ſatisfacere de condigno, & ex iuſtitia: cum enim valor ſatisfactionis attendatur ex perſona ſatisfaciente, & in illo priori intelligatur perſona inimica Deo, vt ſic etiam intelligitur indigna, vt ex iuſtitia ei conferatur aliquod bonum: quamdiu enim perſona eſt inimica Deo, eſt indigna omni bono, & iuſtè quocumque priuari poteſt, cum fundamentum iuſtitiæ apud Deum ſit gratia ſanctificans; vnde ſi in hoc ſenſu loquamur, clarum exiſtimo, quod ex iuſtitia, & de condigno nullo modo poſsit peccator ſatisfacere Deo pro ſua culpa mortali, aut de condigno, ſeu ex iuſtitia mereri apud Deum; cum tam ad meritum, quam ad ſatis factio-

nem

Digitized by Google

nem ex iuſtitia, & de condigno requiratur, quod quis ſit in gratia. Si verò loquamur de iſtis actibus, vt ſunt informati gratia ſanctificante, neque poteſt dici, quod peccator ſatisfaciat ex iuſtitia, & de condigno pro ſua culpa lethali; quod ſic probatur. Eodem modo debemus loqui de ſatisfactione noſtra erga Deum, ſicuti loquimur de ſatisfactione in humanis in ordine ad reconciliandā amicitiam; ſed in humanis ſatisfactio eſt prior, quam ſit reconciliata amicitia; ergo etiam ſatisfactio noſtra erga Deum debet eſſe prior, quam ſit reconciliata amicitia; ergo non poteſt eſſe per actus informatos gratia ſanctificante: primum argumentum patet; hæc vltima conſequentia probatur; ſatisfactio noſtra erga Deum debet eſſe in ordine ad remiſſionem peccati: ſed eo ipſo, quod actus contritionis, & amoris Dei intelliguntur informati gratia, iam intelligitur remiſſum peccatū; ergo ſi iam intelligitur remiſſum peccatum actus ipſi informati gratia non poſſunt dici vllo modo ſatisfactio in ordine ad remiſſionem peccati.

9 Dices 1. ex Aluarez, quod dupliciter poteſt intelligi expulſum peccatū, & remiſſum debitum, primò vt eſt malum hominis, ſecundò prout eſt malum intentatum Deo, & iniuria Dei, quæ duo licèt ſint vnum, & idem peccatum, tamen prior intelligitur gratia ſanctificans in homine pœnitente, quam intelligatur completa iuſtificatio, quæ vltimò completur quatenus remittitur culpa prout eſt malum intentatum Deo, quare quando infunditur gratia ſolùm tollitur peccatum, vt macula eſt, & vt iniuria non tollitur tunc formaliter, ſed ſolùm radicaliter, formaliter autem tollitur per contritionem gratia informatā, quatenus eſt ſatisfactio tollens inæqualitatem. Sed contra primò, quia gratia ſanctificans eo ipſo, quod ponitur in ſubiecto, eo ipſo non ſolùm tollit maculam, ſed eſt formalis remiſſio offenſæ; eſt enim ſummum donum amicabile, quod poſſit donari à Deo, & eſt vnica formalis cauſa noſtræ iuſtificationis, vt docet Trid. ſeſs. 6. cap. 7. ſed non poteſt intelligi formaliter iuſtificatio, niſi intelligatur remiſſa offenſa; ergo remiſſio offenſæ formaliter prouenit ab ipſa gratia ſanctificante, & non tantùm radicaliter. Contra 2. In illo ſigno, in quo intelligitur gratia ſanctificans, & nondum remiſſa offenſa, vel pœnitens eſt amicus Dei, vel non; ſi ſic ergo eſt remiſſa culpa non tantùm radicaliter, ſed etiā formaliter, vt culpa eſt malum intentatum Deo; ſi non eſt amicus: ergo pro eo ſigno non poteſt ex iuſtitia, & de condigno ſatisfacere, quia ſatisfactio, vt valeat, debet eſſe ab amico.

10 Dices 2. ex Vaſquez hic conſiderandum eſſe actum contritionis, & amoris comparatiuè ad offenſam Dei, & videndum, an ſit condigna ſatisfactio, & ex iuſtitia reſpectu offenſæ Dei, ceterum nil referre, ſi iſte actus contritionis, vel amoris ſit ante, vel poſt remiſſam offenſam, cum etiam in debitis pecuniarijs debitum poſſit remitti à creditore ante eiuſdem debiti ſolutionem. Sed contra, quia ſatisfactio ſecundùm humanam exiſtimationem eſt cauſa moralis remiſſionis debiti: ſed cauſa ſemper eſt prior ſuo effectu; ergo ſi ſatisfactio eſt cauſa moralis remiſſionis, numquam poteſt intelligi remiſſum debitum, niſi prius ponatur ſatisfactio; & falſum eſt, quod in debitis pecuniarijs remittatur verè debitum ante debiti ſolutionem, poterit quidem fieri ſcriptura exterior, vel apparens, quod creditor ſit ſatisfactus, & proinde ſit remiſsum debitum; verùm ſicuti extrinſecè tantùm ponitur remiſſio debiti, ita & tantùm extrinſecè ponitur ſatisfactio, & intrinſecè, & coram Deo numquam intelligitur remiſſum debitum, niſi ponatur vera ſatisfactio, quia vt dixi ſatisfactio eſt cauſa moralis remiſſionis debiti.

11 Obijcies primò contra ſecundam. Vt aliquo modo poſſimus ſatisfacere Deo pro culpa mortali requiritur, vt actus contritionis, quo ſatisfacimus Deo, contineat in ſe valorem, & procedat à perſona grata: ſed actus contritionis antequam ſit formatus gratia ſanctificante nullum continet valorem, nec eſt à perſona grata; ergo per talem actum nullo modo, nec etiam imperfectè ſatisfacimus Deo.

Reſpondeo negando maiorem, nempè, quod vt aliquo modo ſatisfaciamus Deo debeat actus ſatisfactorius eſſe à perſona grata, ſufficit enim, quod ſit actus ſupernaturalis, & diſponat ad hoc, vt perſona ſit iuſta, & grata; & huiuſmodi eſt actus contritionis ſupernaturalis, qui licèt pro eo priori non ſit à perſona grata, eſt tamen in ſe ſupernaturalis, & valorem continet diſpoſitiuum, & de congruo meretur, vt ei detur gratia ſanctificans, & ideo aliquo modo imperfectè, diſpoſitiuè, & ex parte actus ſatisfacit; offert enim quantùm poteſt Deo, & ad hunc effectū vt reconcilietur; nec eſt neceſſe, vt pro eo ſigno perſona ſit grata, nam dignitas perſonæ gratæ requiritur, vt ipſa fundet meritum, & ex iuſtitia ſatisfaciat, in quo ſenſu fatemur talem perſonam non ſatisfacere, nec vllum habere meritum; ſatisfacit ergo ex

parte

Digitized by Google

parte operis, quod cum ſit ſupernaturale, diſponit ad gratiam, & de congruo illam meretur.

12 Obijcies 2. Vt quis imperfectè ſatisfaciat debet ſaltem de congruo habere ius meriti ad gratiam: ſed nullum poteſt eſſe meritum ad gratiam, non ſolùm ex parte operantis, ſed neque etiam ex parte operis; ergo nulla poteſt eſſe ſatisfactio ſiue perfecta, ſiue imperfecta: probatur minor: quod gratis omnino datur excludit omne meritum tum de condigno, tum de congruo: ſed gratia ſanctificans omnino gratis datur; ergo excludit omne meritum, tum de condigno, tum de congruo.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, vt quis imperfectè ſatisfaciat debet ſaltem de congruo habere ius meriti ad gratiam ex parte operantis, nego maiorem; ex parte operis, concedo maiorem; nego poſtea minorem abſolutè, nam licèt nullum ſit meritum ex parte operantis, eſt tamen ex parte operis, quod in ſe ſupernaturale eſt; ad probationem dico, quod illud, quod gratis datur, excludit omne meritum operantis, non autem congruum operis; & in propoſito gratia ſanctificans excludit omne meritum operantis; nam meritum fundatur in dignitate perſonæ, cui retributio debet fieri; non autem excludit omnem congruitatem ex parte operis; nam cum hac congruitate operis ſtat, quod gratia omnino gratis detur operanti, & ſpecialiter gratia ſanctificans datur gratis, quia etiam eſſe ſupernaturale in actu contritionis, quod Deo offertur eſt ab auxilio ſupernaturali Dei, quod gratis datum fuit.

13 Aliter reſpondet Ioannes à S. Thom. concedit enim nullum eſſe meritum ſiue operantis, ſiue operis, quia hoc ſemper requirit dignitatem perſonæ, cui debet fieri retributio per iuſtitiam diſtributiuam: dicit tamen adeſſe dignitatem actus, qui eſt diſpoſitio vltima ad gratiam, & cum talis actus offeratur, eſt aliqua ſatisfactio imperfecta: verùm ſi attentè conſideretur hæc reſponſio coincidit cum noſtra data; & ſolùm diſcrepat, quod veretur admittere nomen meriti de congruo in actu ſupernaturali; verùm hæc eſt pura diſſēſio de nomine, de qua parum curandū.

14 Obijcies 3. contra tertiam partem concluſionis. Ille ex iuſtitia ſatisfacit Deo, & de condigno, qui exhibet Deo illud, quo tollitur peccatum: ſed per actus contritionis, & amoris Dei expellitur peccatum; ergo per tales actus pœnitens ſatisfacit de condigno, & ex iuſtitia.

Reſpondeo veram fore maiorem ſi per actus contritionis, & amoris tolleretur peccatum formaliter, non autem ſi tantùm diſpoſitiuè; actus autem contritionis, & amoris expellunt peccatum tantùm diſpoſitiuè, non formaliter, quod docet D. Thom. infra quæſt. 85. art. 2. dicens: *Quod pœnitentia expellit omne peccatum effectiuè, in quantùm operatur ad deſtructionem peccati pro vt eſt remiſſibile ex diuina gratia homine cooperante*, quod idem eſt ac dicere, quod pœnitentia expellit peccatum quatenus producit actus contritionis, qui ſunt vltimæ diſpoſitiones, quibus remittitur peccatum.

15 Obijcies 4. eodem modo debemus loqui de ſatisfactione erga Deum, ſicuti loquimur de ſatisfactione in humanis: ſed vt vnus homo ſatisfaciat alteri ex iuſtitia non eſt neceſſe, vt ſit eius amicus, ſed ſufficit ſi ponat tantùm, quantùm ablatum fuit in ordine ad reconciliandam amicitiam; ergo etiam vt peccator ſatisfacit Deo non eſt neceſſe, quod ſit in gratia, ſed ſufficit ſi ponat actum contritionis, qui tantùm placeat Deo, quantùm diſplicuit peccatum in ordine ad reconciliandam amicitiam Dei.

Reſpondeo inter ſatisfactionem in humanis, & ſatisfactionem hominis ad Deum pro ſua culpa lethali adeſſe aliquam paritatem, ſed cum diſparitate: eſt paritas in hoc, quod ſicuti ſatisfactio in humanis nō exigit, quod ſit à perſona grata, cum hoc tantùm requiratur ad rationem meriti, non ad rationem ſatisfactionis, quæ tendit non ad demerendum ſibi creditorem ſed ſolum ad ſoluendum debitum, quod habet cum creditore, taliter, vt creditor non habeat amplius ius exigendi aliquid à debitore, ſed debitor remaneat ſolutus, ac eſſet antequam contraheret debitum; ita & in ſatisfactione erga Deum dicendum eſt; diſparitas poſtea eſt, quod perſona offenſa, & offendens in humanis ſunt eiuſdem ordinis naturalis; vnde ſatisfaciens poteſt ſatisfacere per actus naturales: at Deus offenſus eſt in ordine ſupernaturali, & eius offenſa eſt ordinis ſuperioris, quare vt pœnitens ſatisfaciat requiritur, quod eliciat actus ſupernaturales, qui non poſſunt elici, niſi ex auxilio ſupernaturali Dei; & inſuper quando eliciuntur ex intentione ſatisfaciendi cum eliciantur à perſona creata, & viliſſima reſpectu perſonæ diuinæ offenſæ, & ſatisfactio attendatur ſecundū perſonam ſatisfacientem, ſicuti offenſa ex dignitate perſonæ offenſæ, hinc eſt, quod licèt aliquo modo ſatiſfaciat diſpoſitiuè quantum eſt ex parte ſua, num- *Diſparitas inter ſatiſfactionem humanam, & diuinā.*

quam

Digitized by Google

quam tamen ex iuſtitia,ſeu de cōdigno, & ad æqualitatem.

16 Obijcies 5. Pœnitens per actus contritionis, & dilectionis tantùm conuertitur in Deum, quantùm auerſus fuerat per peccatum; ergo reddit æquale Deo, & ſatisfacit ex iuſtitia.

Reſpondeo pœnitentem per actus cōtritionis,& dilectionis Dei tantùm conuerti in Deum, quantùm auerſus fuerat per peccatum, ſi peccatum accipiatur, vt eſt malum hominis; non verò ſi accipiatur, vt eſt malum intentatum Deo; nam ſic acceptum peccatum ratione diuerſitatis perſonarum pœnitens numquā ponit æquale, vt dictum fuit, ſed tantùm aliquo modo ſatisfacit, & imperfectè.

17 Obijcies 6. Promiſſio onerofa ſub conditione operis inducit obligationem iuſtitiæ; ſed Deus ſæpè promiſit in ſcripturis remiſſionem peccatorum elicienti actus contritionis; ergo ſi pœnitens hos actus eliciat, tenetur Deus ex iuſtitia illi remittere peccata.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Promiſſio &c. inducit obligationem iuſtitiæ, ſi opus habeat æqualitatem cum re promiſſa, & opus fiat à ſolo operante, concedo maiorem: ſi opus non fiat à ſolo operante, ſed ex gratioſo auxilio etiam promittentis, & tale opus non ſit æquale cum re promiſſa, nego maiorē, ſic enim ad ſummum inducit obligationem fidelitatis, & iuſtitiæ imperfectæ: huiuſmodi autem ſunt omnia opera hominis pœnitentis, & ideo ſemper gratis datur à Deo remiſſio peccatorū, & talis promiſſio inducit ad ſummum obligationem fidelitatis, non iuſtitiæ propriæ; inſuper in talibus operibus,vt præcedunt gratiam, non eſt vlla ratio meriti, & ideo ſemper gratia gratis datur, vt dictum fuit in prima concluſione.

ARTICVLVS IV.

An purus homo poſſit ſatisfacere pro peccato commiſſo abſque aduertentia offenſæ diuinæ.

1 IN Tractatu de vitijs, & peccatis quæſt 2. ar. 6. diximus non dari hanc ignorantiam inuincibilē Dei, & eſſe impiſcantiam; quod quis cognoſcat peccatum eſſe contra naturam rationalem, & non cognoſcat etiam eſſe contra factorem naturæ humanæ, cum cognoſcat eſſe contra naturam, quæ nō eſt à ſe, quare ſuperfluum videtur hic quærere, an quis poſſit ſatisfacere pro peccato commiſſo abſque aduertentia offenſæ diuinæ, cum tale peccatum iuxta noſtram ſententiam dari non poſſit. Nihilominus ne videar effugere difficultatem, quam Cardinalis de Lugo hic diſp.5. ſect.5 proponit, quem plures recentiores ſequuti ſunt, poteſt hic tractari, an data ſuppoſitione, quod quis committat peccatum aliquod cum inuincibili ignorantia Dei, an talis poſſit condignè ſatisfacere pro tali peccato. Status quæſtionis quis ſit.

2 Prima ſententia videtur negare, ſic Salas 1. 2. tract. 13. diſp. 16. ſect. 22. & plures alij, quos dicto loco de vitijs, & peccatis allegauimus, ſed verè iſti doctores negant poſſe dari hanc ignorantiam inuincibilem Dei in eo, qui committit aliquod peccatum, quod cognoſcit eſſe contra naturam rationalem, nō verò tractant hanc quæſtionem ex ſuppoſitione impoſſibili.

Secunda ſententia affirmat,ſic Lugus loco citato, quem ſequitur Amicus hic diſp. 5. ſect. 5. ex hiphoteſi, quod detur hæc ignorantia inuincibilis Dei in committente peccatum, quod cognoſcit eſſe contra naturam rationalem, & hanc difficultatem tangit Gonet diſp.4.art. 1. num.19. reſp.2.

3 Concluſio Data ſuppoſitione,quod quis cum ignorantia inuincibili Dei committat aliquod peccatum, poterit pro illo ad æqualitatem ſatisfacere. Probatur ideo de facto nulla pura creatura poteſt ſatisfacere Deo pro ſua culpa mortali, quia per huiuſmodi peccatum offenditur Deus, qui eſt perſona infinitæ dignitatis; ſed peccatum factum cum ignorātia inuincibili Dei nō offenderet Deū; ergo neq; deberet pro eo ſatisfacere Deo: maior patet ex dictis; probatur minor: vt offenſa alicui imputetur, debet eſſe voluntaria offendenti; ſecus ſi non ſit voluntaria, neq; illi imputabitur ad culpam, quia nullum eſt peccatum, niſi ſit voluntarium; & voluntarium debet eſſe à principio intrinſeco ſingula cognoſcente, vnde qui occidit clericum cognoſcens eſſe hominem, ſed ignorans inuincibiliter eſſe clericum, committit quidem homicidium, non verò ſacrilegium, nec incurrit excommunicationē, & qui percutit Principem, quem ignorat inuincibiliter eſſe Principem, nullo modo contrahit malitiam læſæ Maieſtatis, ergo etiam, qui committit aliquod peccatum cum ignorantia inuincibili Dei non contrahit eius offenſam.

4 Confirmatur ſi quis ex conſcientia erronea inuincibili iudicaret eſſe mentiendum, vt ſaluet vitam proximi, vel eſſe ſurripiendum à malis diuitibus, vt detur pauperibus; talis non peccaret nec vllo modo offenderet Deum, quia

Digitized by Google

ignorantia inuincibilis ipſum excuſaret: ergo etiam ſi quis ignorat inuincibiliter Deum offendi committendo furtum, vel aliud peccatum, non contrahit offſam Dei: ſicuti enim ſe habet ſimpliciter ad ſimplciter, ita ſecundùm quid ad ſecundùm quid.

5 Obijcies 1. Ad contrahendam offenſam Dei non eſt neceſſe cognoſcere offenſam, ſed ſufficit cognòſcere turpitudinem peccati ex obiecto, vt verè talis culpa ſit offenſa Dei: ſed pro offenſa Dei non poſſumus ſatisfacere; ergo nec pro peccato facto cum ignorantia inuincibili Dei poſſumus ſatisfacere: probatur antecedens: ideo peccatum eſt offenſa Dei, quia in ſe malum eſt, & obiectum diſplicentiæ Dei; ſed qui peccando cognoſcit turpidinem peccati ex obiecto facit aliquid, quod diſplicet Deo; ergo ipſum Deum per tale peccatum offendit.

Reſpondeo negando maiorem, vt patet ex ratione allata pro concluſione: ad probationem: nego item maiorem: nam offenſa conſiſtit in hoc, quod quis cognoſcat per tale peccatũ Deũ offendi, & quod nihilominus, quis velit tale peccatum committere: ſic omnibus viris probis diſplicent peccata, & tamen peccata non ſunt eorum offenſa; ita peccatum factum cum ignorantia inuincibili Dei diſpliceret Deo, quia in ſe malum eſſet, verùm non eſſet illius offenſa.

6 Obijcies 2. Ad incurrendam aliquam pœnam non eſt neceſſe, quod quis illam cognoſcat, ſed incurritur etiamſi quis inuincibiliter illam ignoret, vnde ſi quis inuincibiliter ignoraret pœnas inferni, & committeret homicidium, vel adulterium, nihilominus deſtinaretur ad pœnas inferni; ergo etiã ſi quis ignoret inuincibiliter Deum, ſi tamen cognoſcat turpitudinem homicidij, vel adulterij incurrit offenſam Dei.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia pœna ab alio infligitur, non verò efficitur ab ipſo operante, & ideo, ſi quis committat aliquod delictum, quod cognoſcat eſſe malum, licèt ignoret pœnã pro tali delicto taxatã, nihilominus poteſt tali pœna puniri: at offenſa fit ab ipſo operante, & ideo ſi non cognoſcit eſſe offenſam, neque talis offenſa potuit eſſe operanti voluntaria, aut illi imputari. Aduertendum tamen eſt, quod ſi quis v. g. committeret homicidium, vel adulterium ignorans inuincibiliter eſſe offenſam Dei, huiuſmodi delicto non deberetur tanta pœna, ſicuti modo pro ſimilibus delictis à Deo taxata fuit; nam pœna proportionata eſſe debet culpæ, & offenſæ: quare ſi in tali delicto non adeſſet offenſa Dei, nec etiã ei deberetur pœna inferni eo modo, quo nunc debetur, cum in tali delicto non adſit Dei offenſa, ad quam maximè reſpicit Deus in taxtando pœnam.

7 Obijcies 3. vt ſatisfactio ſit condigna debet adæquare diſplicentiam, quam Deus de peccato concipit; ſed nulla creatura per ſuos actus poteſt adæquare diſplicentiam, quam Deus haberet de peccatis commiſſis cum inuincibili ignorantia ipſius Dei; ergo etiam in data hypotheſi nullus poteſt ſatisfacere pro ſua culpa commiſſa; minor patet; nam hæc diſplicentia eſt in altiori ordine.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, vt ſatisfactio ſit condigna debet adæquare diſplicentiam, quam Deus de peccato concipit, ſi per tale peccatum Deus offenſus fuit, concedo maiorem, ſi per tale peccatum non fuit offenſus, nego maiorem; nam ſatisfactio eſt propter offenſam, & ſi non datur offenſa, nec debetur ſatisfactio: quare licèt creatura non poſſet adæquare diſplicentiam, quam Deus haberet de peccatis commiſſis cum inuincibili ignorantia ipſius Dei, non per hoc ſequitur, quod non poſſet ſatisfacere pro ſua culpa cõmiſſa; nam hæc ſatisfactio non deberetur Deo, qui nullo modo fuit offenſus, ſed deberetur legi, contra quam peccator deliquiſſet, legi autem poſſet per actus ſuos ſatisfacere. Dixi licèt non poſſet peccator adæquare diſplicentiam Dei &c. nam exiſtimo hanc diſplicentiam poſſe adæquari, eſſet enim ſimilis illi, quam Deus haberet de peccato veniali, pro qua creatura poteſt ſatisfacere, vt infra videbimus articulo ſequenti.

8 Obijcies 4. Si vt quis contrahat offenſam diuinam deberet habere aduertentiam offenſæ, ſequeretur de facto multa dari peccata ſine tali offenſa, cum multi ſint adeo rudes, vt non habeant notitiam Dei; & per conſequens etiam de facto poſſe aliquam creaturam ſatisfacere pro ſuo lethali; quod contradicit ijs, quæ articulo præcedenti diximus.

Reſpondeo negando ſequelam, nam de facto non datur huiuſmodi ignorantia, vt diximus in citato loco de vitijs, & peccatis quæſt. 2. ar. 5.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

An pro ſuo veniali poſſit iuſtus condignè ſatisfacere.

1 Prima ſententia eſt Petri de Soto de Inſtitutione Sacerdotum cap. 18. hæc docet purum hominē non poſſe condignè ſatisfacere pro ſua culpa veniali, hanc ſequuntur Cipullus hic quæſt. 1. ar. 2. dub. 3 nu. 55. & quidā alij.

Secunda opinio tribuitur Scoto in 4. diſt. 21. quæſt. 1. §. *in iſta quæſt.* Mayro. quæſt. 1. Rubio. quæſt. 1. ar. 2. Gabrieli diſt. 16. quæſt. 5. art. 1. *Prima opinio*, & ar. 3. dub. 1. hi Doctores cum ſuſtineant debitum venialis cōdignè ſolui per ſolā ſolutionem pœnæ temporalis, videntur etiam aſſerere, quod ſolis naturæ viribus poſſit quis ſatisfacere pro veniali; ſic Amicus hos Doctores interpretatur. Sed verè hoc conſequenter non deducitur, poteſt enim eſſe verum, quod veniale condignè ſoluatur per ſolutionem pœnæ temporalis; & nihilominus, quod peccator, ſi velit condignè ſoluere hanc pœnam, indigeat gratia Dei; etenim etiam actus amoris Dei, & actus contritionis ſunt actus temporales, & tamen nequeunt effici ſine gratia, ita & de ſolutione huius pœnæ poſſunt dicere prædicti auctores.

Tertia ſententia communis inter Scholaſticos docet hominem iuſtum poſſe condignè ſatisfacere pro ſua culpa veniali. Sic Paludanus in 4. diſt. 16. q. 1. art. 2. Ioannes à S. Thom. hic diſp. 1. ar. 4. Gonet diſp. 4. §. 3. Suarez hîc diſp. 4. ſect. 9. Vaſquez diſput. 3. Arriaga diſp. 6. Amicus diſp. 5. ſec. 6. & communiter Scholaſtici.

2 Concluſio 1. Homo per vires naturæ non poteſt ſatisfacere pro ſuo veniali. Hęc eſt ita certa, vt oppoſita à Suarez, & alijs notetur tamquam ſapiens errorem Pelagij. Probatur 1. Quia omnis remiſſio peccati generaliter in ſcriptura gratiæ tribuitur; vt primæ Ioan. 1. *Fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omniiniquitate*, & cap. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*. Quæ loca exponunt Auguſtinus ibidem. Concilium Mileuitanum can. 6. & Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. de peccatis venialibus; ergo ſi per ſcripturas, Concilia, & Patres ad remiſſionem venialium requiritur gratia Dei, vtique viribus naturę huiuſmodi remiſſio haberi non poterit. Probatur 2. Quidquid cōducit ad beatitudinem eſt opus gratiæ, vt latè probatum fuit in tractatu de gratia, & docent Mileuitanum, & Arauſicanum 2. can. 14. & 22. ſed remiſſio peccati venialis conducit ad beatitudinem; ergo eſt opus diuinæ gratiæ.

Quidquid ad beatitudinem cōducit eſt ex gratia.

3 Concluſio 2. Homo iuſtus poteſt cōdignè ſatiſfacere pro ſuo veniali. Probatur primò. In hoc diſtinguitur mortale à veniali, quod mortale eſt ex ſe intrinſecè irreparabile, quia tollit principium vitæ ſupernaturalis, nempè gratiam, veniale autem eſt reparabile, quia non aufert gratiam, & relinquit conuerſionem hominis in vltimum finem: ſed ſi homo iuſtus condignè non poſſet pro peccato ſuo veniali perfectè ſatisfacere, non eſſet reparabile; ergo perfectè poteſt iuſtus pro veniali ſatisfacere; maior patet, & conceditur ab omnibus: probatur minor: vt peccatum veniale reparetur exigit condignam ſatisfactionē; ergo vt ſimpliciter dicatur reparabile, exigit, quod à iuſto poſſit poni iſta condigna ſatisfactio: ſecus ſi non poſſet poni, nec etiam poſſet reparari, & ſi non poſſet reparari, neque poſſet eſſe reparabile, vt de ſe patet, & ſic non eſſet veniale, ſed mortale: Cum ergo omnes fateantur veniale eſſe ex ſe reparabile, debent etiam omnes fateri pro veniali poſſe fieri condignam ſatiſfactionem. *Veniale eſt reparabile*

4 Probatur 1. Quiſquis habet gratiam ſanctificantem habet ius ad gloriā, ita vt gloria non poſſit ei denegari in perpetuum, ſed ei debeatur vt hæreditas tamquam filio adoptiuo, & participanti naturam diuinam; ſed per peccatum veniale non tollitur hoc ius, ſed adhuc talis homo eſt particeps naturæ diuinæ, eſt filius adoptiuus, & habet ius ad gloriam, ita vt gloria non poſſit ei denegari in perpetuum; ergo habens peccatum veniale poteſt pro ipſo ſatiſfacere: maior, & minor patent ex dictis de gratia: probatur conſequentia: qui habet ius verùm phyſicum, & morale ad aliquem finem abſolutè obtinendum, debet etiam habere poteſtatem ad eligenda omnia media neceſſariò requiſita ad talem finem obtinendum, ſecus, ſi aliquod medium, quod neceſſariò eſſet requiſitum nō haberet in poteſtate ſua, nec etiam ſimpliciter dici poſſet habere ius morale, & phyſicum ad obtinendum abſolutè talem finem: ſed habens gratiam ſanctificantem, quāuis ſit cum peccato veniali, habet ius phyſicum, & morale ad obtinendam abſolutè beatitudinem; ergo debet habere in poteſtate ſua electionem omniū mediorum neceſſariò requiſitorum ad beatitudinem obtinendam; atqui medium abſolutè neceſſarium ad conſe-

quendam gloriam in maculato aliquo veniali eſt ſatisfactio pro ipſo veniali; ergo iuſtus habens veniale debet poſſe pro ipſo abſolutè ſatisfacere.

5 Dices. Peccatum veniale ſufficienter deleri per ſatiſpaſſionem pœnæ; vnde ſi quis iuſtus moriatur cum peccato veniali punitur pœna temporali in Purgatorio. Sed contra, quia culpa non tollitur per pęnam, ſed per actum voluntatis retractantem, & per gratiam; ergo vt tollatur culpa venialis non ſufficit ſuſtinentia pęnæ, ſed requiritur actus voluntatis ſupernaturalis ſatisfaciens,

6 Ex huc vſque dictis remanet probatũ hominẽ iuſtum poſſe ſatisfacere pro ſuo veniali, nunc remanet probandum, quomodo de facto ſatisfaciat pro ſuo veniali ad æqualitatem, & probari poteſt ſequenti argumento.

7 In tantùm non poſſumus ſatisfacere pro noſtra culpa mortali, in quantùm mortale eſt grauis offenſa perſonæ diuinæ infinitæ dignitatis, & offenſa creſcit ex proportione perſonæ offenſæ, ſatisfactio verò decreſcit ex vilitate perſonæ ſatisfacientis, & cum nulla creatura quacumque gratia ornata poſſit adæquare perſonam offenſam, hinc deduximus nullam creaturam poſſe ad æqualitatem ſatisfacere pro ſua culpa mortali: ſed hæc ratio non militat de peccato veniali; ergo pro peccato veniali poteſt iuſtus ad æqualitatem ſatisfacere; maior patet ex dictis articulis præcedentibus: probatur minor: nam per veniale formaliter non contemnitur perſona infinita, nec Deus ipſe immediatè, nec poſponitur creaturæ, cum maneat ad huc coniunctus per gratiam, & charitatem cum peccatore, ſed ſolùm contemnitur lex Dei, & feruor charitatis; ergo contemptus, & offenſa non cadunt immediatè contra perſonam diuinam, ſed ſolum contra aliquid creatum, nempe legem Dei, & feruorem charitatis, & diſplicentia, quam habet Deus de offenſa facta per mortale eſt de læſione ſuæ increatæ maieſtatis: diſplicentia verò de veniali eſt tantùm de contemptu legis, & feruoris charitatis. Ex hoc deducitur, quod ſi offenſa per veniale non eſt immediatè circa Deum, ſed circa aliquid creatum, ſeu ſi non eſt circa Deum, vt finis vltimus eſt, qui deſeratur, ſed tantùm circa media eodem fine vltimo retento, poſſit creatura pro ipſo ſatisfacere ad æqualitatem, cũ pro veniali perſona ſatisfaciens non debeat adæquari perſonæ diuinæ, quæ immediatè non fuit offenſa, ſed tantùm rebus creatis, quæ non fuerunt ordinatæ, vt debebantur in Deum.

Differentia inter mortale, & veniale.

8 Confirmatur, ideò diximus non poſſe creaturam ſatisfacere pro mortali, quia id deducitur ex auctoritate pluriũ Sanctorum Patrum, & ex altiori ordine, quem habet offenſa mortalis, quem ordinem non poteſt adæquare ſatisfactio puræ creaturæ: ſed hæc ratio nullo modo militat de veniali, cum ſummè inter ſe diſcrepent veniale, & mortale; nam hoc diſſoluit amicitiam Dei, & ponit formalem inimicitiam, meretur pœnam æternam inferni, & habet repugnantiam cum gratia, quæ omnia de veniali dici non poſſunt; ergo ex hac notabili diuerſitate inter veniale, & mortale poſſumus etiam deducere mortale eſſe in altiori ordine taliter, vt non poſſit vlla creatura pro ipſo ſatisfacere condignè, non ſit autem veniale, ſed pro ipſo poſſit iuſtus ad æqualitatem ſatisfacere; in hoc enim nulla vel leuis inconſequentia eſſe poteſt.

9 Obiicies 1. contra ſecundam. Ideo non poſſumus perfectè, & ad æqualitatem ſatisfacere Deo pro culpa mortali, quia mortale eſt offenſa perſonæ infinitæ, & grauitas offenſæ penſatur ex perſona offenſa, ſatisfactio verò ex perſona ſatisfaciente: ſed etiam veniale eſt offenſa Dei: vnde dicitur Iacob. 3. *In multis enim offendimus omnes*, quod communiter intelligitur de peccatis venialibus; ergo neque pro veniali poſſumus condignè ſatisfacere.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: etiam veniale eſt offenſa Dei ſecundum quid, contra præceptum Dei, & leuis, concedo minorem: eſt offenſa Dei abſolutè, & ſimpliciter, & contra finem præcepti, ita vt per tale peccatum tollatur vltimus finis ab operante, nego minorem; ergo &c. negatur conſequẽtiam; nam, vt dixi, cum non ſit grauis offenſa, nec immediatè circa Deum, ſed tantùm circa media, & non diſſoluat amicitiam Dei, non eſt offenſa talis ordinis, quæ non poſſit à ſatisfactione creaturæ adæquari.

10 Dices 1, Veniale eſt immediatè contra prohibitionem Dei cum expreſsè prohibeatur à Deo; ergo eſt immediatè contra voluntatem Dei, & Deum: probatur conſequentia; vt mortale ſit immediatè contra voluntatem Dei, & Deum, ſufficit ſi ſit expreſsè contra prohibitionem Dei; ergo etiam hoc ſufficit in veniali.

Reſpondeo negando primam conſequentiam: ad probationem dico mortale eſſe contra voluntatem Dei, & Deũ immediatè, quia deſerit ſimpliciter ipsã voluntatem Dei anteponendo creaturam Deo, quod non euenit in veniali;

Digitized by Google

quia per illud non deſeritur ſimpliciter Dei voluntas, nec anteponitur creaturæ Deo, ſed tantùm deſeritur ſecundùm quid, quatenus anteponitur creatura prohibitioni Dei, & feruori charitatis.

11 Dices 2. Dantur quædam venialia, quæ immediatè verſantur circa Deum; ergo pro his non poterit creatura ſatisfacere, cum grauitas offenſæ deſumatur à perſona offenſa: antecedens probatur in odio Dei, & blaſphemia indeliberatis: iſta enim peccata immediatè verſantur circa Deum, & tamen ſunt venialia.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: dantur quædam venialia ex obiecto, quę immediatè verſantur circa Deum; nego antecedens: dantur quædam venialia ex imperfecta deliberatione, & quæ non ſunt perfectè voluntaria, quæ verſantur circa Deum, concedo antecedens: ſed nego poſtea conſequentiam; nam licèt hæc verſentur circa Deum; non ſunt tamen perfectè voluntaria, ſunt leues offenſæ, nec priuant gratia, & amicitia, & ideo poſſunt adæquari à ſatisfactione creata; etenim licèt tendant immediatè in perſonam diuinam, non ſunt tamen ſimpliciter offenſæ perſonæ diuinæ, ſed tantum leues offenſæ, & ſecundùm quid nec ſunt abſolutè contemptus perſonæ diuinæ, quæ adhuc amatur, ſed tantùm contemptus modi, quo deberet amari. Ideo &c.

12 Obijcies 2. Pro eo non ſatisfacimus ad æqualitatem, & ex iuſtitia, quod à Deo gratis remittitur: ſed peccata venialia gratis à Deo remittuntur, vt patet ex illis verbis orationis dominicæ: *Dimitte nobis debita noſtra*; ibi enim petimus remitti nobis venialia, vt plures Patres docent; ergo ſi gratis remittuntur, ſignum eſt, quod pro ipſis ad æqualitatem non ſatisfacimus.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: non ſatisfacimus ad æqualitatem, & ex iuſtitia pro eo, quod à Deo gratis remittitur, ſi abſolutè gratis remittatur, concedo maiorem; ſi tantùm gratis dicatur remittere, quatenus gratis dat auxilium, cum quo elicimus actum contritionis, nego maiorem; in hoc autem ſecundo ſenſu peccata dicuntur remitti gratis, quatenus ſcilicet nos non poſſumus per vires naturæ ſatisfacere, & Deus dat nobis auxilium gratis, cum quo elicimus actum contritionis, quo pro peccatis venialibus ſatisfacimus; poteſt etiam dici venialia remitti gratis, quia quando remittitur per ſacramentalia, huiuſmodi non ſunt condigna ſatisfactio pro peccatis venialibus, cum ſoli actus amoris Dei, & contritionis ſint condignæ ſatisfactiones.

Quo ſenſu venialia dicatur remitti gratis.

13 Obiicies 3. Satisfactio ad æqualitatem non poteſt non acceptari à creditore, ſed Deus poteſt non acceptare hanc ſatisfactionem, quam iuſtus offert pro ſuis venialibus; ergo non eſt ad æqualitatem: probatur minor; nam ſi quis debeat alteri centum, & centum ſoluat extinguit debitum, neque poteſt creditor aliud deſure exigere; quare ſiue velit ea centum acceptare, ſiue non, debitum extinguitur; & qui ſoluit eſt liber ab obligatione ſoluendi; ergo verè ſatisfactio ad æqualitatem non poteſt non acceptari à creditore: probatur modò minor; nam Deus eſt omnino liber, & nulla res creata poteſt cogere Deum, vt eam acceptet.

Reſpondeo diſtinguẽdo maiorem: ſatisfactio ad æqualitatem non poteſt non acceptari à creditore, ſi talis ſatisfactio ſit alijs titulis debita, nego maiorem: ſi non ſit debita alijs titulis, concedo maiorem; concedo poſtea minorem, & nego conſequentiam, eo quia quælibet ſatisfactio, quæ offertur à creatura, ſemper eſt varijs titulis ſupremi dominij, gratitudinis &c. debita ipſi Deo, vnde, quod acceptet ipſam pro ſatisfactione venialis, ſemper prouenit à gratia illius, & hæc reſponſio poteſt etiam dari præcedenti argumento.

14 Dices cum Vaſquez. Actus contritionis non eſt debitus Deo, niſi propter peccatum, nec Deus poteſt mihi illud præcipere, niſi peccaſſem; ergo ſi actus contritionis eſſet adæquata ſatisfactio, non poſſet Deus illum non acceptare.

Reſpondeo, quod licèt verum ſit, quod actus contritionis non ſit poſſibilis, niſi ſuppoſito peccato, & ſi non eſt poſſibilis, nec in Deo eſſe poteſt ius illũ exigendi: at ſuppoſito peccato, & eius poſſibilitate, ſtatim intelligitur ius in Deo exigendi illum, & titulo dominij, & titulo gratitudinis, vnde gratia ipſius eſt, quod illum acceptet in ſatisfactionem; hæc tamen acceptatio non tollit, quin ſecundùm ſe ſit adæquata ipſa ſatisfactio; quod explicatur exemplo. Labor operarij in vinea adæquat mercedem, quam ſolet dare Dominus vineæ operarijs: at ſi non intercedat pactum inter Dominum vineæ, & operarium, etiamſi hic operetur, non tenetur illi Dominus dare mercedem; ita in propoſito ſatisfactio elicita à iuſto pro veniali eſt adæquata, & Deus cum ſit ſupremus Dominus potuit illam exigere titulo dominij; vnde, quod acceptet pro adæquata ſatisfactione eſt ex pacto, & gratia Dei.

Quomodo actus contritionis ſit ſatisfactio adæquata.

Ex

Digitized by Google

15 Ex dictis in hoc, & præcedentibus articulus deducitur primò, nullam puram creaturam, etiamſi à Deo conſtitueretur humani generis caput, potuiſſe perfectè ſatisfacere ad æqualitatem Deo, vel pro originali, vel pro mortali, quia ſemper quacumque gratia ornaretur, diſtaret infinitè à perſona offenſa, quæ eſt Deus: cum autem ad æqualem ſatisfactionem requiratur æqualitas perſonarum, ſequitur clarè nullam creaturam poſſe ad æqualitatem ſatisfacere Deo pro mortali, vel originali.

16 Deducitur 2. hominem iuſtum, nec etiam vt membrum Chriſti, poſſe ſatisfacere ad æqualitatem; nam cum conſtituatur membrum Chriſti per gratiam, cum nequeat gratia hanc condignitatem, quam in ſe non habet, noſtris operibus communicare, ſequitur, quod nulla creatura, neque vt membrũ Chriſti poſsit adæqualitatem ſatisfacere.

17 Dices ſatisfactionem noſtram poſſe moraliter coniũgi cum ſatisfactione Chriſti media voluntate ipſius, ita vt fiat vnum opus myſticum morale ſatisfactorium compoſitum ex ſatisfactione noſtra vt inſtrumento, & ſatisfactione Chriſti, vt cauſa principali, quod totum offeratur à Chriſto æterno Patri in ſatisfactionem noſtrorum peccatorũ; ergo in tali caſu ſatisfactio eſſet ad æqualitatem. Sed contra, quia ſatisfactio non tribuitur cauſæ inſtrumentali, ſed principali: atqui ſatisfactio noſtra, vt coniuncta myſticè cum ſatisfactione Chriſti, eſſet tantùm cauſa inſtrumentalis; ergo numquam poſſet dici adæquata ſatisfactio, ſed tota ſatisfactio eſſet à Chriſto, tum quia ſequeretur, ſi ſatisfactio ad æqualitatẽ poſſet tribui membris Chriſti, quod quilibet actus meritorius hominis iuſti ſit infiniti valoris, quod falſum eſt, vt de ſe patet.

18 Deducitur 3. Quomodo fuerit neceſſaria incarnatio; nam primò non fuit neceſſaria abſolutè, cum ſit opus liberum Dei: neque ad reparandũ ſimpliciter hominem à peccato, cũ alijs modis potuerit Deus hominem liberare: neq; ad ſatisfaciendum Deo pro veniali, quia pro hoc purus homo poteſt ſatisfacere ad ęqualitatem; Fuit igitur neceſſaria ad ſatisfaciendum Deo ad æqualitatem pro peccato originali totius humani generis, & pro peccato mortali; nam pro his peccatis ratione grauitatis offenſæ nulla pura creatura potuit ad æqualitatem ſatisfacere.

ARTICVLVS VI.

An ſatisfactio Chriſti fuerit ſufficiens, & ſuperabundans pro peccatis omnium hominum.

1 NVllius creaturę ſatisfactionẽ fuiſſe, aut potuiſſe eſſe ſufficientem pro peccatis omnium hominum vidimus; reſtat igitur hic videndnm, an ſatisfactio Chriſti Domini fuerit ſufficiens, & quomodo. Chriſtum Dominum verè nos omnes redemiſſe, & pro omnibus ſatisfeciſſe ad æqualitatem æterno Patri, ſi quoſdam hæreticos, quos refert Cipulllus hic quæſt. 1. art. 2. dub. 3. excipias, omnes alij fatentur; diſcrepant tamen inter ſe Catholici, an hæc ſatisfactio Chriſti ad æqualitatem fuerit talis ex ſe, an verò ſolùm ex acceptatione diuina.

2 Prima ſententia eſt Scoti in 3. diſtinct. 19. quæſt. vnic. §. *in iſta quaſtione*, Durandi diſt. 20. qu æſt. 2. Ioan. Medinæ cod. de ſatisfactione quæſt. 1. §. *Reſtat.* Herinchx diſp. 1. de Incarnatione qu. 9. Scotiſtarum communiter, & Licheti, Almaini, Mayro, Marſilij, & aliorum. quos citant Vaſquez diſp. 5. cap. 3. & 4, & Suarez diſp. 4. ſect. 3. hæc opinio docet Chriſtum ſatisfeciſſe quidem pro debito humani generis, cum hoc doceat fides, ſed addunt ideo ſatisfeciſſe, quia Deus acceptauit ſatisfactionem Chriſti, & ea contentus fuit, de cetero etiam opus bonum puræ creaturæ potuiſſe habere condignitatem, & purum hominem ex ſimili acceptatione diuina potuiſſe condgnè ſatisfacere.

Secunda ſententia eſt D. Thomæ hìc quæſt. 1. ar. 2. ad 2. & alibi, Caietani ibidem ad tertium dubium. Ioan. à S. Th. hic diſp. 2. ar. 1. Gonet diſp. 4. de neceſſitate incarnationis ar. 2. & Thomiſtarum communiter Suarez diſp. 4. ſect. 3. Vaſquez diſp. 5. cap. 2. Amici diſp. 5. ſec. 8. Cardinalis de Lugo diſp. 6. ſect. 1. Arriagæ hic diſp. 8. & communiter ferè omnium aliorum Doctorum, hæc docet operationes Chriſti Domini non ſolùm habuiſſe valorem, & dignitatem æqualẽ, ſed etiam excedentem, & abundantem ad ſatisfaciendum Deo pro omnibus peccatis abſque vlla acceptatione extrinſeca.

3 Concluſio 1. Chriſtus verè ſatiſfecit ſufficienter pro peccatis non ſolũ originali, ſed etiam omnium hominũ. Hæc concluſio eſt de fide, & fundamentum noſtræ fidei. Et colligitur ex pluribus ſcripturæ locis, in quibus dicitur, Chriſtum nos redemiſse. Ad Tit. 2. *De-*

dit

Digitized by Google

dit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. Apoc. 5. *Redemiſti nos in ſanguine tuo* - 1. Petri. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine*, & alia loco poſſunt adduci hãc veritatem probantia, quæ videri poſſunt apud Suarez, & Vaſquez locis citatis. Ex quibus locis ſic poteſt formari argumẽtum. Ex ſcriptura habemus nos à Chriſto emptos, & redemptos eſſe: ſed emere rem aliquam ille dicitur, qui rei dominium primum per pretium comparat: redimere verò rem aliquam dicitur ille, qui rem prius ſuam, iterum emit condigna ſatisfactione poſita; ergo cum ſcriptura dicat nos à Chriſto Domino emptos, & redemptos, fatendum eſt, nos emiſſe, & redemiſſe poſito ſufficienti pretio, & ſoluta condigna ſatisfactione.

4 Dicimur autem nos à Chriſto Domino redemptos, quia prius eramus ſerui Dei ante peccatum, & per peccatum facti ſumus inimici, & traditi poteſtati Dæmonis; Chriſtus ergo ſatisfaciendo pro nobis æterno Patri dicitur ſibi redemiſse, vt Deo, iuxta illud Iſaiæ 52. *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini*; quia non argento, neque auro, ſed pretioſo ſanguine ſuo nos redemit.

Quo ſenſu nos ſimus à Christo redempti & empti.

5 Dicimur autem à Chriſto Domino emptos, quia nos omnes emit ſibi, vt homini, quia per eamdem ſatisfactionem pro nobis oblatam ſpeciale quoddam ius, & dominium in nos acquiſiuit, vnde dicitur in Pſalm. 2 *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

Chriſtus etiam pro pœnis ſatisfecit, & quomodo.

6 Inſuper concluſio poſita debet intellegi, quod Chriſtus Dominus ſufficienter ſatisfecerit etiam pro pęnis. Sic colligitur Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, & D. Petri Epiſt. 1. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Per peccata verò explicant communiter Doctores pęnas peccantium. Hoc etiam probant omnia illa teſtimonia, quæ aſſerunt nos liberatos fuiſſe per Chriſtum à poteſtate dæmonis: nam eius poteſtas erat nos puniendi. Ab his tamen pęnis Chriſtus non liberauit nos abſolutè: nam nec etiam propter hoc obtulit ſatisfactionẽ ſuam, ſed tantùm nos liberauit pro tempore opportuno, vt ſcilicet merito ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis nobis non debeatur pęna æterna, quæ debebatur, & darentur auxilia, quibus à peccatis reſurgamus, & citius liberaremur à pęnis purgatorij. Item per ſatisfactionem ſuã nos liberauit à morte, & ab alijs malis; nam licèt pro nunc ab iſtis nos non liberet, nihilominus ex merito ipſius reſurgemus, & liberi erimus ab omnibus malis; & ad hoc facit illud Oſeæ 13. *O mors ero mors tua.* Et ad Timoth. 1. *Qui dextruxit quidem mortem.* Et huius veritatis plura alia loca poſſent adduci, ſed allata ſufficiant.

7 Concluſio 2. Satisfactio Chriſti fuit non ſolùm æqualis, ſed etiam ſuperabundans. Probatur ex variis locis ſcripturæ Pſal 159. *Copioſa apud eũ redemptio.* 2. ex illo ad Rom 5. *Non ſicut delictũ, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Ecce quod Apoſtolus comparat ſatisfactionem Chriſti cum peccato Adæ: ſed peccatum habuit non ſolum ſufficientem, ſed æqualem, & condignam efficaciam ad perdendum omnes; ergo ſi ſatisfactio Chriſti per Apoſtolum fuit maior, debemus aſſerere non ſolùm fuiſſe æqualem, ſed etiam ſuperabundantem; quod totum egregiè confirmat D. Anſelmus ſuper hunc locum dicens. *Non ſic eſt efficax peccatum Adæ ad damnationem, vt gratia Chriſti ad ſaluationem*, & D. Hieron ibidem habet. *Non ſicut delictum, ita & donum, ne in forma æqualitas putaretur.* Confir. ex illo ad Hebræos 5. *Et quidem cum eſſet filius Dei exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Super quem locum Chryſoſt. inquit. *Vult oſtendere, quod geſtum eſt, magis eſſe opus ſuum, quam Dei gratia; tanta enim fuit eius reuerentia, ac pietas, vt eum revereretur Deus.* Ad hanc veritatem probandum inſignis eſt locus Clementis VI. *in Extrauaganti Vnigenitus, de de penitent. & remiſs.* vbi dicitur. *Guttam ſanguinis Chriſti modicam, propter vnionem ad Verbum ſufficere potuiſſe pro totius humani generis redemptione.* Cum ergo Chriſtus totum ſuum ſanguinem fuderit, & tot labores, & paſſiones perpeſsus fuerit pro humana redemptione, fatendum eſt eius ſatisfactionem non modò fuiſse ſufficientem, ſed & æqualem, & ſuperabundantem. Plura alia loca ſcripturæ, & Patrum hanc veritatem probantia poſſunt videri paſſim apud doctores de hac quæſtione tractantes.

8 Maior difficultas eſt in aſſignanda ratione huius veritatis cum in hoc varij ſint admodum Scholaſtici, varias igitur rationes adducam, & impugnabo; mox noſtra ponemus.

9. Prima ratio docet opera Chriſti fuiſſe æqualem, & ſuperabundantem ſatisfactionem, quia Verbum non tantùm aſſumpſit humanitatem, ſed etiam opera humanitatis. Sed contra hæc ratio probat certum per incertum; ergo non admittenda: antecedens patet, nam certum eſt, vt vidimus, Chriſtum ſatisfeciſſe ad æqualitatem, & ſuperabundanter,

in-

Digitized by Google

incertum eſt, vtrum Verbum aſſumpſerit acciden tia, quæ erant in Chriſto; nam licèt aliqui hoc fateantur, (de quo infra redibit ſermo) nihilominus debemus afferre rationem etiam independenter ab hoc, quod Verbum aſſumpſerit nec ne opera humanitatis.

10. Secunda ratio eſt aliorum, qui dicunt opera Chriſti Domini ideo eſſe æqualia, & ſuperabundantia ad ſatisfaciendum, quia oriebantur non tantùm à voluntate creata Chriſti, ſed etiam à diuina Verbi. Sed contra, quia vel vult hæc opinio, quòd operatio, quæ oriebatur à voluntate humana Chriſti, v. g. oratio, orietur etiam à voluntate diui- Verbi per influxum realem proprium Verbi, non Patris, & Spiritus Sancti, & hoc non; quia hæc operatio eſt ad extra, & omnis operatio ad extra eſt indiuiſa Trinitati, vt apertè hoc colligitur ex Concilio Toletano 2. docente non poſſe vnam perſonam ad extra operari ſine alia: vel ſignificat, quod operatio, quæ oriebatur à voluntate humana Chriſti erat conformis diuinæ; & licèt hoc veriſſimum ſit; hæc tamen conformitas non dat infinitatem operibus voluntatis humanæ Chriſti Domini; nam etiam Beati in Patria ſunt omnino conformes voluntati diuinæ, & Beatiſſima Virgo erat conformatiſſima Dei voluntati, & nihilominus operationes tam Beatorum, quam Virginis non ſunt infiniti valoris, ſed finiti; vel tertiò ſignificat, quod ex operatione humana Chriſti Domini, & diuina fiat vna operatio mixta partim diuina, partim humana; & neque etiam hoc dici poteſt, tum quia gratis fingitur hæc vnio operationum humanarum cũ operatione diuina, & dato, quod daretur, cum operatio diuina ſit Deus, eſſet vnio cum Deo, de qua non conſtat, cum tamen certum ſit opera Chriſti eſſe ſatisfactoria ad æqualitatem, & ſuperabundanter.

11. Tertia ratio eſt Raguſæ diſp. 14. & Tanneri diſp. 1. quæſt. 2. dub. 4. dicentium infinitã fuiſſe ſatisfactionem Chriſti ratione re oblatæ; nam Chriſtus obtulit ſe ipſum æterno Patri, & cum Chriſtus ratione ſuppoſiti ſit infinitus; hinc deducunt hi DD. ſatisfactionem Chriſti Domini fuiſſe ęqualem ſuperabundantem, & infiniti valoris, hanc ſuſtinet etiam Amicus diſp. 6. ſect. 3. licèt hi DD. fateantur ſatisfactionem Chriſti fuiſſe æqualem, & ſuperabundantem etiam ex dignitate perſonæ offerentis. Sed contra ſi ſatisfactio Chriſti fuit æqualis, & infinita ratione rei oblatæ, ſequitur etiam Virginem Beatam æqualiter, & infinitè Deo ſatisfeciſſe, dum obtulit æterno Patri Filium ſuum, nam ratione rei oblatæ obtulit rem infinitam, nempè Chriſtum; idem dici poteſt de Simeone, dum eumdem Dominum pręſentauit in templo: ſed certum eſt, vt concedunt etiam aduerſarij, meritum, & ſatisfactionem Simeonis, & Virginis non fuiſſe ad æqualitatem, & infiniti valoris? ergo neque ſatisfactio Chriſti ratione rei oblatæ fuit æqualis, & infiniti valoris.

12. Dices 1. cum Amico, Chriſtum, vt res oblata eſt, non eſſe intrinſecè cõiunctum cum oblatione Virginis Deiparæ, & Simeonis, nec eſſe effectum moraliter operabilem per oblationem à creatura, cum nulla creatura ius habeat in vitam Chriſti, eſſe autem intrinſecè coniunctum cum oblatione, quam ipſe Chriſtus de ſe ipſo fecit, cum ipſe haberet ius faciendi hanc oblationem, quod ius alijs creaturis non poterat conuenire. Sed contra, quia hoc ius, quod fuit in Chriſto, & non erat in Virgine, Simeone, vel alia creatura, nihil aliud eſt, quam ius quod habet perſona in opera naturæ ſuæ, vel in naturam ſuam, cui iuri, ſi cedat offerendo propriam vitam Deo, eſt perſona, quæ cedit iuri; ergo ſi ex hoc iure deſumitur infinitas ſatisfactionis in Chriſto per ipſum Amicum, ex perſona cedente iuri deſumitur, non ex re oblata, cum res oblata tam ſit in Virgine offerente, quam in Chriſto.

13. Dices 2. Si quis habeat mille aureos, & illos offerat mercatori, poteſt mercator obligari ad dandum merces valentes mille aureos, & ſi quis faceret eleemoſynam infinitam infinitè merebitur apud Deum; ergo etiam, dum Chriſtus offert ſe ipſum, qui propter vnionem ad Verbum eſt infinitus, ratione rei oblatæ infinitè ſatisfaciet, & infinitè merebitur. Sed contra concedo, quod, ſi quis offerat mille aureos mercatori, & ipſe eos acceptet, teneatur tradere merces valentes mille, & quod mereatur infinitè, qui facit eleemoſynã infinitam; nego autem conſequentiam & diſparitas eſt, quia mercator venden, merces non reſpicit ad perſonam ementem, an ſit magnæ dignitatis, vel vilis, ſed reſpicit lucrum, quod debet eſſe tantum, quantùm ipſe dat de mercibus ſuis, quod non euenit in ſatisfactione pro offenſa, quæ attẽditur pęnes perſonã ſatisfacientem, non in re oblata, niſi ſecundum quid; nã Chriſtus offerendo ſe ipſum Patri, non ponit aliquid ratione rei oblatæ, quod iam nõ ſit ſub dominio ipſius; nam per hanc oblationem nec producit exiſtentiam ſuam, nec conſeruationem exiſtentiæ, ſed ſolùm producit actum nouum offerendo ſe ipſum

Patri,

Digitized by Google

Patri, & per hunc actum reſarcit offenſam factam Deo, & in hoc complacet Deus. Quare per eumdem actum, cum proficiſcatur à perſona infinitè digna, & ſe Deo humiliante, ſatisfacit condignè, & ſuperabundanter, non ratione rei oblatæ. Per quod patet ad alium casũ: fateor enim, quod, qui facit eleemoſynam infinitam, infinitè mereatur: & hoc prouenit, quia ipſe priuat ſe cõmodo infinito, & infinitam eleemoſynam ponit in obſequium Dei, quod obſequium prius non erat, & de hoc obſequio complacet Deus: at Chriſtus offerendo ſe ipſum, nihil de nouo ponit ſub dominio Dei ratione rei oblatæ, ratione cuius aliquam complacentiam habere poſſit extenſiuam, vt dictum fuit. His ergo, & alijs rationibus parui momenti, quas aliqui Doctores afferũt, omiſſis.

14 Probatur concluſio ratione fundamentali. Illa eſt ſatisfactio non ſolùm æqualis, ſed etiam ſuperabundans pro offenſa, quæ intrinſecè maior eſt, quam offenſa illata Deo per peccatum: ſed verè ſatisfactio Chriſti maior eſt ab intrinſeco, & ratione ſui, quam offenſa illata Deo per peccatum; ergo ſatisfactio Chriſti non ſolùm eſt æqualis, ſed etiam ſuperabundans: maior per ſe patet; probatur minor: grauitas offenſæ mortalis, deſumitur à perſona offenſa, quæ per peccatum extrinſecè, & affectiuè offenditur: valor autem ſatisfactionis deſumitur à perſona ſatisfaciente, quæ intrinſecè, & phyſicè eſt vnita humanitati, quæ eſt principium *quo* operationum Chriſti, & mediatè eſt vnita ipſis operibus, ita vt cenſeantur tales operationes oriri à perſona infinita, vt à principio *quod*: ſed valor fundatus in vnione phyſica, & reali maior eſt in morali æſtimatione, quam grauitas fundata ſolùm in vnione morali, & affectiua; ergo valor ſatisfactionis Chriſti maior eſt, quã offenſa illata per peccatum mortale, & ſic non tantùm eſt ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans.

15 Dices Chriſti ſatisfactionem fuiſſe multis alijs titulis Deo debitam, & potuiſſe Deum talem ſatisfactionem non acceptare; ergo non eſt æqualis, & ſuperabundans, ſecus ſi fuiſſet æqualis non potuiſſet Deus illam non acceptare. Sed contra reſpondeo (quidquid ſit de antecedenti, de quo infra) quod etiamſi Deus nollet acceptare ſatisfactionem, vel ei talis ſatisfactio ſit debita varijs titulis, nihilominus adhuc eſſet in operibus Chriſti æqualitas, & ſuperabundantia in ſatisfaciendo, quæ eſt difficultas, quæ hic tractatur: ſicut enim ſi mercatori pro merce, quæ valeat decem nummos aureos offerantur viginti, iſtud pretium non ſolum eſt æquale, ſed etiam ſuperabundans: verum ſi nollet mercator acceptare illos nummos aureos; non per hoc ſequitur, quod tale pretium non fuerit æquale, & ſuperabundans, ſed tantùm, quod non teneatur ex iuſtitia illos acceptare, quia ad iuſtitiam rigoroſam in contractibus requiritur vltro, citroque mutua obligatio; ita & in propoſito ſatisfactio, quam offert Chriſtus pro offenſa non tantùm eſt æqualis offenſæ illatæ per peccatum, ſed etiam ſuperabundans, & hoc præſcindendo à quacumque acceptatione diuina; quod ſi Deus nolit illam acceptare, deducetur tantùm, quod non intercedat rigoroſa iuſtitia, quam difficultatẽ nunc non tracto, ſed infra explicabitur, non verò deducitur, quod ex ſe etiam præſcindendo à diuina acceptatione non fuerit æqualis, & ſuperabundans.

16 Obicies contra primam. Si Chriſtus, vt de fide tenemus, ſatisfecit æterno Patri pro omnibus noſtris peccatis, & pœnis, ſequeretur nos facere iniuriã meritis Chriſti Domini bene operando; inſuper nullam eſſe neceſſariam pœnitentiam, & eſſe ſufficiens, ſi credamus nos debere ſaluari ex meritis Chriſti Domini: ſed hæc omnia ſunt falſa; ergo non erit de fide, quod Chriſtus ſatisfecerit ſufficienter pro omnibus.

Reſpondeo negando ſequelas: nam licèt verum ſit, Chriſtum ſatisfeciſſe pro omnibus quo ad ſufficientiam; nihilominus nobis talis ſatisfactio non prodeſſet, niſi eiuſdem merita nobis applicarentur per ſacramenta, & bonorũ operũ exercitium. Quare dixit Apoſtolus ad Col. 1. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti*; & rationem adducit D. Th. infra quæſt. 49. art. 1. ad 2. dicens, quod paſſio Chriſti operata eſt remiſſionem noſtrorum peccatorum tamquam cauſa vniuerſalis; quæ non excludit conſortium particularis, ſed per illam deſcendit in effectum, ſic Deus, qui eſt cauſa prima ſimul cum cauſis ſecundis producit effectus: & explicari poteſt exemplo Principis, qui miſericordia ſuorum ſubditorum motus, tantam pecuniam poſuit pœnes aliquem, vt cum ea debita omnium ſubditorum ſolui poſſint; hac poſita conditione, quod ipſi ſubditi adeant illum, pœnes quem eſt repoſita pecunia Principis, & ab ipſo accipiant tantam pecuniam, quanta ſufficiat ad debita ſua omnia extinguenda; Ita Chriſtus Dominus per merita ſua quo ad ſufficientiam pro omnibus ſatiſfecit offerendo merita ſua Patri æterno;

Digitized by Google

verùm niſi homines huiuſmodi merita ſibi applicent per Sacramenta, & bona opera, numquam quoad efficaciam ſatisfacient; & hoc & ipſi hæretici velint nolint debent fateri, cum requirant baptiſmum, & fidem, vt nobis merita Chriſti applicentur; ergo requiruntur etiam charitas, & pœnitentia, cum has virtutes eſſe neceſſarias doceant apertè ſcripturæ: nulla autem fit iniuria meritis Chriſti, imo potius glorificantur, vt ait Trid. ſeſs. 6. can. vltimo; nam in opinione falſa hæreticorum datur aditus ad omnia peccata patranda, & excluduntur omnia bona opera; veritas autem Catholica contrarium docet, & facit nos cooperatores noſtræ ſalutis, quod in maximam Chriſti Domini gloriam cedit.

17 Obijcies 1. contra ſecundam; Illa eſt condigna ſatisfactio, in qua ſeruatur proportio inter ſatisfacientem, & perſonam offenſam: ſed inter Chriſtum ſatisfacientem, & Deum offenſum non eſt proportio; ergo ſatisfactio non eſt æqualis, & condigna; probatur minor; nam maior eſt fundamentum noſtræ concluſionis: offenſa eſt contra Deum, vt Deus eſt, ſatisfactio verò, licèt ſit à Deo, non tamen eſt à Deo, vt Deus eſt, ſed vt homo eſt: ſed homo non eſt tantæ dignitatis, ac Deus ſit; ergo non ſeruatur exacta proportio inter offenſum, & ſatisfacientem. Confirmatur non minus diſplicet peccatum Deo, quam placeat ipſi propria bonitas, cum peccatum ſit deſtructiuum diuinæ bonitatis: ſed non tantùm placent opera Chriſti Deo, quantùm placet ipſi propria bonitas; ergo minus placent, quam diſpliceat offenſa per peccatum illata, & conſequenter nullo modo erit æqualis ſatisfactio.

Reſpondeo negándo minorem: ad probationem dico, ſatisfactionem non fieri ab homine, ſed à Deo homine, qui eſt tantæ dignitatis, ac Deus, quod ſi Chriſtus dicatur minor Deo, eſt præcisè ratione humanitatis; verùm Chriſtus non ſatisfecit ratione humanitatis, ſed ſatisfecit, vt Deus homo; ſatisfecit enim vt perſona habēs peculiare dominium ſuper opera humanitatis, & à perſona diuina acceperunt valorem ſatisfaciendi opera ipſa, & cum valor operum ſit infinitus, vt articulo ſequenti demonſtrabitur, offenſa verò, & malitia peccati ſint quid finitum, hinc ſequitur Chriſti ſatisfactionem non ſolùm fuiſſe æqualem, ſed etiam ſuperabundantem. Ad Confirmationem nego maiorem; nam maior eſt bonitas Dei, quam malitia, & offenſa peccati, quia malitia, & offenſa ſunt quid finitum, nec peccatum eſt deſtructiuum Dei, cum ſit ſemper quid extrinſecum Deo, & cum Deus ſit eſſentialiter indeſtruibilis, neque dari aliquid poteſt ipſius deſtructiuum, cum deſtructiuum dicat eſſentialiter ordinem ad deſtruibile; Vnde etiam magis placent opera Chriſti Deo, quā ei diſpliceāt quæcūq; peccata.

18 Obijcies 2. offenſa illata Deo per peccatum creſcit ex vilitate perſonę offendentis, & dignitate perſonæ offenſæ: ſed ſatisfactio Chriſti creſcit tantùm ex dignitate perſonę ſatisfacientis; ergo non poteſt eſſe æqualis.

Reſp. quod ſi offenſa creuit ex illo duplici capite, ita etiā ſatisfactio; nam vt ait Richardus de S. Victore, nō ſolum ſatiſfactio creſcit, quia eſt à perſona infinita, ſed etiam, quia talis perſona ſe humiliauit carnem aſſumendo, imo & ſe ſubdendo hominibus, vnde potuit abundanter ſatisfacere, præſertim, cum magis dignificet opera perſona ſatisfaciens, quam creſcat offenſa ex perſona offenſa; nam ſatisfactio creuit à perſona ſatisfaciente tamquam à forma intrinſeca, perſona autem offenſa auget offenſam tantùm per modum puri termini extrinſeci; vnde offenſa non eſt infinita, vt diximus loco citato de vitijs, & peccatis: at opera Chriſti Domini fuerunt infiniti valoris, & vnus actus Chriſti magis placebat Deo, quam diſplicerent omnia peccata hominum. Satisfactio Chriſti creſcit ex duplici capite.

19 Obijcies 3. Si per impoſſibile vnus Deus offenderet alium Deum, valor ſatisfactionis Chriſti ſolùm æquaret offenſam illatam ab alio Deo; ſed maior eſt offenſa irrogata à creatura Deo, quā quæ irrogaretur ab alio Deo; ergo ſatiſfactio Chriſti pro offenſa irrogata à creatura non eſt ei æqualis.

Reſpondeo dato illo impoſſibili negando minorem: nam offenſa irrogata à cratura eſt finita, illa autem, quæ irrogaretur ab alio Deo, eſſet infinita, quia eſſet cum cognitione infinita.

20 Obijcies 4. Si per impoſſibile Chriſtus peccaſset non potuiſſet pro ſuo peccato ſatisfacere; ergo multò minus potuit ſatisfacere pro alienis.

Reſpondeo talem ſuppoſitionem eſſe omnino impoſſibilem, & inuoluere cōtradictionem; cum impoſſibile ſit Chriſtum peccare, & eſse Deum, vt infra ſuo loco videbitur; quare ex tali ſuppoſitione quodlibet ſequi poteſt; etenim poſſet ſatisfacere, ſi adhuc permaneret vnio, quia eſſet Chriſtus perſona diuina infinitæ dignitatis, & Deus: non poſſet verò, quia eſset inimicus: ſi verò per peccatum deſtrueretur vnio, iam non

eſset

Digitized by Google

eſſet idem ſuppoſitum, ideo nil mirum, ſi non poſset ſatisfacere.

21 Obijcies 5, Si Chriſtus ſatisfecit ad æqualitatem ratione dignitatis perſonæ, vel hoc fuit, quia perſona influat in actiones, & hoc dici non poteſt de Chriſto, in quo ſolùm erat perſonalitas diuina, quæ nihil prorſus poteſt influere, cum actiones ad extra ſint indiuiſæ toti Trinitati, vt docet Concilium Toletanum 2. vel quia moraliter dignitas perſonæ refunditur in actiones, & neque hoc, nam ſi Rex comedat pretioſum aliquod, quod ſimile comedatur à perſona vili, non per hoc, quod comedatur à Rege, eſt magis pretioſum; ergo dignitas perſonæ non refundit moraliter valorem in opus; vel tertiò hoc prouenit, quia perſona ſatisfaciens ſe ipſam ſubijciat alteri: & neque hoc; nam eſſet contra illud, quod ſupra refutauimus num. 11. nempè ſatisfactionem Chriſti fuiſſe infinitam ratione rei oblatæ, quatenus perſona ingreditur rationem ſatisfactionis intrinſecè, & vt pars, quæ ſubijcitur Deo: vel quartò, quia tales actiones proueniant à natura infinitè ſanctificata ſanctitate diuina, vt vult Vaſquez: contra enim eſt; nam licèt ſanctitas eſſentialiter requiratur ad meritū, & ſatisfactionem: non tamē maior gratia, aut ſanctitas confert ad maius meritum, & maiorem ſatisfactionem, vt probatum fuit in tractatu de gratia quæſt. 9. de merito ar. 11. ergo nullo modo Chriſti ſatisfactio fuit æqualis &c.

Reſpondeo ſatisfactionem Chriſti fuiſſe æqualem, & ſuperabundantem, non quia perſonalitas diuina influat phyſicè in operationes Chriſti, fateor enim nullo modo phyſicè influere, vt bene probat argumentum; neque quia perſona diuina per reflexionem ſe ſubiecerit, ſeu ratione rei oblatæ, tum propter rationem adductam ſupra num. 11. dum hanc rationem refutauimus; tum quia etiamſi quis non reflectat ſupra perſonam, & non conſtituat ipſam tamquam rem oblatam, nihilominus ſi actus ſit virtuoſus, à perſona grata, liber, & hominis viatoris eſt meritorius, & ſatisfactorius, vt vidimus in tractatu de gratia quæſt. de merito; ergo ad ſatisfactionem, & meritum non eſt neceſſe, quod quis reflectat ſupra perſonam operantem: neque quia proueniant ab humanitate infinitè ſanctificata, ſed quia præcisè actiones ſunt ſuppoſitorum, & perſonarum, & cum actiones Chriſti proficiſcantur moraliter à perſona infinitæ dignitatis, & ſi ſint immanentes recipiantur moraliter in eodem ſuppoſito, ſeu perſona mediante humanitate huiuſmodi perſonæ diuinæ immediatè unita; ſequitur, quod etiam mediatè iſtę actiones ſint vnitæ perſonalitati diuinæ, & ideo, quia moraliter oriuntur à perſona infinitæ dignitatis, & mediatè recipiuntur in eadem, ideo exiſtimantur valoris infiniti; perſonalitas enim diuina ſe habet veluti forma dignificans, & dans valorem infinitum ipſis operibus; cum autem ſit forma infinitę dignitatis, etiam infinitè dignificat eaſdem actiones. Ad impugnationem, concedo, quod cibus per hoc, quod comedatur à Rege, non ſit magis pretioſus, quam ſi comederetur à ruſtico: verùm nihil cōtra nos ſequitur; nam cibus eſt talis, & tanti pretij in ſe abſtrahendo ab hoc, quod comedatur à Rege, vel à ruſtico; ſi verò loquamur de actione comedendi eumdem cibum: Ioannes à S. Thom. concedit eſſe eiuſdem valoris actum Regis comedentis cibum pretioſum, & ruſtici comedentis ſimilem cibum; eo quod tales actiones ſint actus nutriendi naturam, qui æquè poſſunt reperiri in ruſtico ac in Rege; negat autem de alijs actibus, qui ſunt proprij perſonæ, cum hi ſumant dignitatem, & valorem à perſona: verùm hæc reſponſio non eſt ſuſtinenda, etenim etiam actus laudandi, & reſpiciendi aliquem ſunt actus ſenſitiuarum potentiarum à ratione directarum, qui poſſunt eſſe tam in Rege, quam in ruſtico, & tamen in Rege magis æſtimantur, vt fatetur idem auctor; ergo etiam actus Regis comedentis cibum magis æſtimabitur, quam actus ruſtici ſimilem cibum comedentis, cum ſit à perſona digniori, ſolùm ergo ſequitur, quod actus aliqui, qui videntur fieri ex neceſſitate naturæ, non cenſeantur habere illam dignitatem, quam habent alij, qui in politica ſocietate exercentur; non verò, quod actus, qui à perſona dignori exercentur, non ſint etiam digniores.

22 Obijcies 6. Chriſtus Dominus eam ſatisfactionem exibuit, æterno Patri, quam Pater æternus exigere poterat iuſtè: ſed Pater æternus poterat exigere ſolùm ſatisfactionem æqualem, non verò ſuperabundantem, nam iniuſtè hanc exegiſſet; ergo Chriſtus ſolùm ad æqualitatem ſatisfecit, non verò ſuperabundanter.

Cur ſatisfactio Chriſti ſit ſuperabundans.

Reſpondeo diſtinguendo minorem; Pater æternus poterat exigere ſolum ſatisfactionem æqualem per ſe, concedo minorem; per accidens, nego minorem, ſic enim iuſtè poterat exigere etiā ſuperabundantem; etenim cum ſecundùm iuſtitiam poſſet exigere ſatisfactionem æqualem, & nulla pura creatura

poſſet hanc præſtare, niſi eſſet homo Deus, hinc eſt, quod per accidens exigendo ſatisfactionem æqualē, eidem data fuerit non ſolùm æqualis, ſed etiam ſuperabundans, & explicatur exemplo; quis debet pauperi nummum argenteũ, pauper eſt in neceſſitate, & qui debet argenteum, non habet niſi aureum, quem dare poſſit, in tali caſu per accidens debitor tenetur dare aureum; ita à pari in propoſito dicendum eſt.

23 Obijcies 7. Chriſtus, vt homo perfectè non ſatisfecit Deo pro beneficijs in humanitate ſuſceptis; ergo neque perfectè potuit ſatisfacere pro peccatis alienis.

Reſpondeo primò concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 106. ar. 6. qui beneficium accepit obligatur ex debito honeſtatis, vt aliquid gratis intendat; nam ſi reddendo non excedit quantitatem beneficij, nihil gratis videtur intendere; quare vt perfecta ſit compenſatio ex gratitudine, debet reddere non ſolum ęquiualens, ſed aliquid amplius; vnde licèt gratiarum actio Chriſti ſit æquiualens beneficio incarnationis, non tamen illud excedit; cum beneficium infinitum ſit, ſicuti & infinita eſt gratiarum actio: at cùm offenſa pro peccato ſit finita, ſatisfactio Chriſti non ſolùm eſt æquiualens, ſed etiam ſuperabundans.

Reſpondeo ſecùndo negando antecedens, nam licet beneficium acceptũ à Chriſto fuerit infinitum, etiam infinita fuit gratiarum actio Chriſti, & animum habuit Chriſtus plus reddendi, ſi plus fuiſſet poſſibile, & ratione huius animi gratiarum actio Chriſti poteſt dici æquiualens pro incarnationis beneficio.

ARTICVLVS VII.

An opera Chriſti Domini fuerint infiniti valoris ad ſatisfaciendum.

1 Vidimus Chriſti Domini ſatisfactionem nō ſolùm fuiſſe æqualem, ſed etiam ſuperabundantē; necdum tamen ſtatuimus, an fuerit infiniti valoris; nam cum dixerimus peccatum ſiue in ratione malitiæ, ſiue offenſæ eſſe finitum, potuit ſatisfactio Chriſti eſſe æqualis, imo & ſuperabundans, licèt non fuerit infinita, cum vnũ finitum poſſit ab alio finito non ſolùm æquari, ſed etiam ſuper excedi. Quare meritò hanc aliam difficultatem tractāt DD. an opera Chriſti Domini fuerint valoris infiniti; ex hac enim difficultate magis apparebit Chriſti ſatisfactionem fuiſſe non ſolùm æqualem, ſed etiam ſuperabundantem.

2 Omnes, quos ſuperiori articulo num. 2. pro contraria ſententia citauimus aſſerentes Chriſti ſatisfactionem non eſſe condignā citra acceptationem diuinam, conſequenter, & maiori ratione negant illius opera fuiſſe infiniti valoris, quamuis enim concedant operationes Chriſti eſſe ſummi valoris, taliter vt ab operibus puræ creaturæ in valore adæquari non poſſint, negant tamen eſſe valoris ſimpliciter infiniti, etiam in genere moris, & non plus valoris cenſent in operibus Chriſti, quam ſit bonũ illud, ad quod acceptata fuere. Sic Scotus in 3. diſt. 19. quæſt. vnica, & in 4. diſt. 15. Rada 3. par. contr. 13. ar. 2. Faber in 3. diſput. 45. cap. 2. & 3. & Caſtillo hic diſp. 3. quæſt. 2. cum alijs Scotiſtis communiter.

Communis ſententia eſt affirmatiua, quam docet D. Tho. hic, & alibi, Thomiſtæ communiter, vt Ioannes a S. Th. hic diſp. 2. art. 1. Gonet diſput. 4. art. 3. & alij. Suarez hic diſput. 4. ſect. 4. Vaſquez diſp. 6. Cardinalis de Lugo diſp. 6. ſect. 1. Amicus diſput. 6. ſect. 2. Arriaga, diſp. 8. ſect. 8. & ſequentibus Eſparza lib. 8. q. 11. Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 16. & plures alij, quos citant Amicus, & alij.

3 Concluſio. Operationes Chriſti fuerunt infiniti valoris ad ſatisfaciendũ, & merendum. Probatur concluſio ex definitione Clementis VI. in Extrauag. *Vnigenitus* de pœnit. & remiſ. vbi loquens de Chriſti meritis, quæ tamquam theſaurum Eccleſiæ ſuæ reliquit Dominus, dicit eſſe theſaurum infinitum; ſic enim habet. *Vt ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, Dei amicitia participes ſunt effecti.* & infra. *De cuius conſumptione, ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tā propter infinita Chriſti (vt prædictum eſt.) merita &c.* & idem docent plures Patres, & expreſsè Chryſoſt. Hom in cap. 1. ad Rom.

3 Probant aliqui concluſionem hoc pacto. Satisfactio Chriſti Domini fuit æquiualens, & ſuperabundans pro offenſa illata Deo per peccatum; ſed peccatum eſt infinitum in ratione offenſæ; ergo & ſatisfactio, ſi debet eſſe æquiualens, & ſuperabundans debet eſſe infinita. Sed contra, quia vidimus ſupra peccatum nullo modo eſſe infinitum, niſi ſecundùm quid, & extrinſecè, non in ſe; cum in ſe ſit abſolutè finitum; ergo licèt ſatisfactio Chriſti ſit ſuperabundans, non per hoc ſequitur, quod ſit infinita, cum finitum poſſit ab alio finito ſuperabundanter ſuperari.

Pro-

Digitized by Google

5 Probant 2. alij; quia vnus actus Chriſti Domini eſt ſufficiens ad redimendos infinitos mundos, ſi adeſſent, & omnia peccata, quæ poſſent in infinitum multiplicari; ergo talis actus eſt infiniti valoris. Sed contra primò, quia, qui negant merita eſſe infinita, poterunt etiam negare eſſe ſufficientia ad redimendos infinitos mundos, neque ſequitur quicquam contra ſcripturam, quia hæc loquitur de peccatis huius mundi, quæ ſemper finita ſunt. Contra ſecundò etiam ſi darentur infinitæ formicæ, vel muſcæ non tamen adæquabūt perfectionem Angeli, licèt Angelus ſit finitus, quia Angelus eſt ordinis ſuperioris, & magis eligibilis eſſet Angelus, quam ſint infinitæ formicæ; ergo licèt multiplicentur in infinitum peccata, & offenſæ adhuc poterunt æquari, & ſuperari à ſatisfactione Chriſti finita, quia hæc eſt ſuperioris ordinis, quam ſit offenſa qualibet, quæ ab homine, vel Angelo poſſit fieri.

Confirmatur. Non minus eſt ſufficiēs ſatisfactio Chriſti ad redimendos infinitos homines, ſi futuri eſſent: quam peccatum Adæ ad perdendos infinitos, ſi procrearentur: ſed licèt peccatum Adæ ſit finitum eſt ſufficiens ad perdendos infinitos homines; ergo & ſatisfactio Chriſti, licet eſſet finita, fuiſſet ſufficiēs ad redimendos infinitos homines: igitur ex hac ratione non probatur infinitas in operibus Chriſti.

6 Dices in tractatu 1. de Deo qu. 2. ar. 4. num. 14. Probamus Deum eſſe infinitum in perfectione, quia data quacumque creatura perfecta poteſt Deus aliam, & aliam perfectiorem producere; ergo etiam hic, ſi dato quocumque peccato poſſibili in infinitum, ſatisfactio Chriſti eſt æquiualens, & ſuperabūdans pro quocumque peccato, debemus fateri talem ſatisfactionem eſſe infinitam. Sed contra, quia ex infinitis creaturis poſſibilibus arguimus perfectionem infinitam in Deo, quia datis quibuſcumque, & iiſdem conſeruatis, adhuc Deus poteſt aliam, & aliam perfectiorem in infinitum producere, & conſeruare, vnde pro qualibet creatura producta, & conſeruata debet aliquis gradus perfectionis in Deo correſpondere, & ſi creaturæ ſint infinitæ, proculdubio cumulus perfectionis in Deo erit infinitus; at peccata nec producuntur, nec conſeruantur à Chriſto, & cum ſint inferioris ordinis, quam ſit ſatisfactio Chriſti, etiāſi multiplicentur in infinitū, nihilominus vnicus actus ſatisfactionis Chriſti, licèt non eſſet infinitus eſſet ſufficiens, & ſuperabundans ad ſatisfaciendum.

7 Probat 3. Vaſquez infinitatem in operibus Chriſti ex infinitate dignitatis naturæ humanæ in Verbo, eo quod poſita vnione hypoſtatica ipſa humanitas ſanctificatur, & deificatur ipſa deitate tamquam forma, & tamquam Vnguento, quo vngitur, non quidem intrinſecè per concurſum formalem, ſed per extrinſecam denominationem: etenim dicit ipſe, ſi per impoſſibile cum natura aſſumpta à Verbo eſſet peccatum, talis perſona non poſſet ſatisfacere Deo, & tamen ibi adeſſet dignitas perſonæ: ergo ratio ſatisfaciendi, & infinitè eſt dignitas naturæ deificatæ. Sed contra, quia ideo per Vaſquez Chriſtus ſatisfecit, & infinitè ſatisfecit, quia poſita vnione hypoſtatica humanitas fuit ſanctificata, & deificata ipſa deitate tamquam forma; quare ſi per impoſſibile cum natura aſſumpta à Verbo eſſet peccatum talis perſona non poſſet ſatisfacere: ſed idem argumentum militat contra ipſum; ergo nihil probat: minor probatur: ſi per impoſſibile cum natura deificata eſſet peccatum, talis natura non poſſet ſatisfacere, & tamen eſſet deificata: ergo quod de facto ſatisfaciat, & infinitè ſatisfaciat, non prouenit ab hoc, quod natura ſit deificata.

8 Dices talem ſuppoſitionem eſſe impoſſibilem, & inuoluere contradictionem, eo quod implicet peccatum cum natura deificata. Sed contra non minus inuoluit contradictionem, quod peccatum ſit cum natura deificata, quam quod ſit cum natura vnita hypoſtaticè Verbo diuino; ergo ſi non poteſt aſſumi iſta ſuppoſitio, ſi cum natura deificata eſſet peccatum non poteſt ſatisfacere, quia inuoluit contradictionem, neque poteſt aſſumi hæc, nempe; ſi natura humana vnita hypoſtaticè Verbo diuino peccaret non poteſt ſatisfacere: antecedens probatur; nam humanitatē deificarinon eſt aliud, quam vniri phyſicè Verbo diuino, vt Deo: ergo ſi non poteſt aſſumi, vt pote inuoluens contradictionem illa ſuppoſitio, ſi natura deificata peccaret, nec poteſt aſſumi hæc alia, ſi natura vnita hypoſtaticè Verbo peccaret.

9 Ratio igitur firma, quæ probat hanc concluſionem eſt illa, quam ſupra ſæpius adduximus, nempe. Tantò maior eſt valor ſatisfactionis in aliquo opere, quantò maior eſt dignitas perſonæ ſatisfacientis, nam ſicut offenſa conſideratur ex perſona offenſa, ita ſatisfactio ex perſona ſatisfaciente; cum actiones ſint ſuppoſitorum ex Ariſt. ſed ſatisfactio elicita à Chriſto eſt à perſona infinitæ dignitatis; quare à D. Dionyſio lib. 2. de diuinis nominibus operationes Chriſti dicun-

Digitized by Google

dicuntur *Theandricæ*, ſeu *Dei viriles*, & à D. Damaſceno dicuntur *deificatæ*; ergo omnis ſatisfactio elicita à Chriſto erit infiniti valoris; nam actiones illæ recipiuntur in humanitate vnita Verbo, & per conſequens moraliter intelliguntur & ipſe vnitæ Verbo; imo & phiſicè, ſed mediante humanitate; vnde perſonalitas infinita Verbi ſe habet veluti forma dignificans moraliter illas actiones; & cum forma ſit infinita, etiam formaliter infinitè dignificat ipſas actiones. Hęc ratio magis apparebit ex ſolutione argumentorum.

10 Obijcies 1. Non minus creſcit offenſa ex dignitate perſonæ offenſæ, quam ſatisfactio ex perſona ſatisfaciente: ſed dignitas perſonæ offenſæ non arguit infinitatem in offenſa, vt ſupra diximus; ergo neque dignitas perſonæ ſatisfacientis ponit infinitatem in ſatisfactione.

Reſpondeo ad maiorem, creſcere quidem offenſam, & ſatisfactionem ex dignitate perſonæ, ſed non eodem modo, nam ſatisfactionis valor creſcit tantùm ex dignitate perſonæ, quia ipſa perſona quodammodo informat operationes, quæ tribuuntur ſuppoſitis: & offenſa non creſcit tantùm ex perſona offenſa, quia, cum perſona offenſa ſit quid extrin-
Satisfactio diuerſomodo creſcit, ac creſcat offenſa. ſecum operationi, creſcit iuxta proportionem cognitionis, & aliarum circumſtantiarum, & præcipuè ex modo tendendi in tale obiectum, qui modus finitus eſt: Vnde in operationibus Chriſti duo poſſunt conſiderari, nempe dignitas, & valor ad merendum, & ſatisfaciendum, & entitas phyſica actus cum honeſtate, & bonitate morali operationis: primum nempe dignitas, & valor habetur tantùm à perſona, quæ cum ſit infinitæ dignitatis, nec habeat vnde limitetur, infinitam tribuit dignitatem: reliqua habentur à circumſtantijs, à modo tendendi in obiectum, & à potentijs tendentibus, quæ omnia, cum finita ſint, & operationes Chriſti finitæ ſunt.

11 Obijcies 2. In tantùm per nos opera Chriſti Domini ſunt infiniti valoris, in quantùm ſunt à perſona infinitæ dignitatis: ſed perſona diuina in Chriſto non poteſt dare operibus infinitam dignitatem, ſeu valorem; ergo tantùm dabat finitam: probatur minor: in tantũ poteſt perſona diuina dare dignitatem, & valorem operibus Chriſti, in quantum terminat naturam humanam: ſed terminat tantùm finito modo; ergo tantùm finitam dignitatem poteſt dare: a maior patet: nam ſi non terminaret naturam humanam nullam dignitatem, aut valorem operibus poſſet tribuere; minor etiam patet; tum quia terminat media vnione finita, tum quia terminat ſupplendo vicem ſubſiſtentiæ creatæ; ſubſiſtentia autem creata finito modo debebat terminare; ergo & perſona diuina finito modo terminat; & ſic tãtùm finitum valorem poterit tribuere operibus.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem: diſtinguo maiorem, in quantùm terminat naturam humanam vt *quod*, concedo maiorem, vt *quo*, nego maiorem: nego autem perſonam diuinam terminare finito modo, vt *quod* naturam humanam, terminat enim immediatè ſe ipſa, vnde Chriſtus verè eſt perſona diuina tantæ dignitatis, ac Deus; & dignitas, & valor operum attenditur ex dignitate perſonæ, non ex modo vnionis, quæ vnio (ſiue ſit diſtincta, ſiue non de quo infra) eſt tantùm via ad ſubſiſtendum, & ipſa increata perſona Verbi eſt illa, quæ in Chriſto ſubſiſtit, & eſt vltimum complementum, & quæ veluti forma dignificat omnes operationes Chriſti Domini, quare licet ſuppleat vicem ſubſiſtentiæ creatæ, hoc eſt verum, quia præſtat totum id, quod præſtaret ſubſiſtentia creata, ſed perfectiori, & excellentiori modo in infinitum, cum ſit eadem indiuiſibilis perſona Verbi, & proinde dignitatem infinitam tribuit operibus.

12 Obijcies 3. Opera Chriſti Domini erant res finitæ; ergo non poterant habere infinitam rationem meriti: probatur conſequentia: quia ratio meriti eſt quid reale: ſed quidquid erat reale à Chriſto productum eſt quid finitum; ergo etiam meritum Chriſti debet eſſe finitum. Confirmatur; ſi opera Chriſti Domini haberent infinitam rationem realem meriti, infinitè etiam placerent Deo, ac proinde non minus, quam ſua ipſius eſſentia, quod eſt abſurdum.

Reſpondeo opera Chriſti Domini eſſe finita in ratione entis phyſici, non in ratione reali valoris, & dignitatis moralis, ſic enim ſunt infinita, quia proueniebant à perſona infinitè digna. Quare ad confirmationem ſequitur tantùm, quod placerent infinitè Deo; non verò, quod eodem modo placerent, ac eſſentia diuina ipſi placet: nam eſſentia diuina placet Deo infinitè ratione ſuæ phyſicæ bonitatis, & ratione ſui: at opera placent infinitè ratione perſonalitatis diuinæ terminantis naturam humanam, & proinde eiſdem operibus tribuentis dignitatem moralem infinitam.

13 Obijcies 4. Quando ad conſtitutionem alicuius plura requiruntur, vt illud fiat infinitum, non ſatis eſt vnum illorum

Digitized by Google

illorum infinitum ſit, ſed omnia alia infinita eſſe debent: ſed ad conſtitutionem meriti non tantùm requiritur dignitas perſonæ merentis, ſed etiam requiruntur cognitio, libertas, actus virtuoſus, & aliæ circumſtantię, & tamen præter dignitatem perſonæ nihil aliud infinitum eſt; ergo meritum Chriſti non fuit infinitum.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quæ vera eſt, ſi illud infinitum nõ ſit vltimum complementum, & vltima differentia transferens opus ad eſſe meritorium apud Deum: falſa ſi illud vltimum ſit, & complementum transferens opus ad eſse meritorium apud Deum: ad minorem igitur dico, enumerata omnia, & quę poſsunt enumerari, requiri non ad dandam infinitatem, ſed ad hoc vt talia opera ſint capacia huius infiniti valoris, qui à ſolo Verbo terminante datur, non ab aliis; quare negatur conſequentia. Etenim forma, quęcumque illa ſit, non poteſt præſtare ſuum effectum formalem, niſi adſit ſubiectum, in quo illum præſtet; at dato ſubiecto, ſi forma illud informat, & forma ſit infinita, infinitum præſtabit ſuum effectum formalem, ſic ſi daretur gratia infinita in homine, illum conſtitueret infinitè gratum Deo; ita in propoſito cognitio, actus virtuoſus, libertas, & aliæ circumſtantiæ operum Chriſti requiruntur tãquam ſubiectum capax recipiendi valorem, qui formaliter totus habetur à dignitate perſonæ Verbi infinita, vnde talia opera dicuntur Theandrica, ideſt Dei hominis.

14 Obiicies 5. In tantùm opera Chriſti Domini erant infiniti valoris per nos, in quantùm ſunt à perſona infinitæ dignitatis: ſed hæc perſona non poterat tribuere hanc infinitatem; ergo ſunt tantùm finiti valoris: probatur minor, ſi perſona poſſet tribuere hunc infinitum valorem, haberet influxum peculiarem in opera Chriſti: ſed perſona Verbi nullum peculiarem influxum poteſt habere in opera Chriſti Domini, cũ omnis influxus Dei ad extra indiuiſim conueniat toti Trinitati; ergo nec poteſt dare hunc infinitum valorem. Confirmatur: tantùm finito modo eſt perſonalitas diuina vnita humanitati; ergo tantùm poterit dare valorem finitum.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, concedo non influere phyſicè, influit tamen moraliter, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, & magis denominant ipſas actiones, quam obiecta; nam actio Angeli dicitur Angelica, hominis humana, & actiones Chriſti, qui eſt Deus, & homo, dicuntur actiones Theandricæ, hoc eſt Dei, & hominis. Ad confirmationem iam reſponſum fuit ſupra in reſponſione ad ſecundum: poteſt etiam dici ſecundùm noſtra principia de complexis, perſonalitatem diuinam eſſe tantùm finito modo vnitam, ſi conſideretur vnio inadæquatè ex parte humanitatis; non verò ſi conſideretur ex parte Verbi; tota enim perſona Verbi eſt vnita humanitati, & in Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

15 Obiicies 6. Chriſtus ſatisfecit æterno Patri vt homo: ſed ſatisfactio, quæ fit ab homine eſt finita; ergo ſatisfactio Chriſti finita erat: probatur maior: In tantùm ſatisfecit Patri in quantùm ei obedire poterat, pati, crucem ſubire, & mortem: ſed tantùm vt homo obedire, pati, & mortem crucis ſubire poterat; ergo tantùm vt homo ſatisfacere poterat æterno Patri.

Reſpondeo Chriſtum ſatisfeciſſe æterno Patri non vt purum hominem, neque vt purum Deum, ſed ſatisfeciſſe quatenus erat Deus, & homo: Quare debemus diſtinguere inter ſubſtantiam operationis, & valorem; etenim ſi conſideretur ſubſtãtia operatonis ſatisfecit, vt homo, ſi valor ſatisfecit vt Deus, ſi verò abſolutè conſiderentur omnia ad ſatisfactionem concurrentia, ſatisfecit vt Deus homo, vnde opera ipſius dicuntur Dei hominis.

Chriſtus ſatisfacit, vt Deus homo.

16 Obiicies 7. Si meritum Chriſti fuit infinitum, ſequeretur Chriſtum nõ magis meruiſſe per plures actus, quam per vnicum tantùm, nec magis meruiſſe per actum charitatis intenſiſſimum, quam per actus aliarum virtutum remiſſos: ſed hoc videtur abſurdum; ergo & vnde ſequitur: probatur minor; nam inde ſequeretur Chriſtum non magis nos redemiſſe per paſſionem ſuam, & mortem, quam per alios actus vitæ ſuę; hoc autem eſt contra ſcripturam tribuẽtem paſſioni redemptionem noſtram, vt patet ex Epiſt. ad Rom. ad Gal. & ad Hebræos. Sequela patet, quia vnum infinitum non eſt maius altero.

Reſpondeo veram eſſe ſequelam ſi merita Chriſti conſiderentur ſecundùm valorem, & dignitatem, quam habebant à perſona diuina, in quo ſenſu non plus meruit per vnicum actum, quam per plures: ſi autem opera conſiderentur ſecundùm entitatem phyſicam, & bonitatem illis intrinſecam, tunc opera erant inæqualia, & melior erat actus amoris, quam temperantiæ: ad probationem dico, quod licet tantus valor, & dignitas fuerit in vno actu Chriſti, quam in alio,

Actus Chriſti quomodo eſſent inæquales.

aut

aut in omnibus ſimul,vel è contra,quia habebant valorem infinitum : nihilominus,cum Chriſtus obtulerit omnia ſua opera, & noluerit per illa noſtram redemptionem perfici, donec morte ſua conſumarentur, & etiam,quia ex diuina ordinatione excipiebantur veluti in fieri in ordine ad perfectum, & conſumatū actum paſſionis; hinc eſt, quod redemptio noſtra tribuitur paſſioni, & ſic intelliguntur ſcripturæ; & cum potuerit per vnicum actum ſatisfacere, voluit tamen mortem ad exemplum, vt ait D. Anſelmus,ad oſtendendam grauitatem peccati, & ingentem charitatem ſuam.

17 Obijcies 8. Si meritum Chriſti fuit infinitum; ergo debebatur ei merces, & præmium infinitum; ergo neq; meritum Chriſti fuit infinitum, aut certè meritum, & præmium non correſpōderent,& plus potuiſſet mereri Chriſtus, quam Deus poſſet ei retribuere,quæ videntur abſurda.

Reſpondeo concedendo, quod ei poſſet deberi præmium infinitum; vnde meruit vnionem partialem partium ſuarum, quæ aggenerabantur,cum perſonalitate Verbi, & continuam vnionē ipſius humanitatis cum Verbo per totam æternitatem: potuit etiam mereri redemptionem infinitorum,ſi adeſſent. Quod verò de facto non meruerit dæmonum redemptionem, prouenit, quia ad hoc non obtulit ſua merita, ſed tantùm pro hominibus; at ſi voluiſſet offerre etiam pro dæmonibus, potuiſſet; erant enim infinitæ dignitatis.

18 Dices: ſi meritum Chriſti eſt infinitum, & habet condignitatem ad omnia præmia poſſibilia,ſequitur,quod, ſi dentur duæ humanitates vnitæ perſonis diuinis, & vna peteret in præmium ne altera exaudiretur, haberet condignitatem ne altera exaudiretur;ac proinde alia non eſſet exaudienda, & quamuis eſſet Verbo vnita, non haberet condignitatem ꝯd præmium, quod peteret.

Reſpondeo, dato, quod duæ humanitates eſſent vnitæ perſonis diuinis, etiam eſſent amicabiliter inter ſe in voluntate conformatæ, nec vna contenderet cum alia, & proinde tantùm id peterent, in quo inter ſe, & cum voluntate diuina conformes eſſent; Varij varia dicunt ad hoc argumentum; at ſi rectè conſideretur non eſt tanti faciendum, vt à pluribus fit, & allata ſolutio eſt ſuperabundans.

19 Ob.9.Si meritū Chriſti eſt ſimpliciter infinitū, ſequitur quod habeat,& nō habeat valorem æqualem omnibus meritis poſſibilibus; ſed hoc implicat;ergo & vnde ſequitur: ſequela antecedentis probatur quo ad primam partem: quod eſt ſimpliciter infinitum in ratione meriti non habet vnde limitetur;ergo nullum datur præmium poſſibile,quod ſub tali merito non cadat: quoad ſecundam partem, nempe, quod non habeat valorem pro omnibus poſſibilibus præmijs probatur: tum quia ſi Chriſto in præmium ſui actus charitatis verbi gratia daretur alius actus charitatis, ei daretur præmium infinitum, & æquale; tum quia, ſi meritis Chriſti daretur in præmium Incarnatio Spiritus Sancti, præmium eſſet æquale actui meritorio; ergo falſum eſt, quod omne præmium poſſibile cadat ſub merito vnius actus Chriſti Domini.

Reſpondeo concedendo, quod meritum Chriſti, vt potè infinitum, habeat valorem pro omnibus præmijs poſſibilibus propter rationem adductam: ad primam impugnationem dico, quod quamuis illi duo actus ſint æquales in valore, & qui meretur, & qui datur tamquam præmium, nihilominus hunc non eſſe proportionatum in ratione præmij: tum quia præmium non debet eſſe nouus labor merentis, ſicuti eſt talis actus; & ſicuti inter homines, ſi quis glorioſè ſe geſſit in bello, & ſanguinem proprium fudit, vt inimicos fugaret, & de eiſdem triumpharet, non eſſet proportionatum præmium illi dare,vt iterū cū labore cum inimicis decertaret, hoc enim eſſet nouum onus, non præmium; ita neque nouus actus Chriſti poteſt eſſe præmium proportionatum priorisactus: tum quia in actu ſecundo producto à Chriſto, & eſt entitas actus, & eſt valor, & dignitas infinita, quæ prouenit à perſona dignificante, & datur tantùm entitas actus, quæ finita eſt, non perſona à qua eſt dignitas, & valor; & ideo nullo modo eſt præmium proportionatū. Ad aliam impugnationem dico, quod neque incarnatio Spiritus Sancti eſſet præmium adæquatum & ratio eſt, quia præmium debet cadere in vtilitatem recipientis præmium, & non illi præiudicare: ſi autem daretur vnio Spiritus Sancti nullam vtilitatem afferret Chriſto, imo illi præiudicaret in ſupremo dominio, nam nunc omnes creaturæ ſunt ſub dominio Chriſti Domini. tunc autem eſſent etiam ſub dominio illius alterius Chriſti, vnde altera vnio hypoſtatica potius præiudicaret Chriſto, quā afferret illi vtilitatem, alias afferunt Doctores reſpōſiones, quæ varias patiuntur difficultates, & allata meo iudicio eſt clarior.

Nouus actus non poteſt eſſe præmium alterius.

20 Obijcies 10. Si meritum creſcit

Digitized by Google

ex dignitate perſonæ, ſequitur, quod qui habet maiorem gratiam plus mereatur, quam qui minorem, licèt efficiant idem opus cum eadem intenſione; imo quod aliquis ſanctiſſimus magis mereatur per opus minimum, quam alius minus ſanctus per ſuſceptionem etiam martyrij: quod videtur abſurdum; ergo

Reſpondeo meritum creſcere ex dignitate perſonæ, quia moraliter perſona influit, & dignificat opus: at gratia, licèt requiratur vt homo conſtituatur in ordine ſupernaturali, & proportionato, vt poſſit mereri, non tamen influit, nec eſt perſona; hinc eſt, quod à perſona digniori creſcit meritum, non ex maiori gratia habituali. Vide quæ de hoc argumento dicta ſunt in tractatu de gratia quæſt.9.ar.11.

12 Obiicies 11. Perſona vilis non vilificat operationem ſuam; ergo neque digna dignificat.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia vilitas perſonæ non eſt quid poſitiuum, ſed tantùm negatiuum, & reſpectiuum in ordine ad perſonam diuinam, quæ eſt infinitæ dignitatis; ideo nil mirum, ſi quid negatiuum non poteſt influere vilitatem: at dignitas eſt quid poſitiuum, & ideo influit valorē, & ſi eſt dignitas infinita infinitū valorem: ceterum quæcumque perſona, quamuis viliſſima, eſt quid poſitiuum, & quod habet in ſe, etiam communicat operationi, & quod dicatur vilis, vel viliſſima eſt tantùm comparatiuè relata ad perſonam diuinam; negatio autem non poteſt aliquid influere, vt de ſe patet.

ARTICVLVS VIII.

An Chriſti Domini ſatisfactio fuiſſet ſufficiens, ſi eius opera non fuiſſent infiniti valoris.

1 OMnes, qui ſuſtinent peccatū in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum, conſequenter etiam debent fateri Chriſti Domini ſatisfactionē non eſſe futuram ſufficientem, ſi eius opera fuiſſent tantùm finiti valoris.

E contra verò, qui admittunt peccatum ſiue in ratione offenſæ, ſiue iniuriæ eſſe finitum, tenentur dicere ſatisfactionem finitam eſſe ſufficientem, cum finitum à finito adæquari poſſit; ſed necdum poſtea conſtat in particulari, an ſi Chriſti ſatisfactio eſſet finita, ſit ſufficiens.

4 Conclusio. *Si Chriſti Domini ſatisfactio fuiſſet finita, adhuc fuiſſet ſufficiens ad ſatisfaciendum pro peccatis totius generis humani.* Probatur; quia ratio cur noſtra ſatisfactio, vel quæcunque alia puræ creaturæ non ſit ſufficiens ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis humanæ naturæ, eſt ratione inæqualitatis perſonarum inter perſonam offenſam, & ſatisfacientem: ſed etiamſi non fuiſſent opera Chriſti Domini infinita, nihilominus adhuc ſeruaretur æqualitas perſonarum; ergo adhuc Chriſtus poſſet ſufficienter ſatisfacere: maior patet; probatur minor; nam adhuc Chriſtus ſatiſfaciens eſſet perſona infinitæ dignitatis, & Deus.

3 Obiicies 3. Plura eſſent numero peccata, quam actus virtuoſi Chriſti Domini; ergo ſi iſti actus non eſſent infiniti valoris nullo modo poſſunt æquari cum tanta multitudine peccatorum.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio eſt, quia licèt peccata non poſſint æquari in numero; poſſunt tamen æquari in æſtimatione, quia plus placuiſſent opera Chriſti Domini ratione perſonæ ſatisfacientis, etiamſi eſſent finita, quam omnia peccata totius mundi.

4 Obiicies 2. Peccata poſſent multiplicari in infinitum; ergo magis diſpliciuiſſent peccata, quam opera Chriſti Domini, quæ, ſi fuiſſent finiti valoris, modo finito placuiſſent Deo.

Reſpondeo primò, quod quæſtio eſt, quid factum fuiſſet de facto, de facto verò peccata non ſunt multiplicanda in infinitum; neque Chriſtus obtulit ſuam paſſionem pro infinitis hominibus, ſed pro finitis tantùm; & dico, quod pro ipſis ſatisfeciſſet, etiamſi eius opera fuiſſent tantùm finiti valoris.

5 Reſpondeo ſecundò, quod etiāſi fuiſſent finiti valoris erant tamen ordinis ſuperioris, quam eſſent peccata, quem ordinem accepiſſent à perſona operante, quæ magis intrinſeca eſt operationi, quam ſit obiectum, quod extrinſecè tantùm terminat actum, & ſic peccata fuiſſent contra Deum tamquā obiectum, actus autem meritorij eſſent à perſona infinitæ dignitatis intrinſecè dignificante, quare magis placuiſſent Deo opera Chriſti, quam peccata diſplicerent, etiamſi in infinitum fuiſſent multiplicata, & hoc ratione ordinis ſuperioris; ſicuti enim licèt multiplicentur formicæ in infinitum, numquam tamen poſſunt adæquare perfectionem hominis, aut Angeli, quia hi ſunt in ordine ſuperiori, & magis eſſet eligibilis vnus homo, vel Angelus, quam infinitæ formicæ; ita magis placuiſſent opera Chriſti Domini, licet finita, quam diſ-

plicuiſsent peccata, quamuis in infinitũ eſsent multiplicata.

6 Quæres quomodo intelligatur illud, quod hucuſque diximus, quod Chriſtus redemerit nos à poteſtate diaboli. Hoc quæſitum mouet D. Gregorius Nazianzenus oratione 92. poſt medium, vbi habet. *Enim verò alienum non fuerit rem, ac doctrinam inquirere à multis quidem neglectam, meo autem iudicio ſtudioſè perquirendam: cui enim ille pro nobis ſanguis, & quam ob cauſam effuſus eſt; ille inquam magnus, & nobilis Chriſti tum Pontificis, tum ſacrificij ſanguis? Nos enim à diabolo detinebamur, vt potè, qui venundati eſſemus ſub peccato, ac vitium cum voluptate commutaſſemus. Quod ſi redemptionis pretium non vlli alij, quam ei, qui captiuos tenet perſoluitur. Quæro cui tandem oblatum eſt, & quam ob cauſam? ſi prauo illi, ò grauem contumeliam, ſi non à Deo ſolùm, ſed Deum quoque ipſum pro redemptionis pretio latro accepit: adeoque inſignè, & excellens tyrannidis ſuæ præmium: ſi autem Patri primum, quomodo id factum eſt? neque enim ab ipſo tenebamur &c.*

Quo ſenſu homo erat ſub poteſtate diaboli.

Reſpondeo Chriſtum ſatisfeciſse, & nos redemiſse offerendo pretium ſui ſanguinis æterno Patri, qui offenſus fuerat per peccatum, & ſic nos redemit à poteſtate diaboli; & in hoc loqui debemus ſicuti in humanis: ſi aliquis grauiter offenderet Regem, pro quo Rex offenſus traderet illum tortori, vel carnifici, vt eum pro libito ſuo torqueat; ideoque dicatur ſub poteſtate carnificis, & illius ſeruus; nihilominus, vt talis liberetur à poteſtate carnificis, non deberet liberator ſatisfactionem offerre carnifici, ſed Regi, vt iſte placatus mandet poſtea carnifici, ne ipsũ amplius torqueat: Sic in propoſito per peccatum traditi eramus omnes ſub poteſtate diaboli, Chriſtus Dominus ſatisfecit æterno Patri, & redemit nos à poteſtate dæmonis; redemit inquam nos ſibi, vt Deo, cuius prius eramus, & emit nos ſibi, vt homini, ſub quo tamquam ſub Principe noſtro, & capite per ſanguinem ſuum ſumus.

ARTICVLVS IX.

An Chriſti ſatisfactio fuerit ex iuſtitia.

1 QVia poteſt dari ſatisfactio ſufficiens ſuperabundans, & infinita, quæ tamen non ſit ex iuſtitia, nam vt ſit ex iuſtitia, debet habere omnes conditiones verè, & perfectæ iuſtitię; hinc eſt, quod non ſufficit nos probaſse ſatisfactionem Chriſti Domini fuiſse ſufficientem, ſuperabundantem, & infinitam, ſed inſuper hic debemus inquirere, an Chriſti ſatisfactio ſit ex iuſtitia, & quali, an commutatiua, vel diſtributiua; in ſequentibus verò examinabimus, an habuerit omnes conditiones perfectæ, & rigoroſæ iuſtitiæ.

Iuſtitia alia ſubiectiua alia poteſtatiua.

2 Suppono primò ad euidentiam duplicem diſtingui à Theologis iuſtitiã; nam alia eſt ſubiectiua, alia poteſtatiua: prima eſt, quæ verè eſt iuſtitia & habet omnes proprietatis iuſtitiæ; poteſtatiua verò eſt illa, quæ aliquo modo habet aliquas conditiones iuſtitiæ, ſed nõ omnes: etenim cum iuſtitia ſit ad alterum, ſequitur, quod omnes virtutes, quæ ſunt ad alterum vt miſericordia, religio, obedientia &c. aliquo modo participent rationem iuſtitiæ; quia verò ad rationem iuſtitiæ ſpectat ratio debiti, & quod ipſa ponat æqualitatem; ideo reliquæ virtutes, quæ aliquo modo in aliquo horum deficiunt, non dicuntur iuſtitia propriè, ſed tantùm merentur nomen iuſtitiæ poteſtatiuæ.

3 Suppono 2. ex D. Thom. 2. 2. q. 61. ar. 1. veram iuſtitiam, quam dicimus ſubiectiuam diuidi tamquam in duas ſpecies in commutatiuam, & diſtributiuam, hæc verſatur inter totum, & partes, vt inter ciuitatem, & ciues diſtribuendo eis bona communitatis ſecundùm dignitatem cuiuſque perſonæ, vnde in hac non attenditur ęqualitas arithmetica, ſed geometrica; ſic licèt in bello æquales labores tulerit miles, ac Dux generalis exercitus, non per hoc tãtum præmium debet dari militi priuato, ac Duci, ſed iuſtitia diſtributiua exigit, vt attendatur dignitas perſonæ, & maius præmium detur Duci, quam militi priuato; ſic enim erit proportionatũ iuſtitię diſtributiuæ præmium, & contra iuſtitiã diſtributiuam eſset, ſi tantùm præmium daretur militi priuato, ac datur Duci: Iuſtitia verò commutatiua verſatur inter duas perſonas ſecundùm proportionem arithmeticam, ita vt aliquis tantum det alteri de ſuo, quantum ab alio recipit.

Obiectum iuſtitiæ in quo conſiſtat.

4 Suppono 3. ex Ariſt. 5. Ethicorum cap. 5. æqualitatem tum geometricam, tum arithmeticam, in qua conſtituenda verſatur iuſtitia commutatiua, & diſtributiua propriè nõ eſse attendendam ex naturis, vel accidentibus naturalibus rerum, puta ex qualitatibus, magnitudine, numero, & huiuſmodi, ſed ex hominum æſtimatione; ſi enim apud homines prudentes non tanti æſtimentur res aliquæ inter ſe contradiſtinctæ, neq; dicentur æquales; & ideo colligit Ariſt. ibidem, & D. Tho. loco citato art. 4. ius, ſeu iuſtum, ſeu æquale, quod eſt obiectũ iuſtitiæ, non eſse vniuerſaliter idem, quod repaſſio, ſeu retaliatio, ſeu contra

tra

Digitized by Google

tra paſſum, ideſt æqualitatem obiecti iuſtitiæ non eſſe in eo poſitam, vt qui aliquid agit erga alterum, aut aliquid dat alteri, repatiatur idem ſeu recipiat tantumdem ſecundùm aliquam identitatem naturalem rei, ſed in eo talis æqualitas eſt collocanda, vt qui aliquid dat alteri, recipiat aliud, quod tanti æſtimetur, quantum exigit ius, quod ipſe habet: patet hoc in vtraque iuſtitia tum diſtributiua, tum commutatiua, & quidem in diſtributiua clarum eſt; nam in hac non attenditur quid aliquis egerit in Rempublicam, vt illud idem recipiat, ſed attenditur dignitas perſonæ, vt ei detur tantùm, quantùm eius dignitas poſtulat: patet hoc etiam in commutatiua; nam ſi quis vilis percuſſerit Principem, non conſtituitur æqualitas, ſi repercutiatur, ſed inſuper eſt ſupplicio afficiendus, vt dixit Ariſtoteles lib. 5. Ethicorum; & ſi quis furatus eſt aliquid ab aliquo, non ſatis eſt, ſi reſtituat idē, ſed debet etiam compenſari iniuria; Vnde Exodi 22. iubebatur, quod ſi quis furatus fuerit bouem, quinque boues reſtituet, & ſi ouem, quatuor pro vna oue: per hoc tamen non ſtat, quod aliquando hoc pacto non fiat æqualitas iuxta illud Exodi 21. *Reddit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente*; imo in contractibus humanis ſæpè fit æqualitas dando rem ſimilem, vel in ſpecie, vel in aliquo accidente; Verùm hoc non contingit, quia ius, ſeu æquale conſtituatur per repaſſionem, ſed quia in tali caſu res tanti æſtimatur, ac æſtimetur alia: Quare concludendum eſt, æquale non eſſe abſolutè idem, quod contrapaſſum, ſed eſſe tantùm idem ſecundùm prudentum hominum exiſtimationem. Quia verò difficilè erat res diuerſas per ſe ipſas æſtimare ad æqualem permutationem, ideo inuenti ſunt nummi, qui habent determinatum valorem publica auctoritate conſtitutum ad æqualē compenſationem in permutationibus conſtituendam. His poſitis.

5 Prima ſententia eſt Scoti in 3. diſt. 19. quæſt. vnic. Herincx hìc diſput. 2. qu. 4. §. 5. Scotiſtarū communiter, Gabrielis in 3. diſtinc. 19. quæſt. 4. Durandi diſt. 20. quæſt. 2. Vaſquez 1. par. diſp. 85. & 86. & hic diſp. 7. Lorcæ 1. 2. diſp. 43. de gratia memb. 2. & diſp. 44. Cardinalis de Lugo hìc diſp. 3. ſect. 1. Amici diſp. 6. ſect. 7. & plurium aliorum apud ipſum, hæc docet Chriſti ſatisfactionem dici de iuſtitia duplici titulo, primò quia exacta fuit abſque vlla debiti remiſſione, ſecundò, quia condigna, & perfecta fuit, & ad æqualitatem, & ideo dici de iuſtitia, non tamen habuiſſe omnes conditiones iuſtitię, nec ſatisfeciſſe ex iuſtitia ſubiectiua, ſed poteſtatiua, ſic ſuſtinent hanc ſententiam Vaſquez, Amicus, & alij.

Secunda ſententia docet Chriſtum ſatisfeciſſe ex iuſtitia commutatiua; & ſicut iuſtitia Chriſti ad Deum fuit commutatiua, ita vult iuſtitiam Dei ad Chriſtum fuiſſe commutatiuam. Sic communiter Thomiſtæ, Cabrera hic diſput. 9. Nazarius controu. 2. p. 4. Aluarez diſput. 4. ſect. 5. & 6. Ioan. à S. Th. hìc diſp. 2. art. 2. Gabriel à S. Vincentio diſp. 1. dub. 17. qui citat Corneum, Cipullum, & alios Suarez diſp. 4. ſect. 5. Hurtadus de Mendoza 3. par. diſput. 12. Valentia 1. par. quæſt. 21. punct. 2. Granad ibidem tract. 7. diſput. 4. Tannerus diſp. 1. de Incarnat. quæſt. 2. dub. 6. Arriaga 1. par. diſp. 31. ſect. 2. & 3. & hìc diſp. 11. Gonet hic diſp. 4. ar. 5. & Eſparza hìc lib. 9. quæſt. 12. cum alijs pluribus. Vnum noto, quod licèt Suarez videatur diſſentire quo ad vnam partē; ſcilicet Chriſti ad Deum, quia vult non eſſe eiuſdem rationis cum iuſtitia commutatiua, quæ intercedit inter homines in contractibus, ſed altioris ordinis, & potius ſpectare ad religionem, re tamen vera conſentit, & ſolùm videtur diſſenſio de nomine, cum admittat habere omnes conditiones veræ iuſtitiæ.

6 Concluſio ſatisfactio Chriſti ad Deum fuit ex iuſtitia commutatiua. Probatur primò ex illis locis ſcripturæ, & Patrum in quibus dicitur Chriſtum ſatisfeciſſe ex iuſtitia 1. ad Cor. 1. *Factus eſt nobis iuſtitia sāctificatio, & redemptio.* Ad Rom. 3. *Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ.* & cap. 5. *Sicuti per vnius delictum ita & per vnius iuſtitiam*: ſed per peccatum Adæ eius poſteri ex iuſtitia damnantur; ergo multò magis per ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia redimuntur; cum ibidem ſubdatur. *Non ſicut delictum, i a & donum.* Ad Col. 2. *Delens, quod aduerſus nos erat chirographum*: ſed in humanis quādo ſcinditur chirographum ſignum eſt, quod pars ex iuſtitia ſit ſatisfacta: ergo etiam cum Chriſtus deleuerit, quod aduerſus nos erat chirographum, ſignum euidens eſt Deo per paſſionem eius fuiſſe ex iuſtitia ſatisfactum. Accedit Concilium Epheſ. cap. 7. tom. 6. quod habet *Neceſſarium erat, vt eiuſmodi pretium pēderetur, quod exactum debitum adamuſſim iuſtitiæ exequaret.* D. Auguſtinus in Enchir. cap. 49. *Vt Diabolus veritate iuſtitiæ, non violentia poteſtatis oppreſſus, & victus, quoniam ipſum ſine vllo peccati merito occiderat iniquiſſimè, per ipſum iuſtiſſimè amitteret, quos peccati merito detinebat* & 13. de Trinit. cap. 13. *Non autem Diabolus potentia Dei, ſed iuſtitia ſuperandus fuit,* & cap.

Digitized by Google

14. *Quæ igitur iuſtitia, qua victus eſt Diabolus? quæ, niſi iuſtitia Ieſu Chriſti*. Et D. Greg. 17. mor. cap. 15. *Exhibuit peccatoribus victimam ſine peccato, quæ humanitate mori, & iuſtitia mundare potuiſſet*. Cum igitur clariſſima ſcripturæ, Concilij, & Patrum teſtimonia dicant Chriſtum ex iuſtitia ſatisfaciſſe, dicendum eſt Chriſtum verè ex iuſtitia propria ſatisfaciſſe.

7 Dices 1. ex Vaſquez. Hæc loca exponi de ſatisfactione Chriſti rigidè exacta, non verò oſtendere fuiſſe de iuſtitia propriè ſubiectiua, ſed tantùm generali, quæ dicit æqualitatē rei ad rem. Sed contra, quia eſt regula generalis Auguſtini 3. de doctrina chriſtiana, quod quando ſcriptura poteſt intelligi in ſenſu proprio, non debemus recurrere ad metaphoram; ſed loca ſcripturæ clarè loquuntur de iuſtitia propria: emptio enim redemptio, & exequatio debiti ſpectant ad iuſtitiam propriè; ergo non debent exponi de iuſtitia generali, & poteſtatiua; hæc enim non eſt propriè iuſtitia.

8 Dices 2. cum Amico, Chriſtum ſatisfeciſse ex aliqua vera iuſtitia poteſtatiua, nempe ex obedientia, & religione: iuſtitiam autem poteſtatiuam eſſe veram, & propriam iuſtitiam non metaphoricam, & ſic intelligenda eſſe loca adducta. Sed contra iuſtitia poteſtatiua, vt ſunt obedientia, & religio non poſſunt dici emptio, redemptio, & exequatio debiti per pretium oblatum: ſed verè loca adducta dicunt nos emptos fuiſſe & redemptos à Chriſto, & ſolutum pretium, quod exactum adamuſſim debitum iuſtitiæ exequaret; ergo ſi hæc loca ſūt propriè intelligenda, non poſſunt exponi de iuſtitia poteſtatiua, ſed de ſubiectiua, & commutatiua.

9 Probatur 2. ratione. Ita ſe habuit Chriſtus in ſatisfactione erga Deum ſicuti fidei iuſſor, qui promiſſit ſoluere debitum pro alio, dum illud ſoluit: ſed fidei iuſſor, dum ſoluit debitum, verè ex iuſtitia propria ſoluit; ergo & idem de Chriſto Domino dicendum eſt: maior probatur; nam Chriſtus Dominus amore hominum ſuccēſſus, ſtatim ac ex Virgine fuit conceptus, Deo ſe obtulit ad quamcumque humiliationem, & ipſam crucis mortem pro humano genere ſuſtinendam, vt diuinæ offenſæ ſatisfaceret, vt colligitur ex Pſ. 39. *Sacrificium, & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam Deus*. & Apoſt. ad Hebr. 10. *Ideo ingrediens mundum dicit Hoſtiam, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi; Ecce venio: in capite &c.* & Eccleſiaſt. 39. *Gratiam fidei iuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam*; ex quibus locis manifeſtè cognoſcitur Chriſtum, vt fideiuſſorem ſe Patri pro humano genere obtuliſſe, Pater autem hanc filij ſui inflammatam voluntatem acceptauit, pactumque inijt, ſe propter tales filij ſui humiliationes, & mortem genus humanum in gratiam recepturum, daturumque omnia auxilia, quibus homines gloriam conſequi poſſent; & hoc pactum colligitur ex illo Iſaiæ 59. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen lōgenum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*, & infra. *Iniquitates eorum ipſe portabit; ideo diſpertiam ei plurimos*; ergo verè Chriſtus fuit vt fideiiuſſor noſter apud Patrem: Pater autem hanc filij ſui inflammatam voluntatem, & Chriſtum ipſum, vt fideiiuſſorem noſtrum acceptauit, vt conſtat ex loco mox adducto Iſaiæ: minor autem principalis argumenti patet; nam ſi quis ſit fideiuſſor pro alio, & hìc non ſoluat debitum, dum fideiiuſſor ſoluit, verè ex iuſtitia propria ſoluit; igitur, ſi Chriſtus Dominus fuit fideiiuſſor noſter, dum exoluit debitum noſtrum, & Patri æterno ſatisfecit, verè ex iuſtitia propria ſatisfecit.

10 Probatur 3. Chriſtus Dominus ſatisfecit Deo pro iniuria, & offenſa ad æqualitatem, & ſuperabundanter, vt concedunt etiam aduerſarij: ſed non potuit hæc ſatisfactio procedere ab alia virtute, quam à iuſtitia propria; ergo verè ſatisfecit ex iuſtitia: probatur minor; quia ſi non eſſet à iuſtitia propria vel quia eſſet per modum meriti, & omnium virtutum opus, ſeu ex iuſtitia generali, vt vult Vaſquez, vel quia eſset actus religionis, vt volūt Lorca, & alij; ſed nihil horum eſse potuit; ergo fuit ex vera iuſtitia: probatur minor; non potuit eſse per modum meriti; nam meritum eſt obſequium factum Deo in Dei honorem, & reuerentiam; ſatisfactio tendit ad reſarciendam iniuriam, & offenſam: iuſtitia generalis non tendit in motiuum particulare, ſatisfactio Chriſti habuit motiuum particulare reſarciendi offenſam; neque poteſt eſſe actus religionis; nam religio per ſe primo intendit cultum, & honorem Dei, vnde fuiſſet etiam in ſtatu Innocentiæ; ſatisfactio per ſe primo intendit reſarcire iniuriam, & offenſam; ergo ſatisfactio Chriſti verè fuit ex iuſtitia.

11 Quod verò talis iuſtitia fuerit commutatiua probatur, quia hæc eſt inter duo; diſtributiua verò eſt inter totum,

Digitized by Google

tum, & partes; ſed ſatisfactio Chriſti fuit inter Chriſtum, & Deum; ergo fuit ex vera iuſtitia commutatiua, non diſtributiua: hæc concluſio magis patebit ex infra dicendis, dum probabitur in ſatisfactione Chriſti Domini fuiſſe omnes conditiones, quæ ad perfectam iuſtitiam requiruntur.

12 Obijcies 1. Chriſtus ſuſcepit illud onus, quod homines habebant: ſed homines non tenebantur ex iuſtitia ſatisfacere Deo; ergo nec Chriſtus: probatur minor; nam tunc oritur obligatio ex iuſtitia, quando illa violata fuit: ſed dum homines blaſphemant Deum v.g. non peccant contra iuſtitiam, ſecus in quolibet peccato eſset duplex malitia, vna contra iuſtitiam, alia contra peculiarem virtutem, contra quam peccatur, vt in propoſito in peccato blaſphemiæ eſset contra religionem.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem: nego minorem: nam ſicuti in humanis, qui aliquem dehonorat, tenetur ei ex iuſtitia ſatisfacere, ita cum per peccatum dehonoretur Deus, vtique homines debent illi ex iuſtitia ſatisfacere. Quare fateor in quolibet peccato includi ſemper malitiam contra iuſtitiam, vt dictum fuit in tom. 2. tractatu de vitijs, & peccatis quæſt. 2. art. 7. & inſuper includi malitiam contra aliam peculiarem virtutem, vt in peccato blaſphemiæ eſt malitia contra religionem, & malitia contra iuſtitiam, quatenus violatur ius diuinum: non ſunt tamen neceſsariò confitendæ tamquam duæ malitiæ, niſi quis in intentione velit iuſtitiam violare, nam ſine hac intentione, malitia iniuſtitiæ, quam nos ponimus includitur in omnibus peccatis, & ſufficienter intelligitur, ſi quis confiteatur malitiam, quam contraxit contra peculiarem virtutem.

In quolibet peccato eſt malitia cõtra iuſtitiam.

13 Obijcies 2. Eo modo ſatisfecit Deus, quo erat obligatus ſatisfacere; ſed non tenebatur ex iuſtitia ſatisfacere; ergo nec ſatisfecit ex iuſtitia: maior patet: probatur minor; quia non alia ratione tenebatur ſatisfacere, & mori, niſi quia accepit à Patre mandatum iuxta illud Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio*: ſed tale mandatum non obligat ipſum ex iuſtitia, ſed ſolùm ex obedientia, & charitate; ergo tantùm ex obedientia, & charitate ſatisfecit.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, dico Chriſtum non tantùm fuiſse obligatum propter mandatū Patris, ſed etiam, quia tamquam fideiuſſor promiſerat ſatisfacere, qua promiſſione poſita, tenebatur ex iuſtitia; ſicuti enim, ſi Petrus daret centum Antonio ex liberalitate, non ſatisfaceret illi ex iuſtitia, at ſi ſit fideiuſſor pro aliquo, illa dando, ſatisfacit ex iuſtitia; ita Chriſtus, ſi non promiſiſſet, non ſatisfeciſſet ex iuſtitia, at quia factus eſt fideiuſſor humani generis, & Deus illum acceptauit, dum ſatisfecit ex iuſtitia ſatisfecit.

14 Dices: vt fideiuſsor ſuſcepit Chriſtus illam obligationem, quam homines Deo habebant: ſed homines non tenebantur ex iuſtitia ſatisfaere Deo; nam ad impoſſibile nemo tenetur; erat autem impoſſibilie, quod homines poſſent Deo ſatisfacere, vt ſupra vidimus; ergo nullo modo neq; vt fideiuſsor ex iuſtitia tenebatur ſatisfacere. Confirmatur, quia liberè ſatisfecit, vt dicitur Iſaiæ 63. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*; ergo ſolùm ex miſericordia, & charitate ſatisfecit non ex iuſtitia.

Reſpondeo Chriſtum Dominum ſuſcepiſſe illam obligationem, ad quam homines tenebantur ex natura rei, vel ſatisfaciendo, vel ſatiſpatiendo, etenim etiam in humanis adeſt illud commune dictum, quod, *Qui non habet in ære luat in corpore*; hinc eſt, quod Chriſtus ſuſcepit illam obligationem ſatisfaciendi, ad quam homines tenebantur, homines verò tenebantur ſatisfacere, vel per ſe ipſos, vel per alium, aut ſatiſpati pœnas à Deo iuſtiſſimo iudicè taxatas; ſicuti autem in humanis, ſi quis non poſſit ſoluere, quod debet, vel debet pati pœnas taxatas à lege, vel debet fideiuſſor pro ipſo ſo'uere; ita cum genus humanum eſset impotens ad ſatisfaciendum Deo ex iuſtitia; ideo erat deſtinatus ad pœnas æternas, niſi veniſset Chriſtus, qui onus ſatisfaciendi ſuſcepit, & Deo, vt fideiuſsor humani generis copioſiſſimè ſatisfecit. Ad confirmationem dico, quod Propheta dixit. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, quia ex infinita ſua miſericordia, & charitate ſuſcepit onus ſatiſſatisfaciendi; cum quo tamen ſtat, quod poſito, quod ſe obligauerit ſatisfacere, ex iuſtitia ſatisfecerit.

15 Obiicies 3. Inter Patrem, & Filium, ſeruū, & Dominum non poteſt eſſe vera iuſtitia ex Ariſt. 5. Ethicorum cap. 6. ſed Chriſtus, vt perſona erat filius Dei, ſecundùm humanitatem erat ſeruus; ergo nullo modo poterat ſatiſfacere ex iuſtitia.

Reſpondeo falſam eſse maiorem, quando filius eſt emancipatus, vel habet peculium proprium Caſtrenſe, vel quaſi Caſtrenſe: Verbum autem, vt ſubſiſtebat in humanitate, habebat aliquod peculiare dominium ſuper opera humanitatis, quod non competit alijs per-

Inter filiū. & Patrem aliquando poteſt eſſe iuſtitia.

Digitized by Google

perſonis: habebat enim dominium perſonale, cum actiones ſint ſuppoſitorum, & per tales actiones poterat Deo ſatisfacere; neq; vt perſona erat ſeruus, ſed habebat eſſe diuinum, & æquale Patri; ideò potuit ſatisfacere.

ARTICVLVS X.

An iuſtitia Dei ad homines, & Chriſtum fuerit commutatiua, & quomodo.

1 VIdimus ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ex iuſtitia, nunc videndum eſt, an dona gratiæ, & gloriæ, quæ Deus dedit, & remiſſio peccatorum ſint ex iuſtitia ex parte Dei data, vel tantùm ex fidelitate.

2 Durandus in 1. diſt. 17. q. 2. nu. 15. & in 2. diſt. 27. q. 2. Vaſqu. 1. par. diſp. 85. & 86. & hic diſput. 7. Nauarettus 1. par. tom. 2. controu. 28. Leſſius de perfectionibus diuinis, lib. 10. cap. 6. Lugus hic diſp. 3. ſect. 1. qui plures alios citat, & Eſparza lib. 8. q. 19. & hic lib. 9. q. 12. negant Deum poſſe obligari ex iuſtitia propriè ſumpta ſiue diſtributiua, ſiue commutatiua, hanc docet etiam noſter Cacheranus de Deo vno lib. 1. c. 10.

D. Th. 1. par. q. 21. ar. 1. Capreolus in 1. d. 45 q 1 ar. 1. Caietanus, Bannes, Zumel, quos citat, & ſequitur Io. à S. Tho. to. 2. in 1. par. diſp. 6. ar. 3. Gonzalez diſp. 63. & plures alij Thomiſtę negant in Deo eſſe propriè iuſtitiam commutatiuam reſpectu noſtri, & volunt adeſſe diſtributiuã, licet poſtea hi DD. non eodem modo loquãtur de Deo reſpectu Chriſti Domini.

Suarez diſp. 4. ſect. 5. Valentia 1. par. quęſt. 21. par. 2. Granadus ibidem tract. 7. diſp. 4. ſec. 2. citans Medinam, & Aluarez, Hurtadus de Mendoza hic diſp. 12. Tannerus diſp. 1. de Incarnatione q. 2. dub. 2. Arriaga to. 1. diſp. 31. ſec. 2. & hic diſp. 11. Gabriel à S. Vincent. hic diſp. 1. dub. 17. §. 1. docent in Deo eſſe propriè iuſtitiam commutatiuam tàm reſpectu noſtri, quàm Chriſti Domini, Suarez tamen licet admittat in Deo iuſtitiam commutatiuam, vult tamen deficere à modo, quo in nobis eſt.

3 Concluſio prima. Deus poteſt verè & propriè nobis fieri debitor gloriæ promiſſæ, vt ſi eam non daret nobis, eſſet infidelis, & iniuſtus. Probatur primò ex Apoſtolo ad Hebræos 6. vbi dicit. *Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis.* 2. ad Timoth. 4. *Supereſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus index.* ad Ro. 2. *Reddet vnicuique ſecundum opera ſua*, & 1. ad Cor. 3. *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*, & infra. *Nonne ex denario conueniſti mecum tolle, quod tuum eſt, & vade.* Atqui merces, quæ debetur operarijs, debetur illis ex iuſtilia commutatiua; ergo ſi Deus eſt debitor gloriæ iuſtis tamquam mercedis, eſt debitor ex iuſtitia commutatiua. Accedit Auguſtinus, qui lib. 2. contra Iulianum cap. 3. dicit. *Deus ipſe, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad eius regnum verus non admittitur iuſtus*, & lib. de natura, & gratia: *Non eſt iniuſtus Deus, vt iuſtos fraudet mercede iuſtitiæ.* Sed ſi teneretur Deus dare gloriam iuſtis tantùm ex fidelitate non poſſet dici iniuſtus, ſi gloriam iuſtis negaret, ſed ſolùm infidelis; ergo ſi per Auguſtinũ, & ex locis ſcripturæ adductis Deus diceretur iniuſtus, ſi non redderet iuſtis coronam gloriæ, fatendum eſt Deum ex iuſtitia talem gloriam iuſtis debere.

4 Probatur ſecundò principaliter ex Trid quod ſeſs. 6. cap. 16. ſic habet. *Atque ideo bene operantibus, & in Deo ſperantibus preponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa*, ecce vnus titulus fidelitatis, *& tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi aiebat Apoſtolus à iuſto iudice ſibi reddendam; non ſolum autem ſibi, ſed, & omnibus, qui diligunt aduentum eius*; ecce titulus iuſtitiæ; etenim, quod tamquam merces à iuſto iudice debetur, ex iuſtitia debetur.

5 Dices 1. Ex Vaſq. propoſito pacto Dei adeſſe quidem debitum, ſed hoc eſſe tantùm debitum fidelitatis. Sed contra, quia etiam infantibus eo ipſo, quod ſunt baptizati, debetur gloria ex fidelitate, & tamen in omnium ſententia ibi non eſt debitum illud mercedis, retributionis, coronæ, denarij &c. de quo ſcripturæ Patres, & Concilium loquuntur; ergo debitum illud eſt maius, quam fidelitatis; non poteſt autem eſſe maius, niſi ſit iuſtitiæ.

6 Dices 2. ex eodem: in ratione debiti nihil aliud eſſe, quam fidelitatis: ſed quia in infantibus nõ ſupponuntur merita, in bene operantibus ſupponuntur ex parte hominis opera condigna, & meritoria illius gloriæ: ideo in iſtis dici mercedem, coronam, denarium, & retributionem; non in illis. Sed cõtra, quia vel illa condignitas operum infert in Deo aliquam maiorem obligationem, quam fidelitatis, vel non: Si maiorem; ergo hæc erit ex iuſtitia; Si non infert maiorem; ergo non obſtante ea condignitate non magis Deus debet augmẽtum gratiæ bene operanti in gratia, quã

debeat

Digitized by Google

debeat infanti primum gratiam, & eodem modo Deus deberet dare gloriam bene operanti, quam infanti: hoc autem eſt manifeſtè contra intentum Concilij: vt de ſe patet.

7 Dices 3. ex Ioanne à S. Tho. 1. p. quæſt. 21. diſp. 6. art. 3. & 4. hoc debitum in Deo eſſe debitum iuſtitiæ diſtributiuæ non commutatiuæ, quod debitum non eſt ortum ex iure eorum, quibus diſtribuenda ſunt præmia à Deo, quod requiritur ad naturam iuſtitiæ commutatiuę, ſed eſt ortum ex ipſa æquitate intrinſeca, & eſſentiali Dei, qui eſt ſumma omnium regula, inſuper eſſe in Deo debitum fidelitatis, & veritatis, & iuſtitiæ legalis, & ratione omnium iſtarum iuſtitiarum dicitur Deus habere iuſtitiā propriè dictam, etſi contrarium faceret, eſſet iniuſtus iniuſtitia oppoſita, vel diſtributiuæ, vel legali, vel fidelitati, & veritati, aut alijs partibus potentialibus iuſtitiæ, non autem eſſet iniuſtus iniuſtitia oppoſita iuſtitiæ commutatiuæ. Sed contra iuſtitia diſtributiua non reſpicit quid quis egerit, ſed reſpicit dignitatem perſonæ, ſic ſi Dux, & miles æquè fortiter ſe gerant in bello, non per hoc æqualibus præmijs afficiendi ſunt, ſed maiori præmio afficiendus eſt Dux, quam miles: ſed Deus in dando gloriã, & augmentũ gratiæ non reſpicit dignitatem perſonæ, ſed quidquid homo operatur, & reddet vnicuique ſecundum opera ſua; ergo ſeruat æqualitatem, quæ requiritur in iuſtitia commutatiua: Si autem ſeruat æqualitatem requiſitam in iuſtitia commutatiua, ſequitur, quod ex iuſtitia commutatiua ſit nobis debitor.

8 Dices 4. Non poſſe eſſe iuſtitiam commutatiuam in Deo, quia quidquid fit à creatura ſemper eſt ſub dominio Dei, cum Deus non poſſit à ſe abdicare hoc dominium: Si autem quidquid fit à creatura eſt ſub dominio Dei, nihil vmquam cedit in vtilitatem Dei, ſed quod fit à creatura eo ipſo Dei eſt, vndè numquam tenetur ex iuſtitia commutatiua, ſed tantùm ex iuſtitia legali, & fidelitate, & quia ex eſſentia ſua iuſtus eſt. Sed contra concedo libentiſſimè, quod quidquid fit à creatura ſit ſub dominio Dei: at cum hoc ſtat, quod talia opera etiam ſint ſub dominio creaturæ; non enim repugnat dominium duorum in ſolidum, etenim cum dominium ſit facultas vtendi re ſine iniuria alterius pro libito ſuo, etiam in humanis pro vnico inſtanti poteſt eſſe dominium duorum in ſolidum, vt patet in eo, qui donat v.g. librum alteri, in eo inſtanti, in quo donat, verè eſt Dominus, & poſſidet librum, nam ſi non poſſideret non

Etiam in humanis poteſt eſſe dominium duorum in ſolidum.

poſſet donare, cum nemo det, quod non habet, & qui accipit librum in eo inſtanti eſt Dominus, vnde Angelus, qui operatur in inſtanti, poſſet illum librum, ſi illi donatus fuiſſet, in eodem inſtanti alteri Angelo donare. Ex quo fit, quod cum libertas Dei indiuiſibilis permaneat eadē per totam ęternitatem, etiam Deus permaneat Dominus tempore ſequenti, ſicuti in humanis v.g. Petrus manet Dominus pro eo inſtanti, quo dat librum, quia ſicuti in Petro donante pro illo inſtanti adeſt facultas vtendi libro ſine iniuria alterius; ſic in Deo per æternitatem manet eadem facultas circa rem promiſſam: etenim licet Petrus in eo inſtanti, quo donat librum Paulo, non poſſit illum donare alteri, habet tamen facultatem ſine iniuria alterius non donandi, & donando liberè donat, ita Deus ex ſuppoſitione, quod ceſſerit hoc ius creaturæ in operationes ſuas, & promiſerit gloriam bene operanti, tenetur hoc ius ſeruare illæſum, licet cum liberè dederit, & liberè ſeruet, poſſit abſolutè non dare. & non ſeruare, non eſt autem neceſsè ad iuſtitiam commutatiuam, quod operationes, quæ fiunt a creatura cedant in vtilitatem intrinſecam Dei, cum vt vidimus ad hanc iuſtitiam non requiratur contrapaſsum ſecundùm rem, ſed ſufficiat ſecundùm exiſtimationem, opera autem bona creaturæ cedunt in maiorem gloriam extrinſecam Dei, & hoc ſufficit ad veram iuſtitiam commutatiuam.

9 Probatur tertiò ratione. Ponere iuſtitiam commutatiuam in Deo, præcedente tamen pacto ab ipſo liberè facto, ratione cuius Deus ſit noſter debitor, nihil dicit repugnans in Deo, aliundè autem maximam dicit perfectionem: eſt enim honeſtum ius ſuum vnicuique tribuere; ergo hæc iuſtitia concedenda in eo eſt, præſertim cum ſic facilè intelligantur ſcripturæ, & Concilia, quæ aſſerunt Deum ſine iniuſtitia non poſſe nobis negare mercedem, denarium, coronam iuſtitiæ, & huiuſmodi. Quod ſi D. Thom. & plures Scholaſtici cum varijs Patribus negant Deum nobis quicquam debere ex iuſtitia commutatiua, loquuntur ante promiſſionem, & pactum; de cetero D. Tho. 2. 2. quæſt. 61. art. 2. ad 1. docet noſtram ſententiam, quæ etiam clarior apparebit ex ſolutione argumentorum.

Iuſtitia cõmutatiua in Deo nõ repugnat.

10 Concluſio ſecunda iuſtitia Dei ad Chriſtum fuit commutatiua. Probatur, quia ſuppoſito pacto Deus potuit obligari etiam nobis ex iuſtitia commutatiua, vt in præcedenti concluſione vidimus,

Digitized by Google

dimus; ergò multò magis potuit obligari Chriſto: probatur conſequentia; tum quia illius opera fuerunt infiniti valoris: tum quia ratio propter quam aduerſarij negant Deum poſſe eſſe nobis debitorem ex iuſtitia commutatiua eſt, quia in creatura nullum eſt dominium in ſuas operationes, quod non ſit proprium ipſius Dei: ſed hæc ratio non militat in Chriſto; nam in ipſo, licèt actiones entitatiuè ſumptæ, & vt erant creatæ, eſſent ſub dominio Dei: attamē ita erant propriæ ſuppoſiti Verbi, vt procedebat à Verbo; vt ſub hac ratione non eſſent ſub dominio Dei, ſed erāt ſub peculiari dominio Verbi, actiones enim ſſit ſuppoſitorū, & cum ſuppoſitum Verbi non ſit ſub dominio Dei, ſed ſit æquale Deo: Vnde dixit Apoſtulus *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*; ſequitur, quod actiones Chriſti, vt ſunt à ſuppoſito diuino, non ſint ſub dominio Dei, licèt entitatiuè, & vt ſunt finitæ, eſſent ſub illus dominio; ſi ergo ſub illa ratione non erant ſub dominio Dei, poterat Chriſtus per illas ſatisfacere ex iuſtitia commutatiua, & Deus poterat obligari ex iuſtitia commutatiua; licèt, vt dixi, quamuis omnia opera Chriſti eſſent ſub dominio Dei, ſicuti ſunt noſtra; nihilominus adhuc erant ſub dominio ipſius, cum non repugnet dominium duorum in ſolidum, & poſita promiſſione Dei, & pacto, poterat obligari Deus ex propria iuſtitia commutatiua.

Chriſtus habet peculiare dominium in opera ſua.

11 Dices: ſimplex promiſſio non inducit obligationem iuſtitiæ commutatiuæ: ſed promiſſiones factæ tum Chriſto, tum nobis à Deo ſunt ſimplices promiſſiones; ergo non poſſunt inducere obligationem iuſtitiæ. Sed contra; quia promiſſio facta Chriſto nō eſt ſimplex promiſſio, ſed promiſſio onerosa ſub conditione operis, promiſit enim velle dare gratiam, & gloriam, & remittere offenſam, ſi Chriſtus fuerit flagellis cæſus, crucem, & mortem ſubierit: ſed promiſſio onerosa ſub conditione operis, poſito tali opere habente condignitatem, inducit obligationem iuſtitiæ, vt patet in operario conducto ad operandum in vinea, & pluribus alijs humanis contractibus; ergo promiſſio facta à Deo Chriſto induxit obligationem iuſtitiæ in ipſo Deo.

Promiſſio onerosa inducit obligationem.

12 Quod verò hæc iuſtitia non fuerit diſtributiua, ſed commutatiua probatur; quia iuſtitia commutatiua in hoc diſtinguitur à diſtributiua, quod hæc eſt vnius in ordine ab plura ſubiecta; commutatiua verò eſt tātùm inter duo: ſed iuſtitia Dei erat tantùm erga Chriſtum; ergo erat commutatiua; etenim ex vna parte attendebatur datio gratiæ, remiſſio peccatorum, & gloria per modum vnius, & ex altera parte æqualitas ſatisfactionis, & dignitas meritorum Chriſti. Quod verò poſtea hæc gratia pluribus diſtributa fuerit, non facit, quod inter Chriſtum, & Deum non inter fuerit vera iuſtitia commutatiua: & totum hoc explicatur exemplo. Si quis Ciuis emeret à Ciuitate præmia quotannis ditribuenda currentibus v.g. in ſtadio, vtique inter Ciuem, & Ciuitatem intercederet vera iuſtitia mutua, & commutatiua, licet poſtea, dum fieret diſtributio currentibus in ſtadio, fieret ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam; ita à pari inter Chriſtum, & Deum interceſſit vera, & mutua iuſtitia commutatiua; etiamſi poſtea darentur hominibus ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam; quæ tamen hoc pacto non dantur, vt in præcedenti concluſione vidimus, ſed dantur ſecundum commutatiuam; nihilominus etiamſi darentur hominibus ſecundùm diſtributiuam non per hoc ſequitur, quod inter Chriſtum, & Deum non interceſſerit vera iuſtitia commutatiua.

13 Obijcies 1. contra primam plura loca Patrum, qui dicunt Deum nihil nobis debere. Etenim Anſelmus in Prolog. cap. 10. habet. *Iuſtus es, non quia reddis nobis debitum, ſed quia facis, quod decet te ſummum bonum*. D. Auguſtinus 1. confeſſ. cap. 4. inquit. *Reddis debita nulli debens*; & 3. de lib. arb. cap. 16. *Deus nulli debet aliquid*. D. Bernard. ſerm. 1. de Annunciat. dicit. *Neque talia ſunt hominum merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure; aut propterea Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret*.

Reſpondeo hæc, & ſimilia loca, quæ poſſunt adduci eſſe intelligenda, ſicut intelligitur illud Apoſtoli, dum dicit. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam &c.* Nempe de operibus præcedentibus gratiam ſanctificantem, & non habentibus dignitatem à gratia ſanctificante, non de operibus gratia formatis; vel ſecundò eſſe exponenda, quod Deus abſolutè loquendo nulli quicquā debeat; & cum hoc ſtat, quod poſſit eſſe debitor ſuppoſito pacto ab ipſo liberè facto, vt ſcripturæ, Concilia, Auguſtinus, & plures alij Patres docent.

14 Obijcies 2. Si Deus poſſet eſſe nobis debitor ex iuſtitia commutatiua, vtique hoc fieret, quia Deo exhiberemus aliquid, quod non eſſet ſub dominio ipſius: ſed nihil habemus nos, quod non ſit ſub dominio Dei; ergo nec poſſumus quicquam Dei offerre, ratione cuius ſit nobis ex iuſtitia commutatiua debitor. Confirmatur inter ſeruum, &

Do-

Digitized by Google

Dominum; Patrem, & Filium non poteſt dari vera iuſtitia: ſed nos ſumus eſſentialiter ſerui, & per creationem, & gratiam filij;ergo nullo modo inter nos, & Deum poteſt intercedere iuſtitia commutatiua.

Reſpondeo rationem cur Deus poſsit eſſe nobis debitor ex iuſtitia commutatiua non eſſe, quia nos exhibeamus aliquid Deo, quod non ſit ſub dominio Dei, fateor enim omnia opera noſtra, & quidquid habemus eſſe ſub dominio Dei: ratio igitur cur Deus poſſit eſſe nobis debitor ex iuſtitia eſt, quia licèt omnia noſtra ſint ſub dominio Dei: tamen actiones noſtræ liberæ ſunt ſimul ſub dominio noſtro, & ſuppoſito, quod Deus voluerit ſe obligare ad dandū aliquid, ſi nos talia opera faciamus, quando ea facimus, eo ipſo ex iuſtitia tenetur dare, quod promiſit, nam talis actio libera à nobis procedit, & illius habemus dominium. Ad confirmationem dico, quod inter ſeruum, & Dominum, præſcindendo à pacto, non poteſt eſſe iuſtitia, quia quidquid acquirit ſeruus acquirit Domino: at ſuppoſito pacto, ſi Dominus ſe obligaret dare ſeruo libertatem; ſi aliquod opus egregium efficiat, facto tali opere teneretur ex iuſtitia. Addo, quod poſita gratia ſanctificante in nobis, iam non ſumus ſerui, ſed amici; vnde Chriſtus dixit. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos*; inter amicos autem poteſt eſſe vera iuſtitia. Ad aliud deſilio dico, quod inter Patrem, & filium emācipatum, vel habentem peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe poteſt eſſe iuſtitia: tales autem ſumus nos reſpectu Dei, cum habeamus dominium verum, & proprium in noſtras actiones liberas.

15 Dices ex Lugo: Seruus non eſt eſſentialiter ſeruus, ſed accidentaliter, & poteſt conſiderari vt homo eſt, ſub qua ratione poteſt paciſci cum Domino, & aliquid lucrari ex iuſtitia, at creatura eſt eſſentialiter ſerua Dei; ſicuti ergo ſeruus, vt ſeruus, quidquid acquirit ſemper acquirit Domino, nec cum ſeruo, vt ſeruo, poteſt Dominus habere debitum iuſtitiæ; ita cum creatura ſit eſſentialiter ſerua Dei, repugnat, quod ei quicquam debeat ex iuſtitia commutatiua. Confirmat Lugus hoc exemplo religioſi, qui non poteſt ex aliquo contractu obligari ſibi eamdem religionē,

Cur inter religioſū, & religionem ſuam non poſſit eſſe iuſtitia

quamuis enim religio promittat aliquid ipſi ſub conditione operis oneroſi, & religioſus tale opus efficiat, non per hoc religio manebit illi ciuiliter obligata; ſed poterit Prælatus illud reuocare, pugnat enim eſſentialiter cum voto paupertatis, quod religioſus habeat aliquid irreuocabiliter à Prælatis: atqui creatura eſt eſſentialiter ſerua Dei: ergo non poteſt etiam ex promiſſione acceptata Deum vllo modo obligare ex iuſtitia, quia cum ſit eſſentialiter ſerua, numquam poteſt abſolui ab illo ſtatu. Sed contra, quia ideo ſeruus, vt ſeruus, non poteſt obligare ex iuſtitia Dominū, quia quicquid acquirit ſeruus eſt Domini, & inter ſeruum, & Dominum non poteſt dari dominium in ſolidum alicuius rei, nec religioſus poteſt obligare religionem, vt ſibi concedat aliquid irreuocabiliter, quia hoc eſt contra ſtatum, & eſſentiam religioſi: ſed hæc ratio non militat de creatura, & Deo, cū creatura ſit domina ſuorum operum in ſolidum cum Deo, vt etiam concedit ipſe Lugus; ergo licèt ſeruus, vt ſeruus, non poſſit obligare Dominum ex iuſtitia, nec religioſus religionem, vt det illi aliquid ad eius vſum irreuocabiliter, quia dominium alicuius rei repugnat ſtatui religioſo, attamen cū dominiū in ſolidū poſſit eſſe inter Deū, & creaturas; vtique ſuppoſito pacto poterit Deus obligari ex iuſtitia cum creaturis. Et quidem Deum dediſſe hoc dominium creaturis conſtat ex illo Gen. 2. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cæli &c.* nam vel dedit Deus aliquod dominium hominibus dicendo *Dominamini &c.* vel nullum; ſi hoc ſecundùm; ergo falſum dixit Deus dū dixit *Dominamini &c.* quod eſt impium dicere: ſi primum; ergo verè homines habent dominium verum ſuper hæc inferiora, & ſuper omnia opera ſua libera, licèt cū hoc dominio, quod habent homines ſuper omnia opera ſua ſtet ſimul Deum habere dominium ſupremum, & abſolutum ſuper eadem opera. Addo, quod licèt religioſus non poſſit obligare ex iuſtitia religionem ſuam, vt det illi aliquid ad proprium vſum irreuocabiliter; quia hoc ei repugnat ratione voti paupertatis; nihilominus circa aliqua, quæ cum voto non repugnant, poteſt obligari ex iuſtitia; ſic in aliquibus religionibus adſunt varij gradus honorifici, ex iuſtitia debiti illis, qui certa opera in beneficium religionis exercuerunt; & inſuper ſicuti in profeſſione religioſus ſe obligat religioni, ita religio viciſſim ſe obligat religioſo ad eum alendum, & ad illi prouidendum ſecundùm propriū inſtitutum.

Quo ſenſu religio poſſit obligari religioſo.

16 Obijcies 8. De ratione Dei eſt, quod habeat perfectiſſimum dominiū ſuper omnes creaturas, & ſuper omnia opera creaturarum: ſed ſi poſſet obligari ex iuſtitia non haberet hoc perfectiſſimum dominium; ergo nullo mo-

Digitized by Google

do poteſt Deus ex iuſtitia obligari: maior patet: probatur minor: ſi Deus poſſet obligari ex iuſtitia à creatura, hæc acquireret aliquod ius, quod non acquireret Deo, imo eſſet contra Deum tamquam debitorem ex iuſtitia; ſed vbi eſt ius contra aliquem, taliter vt iſtum conſtituat debitorem ex iuſtitia, qui debitor conſtituitur non habet perfectiſſimum dominium ſuper omnia opera creditoris, & per conſequens non habet perfectiſſimum dominium ſuper omnia opera abſolutè; ergo cum debeamus fateri Deum habere perfectiſſimum dominium ſuper omnia opera creaturæ, etiam ſimul concedere debemus Deum nullo modo poſſe nobis fieri debitorem eſt iuſtitia: probatur minor; qui debitor eſt ex iuſtitia non poteſt ſine iniuria negare creditori quod debet: ergo Deus non eſſet perfectiſſimè Dominus, nam non poſset ſine iniuria negare creditori, quod debet.

Reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: ſi Deus abſolutè poſſet obligari ex iuſtitia non eſſet perfectiſſimè Dominus, concedo minorem: ſi poſſet obligari ex pacto, & ex promiſſione non eſſet perfectiſſimè Dominus, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: ab probationem diſtinguo maiorem: ſi Deus poſſet à creatura obligari ex iuſtitia abſolutè, hæc acquireret aliquod ius, quod non acquireret Deo, concedo maiorem: ſi poſſet obligari ſolùm ex ſuppoſitione pacti, creatura acquireret aliquod ius, quod non acquireret Deo, nego maiorem: neque illud ius eſſet contra Deum, vt debitorem abſolutè, ſed tantùm ex ſuppoſitione; diſtinguo eodem modo minorem, dico enim, quod, qui eſt debitor abſolutè alterius ex iuſtitia, non eſt perfectiſſimus Dominus; at Deus cum ſit debitor tãtùm ex ſuppoſitione, quod voluerit ſe obligare, adhuc eſt abſolutè Dominus; nam ad perfectiſſimum dominium non requiritur, vt in ſenſu cõpoſito, quod ſe obligauerit, non teneatur dare, quod promiſit, ſed ſufficit, quod in ſenſu diuiſo, & ſecundùm ſe, poſſit illud non dare; Deus autem etiãſi in ſenſu compoſito, quod voluerit ſe obligare creaturis, conſtituatur debitor craturæ; abſolutè tamen ſemper poteſt ſine iniuria nolle dare, & hoc ſufficit ad perfectiſſimum dominium; vnde negatur conſequentia: eodem modo reſpondeo ad vltimam probationem.

17 Obijcies 4. Illud nullo modo eſt in Deo ponendum, quod eſt indignum Deo: ſed Deum ſe obligare ex iuſtitia ſeruo eſt indignum Deo: ergo nullo modo hæc obligatio ex iuſtitia poteſt poni in Deo; maior patet: probatur minor: illud eſt indignum Deo, quod facit Deum ſeruum hominis; ſed ſi Deus obligaretur ex iuſtitia, fieret ſeruus hominis; ergo nullo modo poteſt obligari ex iuſtitia, probatur minor: ille verè eſt famulus, qui locat ſua opera ad miniſtrandum Domino: ſed ſi Deus poſset fieri debitor ex iuſtitia, poſſet obligari ad faciendum aliquod opus iuxta voluntatem hominis; & ſi poteſt ad vnum opus, poterit ad duo, ad centum, & ſic poterit obligari ad ſternendum ei lectum, ad condiendos cibos, ad miniſtrandum in menſa, ad alia denique præſtandum, quę homo voluerit; ergo nihil deerit Deo ad veram ſeruitutem: ſic arguit Lugus.

Reſpondeo conceſsa maiori, negando minorem: ad probationem nego minorem: ad huius probationem, tranſeat maior; nego poſtea Deum locare ſua opera ad ſeruiendum homini, ſed fit è contra, homo locat ſua opera ad ſeruiendum Deo, & Deus poſtea tenetur ex iuſtitia dare retributionem, & in hoc nullo modo ſequitur Deum fieri ſeruũ hominis, ſicuti enim per hoc, quod Rex debeat ſolutionem operarijs, non fit ſeruus operariorum, ſed è contra operarij ſunt ſerui Regis; ita per hoc, quod Deus obligetur ex iuſtitia dare gratiam, & gloriam bene operantibus, nullo modo eſt ſeruus hominis, ſed in hoc etiam eluceſcit eius maieſtas, & ſupremum dominium: neque in hac obligatione adeſt maius myſterium, quam quod poſsit Deus ſe obligare ex fidelitate; ſicuti ergo per omnes Doctores poteſt Deus ſe obligare ex fidelitate; ita etiam ex iuſtitia; nec minus repugnat Deo infidelitas, quam iniuſtitia; vnde ſicuti fatentur aduerſarij, quod Deus poteſt ſe obligare ex fidelitate; cur etiam non ex iuſtitia?

18 Dices 1. ex Lugo repugnare Deo obligationem ex iuſtitia, non ex fidelitate, quia obligatio ex iuſtitia tollit dominium Dei, non autem obligatio ex fidelitate: etenim dominium eſt facultas vtendi re ſine iniuria alterius, non autem ſine infidelitate. Sed contra hæc reſponſio non euacuat inſtantiam factã, quia ſi Deus non ſtaret promiſſis, eſſet infidelis, & non minus repugnat Deo auferre ab illo fidelitatem, quam iuſtitiam, & dominium ſupremum ſuper omnes creaturas; ſi ergo non obſtante ſumma eius fidelitate, poteſt ſe obligare

ex

Digitized by Google

ex fidelitate, ergo etiam ex iuſtitia; præſertim, cũ per obligationem ex iuſtitia non tollatur dominium ſupremum Dei; hæc enim obligatio eſt tantùm ex pacto, & voluntate Dei, qui eo ipſo, quod aliquid vult per æternitatẽ vult, & per conſequens cum dominio ſupremo Dei in opera creaturæ ſtat dominium in ſolidum creaturæ in eadem opera, vt ſupra dictum fuit.

19 Dices 2. ex eodem Lugo. Si Deus omnia ſua obligaret homini, tunc eſſet non modo ſeruus, ſed mancipium, imo plus, quam mancipium; nam mancipium habet poteſtatem ſaltem ſupra actus internos, quod non eſset in Deo; ergo ſi hoc eſt abſurdum reſpectu Dei, quia eſset ſumma ſeruitus; ita eſt abſurdum, quod ex iuſtitia ad aliquid ſe obliget, quia eſset aliqua ſeruitus. Sed cõtra reſpondeo eſse chimæricum, & omnino impoſſibile, quod Deus omnia ſua obliget homini, etiam data noſtra ſententia; nam obligatio Dei eſt tantùm obligatio retribuendi augmentum gratiæ, & gloriam iuxta condignitatem meritorum; & cum hæc ſemper ſint finita, tantùm ſe obligat ad retribuendũ finitè, imo etiamſi merita creſcerent in infinitum, poſset ſe obligare ad reddendum præmium infinitum, neque tamen per hoc obligare omnia ſua, quia dato præmio infinito creaturis, poſset aliud, & aliud prẹmium in infinitum alijs creaturis dare: neque hoc denotat vllam indecentiam in Deo, ſed ſummam eius maieſtatem, & potentiam; vt patet de Rege, qui non eſt ſeruus militum eius per hoc, quod ſe obliget dare illis ſtipendium; ſed ille Rex eſt maioris potentiæ, & maieſtatis, qui poteſt plures milites ſuſtentare. Ex his patet non ſolidè deduci, quod ſi Deus, poteſt ſe obligare ad vnum, poſsit ad centum, & ſic poſſit obligari ad ſternendum lectũ, ad parandum cibos &c. Nam Deus non ſe obligat, niſi ad dandam gratiam, & gloriam per modum mercedis, & coronæ, non ad hæc vilia, cum quibus non comparantur hominis merita, niſi quatenus hæc poſſunt conducere ad gloriam.

20 Obijcies 5. Si Deus daret nobis ius contra ſe, adhuc ipſe eſset Dominus eius iuris; ergo ipſe haberet ius contra ſe ipſum, quod eſt abſurdum; quod argumentum quidam tanti faciũt, vt putent illud inſolubile.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; nam aliud eſt, quod Deus ſit Dominus illius iuris, aliud, quod habeat ius contra ſe ipſum, primum poteſt dici, non ſecundum; & ratio eſt, quia habere ius in ſe ſignificat, quod ſui ad ſe ipſum poſſit eſse iuſtitia, quod falſum eſt; nam ad iuſtitiam requiritur ſaltem dualitas cum ſit ad alterum: vt verò ſit Dominus illius iuris, ſufficit, quod ſit liberum Deo dare tale ius creaturæ, & quod illud liberè dederit; vt patet in eo, qui donat pallium alteri, in eo inſtanti, in quo donat, & qui dat habet ius ſuper illud, & ius, & dominium habet etiam ille, qui pallium accipit, vt ſupra diximus, & tamen non ſequitur, quod, qui dat, habeat ius contra ſe ipſum; ita Deus eſt Dominus illius iuris, quod non habet creatura, non tamen habet ius contra ſe ipſum. En quomodo hoc argumentum, quod tanti aliqui faciunt ſitum eſt tãtùm in modo loquendi.

21 Obijcies 6. Si Deus teneretur ex iuſtitia dare augumentum gratiæ, & gloriam benè operantibus ex pacto, teneretur etiam ſine pacto; cum pactum non det condignitatem; ſi verò opera habent condignitatem, ſicuti ſi Dominus vineę videat aliquem operantem in vinea, & ipſum permittat operari, poſt operationem tenetur ex iuſtitia dare illi mercedem; ita cum Deus videat ſemper omnia noſtra opera, etiam ſiue pacto deberet ex iuſtitia dare gratiam, & gloriam.

Reſpondeo negando ſequelam: fateor enim pactum non dare condignitatem, ſed eſſe conditionẽ, ſiue qua non conſurgit debitum iuſtitiæ; quemadmodum ſi equus valeat centum, & aliquis offerat centum, offert æquale pretium pro equo, verùm, ſi Dominus equi non acceptet pretium, non tenetur dare equum ex iuſtitia; ita in propoſito de homine benè operante reſpectu Dei. Ad aliud exemplum de laborante in vinea Domino vidente, & permittente, dico eſſe diſparitatem; nam opera noſtra ſunt multis alijs titulis debita Deo, vnde, ſi non intercedit pactum, nunquam obligabunt Deum ex iuſtitia, opera autem illius operarij non ſunt debita domino vineæ. Ideo &c.

22 Obijcies 7. ex promiſſione non acceptata non poteſt oriri obligatio iuſtitiæ; ſed multi operantur abſque eo, quod acceptauerint hanc promiſſionem; cum neſciant de hac promiſſione Dei; ergo non naſcitur ex hac promiſſione obligatio iuſtitiæ.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum ſic. Ex promiſſione non manifeſtata non poteſt oriri obligatio fidelitatis in promittente: ſed multi neſciunt de hac promiſſione Dei; ergo non naſcitur ex hac promiſſione obligatio fidelitatis. Vide, quod ijſdem ferè verbis retorque-

tur argumentum contra aduerſarios, qui admittunt Deum obligari ex fidelitate; quare, quod ipſi dicent, & nos reſpondebimus.

Reſpondeo igitur 2. directè ſufficere ſi hæc promiſſio ſit acceptata ab Eccleſia, & quod omnes ſaltem in confuſo ſciant, Deum ſoluere ad æqualitatem. Quare, ſi quis conueniret cum aliquo hoc pacto vendendo v.g. gemmam. Des mihi quantùm valet hæc gemma, cuius pretium iuſtum ego non cognoſco, tu verò optimè noſti, & ille acquieſceret, vtique teneretur ex iuſtitia; & ſic euenit in omnibus fidelibus reſpectu Dei, vnde poteſt Deus ex iuſtitia obligari.

23 Obijcies 8. ex Ioan. à S. Thom. diſp. 6. art. 3. quæſt. 21. 1. partis. Obligatio ex iuſtitia commutatiua non poteſt oriri ex ſolo pacto, nam Deus fecit pactum, & promiſſionem cum Abraham dandi Chriſtum, & tamen ex iuſtitia non eſt datus Chriſtus, ſed ex amore, & gratia Dei: debet igitur oriri ex actione, & communicatione alterius partis, quæ det aliquid de ſuo parti, quę ſe obligat: ſed creatura nihil poteſt dare Deo, quod Dei non ſit; ergo creatura non poteſt inducere obligationem iuſtitiæ in Deo: probatur minor: nam quidquid poteſt dari à creatura magis eſt ſub dominio Dei, quam ſit ſub dominio creaturæ: ſed ſi quis det alteri id, quod ſuum eſt, non poteſt inducere obligationem in ipſo, vt retribuat ex iuſtitia, ſed tantùm ex fidelitate; ergo creatura numquam poſſet inducere actionibus ſuis vllam obligationem iuſtitiæ in Deo. Confirmatur, quia licèt, quod dat creatura ſit etiam ſub dominio creaturæ baſſo, vt dicitur, & imperfectiori creato, nihilominus, licèt hoc totum det Deo, nullum maius dominium acquiritur Deo, quia hoc dominium inferius, & creatum non poteſt transferre in Deum, cum illius ſit incapax, & dominio ſupremo, quod Deus habet in omnia opera noſtra, non poteſt aliquid acquiri ex nobis; ergo quodcumque dat creatura, cum totum, & ſecundùm rem, & ſecundùm modum ſit iam Dei, per hoc, quod illud det, nullam obligationem ex iuſtitia poteſt inducere in Deo.

Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: creatura nihil poteſt dare Deo, quod Dei non ſit, eo ipſo quod illud eſt, concedo minorem: creatura nihil poteſt dare Deo, quod Dei non ſit antequam producatur, & quod eſt in poteſtate creaturæ illud producere, vel non producere, nego minorem: & hoc ſufficit ad veram iuſtitiam commutatiuam, quod patet manifeſtis exemplis: etenim, ſi quis offendiſſet Petrum, & deberet illi ſatisfacere per humiliationem coram ipſo, ſtatim ac fit humiliatio coram Petro, talis humiliatio eſt ſub dominio Petri, quia tamen, qui Petrum offenderat, poterat facere, vel non facere illam humiliationem, ſi illam humiliationem efficiat, quæ ſit æqualis offenſæ, ei ex iuſtitia ſatisfacit: ſit aliud exemplum, quod ponit Arriaga. Si per impoſſibile voluntate mea poſſem producere pecuniam, quæ ſtatim, ac producta eſt, eſſet ſub dominio Petri, ſi Petro deberem centum aureos, ei ex iuſtitia ſatisfacerem producendo centum aureos, quos per productionem facerem proprios illius, vt de ſe patet, nec requiritur, quod pecunia antea extiterit, quia, quod extiterit, vel non antea, nullo modo iuuat Petrum; & ſolum Petri intereſt, quod quando ſit ſolutio, ponatur ſub eius poteſtate; & ego ſatisfacio, quia do illi, quod poteram non dare, & quod erat ſub mea poteſtate ponere ſub eius dominio, vel non ponere; ſic in propoſito, licèt opera creaturæ eo ipſo, quod producuntur, ſint Dei, & ſub dominio ipſius, quia tamen moraliter erat liberum creaturæ ea producere, & ſic ea ponere ſuo dominio Dei, ſi ea producat, & habeant æqualitatem cum præmio, vtique præmium poſito pacto debetur ei ex iuſtitia: per quod patet ad probationem minoris. Ad confirmationem dico, quod eſt in libertate creaturæ, quod Deus acquirat dominium ſupremum ſuper opera illa, quia eſt in poteſtate illius ea producere, vel non producere, vnde, ſi ea producit, & habeant æqualitatem cum præmio, ſuppoſito pacto Deus tenetur ei ex iuſtitia dare præmium.

24 Dices in tantùm poſſumus conſtituere Deum debitorem ex iuſtitia in quantùm opera noſtra habent æqualitatem cum præmio, & eſt in libertate noſtra illa dare, vel non dare: ſed hoc non eſt verum de operibus præceptis, cum illa debeamus Deo dare; ergo ſaltem per hæc opera non conſtituimus Deum debitorem ex iuſtitia, ſed tantùm ex fidelitate. Sed contra, quia licèt habeamus præceptum faciendi talia opera, nihilominus hoc præceptum non tollit libertatem à nobis, & illa poſſumus facere, & non facere; ergo cum ſit in libertate noſtra illa facere, & non facere, ſicuti per talia opera meremur apud Deum, ita poſſumus etiam eumdem Deum obligare, vt det nobis præmium ex iuſtitia.

25 Obiicies 9. Ad rationem iuſtitiæ commutatiuæ requiritur datum, & acceptum:

ceptum: ſed licèt efficiamus bona opera nihil Deus accipit à nobis, vnde Iob. 35. dicitur. *Si iuſtè egeris, quid donabis, ei aut quid de manu tua accipiet?* & ex pluribus alijs locis ſcripturæ id colligitur: ergo Deus ſaltem ex hac conditione non eſt capax iuſtitiæ commutatiuæ.

Reſpondeo, quod licèt opera noſtra non ſint vtilia Deo intrinſecè, ſunt tamen vtilia ad gloriam, & cultum Dei, & ad laudem extrinſecam ipſius; & ſicuti in humanis per aliquid, quod ſolum cedat in gloriam extrinſecam alterius, poteſt quis obligari ex iuſtitia, ita & de Deo dicendum eſt. Addo Deum lætari ex bonis operibus noſtris, vt ſcriptura paſſim indicat; quod ſi damus Deo materiam lætitiæ, poſſumus ipſum obligare ex iuſtitia, ſicuti in humanis per hoc fiunt rigoroſi contractus iuſtitiæ.

Ex his patet etiam, quod maiori ratione poterunt ſolui argumenta, quæ fiunt contra obligationem Dei ad Chriſtum; ſi enim Deus eſt obligatus ex iuſtitia nobis, multo magis poterit obligari Chriſto Domino, cuius opera erant infiniti valoris: verùm, quia peculiaria quædam argumenta ſunt contra ſatisfactionem Chriſti. Ideo ſit.

ARTICVLVS XI.

An in ſatisfactione Chriſti ſeruatæ fuerint omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ.

1 Vidimus ſupra ſatisfactionem Chriſti Domini fuiſſe ex iuſtitia commutatiua, quia tamen plures ſuſtinent ſatisfactionem Chriſti fuiſſe quidem de iuſtitia, ſed non ſeruaſſe omnem rigorem iuſtitiæ; hic videndum eſt, vtrum ita fuerit de iuſtitia, vt verè in Chriſti ſatisfactione ſeruatæ ſint omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ.

2 Multæ ſolent enumerari conditiones rigoroſæ iuſtitiæ: prima eſt, vt ſeruetur æqualitas inter datum, & acceptum v.g. ſi emo equum, tantùm tribuam, quantùm ille valet; ſi exibeam ſatisfactionem in genere honoris, tantam exhibeam æſtimationem in genere honoris, quanti æſtimata fuit iniuria in genere mali illata; & ſic de ceteris huiuſmodi rebus.

3 Secunda conditio eſt, vt ſit ad alterum, non ad ſe ipſum; quia idem ſibi ipſi nec ſatisfacit, nec ſatisfacere poteſt; tum quia rigoroſa ſatisfactio eſſentialiter ordinatur ad conſtituendam perfectam æqualitatem; æqualitas autem requirit dualitatem, cum æqualitas eſſe non poſſit eiuſdem ad ſe ipſum.

4 Tertia conditio eſt, vt ſatisfactio non fiat ex bonis creditoris, ſed ex proprijs: ſi enim quis debet centum Petro, vt ſatisfaciat, debet ex proprijs dare huiuſmodi centum, nec ſatisfaceret Petro, ſi illi daret centum, quæ iam eſſent ſub dominio Petri; ſic inter filium, & Patrem, inter ſeruum, & dominum docent Doctores nõ poſſe eſſe rigoroſam iuſtitiam, quia omnia, quæ habent ſeruus, & filius, ſunt ſub poteſtate Domini, & Patris.

5 Quarta conditio eſt, vt ſatisfactio non fundetur in gratia, & liberalitate creditoris; nam ſi fundatur in liberalitate iam intercedit virtualis remiſſio.

6 Quinta conditio eſt, vt ſatisfactio fiat ex bonis alio titulo creditori non debitis, hic autem nouus titulus debet eſſe iuſtitiæ; nam ſi debeo centum alicui, & deinde contraho cum ipſo debitum dandi alia centum, non ſatisfacio dando tantùm centum; cum teneat ducentum reddere, & aliæ ſolent aſſignari conditiones, verùm omnes reducuntur ad tres primas; imo omnes ad primam, nam æqualitas non eſt reſpectu ſui ipſius, ſed alterius: ergo ad primam reducitur ſecunda: tum quia æqualitas non conſtituitur ex bonis proprijs, ſed alienis; ergo ad primam omnes reducuntur: ponuntur tamen diſtinctæ à Doctoribus claritatis gratia, vt magis appareat, an ſatisfactio Chriſti Domini fuerit de rigore iuſtitiæ, vel an ei deſit aliqua conditio.

Omnes conditiones iuſtitiæ ad primam reducuntur.

7 Vaſquez hic diſp. 7. & 8. Lorca diſp. 8. Leſſius de perfectionibus diuinis cap. 2. num. 12. Lugo diſp. 3. & 4. Amicus diſp. 6. ſect. 7. & ſequentibus, hi Doctores licèt affirment ſatisfactionẽ Chriſti fuiſſe ſufficientem, imo, & ſuperabundantem, negant tamen fuiſſe de rigore iuſtitiæ: eo quod aliquas ex enumeratis conditionibus non habuerit.

Thomiſtæ communiter, Cabrera hic diſp. 9. Nazarius controu. 2. par. 4. Aluarez diſp. 4. ſect. 5. & 6. Ioan à S. Th. hic diſp. 2 ar. 2. Gonet diſp. 4. de neceſſitate incarnat. ar. 4. Gabriel à S. Vincentio dip. 1. dub 17. & alij Thomiſtæ, Suarez diſp. 4. ſect. 5. Granad. 1. p. tr. 7. diſp. 4. Raguſa diſp. 20. 21. 22. Tannerus diſp. 1. quæſt. 2. à num. 194. Arriaga hic diſp. 12. & 13. Valentia hic, & alij plures docent in ſatisfactione Chriſti ſeruatas fuiſſe omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ.

8 Concluſio. In ſatisfactione Chriſti ſeruatæ fuerunt omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ, & ideo Chriſtus Deo ſatisfecit de rigore iuſtitiæ. Probatur: In hac difficultate explicanda eam debemus ſequi ſententiam, quæ cedit in maio-

Digitized by Google

maiorem Chriſti Domini gloriam, & quæ magis conformis eſt ſcripturis, & Patribus: Sed concluſio à nobis poſita eſt magis cõformis ſcripturis, & Patribus appellãtibus Chriſti ſatisfactionẽ emptionem, redemptionem, & pretium, quo ad amuſſim exæquatum eſt debitum, vt loquitur Concilium Epheſ. ſupra adductum art. 9. Ex alia verò parte nulla eſt ratio conuincens in contrarium, quæ facilè non ſoluatur, etſi quid rationes probarent, vtique probarent contra certum fidei dogma; nempè Chriſtum nullam prorſus ex vera virtute potuiſſe exhibere veram ſatisfactionem; etenim ex quacumque virtute dicatur Chriſtũ ſatisfeciſſe, debet ſatisfactio eſſe ad alterum, debet præſupponi debitum extinguendum, exhiberi à debitore per ſe, vel ab alio loco illius, qui eum repræſentet, & ſit caput, vel fideiuſſor: Inſuper, quod exhibetur, debet eſſe proprium exhibentis, nec alio titulo debitum: Cum igitur nulla ſit ratio in contrarium, quæ facilè ſolui non poſſit, & quæ etiam ab aduerſarijs non debeat ſolui: ex alia verò parte concluſio à nobis poſita ſit magis conformis ſcripturis, & Patribus, cedatque in maiorem Chriſti gloriam: fatendum eſt Chriſti ſatisfactionem habuiſſe omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ; & conſequenter Chriſtum Deo ſatisfeciſſe de omni rigore iuſtitiæ. Iam ſoluamus argumenta ex quorum ſolutione clarior apparebit noſtra concluſio.

9 Obijcies 1. Inter conditiones requiſitas ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ ſecunda à nobis poſita eſt, vt ſit ad alterum, vt eam ponit Ariſt. 5. Ethic. cap. 1. 2. & 6. & eam admittunt communiter Theologi: Sed Chriſtus non erat alter à Deo, cui fiebat ſatisfactio; ergo inter Deum, & Chriſtum non potuit eſſe vera iuſtitia: Neque dicas Chriſtum Dominum ſatisfeciſſe Patri, qui erat altera perſona. Contra enim eſt: tum quia tota Trinitas, ſeu Deus ipſe fuit offenſus per peccatum; ergo ipſi debebatur ſatisfactio, non verò ſoli æterno Patri; tum quia ex hac reſponſione clarè ſequeretur Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe adæquatam; nam etiam perſona filij fuit offenſa per peccatum; ergo, vt ſatisfactio ſit adæquata, debet ſatisfieri etiam ipſi Verbo, ſecus fuiſſet inadæquata; Chriſtus autem non erat alter à ſe ipſo, nec alter è Deo; ergo de rigore iuſtitiæ neque Deo, neque ſibi ipſi poterat ſatisfacere.

Reſpondeo primò retorquendo argumentum contra aduerſarios: non minus ſunt ad alterum iuſtitia generalis, obedientia, & religio, quam iuſtitia propria commutatiua: Sed aduerſarij admittunt fuiſſe ſatisfactionem Chriſti perfectam ex iuſtitia generali, obedientia, & religione; ergo debent admittere, quod fuerit ad alterum: atqui Deus non eſt alter à Chriſto; ergo neque ex his virtutibus potuit ſatisfacere, vide, quod idem argumentum debent ſoluere aduerſarij.

Reſpondeo 2. directè concedendo maiorẽ, & diſtinguendo minorem: ſed Chriſtus nõ erat alter à Deo, ratione ſuppoſiti, concedo minorem: ratione naturæ, & voluntatis; nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: Sufficit enim, quod Chriſtus fuerit alter à Deo natura, & voluntate, & quod Verbum, vt ſubſiſtens in natura humana, & habens peculiare dominium in opera naturæ humanæ, poſſet per illa ſatisfacere Deo; quod manifeſto exemplo patet in humanis; Tutor enim poteſt èx bonis pupilli, cuius perſonam gerit, ſibi vt creditori ſatisfacere ex perfecta iuſtitia; in quo caſu idem, vt gerit vicem duarum perſonarùm, ſibi ipſi ſatisfacit; nam vt habet ius in bona pupilli, vtitur illis bonis, & ponit illa ſub dominio proprio. Ita in propoſito Verbum quatenus terminabat naturam humanam, & vt pèculiare dominium perſonale, & liberum habebat ſuper opera humanitatis, ſibi creditori vt terminanti naturam diuinam, & toti Trinitati ſatisfecit.

Quomodo Chriſtus poſſit etiã verbo ſatisfacere ex iuſtitia.

10 Dices cum Vaſquez. In tantùm Chriſtus ſatisfecit, in quantùm aderat valor: ſed valor erat ſolùm à perſonalitate, & hæc non erat altera à Deo; ergo in Chriſti ſatisfactione deficit alteritas.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: in tantùm ſatisfecit, in quantùm aderat valor præcisè, & vt ſic, nego maiorem; in quantùm aderat valor, ſed faciens complexum cum operibus elicitis à natura humana, tamquam à principio diuerſo, & alio; concedo maiorem: eodem modo diſtinguo, concedo, & nego proportionaliter minorem; & nego conſequentiam: nam Chriſtus non ſatisfecit præcisè per valorem; ſed per valorem moraliter inhærentem operibus, & cum hæc haberent voluntatem, & principium *quo* realiter diſtinctum ab eo, cui fieri debebat ſatisfactio; hinc eſt, quod Chriſti Domini ſatisfactio verè fuit ad alterum.

11 Obijcies 2. Deeſſe tertiam conditionem: vt ſatisfactio ſit ex iuſtitia debet eſſe ex illis bonis, quæ non ſunt ſub dominio creditoris: Sed Deus, qui erat creditor habebat dominium ſuper

omnia

Digitized by Google

omnia opera Chriſti, itaut Deus magis eſſet eorum Dominus, quam Chriſtus; ergo Chriſtus ſaltem ex defectu huius conditionis non potuit ſatisfacere ex iuſtitia rigoroſa.

Reſpondeo primò, quod in ſatisfactione, quæ fit propter iniuriam, & offenſam non attenditur dominium phyſicum rei, ſicuti nec etiam attenditur ratio paſſi, & contrapaſſi ſecundùm rem, ſed ſufficit ſi ſit ſecundùm humanam æſtimationem; etenim ratio paſſi, & contrapaſſi, ſeu ratio dati, & accepti phyſicè attenditur tantùm in permutationibus, & contractibus, qui fiunt; vndè, qui alienum accepit, ſicuti illud ſubtraxit à dominio alterius; ita, vt fiat æqualitas, & iuſtitia, debet tantumdem poni ſub dominio ipſius: Sufficit ergo dominium morale, quod conſiſtit in actione libera ſatisfacientis, itaut ſit in poteſtate ipſius ponere illam actionem, vel non ponere, quæ actio, dum ponitur tantum reuerentiæ, & honoris exhibeat offenſo, quantùm iniuriæ eidem illatum fuerat per offenſam. Ex quo patet, quod licèt Deus habuerit ſupremum dominium actuale, & phyſicum ſuper omnia opera Chriſti Domini, nihilominus, quia etiam penès Chriſtum erat morale, & liberum dominium, eo ipſo, quod exhibuit tantùm reuerentiæ, quātùm iniuriæ illatum fuerat per peccata hominum, eo ipſo ſatisfecerit ex rigoroſa iuſtitia: vt exemplo manifeſtum fit in humanis; Si Dominus permitteret ſeruo, vt pro libito ſuo laboret, vel otietur, ſi dum habet libertatem acquireret aliquid, vtique poſſet ex iuſtitia cum Domino contrahere; Ita licet Deus habeat ſemper ſupremum dominium phyſicum; tamen quia reliquit liberum dominium Chriſto in omnia opera ſua, Chriſtus potuit ex iuſtitia ſatisfacere, & hæc reſponſio magis patet ex dictis in articulo præcedenti, eſt enim eadem difficultas.

12 Reſpondeo ſecundò, cum Ioanne à S.Thom. & alijs Thomiſtis, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Deus, qui erat creditor habebat dominium in omnia opera Chriſti, ſi entitatiuè, & vt res creatæ conſiderentur, concedo minorem, ſi conſiderentur vt ſunt à ſuppoſito diuino moraliter; nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: etenim illa opera Chriſti poſſunt conſiderari, dupliciter, & ſecundùm eſſe ſimplex ſuum, ſeu entitatiuè, vt res creatæ ſunt, & ſic fateor eſſe ſub dominio Dei, vel poſſunt conſiderari ſecundùm eſſe complexum, quod faciūt cum ſuppoſito diuino, à quo moraliter ſunt, & à quo moraliter informantur, & ſic ſunt propria Verbi ſuppoſitantis, & moraliter influentis, & ſub hac ratione non ſunt ſub dominio Dei, ſed ſunt propria Verbi, cui talia opera vnita ſunt, & per talia opera ſic conſiderata cum habeant valorem infinitum à Verbo, poteſt Chriſtus ſatisfacere ipſi Deo, & Verbo vt offenſo, eo modo quo ſupradictum eſt de tutore.

Quomodo opera Chriſti ſint propria Verbi & non ſint ſub Dei dominio.

13 Dices ex Vaſquez-Ille valor operum Chriſti, & opera omnia eius etiam terminatiuè conſiderata, vt faciunt complexum cum perſona Verbi pendent à Deo, ſicuti & humanitas etiam terminatiuè pendet à Deo: Sed quod pendet à Deo eſt ſub dominio Dei; ergo ſub quacumque ratione conſiderentur ſemper ſunt ſub dominio Dei.

Reſpondeo, quod talia opera ſub illa ratione, & ſecundùm eſſe complexum conſiderata pendent à Deo vt ſuppoſitante; non verò dependent vt à communiter cauſante, vel à tota Trinitate; ſicuti enim humanitas ſpeciali modo ſuppoſitatur à Verbo, quo modo non ſuppoſitatur ab alijs perſonis, ſic ſpeciali modo dependent actiones Chriſti à Verbo, quam dependeant ab alijs perſonis, & etiam quam dependeant à ſe, vt ſubſiſtente in natura diuina; & ſub illa ratione ſunt propriæ Verbi, vt ſubſiſtentis in natura humana, & ideò per eas poteſt optimè, & de toto rigore iuſtitiæ ſatisfacere.

14 Dices 2. Eſto ſub illa ratione explicata actiones Chriſti ſint propriè ſub dominio Verbi, vt ſubſiſtentis in natura humana; nihilominus Chriſtus per eas non poteſt ſatisfacere Deo ex iuſtitia: quod ſic probatur, quia vt ſit ſatisfactio ex iuſtitia, deberent talia opera, quæ ſunt ſub dominio peculiari Verbi vt ſubſiſtentis in natura humana, poni ſub peculiari dominio Dei: Sed quantumcumque Chriſtus offerat ea opera Deo, numquam ponet ea ſub peculiari dominio Dei, ſed tantùm erunt entitatiuè, & vt res creatæ ſub dominio generali Dei eo modo, quo eſſentialiter ſunt, etiamſi non fuiſſent Deo oblata; ergo per illa opera non ſatisfaciet ex iuſtitia.

Reſpondeo ad ſatisfactionem non eſſe neceſsè, vt talia opera ponantur intrinſecè ſub dominio Dei, ſed ſufficere, ſi ponantur extrinſecè, etenim in ſatisfactione Chriſti agitur de ſatisfactione honoris Dei; honor autem ſemper eſt in honorante; vndè ad huiuſmodi ſatisfactionem ſufficit, ſi tantum honoris tribuatur Deo extrinſecè, quantum iniuriæ illi illatum fuerat per offenſam; Iſte autem

autem honor redditur Deo per extrinſecam denominationem, qua redditur Deo humiliatio, & ſubiectio ſatisfacientis; ſic enim ſicuti honor extrinſecè ablatus fuit, etiam extrinſecè illi redditur, & huius extrinſecè acquirit dominiũ.

15 Obijcies 3. deeſſe quartam conditionem; Satisfactio ex iuſtitia non debet fundari in liberalitate creditoris: ſed ſatisfactio Chriſti erat huiuſmodi; ergo non fuit ex iuſtitia: probatur minor: tum quia Chriſtus ſatisfecit in quantùm habuit vnionem hypoſtaticam: hæc autem gratis data fuerat: tum quia gratis habuit auxilia, & dona ſupernaturalia, quibus actus redderentur ſupernaturales, tum quia gratia fuit, quod Deus acceptaret Chriſtum vt debitorem; cum Deus offenſus fuerit á genere humano, non à Chriſto.

Reſpondeo veram eſſe maiorem; Si ſatisfactio præcisè fundetur in liberalitate creditoris, & hæc liberalitas ſit in ipſo contractu; non verò, ſi non fundetur præcisè in gratia, & liberalitate creditoris, & hæc liberalitas, & gratia ſit ante contractum: in propoſito igitur, cum Deus ante contractum liberaliter donauerit humanitati vnionem hypoſtaticam; & alia dona ſupernaturalia, & etiam fecerit hanc gratiam, Chriſtum acceptandi; poſtquam Chriſtus habuit perfectum dominium morale horum omnium, potuit, vt etiam de facto fecit, inire contractum perfectæ iuſtitiæ cum Deo, vt remitteret offenſam, & largiretur dona ſupernaturalia, ſi mortẽ ſubiret; Cũ verò de facto Chriſtus omnia obtulerit Deo, & mortem ſubierit, ſequitur quod ex iuſtitia ſatisfecerit, & quod Deus ex iuſtitia teneatur remittere offenſam, & largiri dona, cum hoc totum fuerit ex contractu ſub conditione oneroſa, vt ſupradictum fuit.

16 *Dices*. Quando quis largitur pecuniam alicui, vt ſibi debitum ſoluat; tunc talis ſolutio ſecundùm humanam exiſtimationem non eſt vera ſolutio, ſed virtualis debiti remiſſio: Sed Deus omnia dona humanitati conceſſit, vt Chriſtus pro debito humani generis ſatisfaceret; ergo ſatisfactio Chriſti fuit virtualis debiti remiſſio, non autem perfecta ſatisfactio.

Reſpondeo, veram eſſe maiorẽ, ſi talis ſatisfaciat pręcisè per illã pecuniã, & creditor verè eã non donauerit: ſecus ſi non ſatisfaciat præcisè per illã pecuniã, & verè creditor, illã donauerit, itaut, qui debet ſoluere, verè habeat dominium illius: in propoſito igitur Chriſtus non ſatisfecit præcisè per dona accepta in humanitate, ſed ſatisfecit cum illis, vt faciebant complexum cum operibus elicitis ab humanitate, vt à principio *quo*, & à perſona, vt à principio *quod*; Ideo &c. & totum hoc patet exemplo, ſi quis donaret liberè ſuo debitori centum, & debitor cum illis negotiaretur, & lucraretur aliud, vtique hoc ſoluendo ex iuſtitia ſatisfaceret; imò etiamſi non negotiaretur, ſi ſupponamus factam fuiſſe liberam donationem ante contractum; ita à pari, cum Deus donauerit liberè humanitati Chriſti, & vnionem, & alia dona ſupernaturalia, & Chriſtus cum his bona opera infiniti valoris operatus ſit, ea Deo offerendo, ei adamuſſim, & ex toto rigore iuſtitiæ ſatisfecit.

17 Obijcies 4. Satisfactio debet eſſe ex illis bonis, quæ alio titulo creditori non debentur: ſed omnia opera Chriſti erant debita Deo multis alijs titulis, puta gratitudinis, obedientiæ, ſeruitutis &c. imò potuiſſent etiam eſſe debita titulo iuſtitiæ; nam potuiſſet Deus præcipere mortem humanitati titulo ſeruitutis, ſicuti eam præcepit Abrahæ circa filium ſuum; tunc autem deberetur ex iuſtitia; ergo per ipſam non poteſt ſatisfacere ex iuſtitia pro peccatis.

Reſpondeo conditionem illam verificari ſolùm de debitis alio titulo iuſtitiæ, non vero de debitis alio titulo alicuius alterius virtutis; etenim patet, quod quis poteſt ſuccurrere indigenti ex miſericordia, & ei etiam ſatisfacere ex iuſtitia, ſi illi tribueret pecuniam alias ex iuſtitia debitam. Ita Chriſtus Dominus potuit eadem ſatisfactione ſatisfacere omnibus alijs titulis, & etiam ſatisfacere ex iuſtitia, præcipuè cum ipſius merita ſint infinita. Quod verò Deus potuerit humanitatẽ obligare ex iuſtitia ad mortem, & hanc illi præcipere ratione ſeruitutis, ſicuti fecit Abraham, non obſtat, quod de facto non fuerit ſatisfactio ex iuſtitia, quia etiam de facto non fuit illi factum tale præceptum, & Chriſtus oblatus eſt, quia voluit. Addo, quod quamuis talis ſatisfactio fuiſſet debita titulo iuſtitiæ, adhuc tamen potuiſſet fieri ſatisfactio, cum fuerit infinita; infinitum autem ſimpliciter in aliquo genere, ad omnia ſufficit in eodem genere; tum quia per eamdem ſatisfactionem ad ſummum non poſſum ſatisfacere varijs titulis, quando tituli diuerſi multiplicant materiam, at quando non multiplicant poſſum ſatisfacere; ſic ſi quis debeat centum alicui Eccleſiæ, & voueat dare alia centum, non ſatisfacit dando ſolùm centum, ſed debet dare ducentum: at ſi quis debeat centum Eccleſiæ, & inſuper voueat dare eadem centum, & Iudex præcipiat illa dare: dando centum

Cum eadẽ re poteſt quis ſatiſfacere pro variis titulis.

tum

tum ſatisfacit, & titulo iuſtitiæ, & religionis, & obedientiæ: vnde licèt Chriſtus deberet ſua opera Deo titulo gratitudinis, obedientiæ, religionis, & iuſtitiæ, quia tamen iſti tituli cadebant ſuper eaſdem actiones, verè ijſdem operibus de rigore ſatisfecit.

ARTICVLVS XII.

An Deus potuerit Chriſti ſatisfactionem non acceptare.

1 HOc vltimum punctum remanet explicandum, vt videamus, quam perfecta fuerit ſatisfactio, & de omni rigore iuſtitiæ.

Prima opinio eſt Vaſquez hic diſp. 9. Amici diſp. 6. ſect. 8. Lugi diſp. 3. ſect. 10. num. 138. hæc docet ſatisfactionem Chriſti fuiſſe condignam, ſed cum potuerit à Deo non acceptari, per hoc non fuiſſe de rigore iuſtitiæ.

Secunda opinio, miſſis quibuſdam aliis, docet Deum præſcindendo à pacto potuiſſe quidem Chriſti ſatisfactionem non acceptare, verùm hoc non obſtare, quominus Chriſti ſatisfactio fuerit de toto rigore iuſtitiæ. Sic communiter Thomiſtæ, Ioannes à S. Thom. hic diſp. 2. art. 2. inquirendo de quinta conditione, Gabriel à S. Vincentio diſp. 1. dub. 17. §. 9. Gonet diſp. 4. artic. 4. §. 6. Suarez diſp. 4. ſect. 5. Arriaga diſp. 12. ſect. 3. & plures alij.

2 Concluſio prima. De facto Chriſti Domini ſatisfactio non potuit à Deo non acceptari; vnde neq; ex hoc capite deficit à rigoroſa iuſtitia. Probatur. Illam ſatisfactionem tenetur Deus acceptare, ad quam ſe obligauit per pactum initũ: ſed de facto adfuit pactum acceptandi ſatisfactionem à Chriſto Domino oblatam; ergo tenebatur illam acceptare: maior patet, & etiam minor ex pluribus ſcripturæ locis, & præſertim ex illo Iſaiæ. *Si poſuerit pro eo animam ſuam videbit ſemen longæuum*, & infra, *ideo diſpertiam ei plurimos*: poſito autem pacto acceptandi, cum Chriſtus condignam ſatisfactionem obtulerit, non potuit eam non acceptare, ſecus fuiſſet infidelis, & iniuſtus, ſicuti eſſet iniuſtus quis, qui pactum feciſſet cum aliquo de remittendo debitum ob equum v. g. ſublatum, ſi daret iuſtum pretium, & poſtea poſito iuſto pretio nollet tale pretium acceptare.

3 Concluſio 2. Præſcindendo à pacto potuit Deus Chriſti ſatisfactionem non acceptare; at non per hoc ſequitur, quod ſatisfactio non fuerit condigna, & de rigoroſa iuſtitia. Prima pars patet, quia præſcindendo à pacto illa opera poterant dirigi à Chriſto non ad ſatiſfaciendum pro peccatis hominum, ſed ad alium finem, v. g. ad oſtendendam gratitudinem, & obedientiam erga Deum; ergo nec etiam Deus tenebatur talia opera in ſatisfactionem acceptare, ſed propter alios titulos. Ex parte etiam Dei id patet, quia per peccatum Deus habuit ius exigendi ſatisfactionem à tali perſona peccante: ſed Chriſtus non erat perſona, quæ peccauerat; ergo potuit illius ſatisfactionem non acceptare: ſicuti in humanis, ſi quis ſit offenſus ab aliquo poteſt reſpuere ſatisfactionem oblatam per tertiam perſonam, etiamſi hæc ſit æqualis; & ſi quis abſtulit equum ab aliquo, etiamſi quis ei offerat iuſtum pretium, imo, & ſuperabundans, poteſt illud non acceptare: at ſi acceptet non ſequitur, quod tale pretium non fuerit de rigore iuſtitiæ, vel ſuperabundans, taliter vt iuſtè nullam aliam poſſit exigere ſatisfactionem; & ratio huius eſt, quia æqualitas, quæ attenditur tamquã medium iuſtitiæ, eſt æqualitas, & mediũ rei, & eſt illa, quam Deus vt iuſtus iudex iudicat eſſe æqualem: ſed Deus, vt iuſtus iudex non poteſt iudicare ſatisfactionem oblatam à Chriſto non fuiſſe æqualem offenſæ, cum fuerit non modo æqualis, ſed etiam ſuperabundans, vt etiam concedunt aduerſarij; ergo ſi fuit æqualis, fuit etiam de rigore iuſtitiæ. Quare quando aliquis facit actum iuſtitiæ ad alterum, ſiue acceptet, ſiue non, dummodo conſtituatur perfecta æqualitas inter ſatisfactionem, & debitum, remanet actus rigoroſæ iuſtitiæ; nec requiritur ad ſatisfactionem rigoroſam, quod ille, cui exhibetur, obligetur ex iuſtitia ad illam acceptandam, ſed ſufficit, quod non poſſit iuſtè maiorem exigere.

4 Explicatur hoc totum exemplo in humanis. Sit Petrus, qui læſerit Paulum in honore, vel quod ab eo abſtulerit aliquid, quod valeat centum; & vt ſatisfaciat pro honore veniam humiliter ab ipſo petat, & dicat ſe falſum dixiſſe, taliter vt ab hominibus prudentibus, & à iudice ipſo iudicetur adęquata ſatisfactio, & quod Paulus iuſtè non poſſit aliã exigere, inſuper pro centum, quę abſtulit reddat alia centum, vel centum viginti v. g. & quod nihilominus Paulus nolit has ſatisfactiones acceptare: per hoc, quod nolit acceptare, nõ ſequitur, quod à Petro eidẽ Paulo ex iuſtitia non fuerit ſatisfactum, cũ poſita fuerit æqualitas, & iudex ipſe dicat non poſſe Paulum aliam iuſtè exigere. Ita à pari, cum Chriſtus obtulerit ſatisfactionem æqualem, & ſuperabundantem, & Deus ipſe iudicet

eſſe æqualem, etiamſi vt ſupremus Dominus, & liber poſſit illam non acceptare non ſequitur, quod non fuerit ex rigoroſa iuſtitia.

5 Dices ſi quis ſit offenſus ab aliqua perſona habet ius in talem perſonam, vt ei ſatisfaciat; ſed Chriſtus non erat perſona offendens; ergo dum ipſum acceptauit pro ſatisfactore, liberaliter remiſit illud ius, quod habebat in genus humanum, quod ipſum offenderat: at qui vbi eſt liberalis remiſſio alicuius iuris in aliqua ſatisfactione non eſt ſatisfactio de rigoroſa iuſtitia; ergo ſi Deus in ſatisfactione Chriſti liberaliter remiſit illud ius, ſequitur apertè, quod ſatisfactio Chriſti Domini non fuerit de rigore iuſtitiæ.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Si quis ſit offenſus ab aliqua perſona habet ius in talem perſonam, vt ei ſatiſfaciat, ſi tale ius cadat ſupra rem, quam debet talis perſona, vel per ſe, vel per aliam tertiam dare, vt ponatur æqualitas eſſentialiter requiſita ad iuſtitiam, concedo maiorem: ſi tale ius cadat ſimpliciter ſupra perſonam ipſam offendentem, nego maiorem, ſcilicet perſonam offenſam habere ius verum, & rigoroſũ ſupra ipſam perſonam, vt perſona eſt, ſic enim habet tantùm ius aliquod accidentarium iuſtitiæ; concedo poſtea minorem, & diſtinguo conſequens; Deus acceptando Chriſtum remiſit ius eſſentialiter requiſitum ad iuſtitiam; nego conſequentiam: remiſit ius accidentale iuſtitiæ, concedo conſequentiam; remiſſio autem iuris accidentalis iuſtitię non tollit rigoroſam iuſtitiam, ſi ex alia parte ſeruetur æqualitas, vt verè ſeruata fuit in ſatisfactione Chriſti; vt patet in humanis, ſi quis alium læſit, vel in honore, vel in rebus fortunæ, & iuxta iudicium Iudicis, vel per ſe, vel per alium ſatisfaciat ad æqualitatem, offenſus non poteſt quicquam amplius iuſtè exigere, & de rigore offendens ſatisfecit; ita à pari in propnſito dicendum eſt.

6 Obijcies contra primam. A Deo non poſſe non acceptari ſatisfactionem Chriſti eſt Deum eſſe obligatum ad remittendam nobis iniuriam, nullam aliã poſſe exigere ſatisfactionem, & nos debere recipere in gratiam ſuam, ac dare ius ad gloriam; ſed hæc omnia non dãtur nobis, vt patet, etiam poſita ſatisfactione Chriſti; ergo ſignum eſt, quod Deus Chriſti ſatisfactionem non acceptauit.

Reſpondeo veram eſſe maiorem, quo ad ſufficientiam, non quo ad efficaciã; nam Deus remanet obligatus ad remittendum nobis iniuriam, nullam aliam ſimilem ſatisfactionem poteſt exigere; & tenetur dare nobis gratiam, & gloriã: verum cum Chriſtus Dominus hanc ſuam ſatisfactionem obtulerit Deo cum hac conditione, ſi applicabuntur merita ipſius certis perſonis, & Deus hoc pacto, & nulla alia ratione talia merita acceptauerit; hinc eſt quod quo ad efficaciam nos non recipit in gratiam, nec nobis remittit offenſam, niſi applicentur merita Chriſti mediantibus ſacramentis noſtris, & operibus ex gratia factis.

7 Obijcies 1. contra 2. Offenſus nõ poteſt non acceptare ſatisfactionem exhibitam ab offendente, ſi ſit condigna: ſed Chriſtns obtulit ſatisfactionem condignam, & erat caput noſtrum, vnde cenſebatur noſtrum propria; ergo Deus tenebatur illam acceptare.

Reſpondeo latere æquiuocationem in maiori, ſi velit dicere, quod non eſt in poteſtate offenſi, quod non ponatur æqualitas, & non reſarciatur offenſa per ſatisfactionem in hoc ſenſu vera eſt maior: ſi velit dicere, quod offenſus debeat elicere actum, quo acceptet vt cõdignam ſatisfactionem oblatam, falſa eſt maior, etiam in humanis, nam poſita ſatisfactione æquali, qua reddatur honor alicui, non per hoc tenetur offenſus elicere actum, quo remittat iniuriam, & acceptet talem ſatisfactionem, cum liber ſit, & poſſit talem actum non elicere; non poterit tamen ex iuſtitia aliam ſatisfactionem exigere, cum oblata ſupponatur æqualis; ita hoc multò magis poteſt dici de Deo, cum ſatisfactio oblata à Chriſto poſſit ab ipſo acceptari varijs alijs titulis; ſicuti à Chriſto varijs titulis offerri.

6 Obijcies 2. Si ſatisfactio Chriſti Domini potuit non acceptari, ſequitur, quod non fuerit perfectiſſima ad impetranda nobis dona gratiæ, & gloriæ; ſed verè vt ſupra probatum fuit, Chriſti ſatisfactio fuit perfectiſſima, imo & ſuperabundans; ergo non indigebat acceptatione Dei.

Reſpondeo negando ſequelam; nam aliud eſt, quod non fuerit perfectiſſima, condigna, & æqualis, imo & ſuperabundans ad impetrandam nobis veniã, gratiam, & gloriam, & hoc falſum eſt, nam verè fuit, etiam præciſa Dei acceptatione: aliud eſt, quod coegerit Deũ, ita vt non poſſet eam non acceptare, & dico non coegiſſe propter rationes aſſignatas; verùm hoc non tollit rigorem iuſtitiæ, nam adæquatè poſita fuit æqualitas; vnde promiſſio, & pactum requirebantur, non ad augendum valorem operum Chriſti, ſed vt determinaretur obla-

Digitized by Google

oblatio operũ Chriſti ad ſatisfactionem ex iuſtitia, cum præſcindendo à pacto poſſet Deus illam ſatisfactionem exigere à Chriſto Domino pluribus alijs titulis.

QVÆSTIO III.

De Dominicæ Incarnationis motiuo.

NOn ob ingenij curioſitatem diuinum hoc ſcrutari debemus conſilium, vt quibuſdam fortaſſe hæc quæſtio videbitur, ſed ſolùm, vt diuinũ eius decretum ex Scripturis, & Patribus colligentes, finem etiam colligamus, ratione cuius *Verbum caro factum eſt*: vt inde diuini amoris erga nos immenſitatem cognoſcentes, in eiuſdem viciſſim amore magis, magiſque inflammemur.

ARTICVLVS I.

An ſi Adam non peccaſſet Chriſtus incarnatus fuiſſet.

1 QVæſtio iſta nõ eſt de poſſibili, nempe an potuerit Deus mittere Chriſtum, ſi Adam non peccaſſet, clarum enim eſt, Deum potuiſſe mittere Chriſtum, cum hoc non implicet, & pendeat purè à ſola voluntate Dei. Neque quæſtio præſens inquirit abſolutè, quid Deus feciſſet, ſi homo nõ peccaſſet; etenim cum etiam hoc pendeat ex libera voluntate Dei, eſſet ſcrutari temere conſiliũ Dei; *Quis enim cognouit cognouit ſenſum Domini*? ad Rom. 11. vnde D. Thom. in cap. 1. Epiſt. 1. ad Timoth. habet. *Neſcimus quid ordinaſſet, ſi non præcurriſſet peccatum*. Quæſtio igitur celeberrima inter Theologos eſt, an quando ab æterno Deus habuit decretum de incarnatione, tale decretum habuerit tantùm in remedium peccati, ita vt illud fuerit cauſa finalis motiua incarnationis; an verò decreuerit incarnationem propter aliquem alium finem, v.g. propter excellentiam ipſius myſterij, & ſecundariò poſtea pro ipſo peccato decreuerit Chriſtum mittere, vt paſſibilem, & Redemptorem, vel tertiò propter aliquem alium finem Chriſtum miſerit, & hoc ex vi huius decreti, quod de facto habuit, an ſcilicet non exiſtente peccato adhuc futura eſset incarnatio.

2 Scotus in 3. diſt. 7. Henrincx tom. 4. diſp. 1. quæſt. 7. & communiter omnes Scotiſtæ, Alenſis 3. p. quæſt. 2. mem. 13. Albertus Magnus in 3. diſt. 10. q. 5. & plures alij aſſerunt primarium finem, & intentionẽ, ratione cuius venit Chriſtus, fuiſſe ad manifeſtanda attributa ſua, gloriam, & excellentiam huius myſterij: præciſo verò peccato Deum prædeſtinaſſe Chriſtum venturum non quidem ſimpliciter, ſed paſſibilem, & in remedium: hanc in re ſequitur Suarez diſp. 5. & diſcrepat à Scoto ſolùm in hoc, quod vult cauſam adæquatam aduentus Chriſti non ſolùm fuiſſe excellẽtiam myſterij, ſed inſuper præuiſo peccato Deum decreuiſse mittere Chriſtum non ſolùm ſecundùm circumſtantiam paſſibilitatis, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam, ita vt non ſolùm excellentia huius myſterij, ſed etiam remedium peccati fuerint cauſæ motiuæ, & adæquatæ mittendi Chriſtum, cum Suarez conueniunt Iſambertus, Martinonus, & alij recentiores.

D. Thom. hic ar. 3. Caiet ibidem. Ioan. à S. Thom. hic diſp. 3. ar. 2. Gonet diſp. 5. Gabriel à S. Vincentio diſp. 1. dub. 18. & communiter omnes Thomiſtæ, Valentia quæſt. 1. par. 2. Vaſquez diſp. 10. Lugus diſp. 7. Amicus diſp. 7. Arriaga hic diſput. 14. ſect. 2. Tannerus diſp. 1. quæſt. 1. Gaſpar Hurtadus diſp. 1. diff. 25. Eſparza lib. 9. quæſt. 18. & plures alij recentiores ſuſtinent, quod ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus incarnatus non fuiſſet, licèt poſtea in hoc explicando variè diuiſi ſint.

5 Concluſio. Si Adam non peccaſſet ex vi præſentis decreti Chriſtus non veniſſet. Probatur ratione D. Tho. De hoc decreto diuinæ incarnationis in tantùm poſſumus loqui, in quantùm illud nobis innoteſcit ex Scripturis, & Patribus; eſt enim ex illis myſterijs, quæ à ſola libera Dei voluntate dependent: ſed ſcripturæ, & Patres, dum de hoc myſterio loquuntur, nullam aliam aſſignant cauſam aduentus Chriſti, niſi liberationem à peccato, & redemptionẽ humani generis; ergo ex vi præſentis decreti, quod Deus habuit, ſi Adam non peccaſſet, neque opus fuiſſet hominem redimere, & à peccato liberare, & ſic ceſſante cauſa motiua Chriſtus non veniſſet. Probatur minor varijs locis Scripturæ, & Patrum. Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*. Marci 8. *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem pro multis*. Io. 3. *Non enim miſit filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*; & plura alia ſcripturæ loca poſſunt adduci, quæ idem probant. Accedit Symbolum fidei, vbi dicitur. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, & homo factus eſt*; & in hymno antiquo B. V. Eccleſia canit.

Peccatores non abhorres,

Digitized by Google

Sine quibus numquam fores.
Tanto digna filio.

4 Dices: omnia iſta loca poſſunt ſaluari de aduentu Chriſti in carne paſſibili, quare nihil probant. Sed contra primò, quia Symbolum docet, quod propter noſtram ſalutem factus eſt homo ſimpliciter; & locus Ioan. dicit, quod Chriſtus non venit, vt iudicet mundũ, ſed vt ſaluetur, & tamen certum eſt, quod Chriſtus mundum iudicabit; ergo ſi excludit à cauſa motiua iudicium mundi, & ponit redemptionem, ſignum eſt, quod hæc ſit cauſa ſola, cum nullam aliam ſcriptura ponat; tum quia hæc expoſitio non poteſt adaptari hymno, quod de B. V. Eccleſia canit; nam dicit, quod ſine peccatoribus non foret tanto digna filio; ergo peccati remedium ſolùm fuit Chriſto cauſa motiua veniendi; ſecus ſi non fuiſſet remedium peccat; vnica cauſa motiua, adhuc præciſo peccato Beata Virgo potuiſset eſse digna tanto filio in carne impaſſibili. Dicere verò, quod tunc veniſſet Chriſtus, ſed quod natus fuiſset ex alia matre, eſt reſponſio, quæ gratis, & ſine vllo prorſus fundamento fingitur.

5 Tandẽ huiuſmodi reſponſionẽ non admittunt plures ſancti Patres, qui non ſolùm dicunt Chriſtum veniſſe propter noſtram ſalutem, ſed quod abſolutè non veniſſet, ſi Adam non peccaſſet. Etenim Irenæus lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 14. ſic habet. *Si non haberet caro ſaluari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.* Athanaſius oratione 3. contra Arrianos. *Quod autem filius Dei homo factus eſt, numquam accidiſſet, niſi hominum neceſſitas cauſam præbuiſſet.* Auguſtinus in in Pſalm. 36. conc. 2. *Si tu ò homo non dimitteres Deum, non fieret pro Deus homo.* & Serm. 7. de Verbis Apoſtoli. *Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat: Si homo non præijſſet, filius hominis non veniſſet,* & Serm. 9. *Nulla cauſa veniendi fuit, niſi peccatores ſaluos facere.* Idem docet in oratione ad B. V. Præterea idem ſentiunt D. Amb. lib. de Incar. c. 6. Leo Papa Serm. de Nati. Petrus Cellenſis in lib. de Patribus. Rupertus Abbas de operibus Spiritus Sancti cap. 6. & plures alij.

6 Replicabis ibi aſſignari cauſam aliquam adæquatam aduentus Chriſti in carne paſſibili; at hæc loca non probare Chriſtum non fore venturum in carne impaſſibili. Sed contra, vt bene aduertit Arriaga, Patres non dixerunt *non mortuus fuiſset Chriſtus; veniſſet paſſibilis,* ſed directè, & abſolutè, *non veniſſet, nõ fuiſſet Incarnatus filius Dei, non fieret caro, ſanguis &c. & nullã aliã cauſam habuit veniendi;* ergo explicare hæc loca dicendo, quod non veniſſet in carne paſſibili, eſt omnino improbabilis, & nimis extorta explicatio.

7 Dices 1. cum Suarez Deum miſiſſe filium ſuum in mundum propter duas cauſas totales, nempe & propter manifeſtandam excellentiam myſterij, & propter remedium peccati, & redemptionem noſtram; non enim implicat, quod idem effectus ſit à duplici cauſa finali etiam naturaliter; ſic medicus aliquis poteſt venire Romam, & propter inuiſendum filium ægrotum, & propter negotium aliquod graue, quod debet in hac curia expedire. Sic Samuel 1. Reg. 16. cũ deberet ire Bethleem ad vngendum Dauid in Regem, & timeret Saulem, dixit ei Dominus. *Vitulum de armento tolles in manu tua; dices: ad immolandũ Domino veni.* Ecce cauſa veniendi præcipua erat vnctio Dauid in Regem, & intentio ſacrificandi erat minus præcipua; & nihilominus Samuel dixit ſolùm, quod cauſa aduentus ſui in Ciuitatem Bethelеem eſſet ad immolandum Domino; ergo etiam cum veritate poſſunt ſcripturæ, & Patres dicere Chriſtum veniſſe propter ſalutem, & redemptionem noſtram, cum verè propter hanc cauſam venerit ſaluandi nos, & quod nihilominus venerit etiam propter aliam cauſam, nempe propter excellentiam myſterij, ita vt propter hanc ſolam eſset venturus, ſi Adam non peccaſſet. Sed contra primò. Eſto, quod idem effectus poſsit eſſe à duplici cauſa totali finali, & quod medicus poſsit venire Romam propter curationem filij infirmi, & propter negotium graue, quod hic expedire debeat, & quod Samuel propter duos fines totales profectus ſit Bethleem, & ad vngendũ Dauid Regem, & ad immolandum Domino, & quod potuerit reticere vnum motiuum, & ſolùm dicere; *ad immolandum Domino veni*, & hoc cum veritate: nihilominus non potuiſſet cum veritate dicere; *ad immolandum Domino veni, & non propter aliam cauſam;* nam ſi hoc dixiſset, falſum dixiſſet; cum etiam propter finem præcipuum profectus ſit Bethleem, vt vngeret Dauid in Regem: Atqui Patres dicunt nullam aliam cauſam veniendi Chriſto fuiſse, niſi redemptionem. Sic Ambroſius de Incarnatione habet. *Nam quæ erat cauſa incarnationis, niſi vt caro, quæ peccauerat per ſe redimeretur?* & idem dicunt Auguſtinus, Irenæus, & alij ſupra adducti; ergo non niſi ſiniſtrè poſsunt intelligi in ſenſu intento à Suarez, & alijs, qui ipſũ ſequuntur.

Con:

Digitized by Google

8 **Contra 2.** Vel Deus quando habuit decretum mittendi Chriſtum propter excellentiam myſterij, in eodem ſigno etiam voluit mittere in remedium peccati, & vt Redemptorem, vel non, & tantùm pro primo ſigno voluit illum mittere propter excellentiam myſterij: Si hoc ſecundùm dicatur; ergo repugnat, tum ex parte Dei, tum ex parte Chriſti, quod pro ſecundo ſigno decernat ipſum mittere vt Redemptorem: probatur conſequentia, quo ad primam partem: hoc decretum mittendi Chriſtum propter excellentiam myſterij fuit decretum efficax in Deo mittendi ipſum Chriſtum vt impaſsibilem, in ſecundo ſigno verò, quo decreuit mittere ipſum vt Redemptorē, decreuit mittere ipſum vt paſſibilem; ergo mutatum fuit decretum, quod inuoluit aliquam mutationem, vel ſaltem inconſtantiam in Deo: atqui neque mutationem, neque inconſtantiam in Deo poſſumus admittere, cum Deus ſit immutabilis, & conſtans in omnibus actibus ſuis; ergo non poſſumus vllo modo dicere in primo ſigno voluiſſe Chriſtum efficaciter, vt impaſſibilem, in ſecundo paſsibilem: probatur modo eadem conſequentia, quo ad ſecundam partem: implicat, quod Chriſtus veniat in mundum, & impaſſibilis, & paſſibilis: ſed per primum decretum debet Chriſtus venire, vt impaſſibilis, per ſecundum, vt paſſibilis: ergo etiam ex parte Chriſti repugnant huiuſmodi decreta efficacia. Si verò dicatur primum, nempe, quod in eodem ſigno, in quo voluit mittere Chriſtum propter excellentiam myſterij, voluerit etiam mittere vt Redemptorem, ſequitur clarè, quod non exiſtente peccato non veniſſet Chriſtus, quod probatur; quia ablata cauſa finali motiua alicuius effectus tollitur, & effectus ipſe: ſed redēptio humani generis fuit cauſa motiua, qua Chriſtus veniret; ergo hac ablata non fuiſſet Deo motiuum habendi tale decretum, & ſic nō veniſſet. Quare ad exemplum de filio Regis, quod aliqui afferūt, concedo quidem, quod Rex poſſit mittere filium ſuum Romam, & vt negotium graue tractet cum Pontifice, & vt honoretur tamquam filius Regis à Principibus Romanis, & populo: at ſicuti implicat, quod Rex mittat filium ſuum, & armatum, & ſine armis, ita implicabit, quod Chriſtus mittatur, vt impaſsibilis, & vt paſsibilis.

9 Dices 2. cum Auerſa quæſt.6.ſec.2. & alijs. Incarnationem vt ſic, præſcindendo ab hac, vel illa perſona diuina, ab hac, vel illa natura humana in indiuiduo, fuiſſe decretam à Deo nullo præuiſo Adami peccato: at incarnationem eo modo, quo facta eſt cum perſona Verbi, & cū tali natura humana in carne paſsibili fuiſſe decretam poſt præuiſio, nē peccati Adæ. Sed contra, quia hic loquimur de decreto efficaci, vi cuius poneretur à parte rei incarnatio ipſo immutato manente: ſed non poteſt incarnatio poni à parte rei, vt præſcindit ab hac, vel illa natura, ab hac, vel illa perſona; ergo neque etiam poteſt efficaciter decerni. Confirmatur, quia Deus eſt perfectiſsimè ſapiens, ergo dum decernit aliquid ponendum à parte rei, debet videre vti eſt poſsibile à parte rei, & eo modo illud decernere: ſed Deus clariſsimè videt Chriſtum non poſſe poni à parte rei, niſi vel ponatur impaſsibilis, vel paſsibilis; ergo dum decernit ipſum ponere, debet decernere ipſum ponere, vel impaſsibilem, vel paſſibilem; cum vt ſic præſcindendo à paſſibilitate, vel impaſsibilitate poni non poſſit.

10 Obijcies 1. Decretum permiſſionis peccati Adæ fuit poſt decretum permiſsionis peccati Angelorum, nam Adam ſuadente diabolo peccauit: ſed decretum permiſſionis peccati Angelorū fuit poſt decretum vnionis hypoſtaticæ; nam vt diximus in tractatu 3. de Angelis, ipſis in via reuelatum fuit hoc myſterium, & inſuper ibi diximus etiam fuiſſe obiectum peccati Angelorum; eo quod Chriſtum noluerunt recipere in Dominum, & Regem, & illi ſe ſe ſubmittere: ergo ſi fuit reuelatum hoc myſterium Angelis, & fuit obiectum peccati eorumdem, etiam fuit decretum ante peccatum, quia obiectum eſt prius operatione circa illud: ſi fuit autem decretum ante peccatum, etiamſi non extitiſſet peccatum, veniſſet, quia decretū illud erat efficax. Confirmatur, quia Adamo ante lapſum reuelata fuit incarnatio, & habuit fidem Chriſti, vt docet D. Thom. 2.2. quæſt. 2.art.7. & tradunt communiter Doctores, dum explicant illud Geneſis 3. *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea*, quibus Verbis magnum myſterium ſignificatum eſſe docet Apoſtolus ad Eph. 5. nempe coniunctionem Chriſti cum Eccleſia; ſed non fuit reuelatus, vt Redemptor; cum non fuerit præſcius proprij caſus, vt cōmuniter tradunt omnes Scholaſtici; ergo verè datur alia cauſa, quæ illi reuelata fuit. Quare ſi tunc Adamo propoſita fuiſſet huiuſmodi quæſtio. *Si tu non peccabis, veniet ne Chriſtus?* vtique reſpondiſſet affirmatiuè; & potius ipſe dixiſſet, Chriſtum non venturum, ſi peccaſſet; ergo verè dicēdum eſt dari cauſā incarnationis diuerſam à cauſa redemptionis.

Reſ-

Reſpondeo hoc argumentum nihil probare, nam ſiue concedamus, quod decretum permiſſionis peccati Adę fuerit poſt decretum permiſsionis peccati Angelorum, & hoc poſt decretum incarnationis, de quo in articulo ſequenti, ſiue negemus, & dicamus contrariũ, certè potuit reuelari Angelis, & Adamo exiſtentia Chriſti ſecundùm ſe; nam decretum, licèt ſit poſterius in executione, potuit, vt erat in intentione, reuelari, ſicuti negatio Petri fuit reuelatione poſterior; nego autem fuiſse, vel Angelis, vel Adamo reuelatam cauſam; fuit enim eis reuelatum tantùm, quod Chriſtus debebat eſse eorum caput, & Princeps, à quo debebant recognoſcere omnem gratiam, & gloriam, quia hoc ſufficiebat, ad hoc vt haberent fidem de hoc myſterio. Ad id quod ſubiungitur, quod ſi tunc Adamo propoſita fuiſset hæc quæſtio. Si peccabis veniet ne Chriſtus? dico quod non potuiſset reſpondere, neque affirmatiuè, neque negatiuè, niſi diuinando: quia hoc ei non fuerat reuelatum, & dependebat à libera voluntate Dei.

Chriſtus reuelatus fuit Angelis, & Adamo vt eorũ Princeps, & caput.

11 Dices: Eſt naturale homini, & Angelo cognito effectu velle cognoſcere cauſam; ergo ſi fuit reuelatum hoc myſterium Angelis, & Adamo, debuit etiam reuelari cauſa, ſecus anxij fuiſſent de cognoſcenda cauſa, quæ anxietas pugnat cum tali ſtatu innocentiæ: ergo ſi Deus reuelauit myſterium, & cauſam reuelare debebat.

Reſpondeo eſſe naturale homini, & Angelo, velle cognoſcere cauſam cognito effectu, quando effectus intrinſecè à cauſa dependet, non verò, quando tantùm dependet ex extrinſeca Dei voluntate; & ratio huius eſt, quia cognitio cauſæ cognito effectu conuenit naturæ Angelorum, & Adami in illo ſtatu; non verò cognitio actuum liberorum, & ideo nullam anxietatem habuiſſent, cum præſertim cognouiſſent Chriſtum, à quo debebant recognoſcere omnem gratiam, & gloriam, & ſufficit, quod hanc cauſam cognoſcerent, licèt hæc non fuerit adæquata, & quamuis adæquatam cauſam non cognouerint, attamẽ diuinæ ſe debebant conformare voluntati.

12 Obijcies 2. Auguſtinus lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia cap. 21. habet. *Matrimonium in ſtatu innocentiæ fuiſſe Sacramentum (hoc eſt ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, & habiturum illud bonum in ſtatu innocentiæ, ſi duraret*; ergo etiamſi Adam non peccaſſet fuiſſet Chriſtus caput, & ſponſus Eccleſiæ.

Reſpondeo Auguſtinum in tali loco nullo modo fauere ſententiæ contrariæ. Nam Auguſtinus non aſſerit, quod etiamſi non fuiſſet peccatum, futurum nihilominus fuiſſet matrimonium tamquam ſignum Chriſti futuri, ſed tantùm probat à bonis coniugij non propagari peccatum in paruulis; poſtquam enim enumerauit bona, interque aderat ſignificatio coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, concludit caput illud his verbis. *Quid horum eſt in nuptijs vnde peccati macula tranſiret ad poſteros?* ex tali autem ſignificatione, quæ conueniebat matrimonio ante peccatum actuale Adami, non deſumitur, quod Chriſtus eſſet venturus nullo exiſtente peccato; nam potuit talis ſignificatio illi conuenire ante actuale peccatum præuiſum. Adducuntur etiam alij Patres, vt Rupertus, & Cyrillus lib. 5. theſauri cap. 8. verùm Ruperto opponuntur tot Patres, & Sancti, vt ſupra vidimus; & D. Cyrillus non opponitur noſtræ ſententiæ, vt art. ſequenti videbimus, & ſolùm docet. Chriſtum fuiſſe fundamentum noſtræ iuſtificationis, quod veriſſimum eſt.

13 Obijcies 3. ordinatè volens prius vult finem, quam media, & inter media prius vult propinquiora fini, quam alia: ſed vltimus finis operum Dei eſt ipſius gloria, & Deus ipſe; medium autem propinquius ad hanc gloriam aſſequendam eſt incarnatio; ergo cum Deus ordinatiſſimè velit omnia, prius debet velle incarnationem, quam alia. Confirmatur, quia repugnat, quod Chriſtus ſit ens occaſionatum; ſed data noſtra opinione eſſet ens occaſionatum; eſſet enim decretum dependenter ab occaſione peccati; ergo dicendum eſt volitum fuiſſe Chriſtum propter excellentiam myſterij.

Reſpondeo in agente libero, quale eſt Deus reſpectu omnium, quæ ſunt extra ipſum, non eſſe ſemper verum, quod prius velit media propinquiora fini, nam poteſt velle, & ordinare media eo modo, quo vult; eſt enim agens liberum, non neceſſarium, nec ad ponendam incarnationem fuit neceſſitatus Deus, vnde eam poſuit, quia voluit, cum potuerit eam non ponere, & tantùm ponere Angelos, vel tantùm homines, vel etiam nihil horum, vnde poteſt negari maior abſolutè: data verò, & non conceſſa maiori; negatur minor; etenim medium propinquius eſt incarnatio, ſed vt remedium peccati: ſic enim magis elucent attributa diuina, præſertim miſericordia cum iuſtitia coniuncta, quæ duo attributa non ita emicuiſſent, ſi Chriſtus non veniſſent vt Redemptor.

Obij-

Digitized by Google

14 Obijcies 4. ſi Chriſtus Dominus debuiſſent venire tatum ſuppoſito peccato, ſequitur quod Chriſtus debuiſſet gaudere, vel ſaltem potuiſſet gaudere de huiuſmodi peccato, tamquam de illo, ſine quo non extitiſſet: ſed hoc nullo modo dici poteſt de Chriſto; ergo neque dici debet, quod Chriſtus non veniſſet, niſi ſuppoſito peccato. Confirmatur 1. excellentia myſterij Incarnationis eſt obiectum ſufficiens, vt ametur à Deo independenter à quacumque circumſtantia peccati; ergo de facto ita amata fuit à Deo excellentia huius myſterij. Confirmatur 2. ſi non extitiſſet peccatum, & extitiſſent Angeli, & homines, non autem Chriſtus, ſequeretur, quod Deus magis æſtimaſſet Angelos, & homines, quam Chriſtum: hoc autem eſt abſurdum, vt de ſe patet: ergo & vnde ſequitur.

Reſpondeo negando ſequelam maioris; nam cum voluntas Chriſti ſit ordinatiſſima non potuit complacere in malo culpæ, quod non eſt obiectum complacentiæ, ſed tantùm poterat complacere in eo, quod ad deſtruendum peccatum fuerit ipſe à Deo miſſus. Ad confirmationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam; etenim etiam mundus perfectior, & alia vnio hypoſtatica ſunt obiecta ſufficientia, vt amentur, & tamen cum ſit liberum Deo ea producere, non producuntur; ita & de excellentia huius myſterij dici poteſt. Ad ſecundam confirmationem nego ſequelam, & ratio negationis patet manifeſto exemplo: Rex creat aliquos Comites ex familiaribus ſuis, & non vult creare Principes, aut Duces, cum tamen poſſit; ergo magis æſtimat Comites, quam Principes; falſa conſequentia; imo quia magis æſtimat Principes, non vult eos creare, cum ei ſit liberum; ita & de Deo dici poteſt. Plura alia poſſent in contrarium obijci, quæ tamen facilius innoteſcent ex dicendis in ſequenti articulo.

ARTICVLVS II.

Quale fuerit primarium motiuum Incarnationis Verbi Diuini.

1 SVb varijs terminis, qui tamen omnes in idem recidunt, proponitur à Doctoribus hæc difficultas; nam alij inquirunt, quo ordine decreta fuerit incarnatio; alij quem ordinem habeat Chriſtus Dominus in diuina prædeſtinatione; alij quænam ſit ſeries ſignorum rationis ad prædeſtinationem Incarnationis pertinentium; alij aliter hanc difficultatem proponunt, ſed re vera omnes idem inquirunt, vt conſideranti patet.

2 In hac difficultate explicanda in tot abiere ſententias ſcholaſtici, vt dici poſſit, quot capita, tot ſententiæ; antequam ponamus ſcholaſticorum varia placita.

3 Suppono hic in actibus diuinis intellectus, & voluntatis, vt diximus in tractatu de Deo vno de voluntate, & prædeſtinatione diuina, aſſignari quædam inſtãtia, & ſigna rationis, per quæ diſtinguimus tales actus ſecundùm prius, & poſterius; nam licèt Deus vnico actu ſimpliciſſimo in omnia obiecta cognita, & volita feratur, tamen talem actum in multiplices intellectiones, & volitiones diſtinguimus, vel ex natura ipſius intellectus, & voluntatis ſecundùm analogiam, & proportionem ad actus noſtros, etenim ſicut in nobis actus intellectus eſt prior actu voluntatis, quia nihil volitum, quin præcognitum, ita & hoc dicimus quoque de Deo, vel ex eo, quod vnus actus ſit cauſa alterius, ſic volitio finis eſt prior volitione mediorum, quia volitio finis eſt cauſa volitionis mediorum; vel tertiò poteſt eſſe ordo prioris, & poſterioris in actibus diuinis per ordinem ad varia obiecta, ad quæ terminatur; ſicuti enim in ipſis obiectis poteſt eſſe ordo prioris, & poſterioris, ita & in actibus diuinis eſſe poteſt per ordinem ad eadem obiecta, & ad modum cognoſcendi noſtrum creatum: hæc autem diſtinctio actuum diuinorum, ſeu hic ordo prioris, & poſterioris, ideo ponitur in actibus diuinis, non quia verè ſit; per vnum enim ſimpliciſſimum actum omnia intelligit, & vult, ſed quia, cum nos ſimus finiti in intelligendo, & volendo, non poſſumus clarè tales actus diuinos explicare, niſi in plures diſtinguendo ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris. Hoc poſito.

5 Primus modus dicendi eſt Caiet. Medinæ, & aliorum hic ar. 3. qui ponunt tres ordines; primus ordo eſt naturæ cum omnibus ſuis defectibus, & virtutibus naturalibus, in quo ſigno cum non intelligatur homo aptus ad beatitudinem, ei dat gratiam, & ponit ordinem gratiæ, qui eſt ordo ſecundus; in tertio denique ponit Deum tamquam auctorem gratiæ. Quare vult Caietanus, quod in primo ſigno Deus præuiderit Adamum cum omnibus ſuis bonis, & defectibus naturalibus, & per conſequens cum peccato, quia peccatum non eſt ex gratia. In ſecundo præuiderit ipſum ornatum gratia. In tertio prædeſtinauerit Chriſtum, & ſic docet præuiſionem pecca-

peccati eſſe prius, quam decretum incarnationis. Verùm iſte modus explicandi, quem defendit etiam Ioannes à S. Thom. hic diſp.3.ar.3.num.24. Sic poteſt impugnari, quia Caietanus vult prius præuideri ea, quæ ſpectant ad ordinem naturalem, quam quæ ad ordinem gratiæ, & hæc prius, quam illa, quæ ſpectant ad ordinem vnionis: ſed hoc eſt impoſſibile; ergo nullo modo dicendum: probatur minor; inter ea, quæ ſpectant ad ordinem naturalem ſunt omnia peccata: ſed hæc omnia non poterant cognoſci ante incarnationem, cuiuſmodi ſunt illa, quę commiſſa fuere à Iudeis crucifigentibus Chriſtum, quæ à Tyrannis contra martyres, & ab hæreticis circa myſterium incarnationis, vel circa aliquod myſterium ab vnione dependens; nam hæc ſupponunt iam incarnationem; tum quia dantur multa naturalia, quæ nullam habent connexionem cum incarnatione, vt monſtra, & quædam alia: tum quia in ordine gratiæ actus fidei, ſpei, & charitatis ſupponunt Chriſtum multoties: ergo non eſt ſemper verum, quod Deus præuiderit ordinem naturæ, deinde gratiæ, tertiò vnionis.

5 Dices ex Ioanne à S. Thoma, Quando Caietanus dicit, quod ordo naturæ antecedit ordinem gratiæ, & hypoſtaticum, loquitur in ſenſu formali, nimirum ſub præciſa ratione naturali, ceterum, ſi conſideretur vt induit aliquem reſpectum ad vnionem hypoſtaticam, non antecedit. Sed contra: ordo naturæ, vt dicit reſpectum ad vnionem hypoſtaticam adhuc ordo naturæ eſt; ergo ordo naturæ etiam in ſenſu formali non ſemper antecedit ordinem hypoſtaticum.

6 Secundus modus dicendi eſt Scoti in 3. diſt.7.q.3. & diſt.19. q. 1. & Scotiſtarum communiter; hic modus ponit ſex inſtantia. Primum eſt, in quo Deus amauit ſe vt ſummum bonum, & creaturis communicabile: In ſecundo voluit incarnationis opus, & in hoc inſtanti volunt Scotiſtæ Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum: in tertio voluit creare mundum: in quarto prædeſtinauit aliquos ad gloriam, & circa alios negatiuè ſe habuit: In quinto præuidit peccatum Adæ futurum: in ſexto in remedium peccati deſtinauit Chriſtum, non ſimpliciter mittere, ſed paſſibilem. Sed cõtra, quia contra hunc ordinem militant ea, quæ diximus articulo præcedenti in probando noſtram concluſionem: tum quia ſecundum ſignum nullo modo poteſt ſtare eo modo, quo ponitur. Quod ſic probatur; quia qui vult totum, debet vel voluiſſe, vel ſaltem ſimul velle partes: ſed in eo ſigno non ſupponitur Deum voluiſſe naturam humanam, quæ eſt pars eſſentialiter requiſita ad conſtituendum Chriſtum, nec in eodem ſigno eam voluit, quia in eodem ſigno nec ſupponitur Deum voluiſſe creare mundum, aut Adamum, & poſteros; ergo ſi in eo ſigno non ſupponitur Deum voluiſſe, aut velle naturam humanam, nec etiam poteſt ſupponi vt volens Chriſtum.

7 Tertius modus dicendi ſit Petri Hurtadi diſp.13.ſec.2. quem ſecutus eſt Auerſa loco ſupracitato articulo præcedenti. Hi Doctores volunt Chriſtum Dominum fuiſſe primum volitum à Deo, ita tamen vt in primo ſigno Deus voluerit Chriſtum abſtrahendo tamen ab hoc, quod fuerit paſſibilis, vel impaſſibilis. Hunc modum reiecimus ſupra articulo præcedenti à n.9. Quia tamen Arriaga hic diſp.15. ſect.1.num.6. argumentum, quo nos impugnauimus hanc opinionem conatur ſoluere; inquit enim paſſibilitatem, & impaſſibilitatem eſſe accidentia humanitatis Chriſti, ſicuti ſunt albedo, & nigredo, & quemadmodum poteſt poni in rerum natura Chriſtus, abſque eo, quod ſit albus, vel niger, vel alterius coloris, ita potuit poni à parte rei, abſque eo, quod eſſet paſſibilis, vel impaſſibilis, ſed tantùm ſubſtantialiter ſecundùm ſe. Ideo contra ſic argumentor. Illud decretum, quo Chriſtus decretus fuit abſtrahendo á paſſibili, vel impaſſibili, vel fuit efficax, vel non, ſi non, de hoc non eſt difficultas inter Theologos, qui inquirunt de decreto efficaci: Si igitur fuit efficax; ergo etiamſi Adam non peccaſſet veniſſet Chriſtus neque paſſibilis, neque impaſſibilis, & ſic tale decretum non fuiſſet illud, per quod venit Chriſtus, nam decretum, per quod venit Chriſtus eſt connexum cum paſſibilitate: tum quia eſto, quod paſſibilitas, et impaſſibilitas ſint accidentia, non tamẽ licèt inferre, quod potuerit venire nec paſſibilis, nec impaſſibilis; nam etiam vbicatio, & duratio, (dato quod ſint modi, vt admittunt hi Doctores) ſunt accidentia prædicabilia, & tamen non licèt inferre, quod Chriſtus poſſit poni in rerum natura, & non ſit in tempore, & alicubi; ergo etiam licèt paſſibilitas, & impaſſibilitas ſint accidentia, tamen ſunt neceſſariò connexa cum corpore humano, ita vt vnum, aut aliud ei conuenire debeat, & præſertim hoc eſt verum in ſententia ipſius Arriagæ, qui tom.2. diſp. 56. ſect. 2. ſub ſect. 2. ſuſtinet

Digitized by Google

net tamquam probabiliorem ſententiā docentem impaſſibilitatem in corporibus beatis nihil aliud eſſe, quam ius quoddam, quod habet anima beata in corpore, ne Deus vllā in eo permittat læſionem; nā vel anima Chriſti haberet ius, ne vllam in corpore ſuo Deus permitteret læſionem, vel non haberet hoc ius; ſi haberet, Chriſtus eſſet impaſſibilis, ſi verò non haberet, eſſet paſſibilis: in habēdo verò, & non habendo hoc ius non datur medium, vt de ſe patet, cum ſint contradictoriè hi termini oppoſiti; ergo ſi non datur medium, neque poterit Chriſtus eſſe in rerum natura, niſi, vel paſſibilis, vel impaſſibilis. Varij ſunt alij modi explicandi Incarnationis Dominicæ decreta, at non eſt animus omnes enumerandi; his igitur omiſsis.

8 Nazarius hic controu. vnica Salmanticenſes, quos citat, & ſequitur Gabriel à S. Vincentio diſp. 1. dub. 19. nu. 587. Gonet diſp. 5. §. 6. Duo ſigna rationis tantùm ponunt, vnum quo Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognouit omnia poſsibilia, omnes rerum ſeries, & combinationes ſub eodem eſſe poſſibili; aliud quo Deus ex omnibus his poſſibilibus, decreuit creare mundū Angelos, & Adamū tamquam caput totius generis humani, qui in peccatum lapſus redimi deberet à Chriſto, in cuius gloriam omnia ordinauit; hanc in rem ſequuntur Molina 1. par. q. 23. ar. 4. & 5. diſp. 1. mem. 7. & 8. Amicus hìc diſp. 7. ſect. 2. Eſparza lib. 9. quæſt 15. & plures alij e Societate Ieſu, ſolùm diſcrepant à Thomiſtis, quod in Deo vltra Scientiā ſimplicis intelligentiæ, qua Deus cognouit omnes res poſſibiles cum omnibus combinationibus poſſibilibus, admittūt in Deo ſcientiam conditionatam, qua præuidit, quid ſingulæ creaturæ in varijs circumſtantijs conſtitutæ pro libera ſua voluntate operaturæ eſſent; & ſic præuidit Adamum in paradiſo poſitum peccaturum, & eius peccatum eſſe in omnes eius poſteros, Virgine excepta, transfundendū, & præuidit quam ingēs bonum oriretur, ſi vnigenitus eius filius incarnaretur in remedium peccati; his præuiſis in poſteriori ſigno rationis decreuit hunc mundum condere, ſicut præuiderat per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſse poſſibilem, & per ſcientiam conditionatam futurum ſub conditione, in quo ſigno voluit Deus hæc omnia per modum vnius totalis, & adæquati obiecti cū mutua depēdentia in diuerſo genere cauſæ; ita vt in hoc ſigno voluerit Chriſtū, vt Redemptorē tāquā finem in cuius gloriam omnia creata ordinarentur, & Adamū tamquam cauſā materialem, cui applicaretur redemptio.

9 Concluſio. Primum volitum à Deo in genere cauſæ finalis, & meritoriæ fuit Chriſtus, eiuſque gloria, & exaltatio, licèt in genere cauſæ materialis fuerit volitus, & prædeſtinatus dependenter à remedio peccati Adæ. Probatur concluſio ratione D. Thom. In hoc myſterio, quod à pura, & libera Dei voluntate dependet, illud debemus conſtituere tamquam primum volitū à Deo, quod ex ſcripturis Concilijs, & Patribus fuiſſe colligitur; nam aliter velle huiuſmodi decreta ſtabilire, eſſet diuinare, non aliquid ſolidi dicere, cum, vt patet, totum hoc pendeat à libera voluntate Dei: ſed ſcripturæ, Concilia, & Patres docent primum volitum à Deo fuiſſe Chriſtum, eius gloriam, & exaltationem: ergo &c. Probatur minor ex varijs locis ſcripturæ. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, & ab æterno ordinata ſum. & ex antiquis antequam terra fieret*; quem locum intelligunt Patres de ſapientia incarnata. Sic Athanas. lib. 3. contra Arianos, Baſilius lib. 4. contra Eunom. Cyrillus Alexand. lib. 5. theſauri cap. 8. Aug. 1. de Trin. cap. 11. Hiero. in hunc locum, & alij; nam cum Ariani eo loco vterentur ad probandum Verbum creaturam eſſe, Patres illum explicant de ſapientia incarnata; vnde Hiero. inquit. *Non dixit Pater, ſed Dominus creauit me, quia caro Deum cognoſcit, creatura Dominum confitetur*. & ſapientia incarnata dicitur initium viarum Domini, ſeu iuxta communem expoſitionem *tāquam initium operum Dei*: ſed Chriſtus nō fuit initium operum Dei in tempòre, vt per ſe patet; ergo ab æterno fuit initium in decreto de futuritione Chriſti antecedenti ad quodlibet aliud à Deo volitum. Secundus locus ſit ille ad Col. 1. vbi Chriſtus vocatur: *Primogenitus omnis creaturæ*, quem locum de Chriſto vt homine intelligunt Concilium Epheſ. p. 1. cap. 3. & par. 3. cap. 27. Ath. & Cyrillus locis cit. & D. Thom. 3. par. quæſt. 4. art. 5. & ratio eſt, quia Chriſtus, vt Deus, non dicitur primogenitus, ſed vnigenitus, vt notat Gloſ. ibi quomodo autem Chriſtus ſit primogenitus omnis creaturæ, docet Apoſt. ibidem. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, & omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput Eccleſiæ, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*: ex quibus verbis conſtat, quod, ſi omnia condita ſunt in ipſo, & per ipſum, Chriſtus etiam fuerit primus à Deo volitus ab æterno. Tertius locus ſit ad Cor. 3. *Omnia veſtra sūt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei*. En quomodo Apoſtolus omnia ordinat ad

Chriſtum tamquam in finem; nam omnia, quæ creata ſunt, fuerunt propter homines, homines verò propter Chriſtum, Chriſtus verò propter Deum; ergo primum à Deo volitum, tamquam omnium finis, fuit Chriſtus; in quò ſenſu intelligitur etiam Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. vbi Chriſtum vocat cauſam finalem noſtræ iuſtificationis.

10 Hæc doctrina eſt etiam expreſſa D. Cyrilli Alex. lib. 5. theſau. cap. 8. vbi habet. *Prævidit Deus peccaturum hominem, & in mortem caſurum, prævidit etiam conſerentia generi eius, & quomodo renouaretur, & ad immortalitatem rediret; ideo quaſi radices huius ſpei in filio ſuo nobis depoſuit*; & infra. *Præfundatur igitur ante nos Chriſtus, & in ipſo omnes nos ſuperædificamur, idque ante initium mundi in præſcientia Dei, & cum ordine Dei benedictio maledictionem anteceſſerit &c.* ergo per Cyrillum Chriſtus præceſſit in ſcientia Dei, vt finis rerum omnium, quas facturus erat Deus.

11 Probatur ratione. Quando plura obiecta per modum vnius amantur vnico indiuiſibili actu realiter, illud ratione noſtra eſt primò volitum prioritate à quo, quod habet rationem finis, & in quod omnia alia ordinantur: ſed Deus vnico indiuiſibili actu mundū, quatenus conſtat vnione hypoſtatica, Angelis, hominibus cū omnibus combinationibus, & rebus, vt de facto eſt: amauit: ergo illud primò voluit in prioritate à quo, quod habet rationem finis, & in quod omnia alia ordinantur: atqui Chriſtus eiuſque nominis exaltatio, & gloria habet rationem finis rerum omnium creatarum; ergo Chriſtus fuit primò volitus à Deo in priori ſigno *à quo*, dū hæc omnia voluit: maior per ſe patet; nam finis eſt ſemper primò intentus, & propter finem media intenduntur: minor etiam patet; nam cum Deus ſit infinitæ perfectionis, tam in intelligendo, quam in volendo, ſicuti vnico ſimpliciſſimo actu omnia intelligit, ita etiam vult, non enim minoris perfectionis eſt in volēdo, quàm ſit in intelligendo: vnde conſequentia currit; ſubſumptum autem conſtat ex dictis ſcripturæ, & Patrum, quæ ſupra adduximus.

Confirmatur ille eſt finis *cuius gratia*, qui magis diligitur; ſed Deus magis dilexit Chriſtum, quam genus humanum vt redimendum, cum in Chriſto plenitudo Diuinitatis inhabitet ſpeciali quodam modo; ergo Chriſtus fuit finis *cuius gratia* primò volitus à Deo, & in quem cetera ordinata fuere.

12 Secunda pars, quod in genere cauſæ materialis volitus ſit Chriſtus dependenter à peccato Adami præuiſo in priori in genere cauſæ materialis, & vt per Chriſtum deſtruendo mediante redemptione probatur; quia Chriſtus ex vi præſentis decreti fuit volitus vt Redemptor; nā vt ſupra in articulo præcedenti probatum fuit: ſi Adā nō peccaſset nō veniſſet: ſed vt Redemptor non poteſt intendi à Deo, niſi præuiſo homine, vt materia per gratiam, & gloriam perficienda, & peccato vt materia deſtruēda; ergo decretum eſt poſterius in genere cauſæ materialis, & permiſſione peccati, & homine redimendo.

13 Difficultas ſolùm remanet explicanda, quomodo poſsit eſſe, quod Chriſtus fuerit primò volitus, vt Redemptor, & nihilominus adhuc in mente Dei potuerit præintelligi exiſtens peccatum, & homo vt redimendus, cum nihil ſit futurum, niſi dependenter à voluntate Dei, ſi ergo potius præintelligebatur peccatum, vt deſtruendum, & homo, vt redimendus, in eo ſigno, in quo voluit Chriſtum, vt Redemptorem, videtur dicendum, Chriſtū non fuiſſe primū volitum; vt totum hoc clarè explicetur.

14 Sciendum eſt, quod præſuppoſita in Deo ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua cognouit omnes ordines, & ſeries rerum poſſibilium, inter has omnes res poſſibiles, cognouit eſſe poſſibilem hunc mundum cum ijſdem rebus, combinationibus, & connexionibus, quæ de facto exiſtunt; atque adeo cognouit ſe poſſe creare hunc mundum cum Angelis, hominibus, & vnione hypoſtatica, cognouit Angelos poſſe peccare per ſuperbiam præſertim, ſi eis proponeretur Chriſtus, vt adorandus, & venerandus tamquam Princeps, & eorum caput, cognouit hominem eſſe peccabilem, & poſſe transfundi eius peccatum in omnes poſteros, cognouit ſūmum bonum, quod poſſet contingere ex vnione hypoſtatica, & quod per Chriſtum poſſet abundanter, & adæquatè ſatisfieri pro peccatis hominum, & quod eius merita poſſent eſſe infiniti valoris, itá vt intuitu meritorum Chriſti poſſet dari gratia omnibus Angelis, poſſet præſeruari B. V. à peccato originali, redimi homo à peccato, & prædeſtinari ad gloriam, & etiam eſse poſſibiles omnes combinationes, quæ de facto in mundo ſunt, fuerunt, & erunt. Inſuper cum admittentibus ſcientiam conditionatam, cum hac ea omnia, quæ cognouit poſſibilia etiam cognouit futura ſub conditione, eo modo, quo cognoſci à Deo diximus in tractatu de Deo quæſt. de ſcientia Dei hæc futura conditionata; ſuppoſita igitur ſcientia, tum ſimplicis intelligentiæ, tum conditionata in

Deo,

Digitized by Google

Deo. Deus abſoluto ſuo decreto libero uoluit hunc mundum cum omnibus rebus, & combinationibus, quæ in ipſo ſunt, fuerunt, & erunt, & omnia ordinauit in laudem, & gloriam Chriſti Redemptoris; quo actu diuinæ voluntatis poſito, per ſcientiam viſionis præuidit Chriſtum futurum, & pro ſua differentia temporis exiſtentem, deſtructiuum peccati Adæ, & Redemptorem hominum, & in genere cauſæ finalis primò intentum, ſicuti in genere cauſæ materialis vidit prius fuiſſe hominem, vt redimendum, & peccatum, vt deſtruendum.

15 Quare ſic poteſt ordinari tota ſeries myſterij incarnationis: in primo ſigno rationis fuit in Deo ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua omnes res poſſibiles cognouit; in ſecundo ſigno per ſcientiam mediam vidit omnes eaſdem res conditionatè futuras: In tertio elegit, & voluit creare mundum conſtantem ex omnibus rebus, quæ fuerunt ſunt, & erunt, & in hoc ſigno prædeſtinauit Chriſtum tamquam Redemptorem, & finem, in quem omnes res creatæ ordinarentur, & ad merita Chriſti reſpiciens elegit Virginem in matrem, ſine peccato originali; & ex meritis ipſius ſtatuit dare gatiam, & gloriam Angelis, & hominibus, qui in genere cauſæ materialis erant priores, vt gratia, & gloria decorandi, ſicuti in eodem genere cauſæ materialis erat prius peccatum, vt deſtruendum. Ex quibus clarè conſtat, quod licèt in eodem ſigno *in quo* ſit prædeſtinatus Chriſtus, ſeu ſit volitio incarnationis, & peccati permiſſio; nihilominus in ſigno *a quo* datur prioritas, & poſterioritas, quatenus in priori *a quo* in genere cauſæ finalis intelligimus prædeſtinationem Chriſti, & eius Incarnationem, & in ſigno *a quo* in genere cauſę materialis prius intelligimus peccati Adami permiſſionem; & cum genus cauſæ finalis ſit prius, quam genus cauſæ materialis, prædeſtinatio Chriſti, ſeu eius incarnatio, intelligetur prior ipſa permiſſione peccati; cum quo tamen ſtat; quod Verbum non aſſumpſiſſet carnem, ſi Adam non peccaſſet; nam prioritas *a quo* finalis ſtat cum eodem ſigno *in quo* materialis, nec vna poteſt cognoſci ſine alia, cum inuicem ſint connexæ.

Series decreti Incarnationis.

16 Obijcies 1. Illud, fuit primò intentum à Deo in myſterio incarnationis; quod innoteſcit nobis ex ſcripturis: atqui ſcripturæ imo Concilium Nicenum docent motiuum incarnationis fuiſſe noſtram ſalutem; ergo non Chriſtus, ſed noſtra ſalus fuit primò intenta à Deo in decreto incarnationis: maior patet: probatur minor: nam Ioan. 3. dicitur. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*: & in ſymbolo Niceno habetur, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis*: ſed ſi primum intentum à Deo fuiſſet Incarnatio debuiſſet dicere è contra, ſcilicet. *Sic Deus dilexit filium ſuum, vt mundum conderet, & hominem*, & non propter noſtram ſalutem deſcendiſset de cælis, ſed deſcendiſſet propter bonum ingens, quod reſultabat ex hoc myſterio; ergo falſum eſt, quod Chriſtus fuerit primò à Deo intentus, ſed primò intenta fuit noſtra ſalus.

Reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: ſcripturæ, et Concilium Nicenum docent motiuum incarnationis fuiſſe noſtram ſalutem tamquam finem *cui*, concedo minorem, tamquam finem *cuius gratia*, nego minorem; vnde negatur conſequentia: ad probationem: concedo maiorem: & eodem modo diſtinguo minorem, ſi primum intentum à Deo, & vt finis *cuius gratia*, & vt finis *cui* fuiſſet incarnatio debuiſſet dicere è contra, nempe, *Sic filium ſuum dilexit, vt mundum conderet*, tranſeat minor: ſi primum intentum à Deo, vt finis *cuius gratia* tantùm, & non finis *cui* fuiſſet incarnatio, debuiſſet dicere è contra; nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: explico reſponſionem: Philoſophi diuidunt finem *qui*, qui finis eſt adæquatum intentionis obiectum, in finem *cuius gratia*, & finem *cui*: finis *cuius gratia* eſt illud bonum, quod appetitur, & eius gratia media aſſumuntur: finis *cui* eſt illud ſubiectum, ſeu illa perſona, cui eſt velle tale bonum, & propter quam appetitur. Exemplum ſit in medico deſiderante ſanitatem infirmo, finis *cuius gratia* eſt ſanitas, & propter ſanitatem conſequendam ſumuntur potiones, ſecantur venæ, & alia remedia adhibentur, finis verò *cui* eſt ipſe infirmus, cui ſanitas deſideratur. Ita in propoſito finis *cuius gratia* aductus Chriſti eſt incarnatio ipſa, & excellentia myſterij, at finis *cui* prodeſt incarnatio, eſt homo, qui redimitur, & à peccato liberatur: ſicuti ergo rectè dicitur propter ſalutem ægroti medicus venit ad inuiſendum ægrotum, licèt finis *cuius gratia* fuerit ſanitas; ita optimè dici poteſt, ſic Deum dilexiſſe mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, & propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de cælis, quia homines ſunt fines quibus vtilis eſt incarnatio, licet ipſa incarnatio ſit finis primò intentus, & *cuius gratia*. Dixi ſuperius tranſeat minor; nam poſ-

ſet etiam negari; etenim licèt condiderit mundum propter Chriſtum; nihilominus magnum eſt argumentum dilectionis Dei erga mundū ipſum ordinaſſe ad Chriſtum vt Redemptorem.

17 Obijcies 2. Si Adam non peccaſſet, adhuc gratia, quam in ſtatu innocentiæ habuit, illi collata fuiſſet: ſed hanc gratiam non potuit habere dependenter à Chriſto Redemptore, quia quamuis non fuiſſet Redemptor, vt de facto non fuiſſet, ſi non peccaſſet, eam habuiſſet; ergo tantùm dependenter à Deo vt incarnando; ergo primum motiuum non fuit Chriſtus, vt Redemptor, ſed Chriſtus ſecundum ſe independenter à peccato Adæ; probatur conſequentia, quia illa gratia Adamo collata fuit effectus prædeſtinationis ipſius: ſed omnis effectus prædeſtinationis Adami fuit dependens à meritis Chriſti; ergo illa gratia fuit data dependenter à meritis Chriſti: maior probatur, quia tali gratiæ correſpondet in gloria aliquis gradus gloriæ; ergo fuit effectus prædeſtinationis ipſius.

Reſpondeo ad maiorem, quod ſi non peccaſſet, ſequitur tantùm, quod illa gratia à Deo illi poſſet conferri ex vi alterius decreti independentis à peccato, cum hoc nullam inuoluat implicantiam, & ſtatus illi ſint abſolutè ſeparabiles, an verò de facto illi collata fuiſſet incertum eſt, cum de hoc decreto non conſtet, & hoc ſit poſitum in libera voluntate Dei: nego autem minorem, quod ſcilicet talem gratiam non potuerit habere dependenter à meritis Chriſti Redemptoris: nec impugnatio quicquam obſtat, nam ſi non peccaſſet, ſequitur tantùm, quod eam potuerit habere; at de facto data fuit ſuppoſita ſcientia conditionata, quod in talibus circumſtantijs poſitus Adam eſſet peccaturus, vnde ſequitur tantùm, quod liberè peccauerit, cum potuerit non peccare; at in ſenſu compoſito, & ſuppoſita ſcientia conditionata, erat peccaturus; vnde negatur prima conſequentia, eam enim habuit dependenter à Chriſto, vt Redemptore, non dependenter à Chriſto incarnando præcisè; quare concedo fuiſſe effectum prædeſtinationis ipſius, & quod tali gratiæ correſpondeat ſpecialis gradus gloriæ, cum vt diximus in tractatu de gratia quæſt. 9. de merito, omnia merita per ſubſequentem iuſtificationem reuiuiſcant. Alij aliter reſpondent, & dicunt, talem gratiam datam fuiſſe dependenter à decreto conditionato, ſi permāſiſſet in iuſtitia originali, & independenter à meritis Chriſti, nec talem gratiam conferre ad aliquem gradum gloriæ Adami, cum ſuſtineant merita, quæ habuit Adamus in ſtatu innocentiæ non reuiuixiſſe, ſed per peccatum omnino mortuā fuiſſe: ſic reſpondet Gonet. hic diſp. 5. §. 4. in fine.

18 Obijcies 3. ſi primum volitum à Deo fuit Chriſtus, vt Redemptor, etiam ſola prioritate à quo, ſequeretur primò, quod peccatum foret neceſſariò ponendum ſecundò, quod Deus amaret exiſtentiam peccati: ſed hæc ſunt abſurdum, vt patet; ergo & vnde ſequuntur: probatur prima ſequela. Quando ponitur vnum neceſſariò connexum cum alio, ſi illud ponitur neceſſariò, & hoc aliud poni debet: ſed redemptio eſt neceſſariò connexa cum poſitione peccati; implicat enim poſſe poni redemptionem ſine peccato; ergo ſi Deus voluit per ſe primò in priori ſigno *a quo* redemptionem, voluit etiam peccatum: probatur ſecunda ſequela. Qui amat finem amat etiam media, quæ neceſſariò conducunt ad finem: ſed exiſtentia peccati eſt medium, quod neceſſariò requiritur, vt conducat ad redemptionem; ergo ſi Deus amat redemptionem efficaciter, etiam debet amare peccatum, quod neceſſariò requiritur, & conducit ad hunc finem, nempe redemptionem.

Reſpondeo primò diſtinguendo ſequelas: ſequeretur, quod peccatum foret neceſſariò ponendum, & quod Deus amaret exiſtentiam peccati, ſi peccatum non fuiſſet præuiſum, vt prius *a quo* in genere cauſæ materialis, tranſeant ſequelę: ſi peccatum in genere cauſæ materialis fuit in priori *a quo* præuiſum, vt deſtruendum, nego ſequelas: eodem modo diſtinguo, concedo, & nego proportionaliter minorem; & poſtea nego conſequentiam; & eodem modo reſpondeo ad probationes: non enim implicat, quod in eodem ſigno *in quo* ſit volitus Chriſtus, vt Redemptor, & permiſſum peccatum, & quod nihilominus Chriſtus ſit primum volitum in genere cauſæ finalis, & peccatum prius intelligatur in genere cauſæ materialis, vt deſtruendum, vt explicatum fuit in concluſione. Quia tamen, etiamſi non foret præuiſum prius peccatum in genere cauſę materialis, ſequelæ ſunt falſæ; ideo dixi tranſeant ſequelæ, & aliter doſolutionem.

19 Reſpondeo ſecundò negando vtramque ſequelam: ad probationem primæ, diſtinguo maiorem: quando ponitur vnum neceſſariò connexū cū alio, ſi aliud ponitur, etiā neceſſariò ponitur hoc ſecundū, ſi hoc ſecūdū debeat poni vi illius voluntatis, ſeu ab eodem ipſo

ope-

operante, concedo ſequelam; ſi non debet poni vi illius eiuſdem voluntatis, ſed ab alio operante liberè, nego ſequelam maioris;ſufficit enim ſi tantùm illud aliud infallibiliter ponatur, non neceſſariò: concedo poſtea minorem, & diſtinguo conſequens; ergo ſi Deus voluit per ſe primò redemptionem, voluiſſet etiam peccatum, ſi peccatum fuiſſet ponendum voluntate Dei, concedo conſequentiam:ſi ſit ponendum voluntate aliena,nego conſequentiam; ſufficit enim ſi tantùm velit permittere peccatum. Quod totū explicatur exemplo. Si medicus præuideret vulnus aliquod eſſe infligendum liberè ab aliquo, ſi talis in bellum proficiſcatur, poteſt efficaciter decernere medicinam curatiuam illius vulneris, etiamſi nullomodo velit tale vulnus, ſed tantùm per hoc, quod non impediat, ad quod impedimentum ponendum ſuppono nullo modo teneri, vt certò ſupponi poteſt; ita Deus, cum ſit certus ſcientia conditionata, quod ſi Adam ponatur in Paradiſo cum Heua, peccabit,poteſt antecedenter velle Chriſtum vt Redemptorem tamquā medicinam, etiamſi peccatum nullo modo velit, ſed tantum velit permittere, vt ab Adamo ponatur; nec maius myſterium eſt dicere, Deum prius voluiſſe Chriſtū Redemptorem antequam abſolutè præuideret peccatum,quam dicere Deum poſſe velle abſolutè pœnitentiam præuiſo peccato tantùm ſub conditione futuro;Quare ſi hoc admittunt plures Doctores,cum quibus contendo, & Deum potuiſſe velle in primo ſigno Chriſtum, vt Redemptorem admittere debent; & eodem modo reſpondeo ad probationē ſecundæ ſequelæ. Vide quæ de hoc argumento dictum fuit in tractatu de Deo q.6.ar.13.

20 Dices: ſtante voluntate efficaci Chriſti vt Redemptoris, cogitur ſaltem Deus ad nõn odio habendum efficaciter peccatum;ergo cogitur illud amare. Sed contra dato antecedenti, nego conſequentiam: non enim amor, & odium efficax ſunt termini contradictorij, ita vt ex negatione vnius debeat neceſſariò inferri poſitio alterius, & ideo poteſt Deus nec amare, nec odiſſe efficaciter peccatū, ſed tantū permiſſiuè ſe habere. Sicuti Rex permittens meretrices in Ciuitate ad cauenda peiora mala,non odio quidem habet efficaciter eas, cum eaſdem non expellat, cum tamen poſſit expellere, nihilominus eas non amat, ſed tantùm permittit, quod eſt, nec amare, nec odiſſe efficaciter;ſic Deus nec amat, nec odit peccatum efficaciter, dū illud permittit.

21 Obijcies 4. Si vnico indiuiſibili actu voluit Deus Chriſtum vt Redemptorem ſimul cum omnibus rebus, quæ ſunt,fuerunt, & erunt in mundo,ſequeretur, quod ſicuti non exiſtente peccato Adæ non veniſset Chriſtus, ita ſi deficeret vna tantùm formica, aut minima arena ex his, quæ de facto ſunt, non veniſſet; ſed hoc eſt contra communem modum loquendi ſcripturarū, & Theologorum, qui aliter loquuntur de peccato Adæ reſpectu incarnationis], ac de alijs rebus; ergo & vnde ſequitur falſum eſt: ſequela maioris probatur; quia ſi decretum incarnationis fuit per vnicum indiuiſibilem actum eſſentialiter reſpicientem omnes creaturas, ſicuti [deficiente peccato defeciſſet, ita deficiente vnica minima formica non eſset amplius idem; ergo dicere debemus,quod ſicuti deficiente peccato non veniſſet, ita etiam deficiente minima formica nō veniſſet vi præſentis decreti.

Reſpondeo negando ſequelam maioris: ad probationem dico,fuiſſe quidem præſens decretum factum à Deo per vnicum indiuiſibilem actum reſpicientem eſſentialiter omnes creaturas, ſed diuerſo modo; nam reſpicit Chriſtum Redemptorem, vt finem, & tamquam deſtructiuum peccati Adæ;vnde ex ſcripturis, & Patribus deducimus, quod ſi non fuiſſet peccatum, non veniſſet: formicæ verò, muſcæ, & huiuſmodi, licèt reſpiciantur eſſentialter ab hoc decreto, vt ſi vna deficiat non ſit hoc decretum, quod de facto eſt entitatiuè, attamen cum non reſpiciantur, vt motiuū aduentus Chriſti, ſed tantùm materialiter, hinc eſt, quod etiam ipſis deficientibus, dummodo adeſſet Adæ peccatum,veniſſet.

22 Dices: quando plura obiecta amantur per modum vnius per vnicum indiuiſibilem actum, licèt vnum ſit magis præcipuum, quam aliud, nihilominus non poſſumus certò quicquam decernere, quid fieret in abſentia alterius, cum hoc pendeat à libera voluntate amantis; ergo etiam in propoſito, ſi Deus per vnicum actum amauit omnia creata, licèt vnum ſit alio nobilius, vel præcipuum, ſi vnum deficeret, non poſſumus certò dicere, quid facturus eſſet Deus.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non poſſumus certò quicquam ſtabilire quid fieret in alterius abſentia, ſi propriam voluntatem operans nobis non manifeſtaſſet, concedo antecedens; ſi manifeſtaſſet propriam voluntatem, nego antecedens:In propoſito igitur Deus per ſcripturas, Concilia,& Patres nobis mani-

manifeſtauit propriam ſuam voluntatem, quod venit propter delendum peccatum, quod ſi peccatum non fuiſset, non veniſset; quod non habemus de muſcis, vel formicis &c.

22 Obijcies 5. ex Suarez hìc diſp. 5. ſect. 5. Videtur certa de fide hæc propoſitio conditionalis; ſi homo non peccaſset non ſolùm ipſe non amiſiſset iuſtitiam originalem, ſed etiam poſteri fuiſsent creati in gratia, & iuſtitia originali ex vi præſentis prouidentiæ: In illo igitur ſtatu, vel veniſset Chriſtus, vel non veniſset, ſi veniſset; ergo primum volitum non fuiſset de mittendo Chriſto vt Redemptore: ſi non veniſset; ergo præſens decretum prius voluit mundū, quam Chriſtum.

Reſpondeo illam propoſitionem eſse veram de fide ex ſuppoſitione, ſeu ex decreto conditionato non abſoluto: vnde ad quæſitum dico, potuiſſe vtrumlibet determinari, cum vtrumque ſit poſſibile, & hoc pendeat à libera voluntate Dei, quid autem in tali ſtatu facturus eſset Deus, nos neſcimus, cum de illo nulla extet reuelatio, quæ autem pendent ex libera Dei voluntate non niſi ex reuelatione poſsumus certò cognoſcere.

24 Obiicies 6. Eo modo debuit eſſe decretum de mittendo Chriſto, ſicuti Chriſtus fuit iam exiſtens: ſed Chriſtus iam exiſtens fuit indifferens ad redimendum, vel non redimendum genus humanum, nam liberè redemit; ergo & decretum de mittendo Chriſtum debuit eſse indifferens: at qui, ſi fuit indifferens, non potuit eſse primum volitum Chriſtus vt Redemptor, quia non eſset amplius indifferens, ſed determinatus ad redemptionem: ergo ſi debuit eſse indifferens, primum volitum non potuit eſse Chriſtus, vt Redemptor.

Reſpondeo hoc argumentum, non tam impugnare concluſionem poſitam, quam libertatem Chriſti, de qua infra dicendum eſt; dico igitur ad ſaluandam Chriſti Domini libertatem, non eſse neceſse, quod decretum ſit indifferens, quia cum ſit extrinſecum Chriſto, & detur à Deo ſuppoſita ſcientia conditionata, cum qua Deus præuidit, quod Chriſtus eſset acceptaturus decretum cum poſset non acceptare, licèt ſit infallibiliter determinatum de redemptione, non tollit libertatem Chriſti, quia vt inquit D. Thom. Deus decernendo efficaciter aliquid non tantùm reſpicit ſubſtantiam, ſed etiam modum, quo debet fieri talis actus; modus autem eſt, quia dat idem numero decretum, & cū eadem efficacia, cum quo efficaci decreto præuidit Deus Chriſtum liberè illud acceptaturum, & operaturum; vnde poteſt negari maior.

25 Obiicies 7. Decretum mittendi Chriſtum, vt Redemptorem eſt decreti remittendi, & redimendi noſtra peccata ex meritis Chriſti: ſed non poteſt intelligi Deus remittens peccata ex meritis Chriſti, niſi prius intelligatur Chriſtus exiſtens, deinde cauſans merita, quæ præuiſa vt exiſtentia; nam merita non cauſant, niſi præuideantur exiſtentia, mouent poſtea Deum ad dandam remiſſionem peccatorum; ergo primum volitum à Deo non poteſt eſse Chriſtus vt Redepmtor, ſed Chriſtus ſecundùm ſe, qui poſtea per ſua merita erit cauſa redemptionis.

Reſpondeo concedendo maiorem: ad minorem dico, eſse veram de ordine prioris, & poſterioris in obiecto ipſo; nam verè Chriſtus non poteſt cauſare meritum, niſi prius exiſtat, nec meritum habet rationem meriti, niſi prius præuideatur exiſtens pro ſua temporis differentia: at ex parte Dei volentis, ſicuti vnico ſimpliciſſimo actu cognoſcit cauſā & effectum, ita vnico ſimpliciſſimo actu voluntatis vult Chriſtum Redemptorem, hoc eſt Chriſtum cum meritis hominem redimentem, & ad ſummum hæc prioritas, & poſterioritas in actu diuinæ voluntatis eſt ratione imperfecti noſtri modi concipiendi, quia non poſſumus actum diuinum infinitum cognoſcere vti eſt, non ex parte actus diuini, qui vnus indiuiſibilis, & ſimpliciſſimus eſt.

ARTICVLVS III.

An ſi fuiſſet tantùm originale ſine actualibus, vel ſolùm actualia ſine originali fuiſſent Verbum incarnatum fuiſset.

1 CVm dixerimus Chriſtum veniſſe in remedium peccati, & primum volitum à Deo fuiſſe Chriſtū vt Redemptorem; hic inquirimus, an peccatum, propter quod tollendum venit, fuerit originale ſolùm, vel actuale, vel vtrumque ſimul.

2 Suppono in primis tamquam certum cum communi Doctorum, Chriſtum veniſſe, vt nos redimeret ab omni peccato ſiue originali, ſiue actuali, ſiue mortali, ſiue veniali. Ratio eſt, quia ipſe fuit perfectè Redemptor, & perfectè ſatisfecit Deo pro omnibus, vt dicit Apoſtol. ad Titum 2. *Venit Chriſtus, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & faceret ſibi populum acceptabilem non habentem maculam,*

rulam, neque rugam 1. Ioan. 1. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato*, & cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Tum quia finis Incarnationis Chriſti eſt perducere homines in vitam æternam: ſed introductio in vitam æternam impeditur, tum per peccatum originale, tum actuale, tum mortale, tum veniale; ergo verè pro omnibus his tollendis venit Chriſtus.

3 Variæ ſententiæ circumferuntur, ſed verè difficile eſt aliquid ſolidi determinare. Medina hic art.4. & Valentia quæſt. 1. p. 6. aſſerunt Chriſtum venturum ſiue extitiſſet tantùm originale, ſiue tantùm actuale. Cabrera, & Nazarius cum alijs hic ar.4. è contra dicunt, quod exiſtente ſolo originali, vel ſolo actuali Chriſtus non veniſſet. Communis Theologorum ſententia, quam docent Vaſquez diſp. 13. cap. 2. Suarez diſp. 5. ſect. 6. Arriaga diſp. 14. ſect. 4. Amicus diſp.7. ſect. 2. à num. 147. Gonet. diſp. 5. art. 2. Gabriel à S. Vincentio diſp. 1. dub. 20. Lugo diſp. 7. ſect. 5. & alij eſt, quod ſolo exiſtente peccato originali incarnatio facta fuiſſet, non autem ſolis exiſtentibus actualibus.

4 Concluſio 1. Principalius ordinata fuit redemptio in remedium originalis. Sic communiter Doctores. Probatur ex illo 1. ad Cor. 15. vbi Chriſtus contraponitur Adæ, vt Redemptor totius naturæ corruptori eiuſdem. Sic enim habetur. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum; & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Hoc etiam colligitur ex illo Ioan. 1. vbi dicitur. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*; & dicitur *peccatum* in ſingulari, vt in Græco legitur, & exponunt Origines, Irenæus, & alij; quare licèt in vulgata cum alijs Patribus legamus *peccata mundi*, in plurali, nihilominus idem poteſt retineri ſenſus, quia peccatum originale radicaliter in ſe omnia peccata continet. Vnde Dauid Pſal. 50. habet. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*, vnde Greg. in 1. Reg. l. 4. c. 1. inquit. *Et quidem niſi Adam peccaſſet, redemptorē noſtrum carnem ſuſcipere noſtram non oporteret.* Ratio eſſe poteſt, quia Chriſtus tamquam perfectiſſimus medicus venit tollere radicem omnium malorum, quod erat peccatum originale, quod diffundebatur in totam naturam, & erat radix omnium malorum.

5 Concluſio 2. Exiſtente ſolo originali adhuc probabilius eſt, quod veniſſet Chriſtus. Dixi exiſtente ſolo originali, quamuis moraliter ſit impoſſibilis iſte caſus, quia eo ipſo, quod datur originale in aliquo ſubiecto, impoſſibile eſt moraliter, vt diximus in tractatu de gratia, quod homo non labatur etiam in mortale, niſi ſpecialibus auxilijs diuinæ gratiæ adiuuetur, quæ tamen auxilia tali ſtatui non deberentur: tum quia eſt implicantia, quod Chriſtus veniat Redemptor, & paſſibilis, & ſubeat mortem crucis, & non adſint etiam actualia, & præſertim illa, quæ contingerant in eius crucifixione, & morte; vnde planè videtur hæc quæſtio inutilis, & inuoluens implicantiam, nempe, quod Chriſtus poſſit venire paſſibilis, & per mortem crucis debeat vitam finire, & non ſint peccata actualia. Dico tamen, quod dato caſu, quod fuiſſet ſolùm originale, & non fuiſſent actualia, adhuc probabilius eſt, quod veniſſet.

6 Probatur 1. ex auctoritate Eccleſiæ, quæ in benedictione cerei Paſchalis dicit. *O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt; ò felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Idem apertè colligitur ex varijs Patribus, & præſertim ex D. Gregorio loco cit. in ſuperiori concluſione. Ratione etiam probatur, quia manente eodem obiecto motiuo, manet etiam idem decretum, ſaltem quo ad ſubſtantiam; ſed manſiſſet idem motiuum; ergo etiam manſiſſet idem decretum, quoad ſubſtantiam: minor patet, nam motiuum incarnationis, vt ſupra vidimus, eſt Chriſtus, vt Redemptor totius naturæ humanæ, quæ corruerat; per peccatum autem originale tota natura corruiſſet.

7 Dixi quod manſiſſet idem decretum, quo ad ſubſtantiam; nam adæquatè certè non manſiſſet, nam cum adæquatè venerit etiam pro actualibus, his deficientibus, certè decretum præſens adæquatè non remanet; remanet tamen quoad ſubſtantiam, quia motiuum principale fuit originale, vt ex auctoritatibus ſuperius adductis patet.

8 Solet hic inquiri, ſi non fuiſſet originale, fuiſſent autem actualia, ſuppono enim poſteros Adæ potuiſſe peccare, ſicuti ipſe peccauit, an in eo caſu futura eſſet redemptio in carne paſſibili, & hic poſſent fieri aliæ interrogationes, quid facturus eſſet Deus, ſi futura eſſent venialia non mortalia? Quid ſi pauca peccata mortalia in paucis hominibus? Quid ſi plura in omnibus fere hominibus? Quid ſi ſolùm in reprobis non in prædeſtinatis? Quid ſi etiam in prædeſtinatis.

Reſpondeo tamen breuiter hæc omnia ita eſſe incerta, vt aliquid certò definire

Digitized by Google

finire non valeamus, niſi diuinando. Ratio eſt, quia Chriſtus venit pro tollendo peccato originali, & pro actualibus quidem, ſed quatenus iſta originem habebant à peccato Adæ, ſi autem non habuiſſent originem à peccato Adæ, non eſſet amplius idem decretum, neq; adæquatè, neque inadæquatè, & tantùm quo ad ſubſtantiam. Quid autem facturus eſſet Deus per aliud decretum, pendet à libera voluntate Dei, de qua loqui non poſſumus, niſi poſita reuelatione, quæ nulla extat.

9 Dices 1. Chriſtus venit ad tollendum malum naturæ humanæ, & ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis hominum: ſed maius malum eſt peccatum actuale, quam originale; ergo ſi veniſſet propter originale, multò magis propter actualia; minor probatur; quia actuale mortale committitur cum concurſu maiori voluntatis: tum quia mortale actuale punitur maiori pœna damni, & ſenſus; ergo &c. Sed contra dico, quod Chriſtus venit ad tollendum malum originalis, & actualia, quæ ab originali pendebant; vnde eſto, quod actualia ſint maius malum intenſiuè propter rationes adductas, nihilominus quid facturus eſſet Deus in tali caſu neſcimus, cũ nulla extet reuelatio, ceterum peccatum originale extẽſiuè eſt maius; cum inficiat totam naturam, conſtituat inimicum Dei, & ſit radix omnium actualium; quare ſub his rationibus maius malum eſt, quam actùale; verùm hæ ſunt tãtùm congruentiæ aduentus Chriſti, & ratio cur dicamus veniſſe propter originale, eſt quia id colligimus ex ſcripturis, & Patribus; De actualibus peccatis verò, quid facturus eſſet Deus ipſis ſolis exiſtentibus, reuelationem non habemus.

10 Dices 2. Non ne Chriſtus dilexit ſingulos homines, & eo affectu paſſus eſt pro illis, vt fuerit paratus pro ſingulis pati, ſi vnus tantum remedio indiguiſſet; vnde Apoſtolus ad Gal. 2. dixit. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Et de S. Carpo refert Dionyſius Epiſt. 8. quod in reuelatione ei facta illi dixit Chriſtus, paratum ſe eſſe ad iterum moriẽdũ pro hominibus, ſi id opus eſſet, vt alij homines non peccarent; ergo ex his locis deducitur, quod etiam exiſtentibus ſolis actualibus Chriſtus veniſſet. Sed contra dico, nos hic non inquirere, quo affectu paſſus ſit Chriſtus, ſed de voluntate Dei mittendi Chriſtum. ad locum ad Gal. dico, nihil inde probari; nam Paulus dicit Chriſtum paſſum eſſe pro ſe, quod veriſſimum eſt, nam ſi paſſus eſt pro omnibus, etiam pro D. Paulo paſſus eſt; at non ex hoc infertur, quod ſi ſolus peccaſſet, Chriſtus veniſſet. Addo, quod talis locus cõmuniter exponitur à Patribus de ſufficientia, nempe, quod ita profuit Paulo mors Chriſti, ac ſi pro ipſo ſolo mortuus fuiſſet. Ad ſecundum dico ex tali reuelatione colligi eximiam charitatem Chriſti erga ſingulos homines, vt ſit paratus, ſi opus eſſet iterum mori pro ſingulis; at nihil ex hoc colligitur de voluntate Dei mittendi Chriſtum, & de hac eſt quæſtio, & de qua non niſi diuinando reſpondere poſſumus; fateor quidem adeſſe varias congruentias, verùm hæ non ſufficiunt ad demonſtrandum, quid voluiſſet Deus. *Quis enim conſiliarius eius fuit?* De facto igitur venit propter redemptionem noſtram, at quid futurum fuiſſet non exiſtente originali ſcire non poſſumus.

ARTICVLVS IV.

An aliqua creatura poſſit eſſe cauſa phyſica vnionis hypoſtaticæ ſaltem inſtrumentalis.

1 EGimus huiuſque de cauſa finali incarnationis, in hoc articulo videndum eſt de efficiente phyſica, in ſequentibus de efficiente morali; ſeu de cauſa meritoria Incarnationis; cauſa autem efficiens phyſica duplex eſt, alia principalia, alia inſtrumentalis.

2 Circa cauſam principalem; certum eſt ſolùm Deum fuiſſe cauſam vnionis hypoſtaticæ naturę humanæ cum perſonalitate Verbi. Sic definitum fuit in Concilio Lateranenſi in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, vbi habetur. *Tandem Vnigenitus Dei filius Ieſus Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus.* Et ratio eſt, quia operationes ad extra ſunt indiuiſibiliter à tota Trinitate: ſed vnio hypoſtatica eſt aliqua operatio ad extra; ergo facta fuit indiuiſibiliter à tota Trinitate. Tum quia vnio hypoſtatica eſt vnio ſubſtantialis ſupernaturalis: nulla autem creatura poteſt eſſe cauſa principalis vnionis ſubſtantialis, & ſupernaturalis; ſicuti enim non poteſt dari aliqua natura, cui ſit connaturalis, vel poſſit eſſe connaturalis clara viſio Dei; ita neque dari poteſt aliqua creata ſubſtantia, quæ poſſit eſſe cauſa principalis vnionis hypoſtaticæ; eſt enim par ratio. Vide quæ de hoc fusè dictum eſt in tractatu de Deo quæſt. 3. art. 3. Cauſa principalis creata vnionis non datur.

3 Maior difficultas eſt de cauſa inſtrumentali, an ſcilicet poſſit dari ali-

qua

qua cauſa inſtrumentalis productiua vnionis hypoſtaticæ, vel an de facto detur.

Prima ſententia eſt negatiua, ſic Medina infra quæſt. 31. art. 4. Vaſquez diſput. 25. cap. 1. Aluarez diſp. 2. Cipullus hìc quæſt. 2. art. 8. dub. vltimo. Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 11. & alij; ſuſtinent enim hi Doctores implicare, quod aliqua creatura poſſit eſſe verum inſtrumentum phyſicum vnionis hypoſtaticæ.

Secunda ſententia eſt Suarez diſp. 10. ſect. 1. Amici diſp. 12. Cabreræ qu. 2. ar. 10. diſp. 2. Gonet diſp. 7. ar. 1. & aliorum, qui dicunt de facto quidem nullam dari cauſam inſtrumentalem phyſicam vnionis hypoſtaticæ, poſſe tamen per abſolutam potentiam dari; imo Suarez admittit tamquam probabile, quod Beata Virgo fuerit cauſa inſtrumentalis vnionis. Ioannes verò à S. Th. hìc quæſt. 2. diſput. 5. ar. 3. dicit, quod in ſententia admittentium, quod humanitas Chriſti exiſtit exiſtentia Verbi, non poteſt dari cauſa inſtrumentalis productiua vnionis hypoſtaticæ; in ſententia verò, quæ docet humanitatem exiſtere propria exiſtentia dicit, poſſe dari causā inſtrumentalem productiuam vnionis, licèt de facto non detur.

4 Concluſio. De potentia abſoluta potuit Beata Virgo, aut alia creatura eleuari ad producendum inſtrumēntaliter ipſam vnionem hypoſtaticam. De facto tamen nec B. V. nec vlla alia creatura, ſic concurrit, ſed vnio hypoſtatica fuit opus ſolius Dei. Probatur prima pars. illud eſt concedendum diuinæ omnipotentiæ, quod non inuoluit vllam contradictionem: ſed nulla poteſt aſſignari contradictio in hoc, quod Beatiſſima Virgo eleuata ſit à Deo tamquā inſtrumentum ad producendam hanc vnionem hypoſtaticam, & quod dico de B. V. poteſt dici de alijs creaturis; ergo quod aliqua creatura poſſit eleuari ad producendum vnionem hypoſtaticam, non eſt denegandum diuinæ omnipotentiæ. Confirmatur, quia Sacramenta, vt infra dicemus, poſſunt eleuari, vt inſtrumenta phyſica per potentiam obedientialem ad producendum inſtrumentaliter gratiam; ergo etiam aliqua creatura poterit eleuari ad producendam vnionem hypoſtaticam; cum nulla poſſit aſſignari ſufficiens diſparitas.

5 Dices. De ratione cauſæ efficientis inſtrumentaliter eſt, quod attingat phyſicè effectum, illumq; ſibi ſubijciat: ſed nulla creatura poteſt attingere ſibiq; ſubijcere perſonalitatē diuinā; ergo nulla creatura poteſt inſtrumentaliter attingere vnionem hypoſtaticam: hæc conſequentia probatur; nam implicat aliquam cauſam attingere vnionem, illamque ſibi ſubijcere, quin etiam attingat, ſibique ſubijciat extrema vnita, nam vnio vnitur, vt *quo*, & extrema vniuntur, vt *quod*, & ideo attingens vnionem, vt *quo* debet etiam attingere extrema, alias nō vnirentur: ſed implicat attingere ſibique ſubijcere vnum horum extremorum, nempe perſonalitatem diuinam; ergo etiam implicabit attingere ipſam vnionem. Sed contra, quia generans per modum cauſæ principalis actione ſua generatiua effectiuè vnit materiæ animam rationalem, quamuis, neque contineat in ſua virtute animam rationalem, nec illam ſuæ virtuti ſubijciat, cum ſit ſpiritualis, & excedens virtutem generatiuam, quæ eſt materialis: ergo falſum eſt, quod vt aliqua cauſa effectiuè vniat vnum extremum alteri, debeat vtrumque in ſua virtute continere, & vtrumque ſibi ſubijcere, & ſic poterit creatura effectiuè vnire humanitatem Verbo, abſque eo, quod Verbum in ſua virtute contineat, aut illud ſibi ſubijciat. Contra 2. Non minus implicat, quod Verbum ſubijciatur creaturæ in genere cauſæ formalis, quam in genere efficientis, & nihilominus aduerſarij, cum quibus contendimus admittunt vnionem tamquam modū vnientem extrema, nempe humanitatem, & Verbū; ergo etiam in genere cauſæ efficientis poterit vniri humanitas cum Verbo; quod ſi dicant vnionem non inhærere Verbo, ſed tantùm humanitati, & Verbum ſolummodo terminare humanitatem; ita etiam dicimus nos talem creaturam operantem per modum cauſæ inſtrumentalis non ſubijcere ſibi Verbum, ſed tantum humanitatem ſubijcere Verbo, vt ab hoc ſua perſonalitate terminetur.

6 Probatur ſecundò. Probabiliſſima eſt ſententia, quod terminus actionis tranſubſtantiatiuæ in Sacramento Euchariſtiæ ſit Chriſtus de nouo productus ſub ſpeciebus ſacramentalibus: ex quo ſequitur, quod per verba conſecratoria fiat de nouo ipſum corpus ſub ſpeciebus, quod corpus erat iam in rerum natura vnitum Verbo; ergo ſi fit de nouo corpus vnitum Verbo in Sacramento Euchariſtiæ ſecundùm probabilem ſententiam, potuit etiam primò produci cum vnione ad Verbum antecedens patebit infra cum de Euchariſtia, & conſequentia omnino currit ex paritate rationis.

Secunda pars, quod de facto nec B. Virgo, nec vlla alia creatura concurrerit, vt inſtrumentum ad vnionem hypoſtati-

Digitized by Google

poſtaticam, ſed fuerint opus ſolius Dei. Probatur ex illo Abauchc. 3. *Domine opus tuum*, quod Auguſtinus, Remigius, & alij Patres intelligunt de vnione hypoſtatica; ſed non fuiſset opus ſingulare Dei, ſi aliqua creatura concurriſset; ergo dicendum eſt de facto nullam creaturam concurriſse.

8 Probatur ſecundò. Si iſte concurſus in genere cauſæ inſtrumentalis reſpectu vnionis hypoſtaticæ, eſset alicui creatuæ tribuendus, maximè B. V. ſed Beatiſſimæ Virgini non eſt concedendus; ergo neque vlli alij creaturæ; probatur minor. Ille ſolùm concurſus debet tribui B. V. qui riquiritur, & ſufficit, vt verè ſit mater Dei; ſed ad ſaluandam maternitatem Dei in Virgine iſte concurſus in genere cauſæ inſtrumentalis ad vnionem hypoſtaticā nō requiritur; ergo non debet admitti: maior patet: probatur minor: tum quia concurſus matris non eſt inſtrumentalis, ſed principalis: tum quia dato, quod aliqua creatura eleuaretur ad producendam hanc vnionem non per hoc diceretur mater: dicitur ergo mater Beatiſsima Virgo, quia ſuppoſita anima Chriſti à Deo creata, & ſuppoſita materia ex ſuo puriſſimo ſanguine à Spiritu Sancto præparata, materiam vniuit cum anima, & cum in priori naturæ iam anima, & corpus Chriſti ſubſiſterent ſubſiſtentia diuina, vniendo materiam cum forma, verè fuit, & eſt mater Dei; nec alio modo concurrunt aliæ matres; Ideo &c.

9 Obijcies 1. contra primam partem concluſionis; ſi aliqua creatura poſset producere vnionem hypoſtaticam inſtrumentaliter, poſset etiam producere ipſum Verbum; ſed Verbum cum ſit Deus, non poteſt produci ab aliqua creatura vllo modo; ergo neque vlla creatura poteſt producere vnionem hypoſtaticam.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam maioris; ſi aliqua creatura &c. poſset etiam producere Verbum ſecundùm eſse ſimplex, nego ſequelam; ſecundum eſse complexum, hoc eſt poſset vnire humanitatem Verbo ſine inhærentia ipſius Verbi, ſed ſolùm per modum puri termini, concedo ſequelam; in hoc autem ſenſu nulla eſt implicantia; vt patet in productione hominis; ibi enim à generante non producitur, neque materia, neque forma, ſed producitur homo; ita & in propoſito.

10 Obijcies 2. Inſtrumentum non poteſt operari, niſi in ſubiecto exiſtente: ſed natura humana in Chriſto ante vnionem hypoſtaticam non eſt exiſtens, cum exiſtat exiſtentia Verbi; ergo nullum inſtrumentum poteſt aſſumi ad producendam hanc vnionem.

Reſpondeo falſum in primis eſse, quod inſtrumentum non poſſit operari, niſi in ſubiecto exiſtente, ſuſtineo enim poſse dari inſtrumentum ad creandum, vt ſuppono ex phyſicis. Dico 2. falſum eſse, quod natura humana in Chriſto exiſtat exiſtentia diuina, cum habeat propriam indiſtinctam ab eſsentia actuali. Alia argumenta alibi ſolent ſolui, & præſertim de ſacramentis, vbi probabimus ſacramenta eleuari ad producendā phyſicè gratiam, eſt enim eadem prorſus difficultas.

11 Obijcies 1. contra ſecundam D. Ambroſius Epiſt. 81. ſic habet. *Per hominem caro eiecta eſt de Paradiſo, & per Virginem iuncta eſt Deo*: ergo ſentit B. Virginem fuiſset cauſam inſtrumentalem vnionis hypoſtaticæ; Idem videntur docere D. Bernardus, Iſichius, & alij.

Reſpondeo intentum D. Ambroſij, & aliorum Patrum eſse, quod per Virginem iuncta eſt caro Deo, diſpoſitiuè, quia per illam ſubminiſtrata eſt caro, quæ vniretur Deo.

12 Obijcies 2. In nutritione Chriſti partes ſubſtantiales aggeneratæ de nouo vniuntur Verbo: at qui nutritio fit mediante humanitate; ergo mediante humanitate fit de nouo vnio hypoſtatica partialis.

Reſpondeo concedendo maiorem: at non per hoc hoc ſequitur, quod humanitas fuerit inſtrumentum talis vnionis partialis; nam prius natura, quam ſubſtantia alimenti informaretur anima, à Deo vniebatur portialiter ſubſiſtentiæ Verbi.

ARTICVLVS V.

An humanitas Chriſti vnionem ſuam ad Verbum mereri potuerit.

1 CAuſa meritoria ad efficientem reducitur, quare poſt cauſam efficientem Incarnationis non immeritò inquirimus, an Chriſti humanitas ſuam vnionem ad Verbum mereri potuerit.

2 Tractat hanc difficultatatem Angelicus præceptor hìc quæſt. 2. art. 10. vbi explicata iam vnione inquirit, an hæc vnio facta ſit per gratiam, & diſtinguit dicens, quod, ſi gratia ſumatur pro voluntate Dei gratis aliquid concedentis, eſt facta per gratiam, ſi verò ſumatur pro dono gratis naturæ humanæ conceſso, dicit hanc vnionem eſse donum gratis, & nullis præcedentibus meritis naturæ humanæ conceſsum: ſi verò

ſuma-

Digitized by Google

ſumatur gratia pro habituali, ſic dicit non fuiſſe per gratiam, quia licèt gratia habitualis fuerit in Chriſto in primo inſtanti ſuæ conceptionis, hæc tamen non fuit diſpoſitio præcedens vnionem, ſed quid ab ea fluens tamquam ornamentum debitum Chriſto propter excellentiam vnionis, & rationem reddit, quia perfectiones accidentales ſicuti nõ præcedunt ſubſiſtentiam, ita nec gratia habitualis præceſſit vnionem hypoſtaticam, quæ poſita fuit loco ſubſiſtentiæ creatæ. Hoc poſito.

3 Tribus modis poteſt agitari hæc quæſtio vtrum Chriſtus meruerit vnionem hypoſtaticam: primò per opera tempore antecedentia vnionem, & hoc modo certum eſt de fide Chriſtum ſuam vnionem non meruiſſe; cum contra Photinum, Origenem, & alios hæreticos, qui dicebant Chriſtum prius fuiſſe purum hominem, deinde per opera vnionem antecedentia meruiſſe fieri filium Dei definitum ſit, & Fides Catholica doceat, Chriſtum à principio ſuæ conceptionis fuiſſe filium Dei. Secundò poteſt inquiri, an Chriſtus meruerit vnionem per opera tantùm natura antecedentia. Tertiò, an per opera ſubſequentia, & de his duobus modis eſt quæſtio, & in hoc articulo videbimus, an Chriſtus meruerit per opera tantùm natura præcedentia vnionem, in ſequenti verò, an meruerit eamdem vnionem per opera ſubſequentia.

4 Conſtans eſt omnium Theologorum ſententia de facto Chriſtum non meruiſſe vnionem hypoſtaticam per opera tantùm natura antecedentia vnionem, diſcrepant tamen in aſſignanda ratione.

Caietanus hic quæſt.2. art. 11. Suarez diſput. 10. ſect.2. Gonet diſput. 7. art.2. Ioannes à S. Thom. diſp. 5. art. 2. Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 13. & alij id probant, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, & cum prius data ſit perſonalitas Chriſto, quam vllam operationem elicuerit, ideo deducunt nullam actionem meritoriam potuiſſe eſſe in Chriſto ante vnionem, quam rationem aliqui ita ſuſtinent efficacem, vt nec de potentia Dei abſoluta potuerit mereri ipſam vnionem per opera tantùm natura præcedentia vnionem.

Vaſquez verò diſp. 21. cap. 3. impugnat illud, quod communiter ſupponitur à præcedentibus Doctoribus tamquam principium, nempe quod actiones ſint ſuppoſitorum, Vaſquium ſequitur Card. de Lugo diſp.8. ſect.1. cum aliis. Arriaga diſp. 17. ſect.1. licèt non recipiat illud principium, quod actiones ſint ſuppoſitorum, docet tamen, quod de via ordinaria prius datur ſubſiſtentia, quam operatio.

5 Concluſio 1. de facto Chriſtus Dominus non meruit incarnationem per opera humanitatis natura tantùm præcedentia vnionem. Probatur à quibuſdam ex illo Lucæ 2. *Per viſcera miſericordię Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto*, & ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei*. Verùm hæc loca quicquam non probãt, nam videntur excludere merita aliorum hominum, non ipſius Chriſti.

6 Communiter igitur probatur hæc concluſio ex Auguſtino, qui, vt probaret contra Pelagianos noſtram electionem factam fuiſſe ſine meritis, arguit à pari de prædeſtinatione Chriſti, & clariſſimus eſt locus Auguſtino lib de correptione, & gratia cap. 11. vbi ſic habet. *Reſpondeant quaſo ille homo, vt à Verbo Patri æterno in vnione perſonæ aſſumptus filius Dei vnigenitus eſſet, vnde meruit? quod eius bonum qualecumque præceſſit? Quid egit ante? quod petiuit, vt ad hanc excellentiam perueniret? non ne faciente, ac ſuſcipiente Verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cepit, filius Dei eſſe cepit?* Idem habet ſerm. 8. de verbis Domini, in Enchirid. cap. 36. de prædeſt. Sanctorum cap. 15. cum tam clara verò Auguſtini auctoritate, accedente communi Theologorum, temerarium ſaltem eſſet ab hac concluſione diſcedere.

7 Probatur ratione. Prius humanitas debet intelligi in eſſe completo ſubſtantiali, quam vlla intelligatur operatio, quia prius eſt eſſe ſubſtantiale, & neceſſarium, quam accidentale, & liberum: ſed ſubſiſtentia eſt, quæ conſtituit humanitatem in ſuo eſſe completo ſubſtantiali; & tamquam quid naturaliter ſaltem neceſſarium; ergo prius eſt, quod humanitas Chriſti habuerit ſubſiſtentiam, quam quod operata ſit, & meritum vllum habuerit: ex alia verò parte cum Concilia, & Patres definiant in Chriſto nullam aliam fuiſſe ſubſiſtentiam, niſi diuinam; fatendum eſt, Chriſtũ prius debuiſſe eſſe ſubſiſtentẽ, quam vllam operationem elicuerit: ſi verò prius Chriſtus habuit perſonalitatem verbi, quam vllam operationem elicuerit, certè ipſam vnionem hypoſtaticam non meruit, quia meritum debet eſſe ante præmium, & cauſa iſtius non verò poſt ipſum. *Meritum debet eſſe ante præmium.*

8 Vaſquez loco cit. cap. 3. conatur reijcere hanc rationem, eo quod ſubſiſtentia, nec ſit principium operationum; nec conditio eſſentialiter requiſita, ad operationem, cum poſſint dari opera-

Digitized by Google

tiones ſine ſubſiſtentia, imò de facto multi negant animam ſeparatam eſſe ſubſiſtentem, & tamen concedunt ipſam intelligere, velle, & operari, quare illud, quod ſupponitur tanquam principium; nempe *actiones ſunt ſuppoſitorum*, quod deſumptũ fuit ab Ariſt. 1. metaph. cap 1. à D. Ioan. Damaſceno lib. 3. de fide c. 15. & quo vſus eſt Io. Theologus in concilio Florentino ſeſſ. 18. licèt illud admittat, vt ſonat, nihilominus dicit nihil probare, nam ſolùm probat, quod actiones tribuantur ſuppoſitis; at non per hoc probatur, quod ſubſiſtentia præerequiratur ad operationem. Sed contra, quia nos non probamus in Chriſto non fuiſſe meritum, quia ſubſiſtentia ſit principium operandi, fateor enim, quod ſi aliqua creatura ſpoliaretur à Deo propria ſubſiſtentia, quæ nihilominus adhuc eſset exiſtens in rerum natura, poſset operari, & hoc concedo Vaſquez, & alijs, qui ipſum ſequuntur, ſed dico ſubſiſtentiam eſse complementum ſubſtantiale, & quod ſit tale, colligimus præſertim ex hoc myſterio Incarnationis, in quo fides docet, non adeſse ſubſiſtentiam creatam, ſed loco illius poſitam fuiſse diuinam; omne autem complementum ſubſtantiale, & neceſsariùm prius conuenit naturæ, quam perfectio accidentalis, & libera, cuiuſmodi eſset omnis actio meritoria; & ex hoc remanet firmum illud principium, quod actiones ſunt ſuppoſitorum, quia, cum ſubſiſtentia ſit complementum ſubſtantiale, prius natura ſemper eſt, quam operatio.

Prius eſt complemẽtum ſubſtãtiale naturæ, quam operatio.

9 Concluſio 2. Humanitas Chriſti de potentia Dei abſoluta per opera tempore, vel natura præcedentia vnionem potuit mereri de congruo ipſam vnionem, non autem de condigno. Et quidem quo ad primam partem, quod per opera tempore antecedentia vnionem potuerit mereri de congruo vnionem in confeſso eſt apud omnes; nam potuit Deus primò producere humanitatem Chriſti cum ſua propria ſubſiſtentia per aliquod tempus antequam vniretur cum Verbo, & pro tali tempore potuit Deus ornare animam eius gratia, & virtutibus, & operari opera ſupernaturalia; ergo aliquo modo potuit mereri; Non eſſent tamen de condigno talia opera meritoria vnionis hypoſtaticæ; tũ quia præmium proportionatum talium operum fuiſſet augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo reſpectu vnionis non poſſunt habere condignitatem, tum quia vnio hypoſtatica eſt præmium ſimpliciter infinitum, & ſubſtantialiter tale; nullum autem meritum habet proportionẽ cum præmio ſimpliciter infinito; ergo nullum meritum poteſt eſſe de condigno; tum quia ſi opera bona, & ſupernaturalia eſſent meritoria de condigno vnionis hypoſtaticæ, ſequeretur, quod iuſti, & ſancti ipſam meruiſſent; quod tamen nullus concedit.

10 Dices potuiſse fieri ex ordinatione diuina, & lege, vt ſi humanitas Chriſti cum illa gratia operaretur, deberet habere pro præmio vnionem hypoſtaticam, ergo ſi tunc humanitas Chriſti operata fuiſſet opertiones ſupernaturales ex condigno ei debita fuiſſet vnio. Sed contra, quia illa gratia eſſet eiuſdem ſpeciei cum illa aliorum ſanctorum: atqui in alijs ſanctis non habet ex ſe proportionem meriti de condigno in ordine ad vnionem; ergo neque etiam ex voluntate Dei poterit illam proportionem habere: probatur conſequentia: nam promiſſio, & voluntas Dei non mutat naturam operis, neque opus ex promiſſione creſcit indignitate, & valore; ergo nullo modo per gratiam habitualem potuit mereri vnionem de condigno. Confirmatur ad rationem meriti de condigno requiritur proportio cũ præmio; ſed nulla res creata poteſt habere proportionem cum vnione hypoſtatica, quæ eſt bonum vndequaque infinitum tranſcendens quodcumque meritum cuiuscumque creaturæ; ergo nullo modo humanitas Chriſti per opera tempore præcedentia ipſam vnionem potuit eamdem vnionem mereri.

12 Secunda pars, nempe, quod etiã per opera tantùm natura præcedentia vnionem potuerit mereri, eſt Caietani, Lugi, Arriagæ, & aliorum contra Suarez diſp. 10 ſect. 3. Vaſquez diſput. 21. Cipullum quæſt. 2. artic. 11. dub. 1. Gabrielem à S. Vincentio diſput. 2. dub. 13. Probatur, quia nulla eſt repugnantia, neque ex parte naturæ operantis, neque ex parte meriti; ergo nullo modo repugnat; non repugnat ex parte naturæ operantis; nam ad hoc vt natura poſſit operari, ſufficit ſi ſit exiſtens; ſed humanitas Chriſti in priori naturæ antequam intelligatur vnita Verbo intelligitur exiſtens; ergo etiam poterit operari: neque repugnat ex parte meriti; nam ad hoc, vt actio ſit meritoria de congruo vnionis non eſt neceſſe, quod procedat ab ipſo Verbo dignificante, ſed ſufficit ſi procedat à libero arbitrio ornato, & eleuato per gratiam habitualem, & alia auxilia ſupernaturalia; ſed potuit à Deo humanitas Chriſti antequam vniretur cum Verbo in priori naturæ ornari gratia habituali, & alijs donis, & auxilijs ſupernaturalibus; ergo etiam

pote-

Digitized by Google

poterat cum illis auxilijs ſupernaturalibus operari; talia autem opera fuiſſent meritoria de congruo, ſicuti enim, ſi per aliquod tempus prius extitiſſet in rerum natura, concedunt etiam aduerſarij, quod potuiſset de congruo mereri vnionem hypoſtaticā; ita ſi prius natura fuiſſet humanitas ornata gratia, & donis ſupernaturalibus etiam mereri potuiſset de congruo eamdem vnionem.

12 Quod autem poſſet eſſe tale meritum de congruo patet, quia ad meritum de congruo non requiritur ex vna parte æqualitas inter ipſum, & præmiū; ex alia parte potuerunt talia opera elicita ab humanitate fieri dependenter à gratia habituali in gradu ſummo donabili, & auxilijs actualibus, ita vt poſita promiſſione Dei potuiſsent fundare aliquam congruentiam aptam ad mouendum Deum, ſeu diuinam liberalitatem, vt ea tāto pręmio compenſaret. hoc autē eſſet meritum de congruo, vt de ſe patet.

13 Obijcies primò contra primam varia loca ſcripturæ Pſalm. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, & Apoc. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem.* Ergo per primum locum deducitur, quod Deus dedit humanitati Chriſti vnctionem diuinitatis, quia dilexit iuſtitiam, & odiuit iniquitatem, & per ſecundum, quod per merita ſuæ paſſionis facta fuit digna accipere diuinitatem.

Reſpondeo ad primum locum, quod ly *propterea*, vel habet vim cauſæ meritoriæ, & ſic per oleum lætitiæ non intelligitur vnio hypoſtatica, ſed aut Regnū, quod poſt paſſionē Chriſto datū fuit, vt exponit D. Hieronymus; vel per vnctionem intelligitur declaratio Chriſti in filium Dei facta in Iordane, vt ſentit D. Hilarius; vel ly *propterea* facere ſenſum cauſæ finalis, & ſic per oleum poteſt intelligi diuinitas, ita vt ſenſus ſit, ſi dilexiſti iuſtitiam, hoc ideo fuit, quia Deus vnxit te, ſic Nazianzenus. Ad ſecundùm locum dico intelligi, quo ad exaltationem ipſius nominis, & externam gloriam, quam per paſſionem Chriſtus promeruit; Poteſt etiam intelligi de continuatione vnionis, & reſurrectionē ipſius; nam in triduo mortis non poterat dici, homo eſt Deus, licèt vnitus eſſet animæ, & corpori, hāc autem denominationem iterum accepit per reſurrectionem.

14 Obijcies 2. Humanitas Chriſti prius natura, quam vniretur Verbo fuit hæc natura indiuidua, & exiſtens; ergo in illo priori potuit gratia ornari, & operari; ergo de facto ita euenit; cum hoc præcipue cedat in maiorem Chriſti dignitatem.

Reſpondeo negando primam conſequentiam, ſi de via ordinaria loquamur, tum quia de via ordinaria prius debet dari ſubſiſtentia, quæ eſt complementum naturæ ſubſtantialis, quam natura operetur: tum quia ante vnionem nulla gratia data fuit Chriſto, ſed omnis gratia ſubſecuta eſt vnionem; ſi verò loquamur de potentia abſoluta, concedo primam conſequentiam, vt dictum eſt in ſecunda concluſione, & nego vltimam conſequentiam; nam cum natura naturaliter prius debeat habere ſubſiſtentiam, quam operetur non decuit Deum inuertere naturalem modum operandi.

15 Obijcies 3. Eius eſt operari, cuius eſt produci, & eſſe de nouo: ſed humanitas eſt illa, quæ producitur, & de nouo eſt, non ſuppoſitum: ergo etiam ipſa operatur ſine ſuppoſito.

Reſpondeo, quod eo modo, quo res producitur, eo modo operatur, producitur autem ſuppoſitum, vt *quod*, natura, vt *quo*, & ideo natura eſt principium effectiuum vt *quo*, ſuppoſitum, vt *quod*; licèt enim ſuppoſitum diuinum non producatur de nouo ſecundum eſſe ſuū ſimplex, quod eſſentialiter eſt, & improducibile, producitur tamen ſecundùm eſſe complexum in natura, quatenus de nouo terminat naturam humanam, quam prius non terminabat.

16 Obijcies 4. Angelus in eodem inſtanti, in quo creatus fuit ſe diſpoſuit ad gratiam habitualem, quam recepit, vt diximus cum D. Thom. in tractatu de Angelis; ergo etiam Chriſtus in eodem inſtanti, quo productus fuit, ſe diſpoſuit ad vnionem.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia Angelus habuit propriam ſubſiſtentiam, & ideo potuit cum gratia actuali ſe diſponere ad habitualem: natura verò humana in Chriſto nullam habuit ſubſiſtentiam, niſi diuinam, nec vlla gratia ei data fuit ante; cum omnis gratia conſequuta ſit vnionem hypoſtaticam, & ex alia parte, cum naturaliter antequam natura operetur, debeat habere ſubſiſtentiam; hinc eſt, quod natura humana nullam actionem meritoriam potuit habere ante vnionem hypoſtaticam; Angeli verò cum habuerint propriam ſubſiſtentiam potuerunt per auxilia actualia ſe diſponere ad gratiam.

17 Obijcies 5. Si in Chriſto de via ordinaria non poteſt dari meritum ad vnionem, maximè quia non poteſt operari ante ſubſiſtentiam; ſed hoc eſt falſum; ergo & vnde ſequitur: maior eſt funda-

fundamentum noſtrę concluſionis: probatur minor; quælibet natura effectiuè producit propriam ſubſiſtentiam; ergo agit antecedenter ad illam; ergo ſi naturaliter concurrit ad productionem ſubſiſtentiæ, etiam poterit naturaliter producere aliam operationem ante ſubſiſtentiam.

Reſpondeo rationem cur non poſſit dari meritum ante ſubſiſtentiam, nõ eſſe ſimpliciter, quia natura non poſſit operari ante ſubſiſtentiam, ſed quia naturaliter loquendo ei prius debentur ea, quæ neceſſariò ei conueniunt ſecundùm eſſe ſubſtantiale, & neceſſarium, quam illa, quæ illi competunt ſecundùm eſſe accidentale, & liberum, quare eſto, quod natura per reſultantiã effectiuè concurrat ad producendam propriam ſubſiſtentiam, hanc tamen debet prius habere, quam actiones liberas operetur, vnde argumentum nullũ eſt. Poteſt etiam dici naturam non concurrere effectiuè ad producendam propriam ſubſiſtentiam, ſed hanc concreari cum ipſa natura; quo poſito nulla actio ſiue libera, ſiue neceſſaria producitur à natura, niſi prius ſit ſubſiſtens.

18 Obiicies 1. contra ſecundam: Deus non poteſt immutare ordinem intrinſecum, & eſſentialem naturæ: ſed quod naturæ prius competat ſubſiſtentia, quam operatio eſt ordo intrinſecus, & eſſentialis competens naturæ; ergo à Deo non poteſt immutari faciendo, quod prius ſit operatio, quam ſubſiſtentia. Confirmatur, quia natura in illo priori naturæ ante ſubſiſtentiam, vel intelligitur cum carentia ſubſiſtentiæ, vel tantùm in ſtatu præciſiuo à ſubſiſtentia, ſi primum; ergo neque intelligitur exiſtens, cum nulla creatura ſeparata à proprio, & alieno ſuppoſito exiſtere poſſit: ſi verò intelligatur tantùm in ſtatu præciſiuo, implicat, quod prius intelligatur operatio, quam quod ſubſiſtat, nam implicat intelligere formam, quin intelligatur cum ſuo effectu formali.

Reſpondeo negando minorem; nam in primis ſiſtendo in lumine naturali ſubſiſtentia non cognoſcitur diſtincta ab exiſtentia ſubſtantiali, vt ſuppono probatũ ex Metaph. & eſſe diſtinctam, niſi ex myſterio Incarnationis cognoſcimus; ex hoc autem eſſentialem ordinem iſtum non percipimus; præſertim, cum etiam hoc ſtante, multi adhuc admittant ſubſiſtentiam nihil aliud eſſe, quam duas negationes, vnde ergo deducitur iſte eſſentialis ordo, qui non poſſit à Deo immutari; Ad confirmationem dico, quod natura poteſt intelligi, & cum carentia ſubſiſtentiæ, & in ſtatu præciſiuo, falſum autem eſt, quod non intelligatur exiſtens; nam natura præciſa ſubſiſtentia, & cum carentia eiuſdem, adhuc exiſtens eſt, & de facto anima, & corpus Chriſti antequam aſſumerentur à Verbo erant exiſtentia, erant enim per creationem producta. Quod ſi intelligatur tantùm in ſtatu præciſiuo à ſubſiſtentia, adhuc intelligitur exiſtens ſiue ſubſiſtentia, & operans etiam poterit intelligi. Quare ad id, quod dicitur implicare intelligi formam ſine ſuo effectu formali, veriſſimum eſt, verùm in ſtatu præciſiuo non intelligitur forma, & ideo nil mirum, ſi non intelligatur eius effectus formalis, ſed in priori *à quo* ſit operatio, licèt poſtea in eodem inſtanti reali vtrũque ſit.

19 Obiicies 2. ex Vaſquez ſi potuit eſſe meritum in Chriſto ante vnionem, vel proueniebat à gratia habituali, & hoc non, ſecus humanitas fuiſſet filia adoptiua, quod falſum eſt; vel proueniebat à gratia actuali, & neque hoc, quia ſic meritum fuiſſet finitum; in Chriſto autem omne meritum fuit infinitum.

Reſpondeo, quod hoc meritum poterat prouenire, & è gratia actuali, & ab habituali, & ab vtraque ſimul: quare ſi prouenisset à ſola gratia actuali, fuiſſet quidem finitum, at de facto omne meritum in Chriſto fuit infinitum, quia omne procedebat ab vnione; tunc verò non proceſſiſſet ab vnione, & ideo nil mirum, ſi foret finitũ. Si verò proceſſiſſet ab habituali, vel in natura humana Chriſti fuiſſet carentia vnionis, & ſic cum tali gratia pro eo ſigno fuiſſet filius adoptiuus; in alio tamen ſigno non eſſet, quia gratia habitualis, vt conſtituat filium adoptiuum, nõ ſolum exigit, quod ponatur in humanitate, ſed inſuper, quod talis humanitas non ſit vnita cum perſonalitate diuina, & cum in ſecundo ſigno eſſet vnita humanitas perſonalitati Verbi, nam poſſet amplius dici filia adoptiua, ſed tunc Chriſtus eſſet filius naturalis Dei; quod ſi dicat in eo ſigno non eſſe carentiam vnionis, ſed tantùm præſcindi ab vnione, & ego dico in tali caſu præſcindi à filiatione adoptiua, donec in ſecundo inſtanti naturæ, ſeu in inſtanti reali intelligatur, an ſequatur filiatio naturalis nec ne. Idemque reſpondeo ſi hoc meritum proueniat à gratia habituali, & auxilijs actualibus ſimul.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

An Chriſtus per opera ſubſequentia vnionem eamdem mereri potuerit.

2 SVarez diſput. 10. ſect. 4. vult Chriſtum Dominum per opera conſequentia vnionem potuiſſe mereri Incarnationem ſuam, non quidem quo ad prædefinitionem, ſed quo ad executionem in tempore; vnde diſtinguit duos ordines intentionis, & executionis: dicit poſtea merita præuiſa ordine intentionis à Deo non potuiſſe mereri ipſã prædefinitionem; merita tamen præuiſa ordine intentionis potuiſſe mereri executionem incarnationis. Sic etiam Valentia, Ruiz. diſp. 6. de Prædeſt. ſec. 2. Coninch. diſp. 8. de actibus ſupernaturalibus dub. 7. & alij.

Communis, & conſtans fere omniũ Theologorum ſententia docet, Chriſtũ per opera ſubſequentia vnionem non ſolùm non meruiſse, ſed nec etiam potuiſſe mereri ſuam primam vnionem. Sic D. Tho. hic q. 2. art. 12. Thomiſtæ communiter, Aluarez diſp. 16. Ioan à S. S. Thom. diſp. 5. ar. 2. Gonet diſp. 7. ar. 3. Vaſquez diſput. 21. cap. 5. Lugo diſp. 8. ſect. 2. Amicus diſp. 26. ſect. 6. Arriaga diſp. 17. ſect. 2. & 3. Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 13. §. 5. & communiter ſcholaſtici.

2 Concluſio. Chriſtus per opera vnionem ſubſequentia non potuit mereri eamdem vnionem, quo ad primum ipſius eſſe. Probatur: impoſſibile eſt cauſam efficientem cauſari à ſuo effectu, & idem eſſe cauſam ſui ipſius in eodem genere cauſæ; ſed vnio eſt cauſa efficiẽs omnium meritorum Chriſti, ergo merita non poſſunt eſſe cauſa efficiens vnionis, quia ſic etiam cauſarent ſe ipſa, per illud principium, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.

3 Dices 1. ex Suarez; hoc non ſequi, quia merita præuiſa ordine intentionis non poſſunt quidem mereri incarnationem præuiſam in intentione, at poſſunt illam mereri in executione, quia licèt cauſa meritoria comparetur cauſæ efficienti, & cauſet vt præuidetur exiſtens, nihilominus non eſt neceſse, vt actu exiſtat, ſed vt cauſet, ſufficit vt in intentione præuideatur exiſtens, præuiſis verò meritis in intẽtione, cum ſint priora, quam ſit executio incarnationis, poterit Deus ad illa reſpicere, & ex illis moueri ad executionem incarnationis, & ſic non ſequitur, quod idem ſit prius, & poſterius, cauſa, & effectus in eodem genere cauſæ, ſed ſub diuerſa ratione.

Sed contra primò, quia merita in intentione non poſſunt eſse cauſa meritoria incarnationis in intentione, vt fatetur etiam Suarez, quia ſic principium meriti caderet ſub merito, quod implicat; ergo neque in executione: probatur conſequentia: merita præuiſa in intentione ſupponuntur præuideri, vt exiſtentia dependenter à decreto incarnationis libero, & gratuito ſine meritis, ſeu ab ipſis meritis non cauſato; ergo etiam quando erunt à parte rei, erunt dependenter à decreto incarnationis ponente incarnationem ſine meritis: conſequẽtia patet, quia merita eo modo ponuntur à parte rei, ſicuti præuidentur exiſtentia: ſed à Deo quando primò præuidentur, præuidentur exiſtentia dependenter à decreto libero Dei, quod decretum nulla merita ſupponebat; ergo quando ponuntur à parte rei, ponuntur dependenter à decreto libero Dei, quod nulla merita ſupponat.

4 Contra 2. Quando Suarez dicit merita præuiſa in intentione poſſe mereri executionem incarnationis, vel accipit merita formaliter, vt futura, præſcindendo ab actuali eorum exiſtentia, vel accipit merita, vt præuiſa actualiter exiſtentia: ſi primum dicatur; contra, quia merita formaliter, vt futura nullam poſſunt exercere cauſalitatem meriti, nam quod formaliter futurum eſt, actu non eſt; ſed quod actu non eſt, neque poteſt exercere rationem cauſæ efficientis, ſicuti eſt cauſa meritoria, quæ ad efficientem reducitur; ergo ſi merita accipiantur formaliter vt futura, actu merita non ſunt, ſed tantùm futura ſunt; Quare ſicuti non poteſt quis puniri per demeritum, quod futurũ eſt donec actu ſit; ita nec præmiari propter meritum, quod futurum ſit, ſed actu non ſit: ſi verò dicatur ſecundum, vt dici debet, merita actu exiſtentia ſunt talia dependenter ab incarnatione vt executa; ergo non poſſunt mereri ipſam executionem: conſequentia patet; nam incarnatio, vt executioni mandata eſt principium illorum meritorum in genere cauſæ efficientis; ergo illa merita non poſſunt eſſe principium in genere cauſæ meritoriæ eiuſdem incarnationis in executione; cum cauſalitas cauſæ meritoriæ reducatur ad cauſam efficientem, & ſequeretur, quod principium meriti caderet ſub merito, quod implicat, vt concedit, etiam ipſe Suarez.

5 Probatur 2. concluſio. De facto vnio, quam habuit Chriſtus Dominus fuit merè gratis à Deo humanitati conceſſa ſine vllis meritis ipſius, vt concedit etiam Suarez: ſed ſi opera Chriſti

præ-

Digitized by Google

præuiſa in intentione poſſunt mereri vnionem ipſam in executione, vnio non fuiſſet conceſſa humanitati mere gratis; ergo dicendum eſt opera Chriſti præuiſa in intentione, non poſſe habere rationem meriti reſpectu vnionis in executione: probatur minor, quia de facto opera Chriſti præuiſa fuere à Deo futura in intentione antequam poneretur executio vnionis; ergo ſi hoc ſufficit ad meritum, de facto Chriſtus meruit ſuam vnionem.

6 Dices hoc verum eſſe de potentia abſoluta, non de facto, quia ex natura rei meritum debet eſſe prius præmio. Sed contra, quia merita præuiſa in intentione ſunt prius executione incarnationis; ergo ſi ad meritum ſufficit, quod præuideantur merita in intentione, cum merita Chriſti in intẽtione fuerint prçuiſa ante executionem incarnationis, ſequitur, quod Chriſtus meruerit executionem ſuæ vnionis, quod tamen eſt contra ipſum Suarez, omnes ſcholaſticos, & ipſum Auguſtinum, quem ſupra in articulo præcedenti citauimus.

7 Aliqui recentiores, cum videant argumenta ſupra poſita efficaciter probare, quod merita Chriſti futura, & in intentione præuiſa non poſſint mereri ipſam executionem incarnationis, alia via incedunt, & conantur ſoluere argumentum. Dicunt ergo Chriſti humanitatem potuiſſe à Deo præuideri bene operaturam abſtrahendo à dignificatione proueniente ab vnione, vel proueniente à gratia habituali; deinde Deum huic humanitati in præmium huiuſmodi operum decernere vnionem hypoſtaticam. Sed contra, quando Deus videt humanitatem bene operaturam, vel videt bene operaturam cum ſubſiſtentia diuina, vel cum ſubſiſtentia creata, vel præſcindendo à creata, & increata ſi dicatur primum, cum ſubſiſtentia diuina ſit principium meriti, ipſa non poteſt dari in præmium, quia principium meriti non cadit ſub meritum, & in ſuo robore remanet argumentum factum, vt patet. Si verò dicatur ſecundùm, contra, quia humanitas Chriſti numquam operata fuit cũ ſubſiſtentia creata; ergo numqua præuiſa fuit abſolutè operatura cum ſubſiſtentia creata: conſequẽtia eſt clara, quia illud, quod ſemel eſt abſolutè futurum, aliquando fit præſens: ſed numquam verificatum fuit de præſenti, quod humanitas Chriſti operata ſit cum ſubſiſtentia creata, imo numquam de præſenti verificabitur; ergo etiam numquam fuit abſolutè futurum, quod humanitas Chriſti cum ſubſiſtentia creata eſſet operatura. Si verò dicatur tertium, etiam contra; quia implicat, quod Deus videat determinatè merita Chriſti vt exiſtentia, & non videat determinatè etiam ea eſſe à tali natura ſubſiſtente ſubſiſtentia diuina, vel humana determinatè: ſed verè opera Chriſti ſi præuidentur vt meritoria, præuidentur determinatè à Deo vt exiſtentia; ergo etiam præuidentur determinatè eſſe à tali natura ſubſiſtente ſubſiſtentia diuina, vel humana: & ſi præuidiſſet talia opera eſſe à natura ſubſiſtente ſubſiſtentia humana, nil mirum, quod per talia opera poſſit de congruo mereri vnionem, vt diximus articulo præcedenti; & in hoc ſenſu hic non agitatur quęſtio. Addo tamen, quod Deus non potuit præuidere talia opera fore abſolutè futura à natura humana cũ ſubſiſtentia creata; nam cum in Chriſto hæc numquam fuerit, nec etiam Deus potuit eam præuidere; nam præuidiſſet falſum, quod in Deo implicat: ſi verò Deus præuidiſſet talia opera eſſe à natura humana ſubſiſtente ſubſiſtentia diuina; cum hæc iam ſupponatur, vt principium meriti, non poteſt cadere ſub meritum.

8 Dices. Vt quis videat effectum exiſtentem non eſt neceſſe, vt videat illum cum illis principijs, quæ tantùm concomitanter ad illum producendum requiruntur, & non influunt, ſed ſufficit ſi videat illum cum illis principijs, & cauſis, quæ formaliter requiruntur, & influunt, vel proximè, vel remotè: cum igitur ſubſiſtentia tantùm concomitanter ſe habeat ad opera naturæ humanæ in Chriſto, ſequitur, quod potuerint præuideri à Deo, vt erant à natura cum gratia, à qua dignificationem haberent, abſque eo quod præuideretur ſubſiſtentia diuina, ſeu abſque eo, quod præuiderentur eſſe ab humanitate ſubſiſtente ſubſiſtentia diuina. Sed contra Deus debet præuidere ea merita humanitatis Chriſti, quæ aliquando extitura erant in rerum natura: ſed de facto in rerum natura non extiterunt merita Chriſti, niſi dependenter à ſubſiſtentia diuina moraliter ea dignificante, & moraliter influente, & conſtituente ea valoris infiniti; ergo, ſi hæc merita videre debuit, vt aliquando ponenda à parte rei, debuit videre ſubſiſtentiam diuinam, à qua valorem accipiebant, & in ea moraliter influentem; quare dum effectus videtur, eſto non ſit neceſſe videre illud principium, quod tantùm concomitanter ad effectum requiritur, & nullo modo influit; debet tamen videri, ſi moraliter influat, & ſi effectus ab illo habeat dignificationem, & valorem, vt

Principiũ moraliter influxus videri debet.

in

Digitized by Google

in propoſito omnia merita humanitatis Chriſti à ſuppoſito diuino habent valorem, & dignitatem.

9 Obijcies 1. Chriſtus per ſua merita ſolùm futura, non verò in re exhibita, meruit omnem gratiam, quæ antiquis Patribus de facto collata fuit; ergo ad rationem meriti non eſt neceſſe, quod meritum re ipſa antecedat præmium, ſed ſufficit, quod meritum ſit à præmiante præuiſum; ergo etiam Deus ab æterno præuidens infinita Chriſti merita futura, potuit eamdem vnionem conferre Chriſto in præmium futurorum meritorum.

Reſpondeo, quod Chriſtus non per merita ſua tantùm formaliter futura, ſed per eadem, vt præuiſa exiſtentia, meruit Sanctis Patribus gratiam; ſed negatur conſequentia, diſparitas eſt, quia gratia collata Patribus intuitu meritorum Chriſti ſupponebat Chriſtum præuiſum exiſtentem pro ſua temporis differentia, nec ipſa erat principium effectiuum meritorum Chriſti: at vnio hypoſtatica erat principium effectiuum meritorum Chriſti, & ſupponere non poterat Chriſtum futurum præuiſum pro ſua temporis differentia exiſtentem, cum Chriſtus ſit futurus per vnionem futuram, nec præuideri poſſit exiſtens, niſi cum vnione; & ideo gratia Patribus conceſſa potuit ſub merita Chriſti cadere, non ſic vnio hypoſtatica.

10 Obijcies 2. Poteſt Rex arma, & equum fortiſſimo militi tribuere in præmium meritorum, quæ factura ſperat dependenter ab eiſdem armis, & equo; ergo ſimiliter potuit Deus humanitati Chriſti gratiam vnionis anticipata ſolutione tribuere in præmium eiuſdem humanitatis propter merita, quæ præuidebat poſt vnionem futura.

Reſpondeo 1. cum D. Thom. 1. 2. quæſt. 114. art. 5. ad 3. Negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia dum Rex donat arma, & equum in præmium meritorum multi ſunt actus laudabiles, & præmio digni, qui non pendent ab armis, & equo vt à principio: puta quod miles inuicto animo hoſtem aggrediatur, dexteritate vtatur, & huiuſmodi, hæc enim ab armis, & equo nõ pendent: at omnia Chriſti merita ab vnione, vt à principio pendebant: addo, quod ipſe bonus vſus armorum, & victoria conſecuta procedit à propria virtute, & fortitudine ipſius militis magis, quam ab armis: merita verò Chriſti ab ipſa vnione vt à principio principali, non à propria virtute humanitatis pendebant; & ideo, eſto quod Rex poſſit talia arma in præmium militi dare, non poterit tamen Deus dare vnionem in pręmium operum, quæ Deus præuidet in Chriſto futuro; & ob hanc eamdem rationem non poſſumus mereri primam gratiam, aut primam habitualem de condigno. Dixi eſto, quod Rex &c. nam ſi ad trutinam reuocetur illud exemplum in multis deficit, nec probat intentum.

11 Reſpondeo igitur ſecundò, quod vel equus, & arma traduntur militi abſque translatione dominij de præſenti, ſed tantùm de futuro, quando ponetur bonus vſus equi, & armorum, & validè miles pugnabit in bello, & ſic equus, & arma non habebunt rationem præmij, quando primò traduntur, ſed tunc, quando erit bonus vſus; & ſic etiam Chriſtus potuit mereri per merita ſubſequentia vnionem hypoſtaticam non tamquam primò conceſſam, ſed vt continuãdam in eſſe poſt talia merita, Chriſtum autem meruiſſe continuationẽ ſuę vnionis infra ar. ſequenti probatur. Vel ſecundò transfertur abſolutè dominium in milite tunc, quando primò traduntur arma, & equus; cum ſpe tamen boni vſus, vt miles ijs bene vtatur, & vincat, ita tamen, vt quamuis non eſſet ponẽdus bonus vſus, adhuc arma, & equus non ſint repetenda, & ſic etiam non habent rationem præmij, quia poſſeſſio equi, & armorum non pendet ab exiſtentia boni vſus in ratione cauſæ meritorię; ſed ad ſummum, ſi bonus vſus, qui expectatur, habet rationem cauſæ, hæc non eſt meritoria, ſed finalis; quo modo, concedo merita Chriſti ſubſequentia eſſe cauſam finalem vnionis, vt ſupra dictum fuit, ſed ad rem præſentem nihil conducit. Vel tertiò transfertur quidẽ dominium abſolutè, ſed ea limitatione, vt miles ſubeat onus, & obligationem pugnandi fortiter, & validè ſtatuto tempore, & armis, & equo bene vtendo, ita vt ſi aliter fecerit, poſſit Rex ipſum tali dominio priuare, eò modo quo, quando venditur fundus pecunia credita, hac addita conditione, quod ſi ſtatuto tempore non ſoluat pecuniam, poſſit venditor ſuum fundum repetere; & ſic non dantur arma, & equus propter bonum vſum, ſed propter obligationem acceptatam à milite bene vtendi æquo, & armis, ſicque bonus vſus habet potius rationem pretij ſoluti, quam meriti remunerati; quo etiam modo potuit Deus dare Chriſto vnionem, non vt verum donum, ſed cum onere ſubſequentium operum, & hoc modo opera Chriſti ſe habuiſſent vt ſolutio pro debito, non vt meritum pro præmio.

12 Obijcies 3. Poſt decretum intentiuum Incarnationis, & meritorum

Chriſti, Deus fuit omnino liber ad volendam executionem incarnationis; ergo potuit moueri ex meritis præuiſis ad volendam executionem incarnationis.

Reſpondeo, quod vel decretum intentiuum Incarnationis dat non ſolum eſſe futurum Chriſto, & meritis eius, ſed etiam facit, vt vi illius præuideantur aliquando vt exiſtentia, & ſi hoc facit tale decretum, non eſt neceſſarium aliud decretum executiuum, ſed intentiuum, & executiuum identificantur, & poſito intentiuo, licèt adhuc ſit liber Deus, quia etiam dum actu operatur non perdit libertatem, nihilominus in ſenſu cōpoſito, ſeu neceſſitate conſequentiæ nō poteſt non eſſe executio incarnationis, & meritorum Chriſti, vnde negatur conſequentia, quia in hac ſententia non poteſt moueri ex meritis præuiſis ad executionem volendam, cum idem ſit decretum intentiuum, & executiuum: ſi verò decretum intentiuum dat tantum futuritionem, & non exiſtentiam, dico per tale decretum non præuideri merita, quæ habeant veram rationem meriti; nam quod futurum tantùm eſt, & non præuidetur exiſtens, meritum non eſt, ſicuti malum, quod futurum tantum eſt, & exiſtens non eſt, non eſt demeritum; cum meritum reducatur ad cauſam efficientem, & hæc, vt cauſet, debeat eſſe exiſtens.

Quod futurum eſt, actu meritū non eſt.

13 Obijcies 4. Gloria æterna in intentione præcedit merita noſtra, & tamen in executione datur propter merita, vt diximus de prædeſtinatione in tractatu primo de Deo; ergo etiam vnio hypoſtatica in intentione poteſt eſſe ſine meritis, & nihilominus dari in executione propter merita. Confirmatur. Poteſt exerceri vis impetratoria pro eo, quod tantum tempore antecedenti poterat obtinere, vt patet ex communi praxi Eccleſiæ, quę orat pro animabus defunctorum, vt liberentur à pœnis inferni, & ne cadant in obſcurum; ergo etiam opera conſequentia poterūt habere rationem meriti, & reſpectu præmij, quod antea donatum fuerit.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; diſparitas eſt, quia gloria, ſeu ipſius datio non eſt principium merendi ipſam gloriam: Incarnatio autem eſt primum principium merendi, & ideo non poteſt cadere ſub meritum. Ad confirmationem dico, tales preces Eccleſiæ eſſe purè affectiuas, non impetratiuas, cum enim in hac vita ignoretur ſtatus, quem quiſque obtinet in altera, ideo per eas preces Eccleſia oſtendit pium affectum, quem habet erga defunctos, eaſque non fundit vt obtineat, quod ſcit eſſe iam peractū, ſed exprimit illud, quod ex affectu charitatis vellet fuiſſe; & hunc modum orandi non adhiberet pro aliquo, ſi illi certò per reuelationem conſtaret eſſe in Cœlo, aut damnatum in inferno, quod patet; nam poſtquam aliquem declarauit Beatum, vel Sanctum, amplius pro ipſo non fundit huiuſmodi preces: ſi tamen animæ ſunt in purgatorio, concedo tales preces poſſe eſſe meritorias, & impetratorias non præmij antecedentis dati, ſed ſecuturi; verum hoc nihil contra nos.

ARTICVLVS VII.

An Chriſtus continuationem vnionis, & circumſtantias incarnationis meruerit, vel mereri potuerit.

1 PEr continuationem vnionis intelligo non ipſam vnionem, vt primò poſita fuit, ſic enim ex dictis conſtat, quod Chriſtus eam non meruerit, ſed intelligo perſeuerantiam ipſius vnionis, inſuper partiales vniones, quæ de nouo fiebant cum partibus, quæ de nouo per nutritionem aggenerabantur. Circumſtantiarum verò nomine propriè veniunt, quæ antecedenter, vel conſequenter ad incarnationem ſe habent, quod Verbum aſſumpſerit carnē ex ſtirpe Regia Dauidis, ex muliere Virgine ab Angelo annuntiata, Ioſepho deſponſata, quod Chriſtus natus ſit tali tempore, & loco, honoratus ab Angelis, adoratus à Paſtoribus, inquiſitus à Magis &c. Quo ad primam difficultatem.

2 Prima ſententia eſt Vaſquez diſp. 78. cap. 3. Cardinalis de Lugo diſp. 27. ſect. 2 Amici diſput. 26. ſect. 9. num. 191. Gonet diſp. 7. §. 3. Gabrielis à S. Vincentio diſp. 19. dub. 7. §. 2. & aliorum, hæc negat Chriſtum meruiſſe continuationē ſuæ vnionis; & plures hoc dicunt eſſe verum etiam de potentia abſoluta.

Suarez diſput. 10. ſection. 4. §. *Sed quæret aliquis*, ſuſtinet tamquam probabile Chriſtum meruiſſe continuationem vniones, partiales vniones, quæ de nouo aggenerabantur, & reparationem in reſurrectione, & quo ad partiales vniones, & reparationē, idē docet Gonet loco citato num. 72. cum alijs recentioribus.

3 Concluſio 1. Probabile eſt Chriſtum meruiſſe continuationem propriæ vnionis per totam æternitatem, extenſionem eiuſdem ad omnes partes, quæ paulatim per nutritionem aggenerabantur, & reparationem eiuſdem illi con-

ceſſam

Digitized by Google

ceſsam in reſurrectione. Dixi probabile eſſe, quia non nego etiam contradictoriam eſſe probabilem, tum quia maior pars ſcholaſticorũ illam ſuſtinet, tum quia vnio, quando primò data eſt, in perpetuum data eſt; ſed quando primò data fuit omnino gratis data fuit; ergo etiam omnino gratis in perpetuum data fuit; quare tum per principia extrinſeca ducta ab auctoritate, tum per intrinſeca poteſt ſuſtineri, Chriſtum hæc non meruiſſe, ſed gratis in principio à Deo illi donata fuiſſe.

4 Probatur modo concluſio. Eo nobiliori modo, quo poſſumus, debemus concedere Chriſto continuationem propriæ vnionis per totam æternitatem, extenſionem ipſius ad omnes partes, & reparationem eiuſdem illi conceſſam in reſurrectione; ſed habere hæc omnia per ſe ipſum eſt nobilius, quam habere eadem purè ab alio, vt vniuerſaliter id docet Ariſt. 8. phyſicorum textu 39. ergo ſi poſſumus concedere, Chriſtum hæc omnia habuiſse per ſe ipſum, cum ſit modus nobilior eadem habendi, de facto ſic eadem habuiſſe fatendum eſt; atqui id habetur à creatura per ſe ipſam, quod obtinetur per meritum proprium, meritum enim eſt actus liber, qui ab intrinſeco principio procedit, & inſuper, quod datur tamquam præmium propter meritum, datur vt corona, & triumphanti, nobilior autem eſt modus habendi rem aliquam tamquam coronam, & quæ illi detur tamquam triumphanti, quam purè gratis eamdem habere: ergo ſi poſſumus dicere Chriſtum Dominum hæc omnia obtinuiſſe propter meritum proprium, etiam de facto eadem ſic obtinuiſſe fatendum eſt. Confirmatur, quia Chriſtus Dominus in inſtanti ſuæ conceptionis, & in toto vitæ ſuæ curſu omnium virtutum actus perfectiſſimos, & infiniti valoris elicuit; ergo hæc omnia mereri potuit; nullum enim eſt argumentum contrarium, quod facilè ſolui non poſſit.

5 Obijcies 1. Quod neceſſaria ſequela debet dari non cadit ſub meritum: ſed continuatio vnionis, extenſio ad omnes alias partes, quæ de nouo aggenerabantur, & reparatio eiuſdẽ vnionis in reſurrectione neceſſaria ſequela dari debebãt poni poſita vnione; ergo non poterant cadere ſub meritum. Confirmatur, quia quod datur tamquam præmium, debet ita dari, vt ſi non ſit meritum, illud non detur: atqui omnia ſupra enumerata debebant Chriſto dari neceſſaria ſequela vi primæ vnionis: ergo nullo modo potuerunt cadere ſub meritum.

Reſpondeo veram eſſe maiorem, quãdo aliquid neceſſaria ſequela debet abſolutè dari: non verò quando debet dari neceſſaria ſequela fundata in liberalitate alicuius; quare licèt neceſſaria ſequela debuiſſet vnio perpetuò conſeruari, extendi ad alias partes, & in reſurrectione reparari, quia tamen vnio liberaliter data fuit, & liberaliter conſeruatur; nam potuiſſet Deus eamdem ſolũ ad tempus voluiſſe, hinc eſt, quod potuit Chriſtus per opera ſua mereri illius conſeruationem, extenſionem, & reparationem in reſurrectione; nam ſic, quod prius illi debebatur tantùm poſita liberalitate Dei, quod poterat auferri, abſque eo, quod humanitati inferretur iniuria, poſtea illi poteſt deberi etiam ex iuſtitia. Ad confirmationem diſtinguo maiorem: quod datur tamquam præmium debet ita dari, vt ſi non ſit meritum, illud non detur abſolutè, nego maiorem; ſub ea ratione, & formalitate ſub qua poſtea datur, concedo maiorem: in propoſito igitur continuatio vnionis, extenſio, & reparatio debebant quidem neceſſaria ſequela fundata in liberalitate Dei dari, ſed non ſub ea ratione coronæ, & præmij; & ideo ſub hac ratione potuerunt cadere ſub Chriſti merito; taliter, vt quæ Chriſto prius debebantur gratis, poſtea deberentur etiam ex iuſtitia, & tamquam corona. Et poteſt hoc explicari exemplo filij Regis, cui tamquam hæreditas debetur Regnũ, & nihilominus poteſt illud ſibi armis comparare, taliter vt Regnum poſtea ei debeatur, & tamquam hæreditas, & tamquam corona ex iuſtitia, ita & in propoſito dicendum eſt.

6 Dices continuatio vnionis hypoſtaticæ nihil omnino addit ſupra ea, quæ ex vi ſuæ primæ productionis illi competit, cum ſit eadem omnino immutabilis, & permanens; ſed vnio hypoſtatica vt primò producta nullo modo poteſt cadere ſub meritum Chriſti, vt ſupra probatum fuit; ergo neque ſecundùm continuationem cadere poteſt.

Reſpondeo continuationem vnionis nihil addere ſimplex ſupra ea, quæ ex vi ſuæ primæ productionis illi competit, ſuperaddere tamen aliquid complexum, nempè coexiſtentiam ipſius ad noſtrum tempus, quam coexiſtentiam non dicit, vt primò producta fuit; hoc autem cõplexum eſt realiter inadæquatè diſtinctum à complexo primæ productionis: Dico 2. ſuperaddere etiam etiam aliquid moraliter, nam cum continuatio vnionis ſecundùm ſe dependeat tantum à liberalitate Dei, poſitis meritis Chriſti eſt debita etiam vt corona, & ex iuſtitia, in quo ſenſu prius non erat debita.

Digitized by Google

7 Obijcies 2. Gratiæ ſanctificantis continuatio non poteſt cadere ſub meritum, ipſius gratiæ primæ productæ, alias donum perſeuerantiæ poſſet cadere ſub meritum de condigno hominis iuſti, quod eſt contra id, quod diximus de gratia quæſtione de merito; ergo neque continuatio vnionis, cum ſit eadem ratio.

Reſpondeo, quod gratiæ ſanctificantis continuatio poteſt cadere ſub meritum de congruo, vt dictum eſt loco ſupracitato de gratia. quod ſi perſeuerantia non poteſt cadere ſub merito de cõdigno; ideo eſt, quia præmium proportionatum meritorum iuſti eſt augmentum gratiæ, & gloria, quod præmium cum exhauriat totam condignitatem meriti, nil mirum, ſi perſeuerantiã etiam, quod eſt maximum donum, mereri iuſtus non poſſit de condigno; quæ omnia ceſſant in præſenti, nam merita Chriſti ſunt infinita, vnde ad hoc præmium ſe poſſunt extendere, & ex alia parte meritis Chriſti non datur pro præmio augmentum gratiæ, aut gloria, quia omnem gratiam, & gloriam iam habuit; igitur ei debetur pro præmio proportionato ſuis meritis continuatio vnionis, extenſio eiuſdem cum partibus, quæ continuò aggenerabantur, & reparatio in reſurrectione; nam licèt per mortem non amiſſa fuerit vnio Verbi cum anima, & corpore; in triduo tamen non poterat dici vnita humanitas, cum humanitas tunc non eſſet in rerum natura: reparatio ergo vnionis in reſurrectione, quatenus per hanc iterum humanitas dicitur vnita Verbo potuit cadere ſub meritum Chriſti.

8 Tandem addendum eſt Chriſtum etiam meruiſſe, vt hæc vnio hypoſtatica poneretur in ſacramento Euchariſtiæ, quotieſcumque à legitimis Sacerdotibus conſecratio fieret, quæ conſecratio à Patribus vocatur extenſio incarnationis.

9 Quo ad ſecundam difficultatem. Negant aliqui Chriſtum has circumſtãtias meruiſſe, præſertim, ſi ſermo ſit de circumſtantijs myſterium antecedentibus: communior tamen ſententia ſcholaſticorum docet, Chriſtum has omnes circumſtantis meruiſſe.

10 Concluſio 2. Chriſtus Dominus omnes circumſtantias vnionis, tum antecedentes, tum comitantes, tum conſequentes ſibi promeruit. Probatur breuiter, quia in operibus Chriſti aderat valor ad hæc omnia, & plura etiam promerenda; nec obuiat illa ratio, quod principium meriti non cadat ſub meritum; nam hoc principium fuit ſolum vnio; ergo reliqua, ſiue vnionem antecedentia, ſiue concomitantia, ſiue conſequentia potuerunt cadere ſub meritũ; ſicuti enim Chriſtus meruit gratiam antiquis Patribus præcedentibus, ita & circumſtantias antecedentes, & ſicuti meruit nobis, & ijs hominibus, qui cum ipſo fuere, ita & concomitantes, & conſequentes potuit mereri, & in hoc certè nulla videtur maior difficultas.

11 Obiicies 1. Quod cadit ſub diuinam prædeſtinationem liberam Dei nõ poteſt cadere ſub meritum: ſed omnes huiuſmodi circumſtantiæ cadunt ſub diuinam prædeſtinationem liberam Dei; ergo non poſſunt cadere ſub meritum.

Reſpondeo negando maiorem: etenim collatio gloriæ Petro cadit ſub diuinã prædeſtinationem, & tamen ex meritis confertur Petro, licèt prædeſtinatio, ſit gratuita; ita licèt circumſtantiæ fuerint prædeſtinatæ à Deo ordine intentionis ſine meritis, potuerunt tamen in executione nõ poni, niſi per merita Chriſti; de hoc argumento vide alias ſolutiones in tractatu de Deo quæſtione. 6. de prædeſtinatione artic. 7. de electione ad gloriam.

12 Obijcies 2 omnes iſtæ circumſtantiæ neceſſariæ fuerunt ad incarnationem, & per modum vnius coniunctæ fuerunt cum ipſa, & vnico indiuiſibili actu volitæ à Deo: ergo non potuerunt cadere ſub merito; conſequentia patet, quia meritum debet antecedere præmium, quod autem ſimul eſt, non antecedit.

Reſpondeo negando, quod fuerint neceſſariæ ad incarnationem, potuit enim abſolutè eſſe incarnatio ſine his circumſtantiis: nam potuit naſci ex alia muliere, & ſtirpe, in alio loco, & tempore. De facto tamen fuerunt per modum vnius coniunctæ cum ipſa incarnatione realiter, & vnico actu indiuiſibili realiter à Deo volitæ; cum hoc tamen ſtat, quod in hoc ſigno reali poſſumus diſtinguere varia ſigna; ita vt in primo ſigno intelligamus Deum voluiſſe incarnationem tamquam finem; in ſecundo præuidiſſe ipſius merita, quibus viſis, determinaſſe, vt caro ſumeretur ex ſtirpe Regia, ex Virgine, tali tempore, & ſic de alijs, licèt enim Deus hæc omnia vnico actu voluerit: attamen varia ſigna prioris, & poſterioris in ipſo aſſignare poſſumus: & hoc ſufficit, vt dicamus Chriſtum potuiſſe has circumſtantias mereri.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

An antiqui Patres potuerint mereri incarnationem, vel circumſtantias incarnationis.

1 Circa meritum Sanctorum Patrum in ordine ad incarnationem; poteſt primò dubitari, an ipſi potuerint mereri de codigno ſubſtantiam incarnationis, tum ſecundùm prędeſtinationem, tum ſecundùm executionem: ſecundò ſi meritum de condigno non potuit in ipſis eſſe circa ſubſtantiam incarnationis; an ſaltem in ipſis fuerit meritum de congruo, tum ſecundùm prædeſtinationem, tum ſecundùm executionem: tertiò an ſaltem circumſtantias incarnationis potuerint mereri, vel meruerint, tum de condigno, tum de congruo.

2 Concludũt de facto omnes Theologi, Patres non potuiſſe mereri de condigno incarnationem quo ad eius ſubſtantiam, neque quo ad eius prædeſtinationem, neque quo ad executionem, licèt diuerſi ſint in aſſignanda ratione; prætermiſſis igitur variis rationibus, quę plures patiuntur difficultates, id poteſt probari, quia per vnionem hypoſtaticam obtinetur ipſæ Deus ſecundùm ſe, & in radice acquiritur ius ad omnia præmia poſſibilia, & humanitas ipſa redditur infinitè amabilis, & honorabilis à Deo, ex alia verò parte, cum meritum, quod proficiſcitur ex gratia habituali habeat condignum præmium augumentum gratiæ, & gloriam, ſequitur, quod licèt multiplicetur gratia in infinitum, non poſſit habere proportionem cum vnione hypoſtatica, quod eſt bonum excedens quodcumque meritum; & accedente conſenſu omnium ſcholaſticorum, hoc tanquam certum tenendum eſt; quare quod vertitur in dubium eſt, an Patres meruerint de congruo incarnationem, vel circumſtantias eius, vel ſaltem de congruo hæc omnia mereri potuerint.

3 Prima ſententia eſt Suar. diſp. 10. ſec. 6. qui cum Thomiſtis docet Patres meruiſſe executionem incarnationis de congruo, non prædeſtinationem eius quo ad ſubſtantiam, ſic Ioan. à S. Th. hic diſp. 5. art. 1. Gonet diſp. 7. art. 4. Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 14. cum quibus conſentiunt cõmuniter alij Thomiſtæ, & Valentia, qui quæſt. 2. punc. 8. concedit Patres meruiſſe de congruo tum prædefinitionem incarnationis; tum executionem. Vnum noto, quod quando hi Doctores dicunt antiquos Patres meruiſſe de congruo executionem incarnationis, quo ad ſubſtantiam, accipiunt meritum in lata ſignificatione, prout meritum idem eſt, ac diſpoſitio materialis, vel in intentione in genere cauſæ finalis, non vt reducitur ad cauſam efficientem, quæ ad cauſandum requirit exiſtentiam; quare mirum non eſt, ſi ex diuerſo modo, quo accipiunt meritum de congruo, in diuerſas etiam Doctores abierint ſententias.

Secunda ergo ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 2. quæſt. 1. §. ad 1. Richardi, Gabrielis, Marſilij, & aliorum antiquorum Vaſquez diſp 22. cap. 4. Cardinalis de Lugo diſp. 8. ſec. 4. Amici diſp. 26. ſec. 8 Arriagæ diſp. 18. ſect. 2. Eſparzæ lib. 9 quæſt. 19. Lorcæ diſp. 22. Mæratii hic diſp. 15. ſec. 1. hæc negat Sanctos Patres meruiſſe de congruo incarnationem, aut eius executionem, affirmat autem meruiſſe circumſtantias, licèt etiam de quibuſdam aliqui teneant contrarium.

4 Concluſio 2. Antiqui Patres non meruerunt de congruo ſubſtantiam incarnationis, neque quoad executionem. Probatur concluſio. Principium meriti eſt ante omne meritum, & non cadit ſub meritum: ſed incarnatio, vt in executione præuiſa eſt principium omnis gratiæ, & omnis meriti antiquorum Patrum; ergo nullo modo potuit cadere ſub meritum illorum: maior patet ex dictis ſupra: probatur minor, quia omne meritum, quod datum fuit antiquis Patribus fuit ex gratia collata ex meritis Chriſti: ſed gratia collata Sanctis Patribus ex meritis Chriſti ſupponit incarnationem à parte rei præuiſam tamquam ſui principium; ergo & merita Sanctorum Patrum incarnationem in executione, & à parte rei præuiſam ſupponebant. Quod ſi ſupponebatur incarnatio in executione cum meritis Chriſti; vtique Sancti Patres eamdem executionem mereri non poterant.

5 Dices 1. Incarnationem in executione non fuiſſe principium meriti Sanctorum Patrum, ſed fuiſſe incarnationem, vt prædefinitam in intentione, quæ fuit principium meritorum Sanctorum Patrum, qui poſtea per ſua merita meruerunt executionem incarnationis, & ſic non ſequi, quod principium meriti cadat ſub meritũ vllo modo. Sed contra incarnatio in intentione prædefinita, vel intelligitur tantum habere eſſe futurum, vel intelligitur etiam in executione poſita; ſi tantùm intelligitur habere eſſe futurum; ergo necdum intelligi poteſt vllum meritum; probatur conſequentia, quia demeritum futurum non eſt actu demeritum, vnde quis non poteſt puniri propter demeritum futurũ;

ergo

ergo nec meritum futurũ eſt actu meritum; tum quia meritum reducitur ad cauſam efficientem: ſed cauſa efficiens eſſentialiter requirit exiſtentiam, vt actu cauſet; ergo etiam meritum, vt actu cauſet, & alliciat voluntatem præmiantis ad dandum præmium debet actu exiſtere, vel ſaltem præuideri actu exiſtens.

6 Dices 2. cum Gonet loco citato num. 113. eſſe diſcrimen inter meritum de condigno, & meritum de congruo, quod meritum de congruo, cum nullũ inducat debitum iuſtitiæ, non eſt cauſa efficiens moralis illius, cuius eſt meritũ ſed potius diſpoſitiua materialis, ſeu eſt potius cauſa finalis in cauſando, meritũ autem de condigno, cum inducat debitum iuſtitiæ, habet rationem cauſæ efficientis. Sed contra 1. eſto, vt notat Eſparza, quod vox meritum æquiuocè ſumatur ex vſu vulgari, imo etiam apud ſacros, & prophanos ſcriptores pro aptitudine, & diſpoſitione, ſiue naturali, ſiue acquiſita alicuius ad aliquod, quo ſenſu Eccleſia de cruce canit. *Electa digno ſtipite tam ſancta membra tangere*, & de culpa Adami. *Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*; & in Sermone Vulgari dicimus, *hic equus meretur centum aureos*: Nihilominus apud ſcholaſticos meritum ſemper vſurpatur pro actu, cui condignum, aut congruum eſt, vt rependatur aliquod præmium; ſed in hoc ſenſu acceptum meritum ſemper reducitur ad cauſam efficientem; ergo diſcrimen aſſignatum nullum eſt.

7 Contra 2. Quia in hoc ſenſu accepto merito deberent aduerſarij illud etiam concedere Chriſto reſpectu vnionis in executione; nam Chriſtus erat prior in intentione, quam in executione; ergo ſi ſufficit ad meritum de congruo, quod concurrat in genere cauſæ finalis, ſicut finis in intentione cauſat ſe ipſum in executione, etiam merita Chriſti in intentione præuiſa poterant cauſare eorundem executionem, & ſic conſequenter deberent dicere Chriſtum meruiſſe de congruo ſuam executionẽ; quare ſi illud negant, & meritò, & iſtud etiam negare debent: & idem dicendũ in ſententia Thomiſtarum, ſi dicant hoc meritum eſſe in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ; nam ſicuti ipſi admittũt, vt admittit etiam Vaſquez, quod actus contritionis ſint à gratia ſanctificante, & quod nihilominus diſponunt ad illã, & illam de congruo merentur; ita ſi ad meritum ſufficeret concurſus in genere cauſæ materialis diſpoſitiuę, quamuis eſſet ab eadem vnione, vt à principio, poſſet tamẽ ad eamdem vnionem diſponere, & ipſam mereri; ergo ſi non admittunt meritum de congruo in Chriſto vllo modo reſpectu propriæ vnionis, nec reſpectu Sanctorum Patrum in ordine ad incarnations executionem poſſunt illud admittere; cum ſit eadẽ prorſus ratio.

8 Dices 3. cũ eodem Gonet. Chriſtum non potuiſſe ſibi vllo modo mereri executionem vnionis, quia talis vnio non eſt principium extrinſecum meritorum Chriſti, ſed intrinſecum, & formale, cum ſit forma, à qua valor meritorius operum Chriſti deſumitur: at reſpectu meritorum Sanctorum Patrum incarnatio fuit principium purè extrintrinſecum. Sed contra quomodocumque incarnatio ſit principium meritorũ Patrum, vel ad meritum requiritur, quod concurrat in genere cauſæ efficiẽtis, & ſic incarnatio debet ſemper præuideri exiſtens antequam præuideatur habens merita, & non ſufficit, quod præuideatur futura in intentione; vel ad meritum ſufficit concurſus in genere cauſæ finalis, vel diſpoſitiuæ, & materialis, & ſic etiam in Chriſto debent admittere meritum de congruo propter rationes iam dictas. Quare ſi in Chriſto nullum debet admitti meritum de congruo reſpectu executionis incarnationis, nec in Sanctis Patribus admitti debet.

9 Concluſio 2. Circumſtantias incarnationis de facto meruerunt antiqui Patres de congruo. Colligitur hæc concluſio ex ſcripturis, vbi ex orationibus Sanctorum promittitur aduentus Chriſti Pſalm. 78. *Citò anticipient nos miſericordia tua*, & Pſalm. 39. *Deus meus ne tardaueris* Iſaiæ 58. *cito veniet ſalus tua.* Et Danielis 9. dicitur, quod fuerint abbreuiatæ ſeptuaginta hebdomadæ ad aduentum Meſſiæ ob orationes ipſius Danielis, & populi; & de circumſtantia ſtirpis promiſit Abrahæ Gen. 22. *Quia feciſti hanc rem, nec pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* & idem promiſit Deus Dauidi Pſalm. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*; & de facto fuiſſe exauditos conſtat ex illo Pſalm. 11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam*; & Daniel, quia vir deſideriorum erat, obtinuit vt non differretur tempus redemptionis vltra ſeptuaginta hebdomadas: & Simeon Lucæ 1. *Accepit reſponſum à Spiritu Sancti nõ viſurum ſe mortẽ, niſi videret Chriſtum Domini.* Probatur ratione primò. Patres antiqui plures orationes fundebant, vt veniret Meſſias: ſed iſtæ orationes erant factæ ab hominibus Sanctis, & amicis Dei, & plura fecerunt, vt expreſ-

ſe

Digitized by Google

ſè Deo obedirent; ergo congruum erat, vt Deus illorum votis cooperaretur.

10 Probatur ſecundò. Ex hoc, quod antiqui Patres meruerint circumſtantias nullum ſequitur abſurdum, & ex alia parte congruum erat, vt inquit D. Tho. hic quæſt. 2. artic. 11. quod Deus exaudiret eos, qui ei obediebant; ergo de facto de congruo eas meruerunt: probatur antecedens: ſi vllum eſſet abſurdum, maximè quia principium meriti caderet ſub meritum: ſed merendo tantùm, circumſtantias hoc non ſequitur; ergo mereri potuerunt: maior patet: nullum enim aliud abſurdum poteſt aſſignari: probatur minor: potuit exiſtere in rerum natura Verbum Incarnatum, & Redẽptor humani generis, abſque eo, quod eſſet tali tempore, in tali loco, & ex tali ſtirpe, & matre, non enim huiuſmodi circumſtantiæ habent neceſſariam connexionem cum exiſtentia Chriſti, nec ſimpliciter ſumpti, nec in eſſe Redemptoris, quia eadem numero humanitas Chriſti poterat, vel à ſolo Deo immediatè produci, vel ex Virgine efformari abſque vllo vitali concurſu ipſius, ſicuti Heua ex Adam formata fuerat, quo modo B. V. non fuiſſet eius mater; ergo potuerunt antiqui Patres, & B. V. tales circumſtantias mereri, abſque eo, quod mererentur ſubſtantiam incarnationis.

11 Secunda pars, quod hoc meritum ſit de congruo non de condigno: probatur, quia gratia, quæ de facto datur eſt in ordine ad augmentum gratiæ, & gloriam tamquam ad præmium proportionatum; ergo nullum aliud premiũ præter hoc fuit de facto condignè debitum Patribus; ſicque ſequitur eos non meruiſſe circumſtantias de condigno, ſed ſolùm de congruo.

12 Obiicies 1. contra primam. Plures ſancti Patres orarunt, & deſiderabant Chriſti aduentum, vt patet ex illo Iſaiæ 45. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluãt iuſtum*, & cap. 64. *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes*, Pſalm. 84. *Salutare tuum da nobis*; & in pluribus alijs locis hæ orationes, & huiuſmodi deſideria Patrum habentur; ſed iſtæ orationes erant factæ ab hominibus ſanctis, & amicis Dei, & deſiderabãt executionem incarnationis; ergo congruum erat, quod eamdem meruerint, vt docet hic D. Thom. ar. 11. in corpore in fine, inquit enim. *Ex congruo tamen meruerunt ſancti Patres incarnationem deſiderando, & petendo, congruum enim erat, vt exaudiret, qui ei obediebant.*

Reſpondeo Sanctos Patres non poſtulaſſe ſubſtantiam incarnationis, quam certiſſimè ſciebant per fidem eſſe futuram, ſed illis orationibus oſtendiſſe ardens deſiderium, quod habebant tanti boni, & deſideraſſe accelarationem, ceterum ſubſtantiam incarnationis per meritum nullo modo meruiſſe, cum ipſa eſſet principium omnis meriti. Dixi merito proprio, nempe eo, quod reducitur ad genus cauſæ efficientis; nam ſi loquamur de merito improprio, quod eſt per modum diſpoſitionis, vtique poteſt admitti in illis Sanctis Patribus; congruum enim erat, vt ſe diſponerent per orationes, & deſideria, & actus virtutũ ad ſuſcipendum tantum bonum, & de hoc merito loquitur S. Thom. vnde, vt notaui in principio, diſſenſio inter Thomiſtas, & noſtram ſententiam eſt de nomine, non de re.

13 Obijcies 2. Quod eſt prædeſtinatum à Deo ſine vllo merito poteſt non mandari executioni, niſi poſitis meritis: ſic Deus eligit ſanctos ad gloriam ſine meritis, & tamen non dat gloriam, niſi ſuppoſitis meritis; ergo licet Deus prædeſtinauerit Chriſtum ſine vllis ipſius meritis præcedentibus, & ex meritis ipſius conſequentibus deſtinauerit dare gratiã Sanctis Patribus: nihilominus ipſi potuerunt de congruo mereri executionem incarnationis.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt clara, quia gloria in executione non eſt principium meriti, & ideo potuit cadere ſub merito; principium enim meriti eſt gratia, non gloria: at incarnatio in executione eſt principium omnis meriti, tum in Chriſto, tum in Sanctis Patribus, qui ex meritis Chriſti gratiam habuerunt, & ideo nullo modo potuit cadere ſub meritum.

15 Obijcies 1. contra ſecundam. Tunc quis meretur accelerationem alicuius rei, quando res, quæ prædefinita erat pro tali differentia temporis per merita alicuius ponitur citius: ſed implicat, quod ſancti Patres meruerint, vt incarnatio, quæ prædefinita erat à Deo, vt poneretur à parte rei in executione pro tali determinata temporis differentia, poneretur citius; ergo implicat, quod Sancti Patres potuerint mereri accelerationem incarnationis; maior videtur clara ex terminis: probatur minor, quod prædefinitum eſt à Deo pro tali tempore, vt ponatur à parte rei, non poteſt poni citius, niſi mutetur prædefinitio Dei; ſed implicat prædefinitionem Dei mutari; nam ſequeretur mutatio in diuina voluntate, vel ſaltem inconſtantia; ergo, quod prædefinitum eſt à Deo pro tali tempore, implicat, quod ponatur citius.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: tunc

Digitized by Google

tunc quis meretur accelerationem poſitiuam alicuius rei, quando res, quæ prædefinita erat pro tali differentia temporis per merita alicuius ponitur citius, concedo maiorem: tunc quis meretur accelerationem negatiuam, hoc eſt meretur, ne tardius, quam de facto res prædefinita erat, producatur, nego maiorem; eodem modo diſtinguo, concedo, & nego minorem; & nego conſequentiam; meruerunt igitur Sancti Patres accelerationem incarnationis, quia Deus diſpoſuit mandare executioni incarnationem filij ſui pro tali differentia temporis, non ſolùm propter efficaciam ſui decreti, ſed etiam propter Sanctorũ Patrum merita, & orationes; etenim ſi attendamus ad potentiam Dei, & ad peccata hominum, poterat differri incarnatio, ſicuti peccata poſcebant: at reſpiciendo ad merita Patrum, & B. V. mandata fuit executioni pro tali determinato tempore. In quo ſenſu explicatur etiam illud Matth. 24. *Sed propter electos breuiabuntur dies illi*, à D. Hieronymo ibidem, nempe, quod Deus propter electos ſtatuit illos dies eſſe pauciores, quam malorum iniquitas requirebat.

Acceleratione quo modo meruerint Patres.

15 Obijcies 2. Si modo dicto Patres potuiſſent mereri accelerationem incarnationis, non debuit incarnatio in executione exiſtens prius præuideri quam merita Patrum: ſed verè incarnatio, vt in executione exiſtens, debuit præuideri prius, quam merita Patrum; ergo Patres non potuerunt mereri, quod citius produceretur, vel ne tardius eiuſdẽ executio differetur: maior patet; nã quod exiſtens eſt pro aliqua differentia temporis independenter ab aliquo, quod poſterius eſt ipſo, non poteſt ab hoc cauſari; nam cauſa eſt prior non poſterior: probatur modo minor: quia incarnatio vt exiſtens pro tali differentia temporis fuit cauſa meritoria omnis gratiæ datæ Patribus; ergo prius debuit præuideri exiſtens pro tali differentia temporis, quam merita Patrum.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Incarnatio in executione exiſtens, & coexiſtens tempori, ſeu durans non debuit prius præuideri, quam merita Patrum: concedo maiorem: incarnatio in executione exiſtens, ſed pro eo ſigno non coexiſtens tempori, neque durans, non debuit prius præuideri, quam merita Patrum, nego maiorem: vnde ad minorem dico, quod incarnatio, vt exiſtens in executione, ſed non, vt coexiſtens, & durans debuit prius præuideri; quare negatur conſequentia; nec probatio minoris officit, quia incarnatio, vt in executione exiſtens, fuit cauſa omnis gratiæ datæ Patribus, non vt coexiſtens tempori; nam hæc coexiſtentia eſt quid poſterius; prius enim eſt rem aliquam exiſtere, quam coexiſtat tempori, & duret, vnde acceleratio huius coexiſtentiæ ad tempus potuerunt Patres mereri.

16 Sed inſtat Lugus num. 34. duplici medio. Primum eſt: Quia debuit Chriſtus præuideri cum merito, & conſequenter cum actione: ſed actio, & duratio, ſeu coexiſtentia ad tempus non diſtinguuntur inter ſe; ergo ſi debuit præuideri Chriſtus cum merito, debuit præuideri in tali duratione, ſeu cum coexiſtentia ad tale tempus; ſi igitur præuidetur Chriſtus cum coexiſtentia ad tempus, non potuerunt Patres vllo modo accelerationem mereri. Secundum eſt, quia meritum in ratione meriti includit durationem, quia eadem operatio voluntatis habens maiorem durationem eſt magis meritoria, & conſequenter hoc meritum includit hanc durationem; ergo non potuerunt Chriſti merita, vt hæc ſunt, præuideri, niſi cum hac duratione.

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem; falſum enim eſt, quod hic auctor ſupponit, nempe actionem non diſtingui à duratione, cum diſtinguatur realiter inadæquatè: actio enim per me eſt complexum dependentiæ ex agente, & termino: duratio verò eſt complexum coexiſtentiæ ex tempore, & re durante; vnde ſi principium, quod ſupponit non ſubſiſtit, & totum argumentum ruere neceſſe eſt. Neque ſecundùm argumentum vllo modo vrget nam Chriſtus ſuo actu vt exiſtenti meruit Patribus, non vt duranti; nec duratio meriti, vt formaliter duratio auget meritum, niſi in quantum exercetur noua libertas, vt alibi dictum eſt.

17 Dices iterum ex Arriaga. Pro eo priori præuiſus fuit Chriſtus ſecundùm animam coexiſtentem corpori; ſed non poteſt concipi coexiſtentia duorum ſine tempore; ergo præuiſus fuit Chriſtus ſecundùm durationem, ſeu coexiſtentiam ad tempus, & ſic pro eo priori non potuit eſſe indifferens ad hanc, vel illam temporis differentiam; ſi ergo non fuit indifferens, nec Patres potuerunt hanc temporis differentiam mereri. Sed contra hoc argumentum, quod putat difficilius eadem facilitate ſoluitur, cum facilè poſſit concipi duorũ coexiſtentia ſine duratione coexiſtunt enim anima, & corpus vt faciunt complexum per modum actus, & potentiæ; poteſt autem hoc compoſitum eſſe in rerum natura, abſque eo, quod intelli-

gitur

Digitized by Google

gatur facere complexum cum tempore, cum hoc ſit realiter inadæquatè diſtinctum.

18 Obijcies 3. Auguſtinus lib. 9. ex nouo teſt. ſic habet. *Tunc venit quando venire debuit, voluntatis ſuæ rationem ſecutus, non meritorum*; ergo Patres nullo modo meruerunt circumſtantias incarnationis.

Reſpondeo 1. Auguſtinum loqui de meritis malis, ſubiungit enim; *nam ſi merita perpendas venire non debuit*. Secundò excludere meritum de condigno, ſecus meritum de congruo fuiſſe in Sanctis Patribus ſatis conſtat ex locis ſcripturæ adductis, & ex communi conſenſu ſcholaſticorum. Addo dubium eſſe an talis locus ſit Auguſtini.

19 Obijcies 4. Progenitores Chriſti fuerunt principium humanæ generationis ipſius; ergo non potuerunt mereri, vt eſſent progenitores; quia dum præuiſus fuit Chriſtus, iam præuidebantur eſſe progenitores.

Reſpondeo negando conſequentiam; ad probationem dico potuiſſe præuideri Chriſtum in carne humana, etiam ex ſtirpe Adami abſtrahendo ab his, vel illis progenitoribus; & poſtea potuiſſe Deum ex meritis Chriſti dare gratiam certis perſonis, vt ſe præpararent, & mererentur, vt ex ipſis carnem ſumeret, & ita factum eſſe colligimus ex locis adductis ſcripturæ.

ARTICVLVS IX.

An Beata Virgo aliquo modo meruerit maternitatem Dei.

1 Licèt hæc difficultas videatur iam explicata ex dictis articulo præcedenti, nihilominus claritatis gratia, quia peculiarem difficultatem videtur continere, poſtquam in commune diximus de merito antiquorum Patrum Chriſti progenitorum, in particulari hunc etiam articulum de Virgine addere debemus eius meritum explicando.

2 Ad euidentiam aduerte, quod aliud eſt mereri de condigno formam, ſeu dignitatem aliquam, aliud mereri diſpoſitionem in ſubiecto requiſitam, vt dignè, decenterque recipiat talem formam; poſſunt enim hæc duo ſeparari, nec ſunt inter ſe connexa, & in B. V. diſpoſitio ad maternitatem fuit cumulus tot gratiarum, forma verò eſt ipſa maternitas, quæ formaliter, & in ſe ſpectata nihil aliud eſt, quam complexũ ex Virgine, & Verbo incarnato, & fundamentaliter eſt ipſa generatio Chriſti per ſumminiſtrationem puriſſimi ſanguinis à Virgine, (ſiue concurrerit actiuè, ſiue tantùm paſſiuè, de quo modò non diſputo, cum ſit quæſtio prorſus phyloſophica,) & hæc denominatio, ſeu hoc totum, quod intelligitur nomine maternitatis dicitur forma, ad quam eximia Virginis ſanctitas diſponebat, non quidem phyſicè, ſed moraliter; cum gratia non ſit phyſica diſpoſitio ad eſſe matrem Dei, vel ad vnionem hypoſtaticam, ſed ſolùm moralis.

3 Lorca diſp. 22. cum quibuſdam alijs, quos ipſe ſequitur, negat B. V. meruiſse vllo modo ſiue de condigno, ſiue de congruo maternitatem; Verum hæc opinio omnino reijcitur, vt potè contraria ſcripturis, apertiſſimis auctoritatibus Sanctorum, & communi Theologorum; miſſa igitur hac opinione.

Communis conſenſus ſcholaſticorum docet B. V. meruiſse de congruo maternitatem, diſcrepant ſolùm, nam Suarez diſp. 10. ſect. 7. Arriaga diſp. 18. ſec. 3. cum alijs docent Virginem potuiſse de condigno mereri maternitatem. Vaſquez diſp. 23. cap. 2. Lugo diſp. 8. in fine Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 16. num. 353. cum alijs negant etiam per abſolutam potentiam B. Virginem potuiſſe mereri de condigno maternitatẽ, ſed diſcrepant poſtea inter ſe in aſſignãda ratione, cur de potentia abſoluta non potuerit mereri de condigno maternitatem.

4 Concluſio prima. Beata Virgo nõ meruit vllo modo, vt eligeretur, & prædeſtinaretur in Dei matrem. Hæc concluſio patet ex alibi dictis de prædeſtinatione, & alijs ex locis; & breuiter probatur. quidquid meriti fuit in B. V. totum ex hac electione proceſſit, hancque ſupponit; ideo enim tanta gratia illi data fuit, quia erat electa ad tantam gloriam, & vt eſset mater Dei.

5 Dices D. Ambroſius Epiſt. 72. habet. *Quid loquar quanta ſit Virginitatis gloria, quæ meruit à Chriſto eligi, vt eſſet etiam corporale Dei templum*. Sed contra dico, quod ly *eligi* ſumitur latè non pro actu eligendi, ſed pro vſu, & executione, & hoc patet, quia ante Virginitatẽ ſupponitur gratia, qua mediante Virginitas ſeruatur, ante gratiam verò datur electio, quia ex electione datur gratia. Quare Chriſtus elegit Mariam in matrẽ, ita tamen vt eſset Virgo; neque contra hanc concluſionem ſunt argumenta, quæ iam ſoluta non ſint ex dictis de prædeſtinatione.

6 Concluſio 2. Beatiſſima Virgo fuit condignè diſpoſita, vt eſset mater Dei eſt communis Patrum, & Schola-

Mſticorum

Digitized by Google

ſticorum. Ambroſius lib. 2. de Virginibus. *Quæ digna fuit, ex qua filius Dei naſceretur.* Idem docent DD. Baſilius, Chryſoſtomus, Epiphanius, Damaſcenus, Bernardus, & alij, quos adducit Suarez diſp. 10. ſect. 7. Et Eccleſia canit. *Vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur.* & alio in loco. *Quæ ſola digna fuit portare Regem Cælorum, & Dominum.* Probatur ratione. Chriſtus Dominus elegit ſibi Mariã Virginem in matrem; ergo ad ipſum ſpectabat ornare B. V. tanta gratia, quanta neceſſaria erat, vt dignè eſſet mater Dei, & Chriſtus filius eius. Porro hanc diſpoſitionem partim habuit à ſolo Deo illam præſeruante ab originali, ſanctificante p er gratiam habitualem, & alia dona ſupernaturalia, extinguente in ipſa fomitem peccati, & præſeruante à quacumque, licèt minima macula; partim etiam per proprios actus charitatis, humilitatis, cęterarumque virtutum ſupernaturalium, ratione quorum tantũ gratiæ ſanctificantis augmentum illi collatum fuit, & præcipuè ſe diſpoſuit per illum conſenſum pręſtitum Angelo, ratione cuius D. Bernardinus Senenſis Ser. 51. dicit. Plus meruiſſe Beatam Virginem eo actu, quam omnes homines, & Angeli, omnibus ſuis actibus.

7 Concluſio 3. Beata Virgo de congruo meruit maternitatem non de condigno, licèt de condigno mereri potuerit. Prima pars probatur 1. ex ſcriptura. Lucæ 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, & quia fecit in me magna, qui potens eſt.* Accedunt Patres; nam D. Hieron. to. 1. Epiſt. 22. inquit. *Propone tibi Mariam, quæ tanta extitit puritatis, vt Mater Domini eſſe mereretur.* & D. Auguſtinus de natura, & gratia cap. 36. inquit. *Concipere meruit, & parere.* Idem tradunt communiter plures alij Patres.

8 Probatur ratione. In Virgine fuit cumulus omnium gratiarum, & feruentiſſimos actus virtutum omnium elicuit; ergo congruum fuit, ſuppoſito, quod Deus vellet carnem ſumere ex aliqua fœmina, vt hanc gloriam maternitatis Dei illi daret potius, quam vlli alij mulieri.

9 Secunda pars, quod non meruerit de condigno probatur. Quidquid valoris, & meriti fuit in operibus Beatiſſimæ Virginis fuit adæquatè, & condignè compenſatum per augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo non potuit etiam ſimul mereri de condigno maternitatem: antecedens conceditur, cum opera Virginis fuerint finiti valoris, & omnium operum ſupernaturalium ex gratia factorum condignum, & adæquatum præmium eſt augmentum gratiæ, & gloria: probatur igitur conſequentia maius quoddam eſt hoc totum augmentum gratiæ, gloria, & maternitas, quam ſola gratia, & gloria; ſed B. V. habuit pro adæquato, & condigno præmio gratiã, & gloriam; ergo non debuit etiam ſimul habere maternitatem.

10 Tertia pars, in qua maior eſt difficultas, ſic probatur. Maioris æſtimationis eſt gratia, & gloria, quam maternitas; ſed de facto meruit de condigno gratiam, & gloriam: ergo etiam potuit de condigno mereri maternitatem: maior eſt expreſsè Auguſtini lib. de Sancta Virg. cap. 3. vbi dicit. *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti*, addens, *ſic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet.* Minor ex ſe conſtat: probatur conſequentia: meritum condignum in hoc diſtinguitur à congruo, quod congruũ non habet proportionem ſufficientem cum præmio, ſeu non adæquat valorem præmij: ſic autem condignum; ergo ſi merita B. V. non ſolum adæquant valorem maternitatis, ſed etiam ſuperexcedunt, non ſolum poterunt habere condignitatem, ſed etiam ſuper condignitatem.

11 Dices 1. Ad rationem meriti condigni non ſolum requiritur, quod adæquet valorem præmij, ſed etiam quod ex natura ſua ſit ordinatum ad tale præmium; quod patet, quia magis æſtimantur merita ſupernaturalia, quam ſcientiæ: & gratia, & gloria ſunt præmium maius, quam quælibet ſcientia naturalis, & tamen opera noſtra ſupernaturalia merentur de condigno gratiam, & gloriam, non ſcientias: ergo hoc non propter aliud, niſi quia meritũ debet ex natura ſua eſſe ordinatum ad tale præmium; & cum merita noſtra ſint tantùm ex natura ſua ordinata ad augmentum gratiæ, & gloriam, non ad ſcientias, aut ad maternitatem; hinc eſt, quod tantùm de condigno poſſunt mereri gratiæ augmentum, & gloriam, non maternitatem aut ſcientias. Sed contra; quia merita in tantùm cauſant ex natura ſua præmium, in quantùm alliciunt præmiantem ad dandum præmium; ergo in tantùm erunt de condigno, in quantùm alliciunt præmiantem ad dandum æquale præmium; ergo quod meritum ſit ex natura ſua ordinatum ad tale præmium, ſeu habeat proportionem ſufficientem cum tali præmio, eſt quod adæquet in valore præmium; quare ſicuti merita noſtra de facto merentur de condigno gloriam, poſſent etiam per abſolutam potentiam

mere-

Digitized by Google

mereri de condigno ſcientias, quia qui poteſt plus, poteſt etiam minus: cur verò de facto quis mereatur gloriam de condigno; non autem ſcientias eſt, quia gloria cum ſcientijs eſt quid maius, & cum meritis noſtris correſpondeat gloria tamquam præmium adæquatum, gloria eadem cum ſcientijs non eſſet adæquatum, ſed excedens, idem dico de gloria cum maternitate, & ideo de facto maternitas eſt tantùm de congruo, ſicuti de facto etiã ſcientiæ ſunt præmiũ tantũ de congruo: at de poſſibili, quæ implicantia eſt, quod Deus loco augmenti gratiæ, & gloriæ det pro præmio maternitatem? & quia hæc minoris æſtimationis eſt, quam gloria, adæquet hoc præmium dando ſimul aliquid gloriæ, ex quo cum maternitate conſtituatur præmium adæquatum?

12 Dices 2. cum Gabriele à S. Vincentio. Mereri maternitatem de condigno eſt mereri, quod Deus ex ea carnem aſſumeret: ſed hoc eſſet mereri incarnationem de condigno, quam ſecundùm omnes Theologos nullus potuit de cõdigno mereri, vt nos etiam fatemur; ergo nec etiam B. V, potuit maternitatem de condigno mereri: maior patet; nam idem eſt eſſe matrem Dei, & concipere Deum, ac quod Deus ex ea carnem aſſumat. Sed contra falſum eſt, quod mereri maternitatem ſit mereri, quod Deus ex ea carnem aſſumeret, eſt enim tantùm ex ſuppoſitione, quod Deus abſolutè decreuerit carnẽ aſſumere, mereri cauſalitatem illam phyſicam matris in filium, & quod in ſuo ſinu eumdem poſſit fouere, alere, & ſuo tempore parere, quod totum nihil aliud eſt, quam denominatio quædam excellentiæ, & minoris æſtimationis, quam gloria, vt ex Auguſtino expreſsè conſtat; igitur mereri de condigno maternitatem non eſt mereri de condigno incarnationem, vt falsò exiſtimat hic auctor, & de ſe conſtat; omnes enim fatentur hanc maternitatem non eſſe incarnationem, & è contra, licèt de facto vna cum alia habeat connexionem: & de poſſibili potuit eſſe hæc incarnatio, abſque eo, quod eſſet hæc maternitas; nam potuit Deus aſſumere hanc numero carnem, abſque eo, quod B. V. eſſet eius mater, nimirum in caſu, quo Deus ſibi corpus formaſſet ex puriſſimo ſanguine Mariæ, eo modo, quo formauit Heuam de Adamo; in tali caſu, habuiſſet Verbum eamdem carnem, & fuiſſet eadem numero incarnatio, & tamen B. Maria non fuiſſet eius mater, ſicuti Adam non fuit pater, nec mater Heuæ.

13 Obijcies primò contra 3. Maternitas B.V. fuit decreta ex meritis Chriſti antequam in Virgine eſſent vlla merita; Chriſtus enim ſpecialiter elegit eam in ſuam matrem, & in eum finem obtulit ſua merita, vt eam præſeruaret ab originali; ergo Beata Virgo non potuit hanc maternitatem mereri; nam nullus poteſt mereri ſibi illud, quod iam ex meritis alterius ſibi abſolutè conceſſum eſt.

Reſpondeo, quod ex meritis Chriſti fuit decreta maternitas ordine intentionis, at per hoc non ſequitur, quod ipſa B. V. eamdem non potuerit mereri ordine executionis, & ſimile omnino argumentum eſt de electione ad gloriam, quæ nullis præuiſis meritis ex parte noſtra, facta eſt liberaliter à Deo, licèt Deus præuiderit merita Chriſti, & tamen gloria in executione datur depẽdenter à meritis noſtris: ita & de maternitate ſecundùm diuerſos ordines intentionis, & executionis dicendum eſt. Vide quæ dicta ſunt de Deo quæſt. 6. artic. 6. numer. 17.

14 Obiicies 2. Mereri maternitatem eſt mereri concurrere ad generationem filij: ſed B. V. non potuit mereri concurrere ad generationem Chriſti; ergo non potuit mereri maternitatem Chriſti: probatur minor, quod ſupponitur iam exiſtens non poteſt cadere ſub meritum vt ſit: ſed Chriſtus ſupponebatur iam exiſtens ante merita Virginis; ergo ſi Chriſtus iam ſupponebatur exiſtens ante merita Virginis, Beatiſſima Virgo non poterat mereri maternitatem; nam hæc debet eſſe prior ipſo Chriſto nihil autem per opus poſterius poteſt mereri, vt ſit illud, quod iam eſt. Ad hoc argumentum, quod fateor valdè difficile variè Doctores reſpondent.

15 Reſpondent Thomiſtæ, quos plures alij ſequuntur. Chriſtum ante Virginem præuiſum in intentione futurum, inde meruiſſe Virgini gratiam, cum qua bene operata eſt, & meruit poſtea maternitatem in executione. Sed contra hæc reſponſio ex ſupra dictis remanet confutata, nam meritum reducitur ad cauſam efficientem: hæc autem ſemper requirit exiſtentiam ad cauſandum; quare ſi prius Chriſtus præuiſus fuit cũ meritis, fuit præuiſus vt exiſtens, non potuit autem præuideri vt exiſtens, niſi præuideantur exiſtentes cauſæ ipſius; inter cauſas autem eſt Virgo B. quæ cauſalitatem phyſicam habuit in filium, & ſi aliqui negant fœminam actiuè cõcurrere, non poteſt tamen negari, quod Virgo actiuè concurrerit cum alendo, & fouendo in ſinu ſuo ſacratiſſimo; quare à primo ad vltimum, ſi præuiſus fuit

Digitized by Google

exiſtens cum maternitate, & ipſa exiſtente; quomodo potuit mereri Virgo Beata maternitatem, quæ iam exiſtebat?

16 Reſpondeo igitur primum volitum à Deo fuiſſe Chriſtum, vt ſupra probauimus, poſita hac volitione, ſeu prædefinitione Chriſti, præuiſus fuit Chriſtus exiſtens, & cum meritis, ad quæ reſpiciens Pater Mariam in matrē vnigeniti filij ſui elegit, & ipſā voluit ornare tanta gratia, quanta erat neceſſaria, vt dignè eſſet diſpoſita mater Dei, cum hac gratia actus feruentiſſimos omnium virtutum elicuit, quibus actibus meruit, vt ipſa aſſumeretur ad cauſalitatem phyſicam ſui filij; quare Chriſtus, qui præuiſus fuerat in priori ſigno exiſtens præſcindendo à matre, poſtea præuidetur productus etiam à matre merente per actus ſuos maternitatem.

17 Dices; ergo fuerunt duæ productiones totales Chriſti, vna, qua productus fuit à ſolo Deo, alia, qua productus fuit a Virgine.

Reſpondeo cum pluribus Doctoribus poſſe concedi conſequentiam; & quidem nullam video implicantiam, quod eadem res poſſit bis produci, vt de myſterio Euchariſtiæ multi fatentur, & ſic in hoc loco dicere poſſumus, præcipuè cum varientur diuerſa complexa, nam primò præuidetur Chriſtus vt productus à Deo præſcindendo à loco, tempore, & alijs circumſtantijs, quæ ſunt complexa ſaltem realiter inadæquatè diſtincta. Dixi poſſe concedi conſequentiam, nam poteſt etiam dici, eſſe vnam totalem, quæ in priori ſigno *à quo* procedit ſolo Deo, & terminatur ad exiſtentiam Chriſti, in ſecundo verò ſigno intelligitur procedere etiam à Beatiſſima Virgine, & terminatur ad eumdem Chriſtum in tali loco, & tempore.

18 Obijcies 3. Vel B. V. meruit maternitatem merito impetratorio, vel retributorio: ſed neutro modo potuit eam mereri; ergo de facto nō meruit: probatur minor: nō meruit per impetrationē, quia tale myſterium, vt conſtat ex Euāgelio, illi fuit inopinatum, & fuiſſet cōtra Virginis humilitatem, ſi ipſa petijſſet, vt fieret mater Chriſti; neque meruit merito retributorio, quia ad hoc requiritur aliqua promiſſio, de qua non conſtat in ſcriptura.

Reſpondeo Beatam Virginem meruiſſe maternitatem, & merito impetrationis, & retributionis, fuit primum, non quia poſtulauit vt fieret mater Dei, ſed quia orauit Deum, vt mitteret filium ſuum: fuit ſecundum, quia verè eius opera erant obſequia facta Deo, nec ad meritum præſertim de congruo requiritur promiſſio. Quod ſi requireretur dico, conſtare ex pluribus locis ſcripturæ, quod Deus promiſſerat mittere filium ſuum.

QVÆSTIO IV.

De conſtitutiuis intrinſecis Myſterij Incarnationis.

Explicuimus in præcedenti quæſtione cauſas extrinſecas, nempe finalem, efficientem, & meritoriam Incarnationis, nunc de cauſis intrinſecis, & vnione tanti myſterij agendum eſt.

ARTICVLVS I.

An per Incarnationem ſint in Chriſto duæ naturæ diuina, & humana.

1 Vt clarè veritas Catholica eluceſcat, præmittendi ſunt breuiter errores plurium hæreticorum, qui circa hoc myſterum inſaniſſimè errarunt, & præſertim Neſtorii, & Eutychetis, qui ex oppoſito decertantes, ambo in hæreſim miſerrimè prolapſi ſunt. De quorum erroribus fusè tractant Valentia hìc queſt. 2. par. 1. Suarez diſput. 7. ſect. 2. Vaſquez diſp. 14. Lugo diſp. 9. ſect. 1. Baronius ad annum 428. agit de Neſtorio, ad annum 448. de Eutychete, & paſſim alij Doctores; Non eſt tamen animus immorari nimis in his erroribus recenſendis; eſſet enim iam actum agere. Breuiter igitur tantùm dicam vtriuſque errores, vt Catholica veritas magis appareat.

2 Neſtorius igitur factus Patriarcha Conſtantinopolitanus poſuit in Chriſto non ſolùm duas naturas, ſed etiam duas perſonas, diuinam ſcilicet, & humanam, & quod ſecundùm primam eſſet filius Dei, per ſecundam filius Virginis, quare negabat Beatiſſimam Virginem fuiſſe matrem Dei, & volebat eſse matrem ſolius hominis, negabat inſuper omnem veram vnionem inter Verbum, & naturam humanam, & volebat Chriſtum dici vnum non vnitate perſonæ, ſed vnitate ſecundùm quid, & per accidens, & hoc quatuor modis. Primò per inhabitationem diuinæ perſonæ in perſona creata tamquam in ſuo templo, ratione cuius vocabat Chriſtum Deiferum, non Deum, & proinde vocari Emanuel, ideſt nobiſcum Deus. Secundò per affectum, & amorem, ſicuti ſolet eſſe inter Patrem, & filium, tutorem, & pupillum, & quia voluntas humana Chriſti erat conformis voluntati diuinæ. Tertiò, quia perſona creata fuit in-

ſtru-

Digitized by Google

ſtrumentum diuinæ, & per eam operabatur miracula. Quartò, quia perſonæ creatæ Chriſti communicauit Deus ſuam excellentiam, & eidem debebatur honor adorationis, ſicuti imago adoratur ratione prototypi. Hæc hæreſis videtur habuiſſe initiũ à Cherinto, & Carpocrate, qui vixerunt etiam tempore Apoſtolorum, & contra quos dicitur D. Ioannem ſcripſiſſe Euangelium, Cherintum ſecuti ſunt alij hæretici, ſed Neſtorius hanc hæreſim publicè in concionibus docuit, & dilatauit. Contra Neſtorium plures inſurrexerunt, eiuſque errores confutarunt præſertim in Synodo Epheſina, inter quos fuit Eutyches Archimandritas cum ſuis Monachis Conſtantinopolitanis, verùm ita ſe oppoſuit Neſtorio, vt à recto tramite, & ipſe aberrans in contrarios omnino errores prolapſus ſit dicens in Chriſto non ſolùm eſſe vnicam perſonam, vt fides Catholica docet, contra Neſtoriũ, ſed etiam fuiſſe vnicam tantùm natu rã ex diuina, & humana conflatam, & Eutychetem alij ſecuti ſunt, licèt non conſtet, quonam modo Eutyches vnam in Chriſto naturam conficeret; nam Arius, & Apollinaris voluerunt in Chriſto eſſe vnam naturam per compoſitionem ex natura diuina, & humana. Sic refert D. Auguſtinus de hæreſi c.49. & 55. & D. Thom. hic quæſt. 5. art. 4 Dicebant enim Verbum fuiſſe vnitum corpori loco animæ, ac propterea ex Verbo, & corpore factam fuiſſe vnam naturam: Alij vt Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus volebat fieri per conuerſionem humanæ naturæ in diuinam; Alij per cõuerſionem diuinitatis in humanitatem, quod docent etiam aliqui hæretici noſtri temporis: Alij per mixtionem duarum naturarum, ex qua mixtione tertia reſultaret, & alij aliter, quomodocumque hoc ſuum figmentum conficerent eſt contra fidem, & rationẽ ipſam vt videbimus. In hoc articulo dicemus, quid fides Catholica doceat de hoc myſterio contra Eutychetem, & eius ſequaces, in ſequenti, quid ſecundùm fidem tenendum ſit contra Neſtorium, & alios.

3 Concluſio. Catholica veritas eſt, quod ita per vnionem Verbi diuini cũ natura humana, duæ naturæ ſunt in Chriſto, ſcilicet diuina, & humana, vt remaneant integræ, inconfuſæ, & impermixtæ. Deducitur hæc veritas ex omnibus illis ſcripturæ locis, in quibus habetur Chriſtum eſse verum Deum, & verum hominem: ergo ſi eſt verus Deus, & verus homo, vtramque naturam habere debet: etenim, ſi vel humana in diuinam, vel hæc in humanam conuerſa eſset, aut non eſset verus Deus, aut non eſset verus homo, quod enim in aliud conuertitur, iam non permanet idipsũ, quod erat prius, ſed aliud ſuccedit, vt in omni conuerſione apparet. Hæc veritas definita fuit in Concilio Calced. act. 1. 2. & 5. In Concil. Lateran. in cap. firmiter de ſumma Trinitate, in Tolet.5. cap.6. & alijs in locis.

4 Probatur ratione. Ex natura diuina, & humana non potuit fieri vna tertia, vt volebat Eutyches; ergo remanſerunt integræ, & impermixtæ naturæ diuina, & humana in Chriſto: probatur antecedens: ſi ex natura diuina, & humana facta eſt quædam tertia natura; vel natura diuina conuerſa eſt in humanam, & hoc implicat, cum ſit incorruptibilis, & ſummè neceſsariè exiſtens, vt etiam ipſum lumen naturæ oſtendit; ergo non poteſt in humanam, aut aliam tertiam naturam conuerti, aut tranſmutari. Vel è contra humana conuerſa eſt in diuinam, & hoc etiam implicat, quia diuina eſt omnino ingenerabilis: tum quia licèt, quod eſt, poſſit deſinere eſſe, & loco illius aliud ſuccedere, implicat tamen in terminis, quod idem numero, quod modò eſt homo, idem numero ſit Angelus, vel Deus; cum habeant prædicata eſsentialiter diuerſa; ergo natura humana nullo modo poteſt conuerti in diuinam: tum quia quando dicitur, quod natura humana eſt conuerſa in diuinam, vel diuina remanet omnino indiuiſibilis, vel non; ſi ſic, quomodo id, quod erat realiter diſtinctum à natura diuina, poteſt modò identificari cum illa, & quod erat ſeparatũ, & poteſt denuo ſeparari, eſt modò vnum quid indiuiſibiliter cum natura diuina? Si non manet indiuiſibilis, ſed compoſita, & vna pars eſt diuinitas altera humanitas; ergo natura humana non eſt mutata in diuinam: vel ſi dicas eſse in diuinam mutatam, & hanc eſse compoſitam; ergo deſtruitur eſsentia diuina, quæ eſt omnino indiuiſibilis nullas habens partes. Vel tertiò ex natura humana, & diuina in Chriſto reſultat tertia quædam eſsentia, eo modo, quo dicit D. Athanaſius: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*; & neque hoc; nam Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo: ſed ſi eodem prorſus modo eſset vna tertia natura ſicuti caro, & anima rationalis vnus eſt homo, nõ poſset dici Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo; ergo non eodem modo ſe habet: maior patet, & debent admittere omnes Catholici: probatur minor: nos non poſsumus

dicere

dicere, homo eſt anima rationalis, vel homo eſt caro, non propter aliam rationem, niſi quia natura humana eſt, quid conflatum ex carne, & anima; ergo etiam ſi ex natura humana, & diuina conflata eſt tertia natura, quę appelletur Chriſteitas, non poſſemus cum veritate dicere, Chriſtus eſt verus homo, Chriſtus eſt verus Deus. Quare proportio adducta à D. Athanaſio ſtat in hoc, quod ſicuti ex anima rationali, & carne, licèt diſtinctis, conſtituitur vnus homo, & vna perſona; ita quamuis ſint duæ naturę in Chriſto, nihilominus vna tantùm conſtituitur perſona, nõ verò, quod ſit vna tantùm natura: nec enim omnia exempla debent currere quatuor pedibus, nam ſic intellecta talis propoſitio eſſet hęretica. Vel quartò reſultat vna tertia natura ex diuina, & humana per mixtionem; nam in omni mixtione miſcibilia mutantur, & corrumpuntur, vel ſaltem alterantur. Vnde Ariſt. lib. de ortu, & interitu definit mixtionem, *Quod ſit miſcibilium alteratorum vnio*; Sed natura diuina eſt omnino incapax mutationis cuiuſque, & alterationis; ergo hęc tertia natura in Chriſto non poteſt reſultare per mixtionem. Veritas igitur Catholica docet, quod in Chriſto ſunt duę naturę completę, impermixtę, & non confuſę, vnitę in eadem perſonalitate diuina, nempè natura diuina, & humana, non verò tertia quędam natura.

5 Obijcies 1. Ita dicitur Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*; ſicuti dicitur in cap. 2. aquam vinum factam: ſed aqua facta eſt vinum per veram conuerſionem; ergo etiam Verbum factum eſt caro per veram conuerſionem.

Reſpondeo negando conſequentiam; dupliciter enim intelligitur vnum factũ aliud; primò per veram conuerſionem, ſic dicimus ex ligno fieri ignem, & ita etiam ex aqua factum eſt vinum: ſecundò per coniunctionem cum aliqua re abſque conuerſione in illam rem, ſic dicimus Petrum factum eſse Doctorem, Ducem, & huiuſmodi, & hoc pacto Verbum factum eſt caro per vnionem naturę humanę cum perſona diuina; & hoc colligitur ex contextu; nam poſt conuerſionem aqua non remanet amplius aqua: at Verbum caro factum adhuc remanſit Deus.

6 Obijcies 2. Auguſtinus Epiſt. 3. ad Voluſianum dicit coniunctionem duarum naturarum in Chriſto eſſe mixturam, & Deum appellat homini mixtũ; ergo verè in Chriſto duę naturę nõ permanſerunt immixtę, & D. Cyrillus Alexandrinus Epiſt. 2. ad Succeſſum habet. *Confitemur etiam Chriſtum eſſe filium Dei, & ſecundùm ſpiritum, & filium hominis ſecundùm carnem, non duas naturas vnum filium*; & lib. 1. de fide ad Reginas. *Non duas naturas, vnam, quæ adoratur, & alteram, quæ non adoratur, ſed vnam naturam Dei Verbo incarnatam, & adorabilem cum carne ſua vna adoratione.* & Damaſcenus in ſua dialectica cap. 65. habet. *Illud ſcire oportet hypoſtaticam vnionem vnam rerum coniunctarum compoſitam naturam efficere.*

Reſpondeo Auguſtinũ eadem Epiſtola ſe explicare, dum ſubdit: *Recedendum a conſuetudine corporum, quâ ſolent ita duo liquores commiſceri, vt neuter ſeruet integritatem ſuam*: vnde patet Auguſtinum dixiſſe mixturam, ſed ſine vlla corruptione naturarum. Ad primum locum Cyrilli dico, non eſſe contra nos, nam ſe ab obiectione purgauit adhuc viuens, dixit enim ſolum diuinam eſſe incarnatam, non duas naturas; nam humana non eſt incarnata: ad ſecundùm locum non negat duas naturas, ſed dicit eas, vt potè vnitas Verbo, eſſe adorandas adoratione latriæ. Ad Damaſcenum dico ſecundum tranſlationem Fabri non legi *compoſitam naturam*, ſed *compoſitam hypoſtaſim*, & hic eſt verus ſenſus, vt ex contextu conſtat.

7 Obijcies 3. *Si ſunt duæ naturæ in Chriſto, ergo duo ſunt Chriſti*: ſicut enim in Trinitate vnus eſt Deus propter vnitatem naturæ; ita è contrario cum in Chriſto ſint duæ naturæ, duo erunt Chriſti; aut ſaltē duo erunt filij, nempe filius Dei, & Virginis, nam ſecundũ naturam diuinam eſt filius Dei, ſecundùm humanam filius Virginis.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam nomen Chriſti eſt nomen perſonæ, & cum tantùm vna ſit perſona, vnus eſt Chriſtus; Deus autem eſt nomen naturæ, & ideo, quia in Trinitate vnica tantùm natura eſt, ideo vnus tantùm eſt Deus; propter eamdem rationem nomen filij, & Ieſus eſt nomen perſonæ, & ideo vnicus tantùm filius, & Ieſus.

8 Obijcies 4. ex vnione duarum naturarum incompletarum, vt ex anima, & corpore conſurgit vna tertia natura per ſe, nempe natura humana; ergo etiam ex vnione naturæ humanæ, & diuinæ conſurgit vna tertia: nulla enim poteſt ſufficiens aſſignari diſparitas. Cõfirmatur, quia iuxta probabilem ſententiam elementa formaliter remanent in mixto, & tamen conſtituunt tertiam naturam, quamuis in ſe elementa ſint naturæ completæ; ergo etiam natura humana, & diuina poſſunt formaliter remanere, & tamen conſtituere tertiam naturam.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondent aliqui animam, & corpus eſſe naturas incompletas, & per vnionem conſtituere tertiam; elementa verò in mixtis ſaltem alterari, & ideo coaleſcere in tertiam; naturam veram diuinam, & humanam eſſe completas, nec diuinam poſſe alterari vllo modo, & proinde non coaleſcere in tertiam. Sed contra, quia corpus, & anima vniuntur, ſunt incompletæ naturæ, & coaleſcunt in tertiam: ſed humanitas, & diuinitas vniuntur per abſolutam potentiam; ergo quatenus vna non includit id, quod includit alia, poſſent dici ſecundum quid incompletæ, & coaleſcere in tertiam; ſicuti elementa ſunt ſecundùm ſe naturæ completæ, & tamen coaleſcunt in tertiam per vnionem, licèt in mixto ſecundùm probabilem ſententiam remaneant formaliter.

Reſpondeo igitur, quod natura humana, & diuina non vniuntur immediatè inter ſe, ſed vniuntur in perſona diuina, & ſic licèt ſint naturæ diſtinctę, conſtituunt vnam tantùm perſonam, & ratione eiuſdem perſonæ poteſt dici, vt vere dicitur, hæc perſona eſt homo, hæc perſona eſt Deus: at anima immediatè vnitur corpori, & elementa immediatè inter ſe vniuntur in mixto, & ideo pòſſunt conſtituere tertiam naturam, quod euenire non poteſt in propoſito propter rationem aſſignatam.

ARTICVLVS II.

An in Chriſto ſint etiam duæ perſonæ, ſubſiſtẽtiæ, vel hypoſtaſes.

1 NEſtorius, vt præcedenti articulo diximus ex oppoſito Eutychetis non ſolum duas naturas, ſed etiam duas perſonas ponebat in Chriſto, & varijs ſcripturis contendebat ſuũ delirium probare.

2 Notandum ad euidentiam perſonam, ſuppoſitum, hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam in rebus creatis idem prorſus ſignificare, ſcilicet complementum naturæ ſubſtantialis, ratione cuius ita vltimò completur natura, vt ei repugnet eſſe in alio tamquam *id quo* in id *quod*. Noto inſuper hoc complementum eſſe rem realiter diſtinctam à natura, vel ſaltem modum modaliter diſtinctum ſecundùm varias probabiles ſententias, de quibus modo non diſputo, ſed eas ſuppono ex metaphyſica, quod complementum aduenienſ naturæ illam complet, & terminat in eſſe ſubſtantiali. Differunt ergo ſolùm, quod perſona, & hypoſtaſis dicuntur tantùm de intellectuali natura; ſuppoſitũ verò, & ſubſiſtentia dicuntur etiam de omnibus alijs rebus. Dixi etiam ſubſiſtentiam in rebus creatis, quia in diuinis admitto ſubſiſtentiam abſolutam vltra tres perſonalitates relatiuas, eo quod ſubſiſtentia, non dicat incommunicabilitatem, vt latius oſtendi de Trinitate: at in creatis ſubſiſtentia idem eſt, ac ſuppoſitum, & perſona. Hoc poſito.

3 Concluſio. Catholica veritas eſt in Chriſto eſſe vnicam tantùm perſonã, ſeu hypoſtaſim, hancque diuinam in duplici natura, ſcilicet diuina, & humana ſubſiſtentem. Hæc veritas definita fuit in varijs Concilijs, & præſertim in Concilio Epheſino primo, quod adhunc finem fuit congregatum. In Epiſtola Concilij Alexandrini in Epheſino approbata; in Concilio Conſtãtinopolitano 5. Collatione 8. & in pluribus alijs. Contra Neſtorij errores ſcripſerunt Patres præſertim Cyrillus Alexandrinus, Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 12. & alij plures. Ex ſcripturis eadem veritas Catholica colligitur, & Neſtorij hæreſis omnino reijcitur. Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; ecce de eodem homine dicitur, quod ſit filius Dei. Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, ex quibus locis ſic poteſt formari argumentũ. Ita Chriſtus fuit Deus, & homo, vt verè, & propriè ille homo eſſet Deus, & ille Deus homo: ſed hoc non eſſet verum, niſi concederemus ſecundùm vnam, & eamdem perſonam Chriſtum fuiſſe Deũ, & hominem; ergo ita fuiſſe credendum eſt: maior conſtat ex locis ſcripturæ adductis, & quæ poſſunt adduci, & ea paſſim apud alios auctores videri poſſũt: probatur minor; vt talis propoſitio ſit vera debet eſſe aliqua identitas ſubſtantialis ſubiecti cum prædicato: ſed talis identitas non eſt ſecundùm naturam, vt vidimus contra Eutychetem, & fatetur etiam Neſtorius; ergo erit ſecundùm perſonam, quatenus vna, eademque perſona diuina ſit Deus, & homo.

4 Probatur ſecundò. Illa perſona, quæ in principio erat Verbum, & Deus illa eadem facta eſt caro, vt patet ex Ioan. 2. *Et Verbum caro factum eſt*: ſed non poſſet Verbum dici carnem factum, ſi eſſet aliena perſona creata; ergo cum verè debeamus credere Verbum eſſe factum, carnem debemus etiam de fide tenere non fuiſſe aliam perſonam, ſed eamdem, quæ caro facta eſt; probatur minor: nam ſicuti quis non dicitur albus, aut doctus per albedinem, & doctrinam exiſtentem in aliena perſona; ita nec Verbum poſſet dici caro factum per carnem, ſeu humanitatem exiſten-

tem

Digitized by Google

dicere, homo eſt anima rationalis, vel homo eſt caro, non propter aliam rationem, niſi quia natura humana eſt, quid conflatum ex carne, & anima; ergo etiam ſi ex natura humana, & diuina conflata eſt tertia natura, quę appelletur Chriſteitas, non poſſemus cum veritate dicere, Chriſtus eſt verus homo, Chriſtus eſt verus Deus. Quare proportio adducta à D. Athanaſio ſtat in hoc, quod ſicuti ex anima rationali, & carne, licèt diſtinctis, conſtituitur vnus homo, & vna perſona; ita quamuis ſint duæ naturę in Chriſto, nihilominus vna tantùm conſtituitur perſona, nõ verò, quod ſit vna tantùm natura: nec enim omnia exempla debent currere quatuor pedibus, nam ſic intellecta talis propoſitio eſſet hęretica. Vel quartò reſultat vna tertia natura ex diuina, & humana per mixtionem; nam in omni mixtione miſcibilia mutantur, & corrumpuntur, vel ſaltem alterantur. Vnde Ariſt. lib. de ortu, & interitu definit mixtionem, *Quod ſit miſcibilium alteratorum vnio*; Sed natura diuina eſt omnino incapax mutationis cuiuſque, & alterationis; ergo hęc tertia natura in Chriſto non poteſt reſultare per mixtionem. Veritas igitur Catholica docet, quod in Chriſto ſunt duę naturę completę, impermixtę, & non confuſę, vnitę in eadem perſonalitate diuina, nempè natura diuina, & humana, non verò tertia quędam natura.

5 Obijcies 1. Ita dicitur Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*; ſicuti dicitur in cap. 2. aquam vinum factam: ſed aqua facta eſt vinum per veram conuerſionem; ergo etiam Verbum factum eſt caro per veram conuerſionem.

Reſpondeo negando conſequentiam duplicitèr enim intelligitur vnum factũ aliud; primò per veram conuerſionem, ſic dicimus ex ligno fieri ignem, & ita etiam ex aqua factum eſt vinum: ſecundò per coniunctionem cum aliqua re abſque conuerſione in illam rem, ſic dicimus Petrum factum eſſe Doctorem, Ducem, & huiuſmodi, & hoc pacto Verbum factum eſt caro per vnionem naturę humanę cum perſona diuina; & hoc colligitur ex contextu; nam poſt conuerſionem aqua non remanet amplius aqua: at Verbum caro factum adhuc remanſit Deus.

6 Obijcies 2. Auguſtinus Epiſt. 3. ad Voluſianum dicit coniunctionem duarum naturarum in Chriſto eſſe mixturam, & Deum appellat homini mixtũ; ergo verè in Chriſto duę naturę nõ permanſerunt immixtę, & D. Cyrillus Alexandrinus Epiſt. 2. ad Succeſſum habet. *Confitemur etiam Chriſtum eſſe filium Dei, & ſecundùm ſpiritum, & filium hominis ſecundùm carnem, non duas naturas vnum filium*; & lib. 1. de fide ad Reginas. *Non duas naturas, vnam, qua adoratur, & alteram, qua non adoratur, ſed vnam naturam Dei Verbo incarnatam, & adorabilem cum carne ſua vna adoratione.* & Damaſcenus in ſua dialectica cap. 65. habet. *Illud ſcire oportet hypoſtaticam vnionem vnam rerum coniunctarum compoſitam naturam efficere.*

Reſpondeo Auguſtinũ eadem Epiſtola ſe explicare, dum ſubdit: *Recedendum a conſuetudine corporum, qua ſolent ita duo liquores commiſceri, vt neuter ſeruet integritatem ſuam*: vnde patet Auguſtinum dixiſſe mixturam, ſed ſine vlla corruptione naturarum. Ad primum locum Cyrilli dico, non eſſe contra nos, nam ſe ab obiectione purgauit adhuc viuens, dixit enim ſolum diuinam eſſe incarnatam, non duas naturas; nam humana non eſt incarnata: ad ſecundùm locum non negat duas naturas, ſed dicit eas, vt potè vnitas Verbo, eſſe adorandas adoratione latriæ. Ad Damaſcenum dico ſecundum translationem Fabri non legi *compoſitam naturam*, ſed *compoſitam hypoſtaſim*, & hic eſt verus ſenſus, vt ex contextu conſtat.

7 Obiicies 3. Si ſunt duæ naturæ in Chriſto, ergo duo ſunt Chriſti: ſicut enim in Trinitate vnus eſt Deus propter vnitatem naturæ; ita è contrario cum in Chriſto ſint duæ naturæ, duo erunt Chriſti; aut ſaltẽ duo erunt filij, nempe filius Dei, & Virginis, nam ſecundũ naturam diuinam eſt filius Dei, ſecundùm humanam filius Virginis.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam nomen Chriſti eſt nomen perſonæ, & cum tantùm vna ſit perſona, vnus eſt Chriſtus; Deus autem eſt nomen naturæ, & ideo, quia in Trinitate vnica tantùm natura eſt, ideo vnus tantùm eſt Deus; propter eamdem rationem nomen filij, & Ieſus eſt nomen perſonæ, & ideo vnicus tantùm filius, & Ieſus.

8 Obijcies 4. ex vnione duarum naturarum incompletarum, vt ex anima, & corpore conſurgit vna tertia natura per ſe, nempe natura humana; ergo etiam ex vnione naturæ humanæ, & diuinæ conſurgit vna tertia: nulla enim poteſt ſufficiens aſſignari diſparitas. Cõfirmatur, quia iuxta probabilem ſententiam elementa formaliter remanent in mixto, & tamen conſtituunt tertiam naturam, quamuis in ſe elementa ſint naturæ completæ; ergo etiam natura humana, & diuina poſſunt formaliter remanere, & tamen conſtituere tertiam naturam.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondent aliqui animam,& corpus eſſe naturas incompletas, & per vnionem conſtituere tertiam; elementa verò in mixtis ſaltem alterari, & ideo coaleſcere in tertiam: naturam veram diuinam,& humanam eſſe completas,nec diuinam poſſe alterari vllo modo, & proinde non coaleſcere in tertiam. Sed contra, quia corpus,& anima vniuntur, ſunt incompletæ naturæ, & coaleſcunt in tertiam: ſed humanitas, & diuinitas vniuntur per abſolutam potentiam; ergo quatenus vna non includit id, quod includit alia, poſſent dici ſecundum quid incompletæ, & coaleſcere in tertiam; ſicuti elementa ſunt ſecundùm ſe naturæ completæ, & tamen coaleſcunt in tertiam per vnionem, licèt in mixto ſecundùm probabilem ſententiam remaneant formaliter.

Reſpondeo igitur, quod natura humana, & diuina non vniuntur immediatè inter ſe, ſed vniuntur in perſona diuina, & ſic licèt ſint naturæ diſtinctæ, conſtituunt vnam tantùm perſonam, & ratione eiuſdem perſonæ poteſt dici, & vere dicitur,hæc perſona eſt homo, hæc perſona eſt Deus: at anima immediatè vnitur corpori, & elementa immediatè inter ſe vniuntur in mixto, & ideo poſſunt conſtituere tertiam naturam, quod euenire non poteſt in propoſito propter rationem aſſignatam.

ARTICVLVS II.

An in Chriſto ſint etiam duæ perſonæ,ſubſiſtentiæ, vel hypoſtaſes.

1 NEſtorius, vt præcedenti articulo diximus ex oppoſito Eutychetis non ſolùm duas naturas, ſed etiam duas perſonas ponebat in Chriſto, & varijs ſcripturis contendebat ſuū delirium probare.

2 Notandum ad euidentiam perſonam, ſuppoſitum, hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam in rebus creatis idem prorſus ſignificare, ſcilicet complementum naturæ ſubſtantialis, ratione cuius ita vltimò completur natura,vt ei repugnet eſſe in alio tamquam *id quo* in id *quod*. Noto inſuper hoc complementum eſſe rem realiter diſtinctam à natura, vel ſaltem modum modaliter diſtinctum ſecundùm varias probabiles ſententias,de quibus modo non diſputo, ſed eas ſuppono ex metaphyſica, quod complementum aduenniens naturæ illam complet, & terminat in eſſe ſubſtantiali. Differunt ergo ſolùm, quod perſona, & hypoſtaſis dicuntur tantùm de intellectuali natura; ſuppoſitū verò, & ſubſiſtentia dicuntur etiam de omnibus alijs rebus. Dixi etiam ſubſiſtentiam in rebus creatis, quia in diuinis admitto ſubſiſtentiam abſolutam vltra tres perſonalitates relatiuas, eo quod ſubſiſtentia,non dicat incommunicabilitatem, vt latius oſtendi de Trinitate: at in creatis ſubſiſtentia idem eſt,ac ſuppoſitum,& perſona. Hoc poſito.

3 Concluſio. Catholica veritas eſt in Chriſto eſſe vnicam tantùm perſonā, ſeu hypoſtaſim, hancque diuinam in duplici natura, ſcilicet diuina, & humana ſubſiſtentem. Hæc veritas definita fuit in varijs Concilijs, & præſertim in Concilio Epheſino primo, quod adhunc finem fuit congregatum. In Epiſtola Concilij Alexandrini in Epheſino approbata;in Concilio Conſtantinopolitano 5. Collatione 8. & in pluribus alijs. Contra Neſtorij errores ſcripſerunt Patres præſertim Cyrillus Alexandrinus, Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 12.& alij plures. Ex ſcripturis eadem veritas Catholica colligitur, & Neſtorij hæreſis omnino reijcitur. Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; ecce de eodem homine dicitur, quod ſit filius Dei. Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, ex quibus locis ſic poteſt formari argumentū. Ita Chriſtus fuit Deus,& homo, vt verè, & propriè ille homo eſſet Deus, & ille Deus homo; ſed hoc non eſſet verum, niſi concederemus ſecundùm vnam, & eamdem perſonam Chriſtum fuiſſe Deū, & hominem; ergo ita fuiſſe credendum eſt: maior conſtat ex locis ſcripturæ adductis, & quæ poſſunt adduci, & paſſim apud alios auctores videri poſſūt: probatur minor: vt talis propoſitio ſit vera debet eſſe aliqua identitas ſubſtantialis ſubiecti cum prædicato: ſed talis identitas non eſt ſecundùm naturam, vt vidimus contra Eutychetem, & fatetur etiam Neſtorius; ergo erit ſecundùm perſonam, quatenus vna,eademque perſona diuina ſit Deus, & homo.

4 Probatur ſecundò. Illa perſona, quæ in principio erat Verbum, & Deus illa eadem facta eſt caro, vt patet ex Ioan. 2. *Et Verbum caro factum eſt*: ſed non poſſet Verbum dici carnem factum, ſi eſſet aliena perſona creata; ergo cum verè debeamus credere Verbum eſſe factum, carnem debemus etiam de fide tenere non fuiſſe aliam perſonam, ſed eamdem, quæ caro facta eſt; probatur minor: nam ſicuti quis non dicitur albus, aut doctus per albedinem, & doctrinam exiſtentem in aliena perſona; ita nec Verbum poſſet dici caro factum per carnem, ſeu humanitatem exiſten-

tem

Digitized by Google

tem in aliena perſona: tum quia Chriſtus Ioan. 8. dicitur, quod fuerit antequam Abraham fieret: ſed non fuit ſecundum humanitatem ante Abraham, cum ſecundùm hanc fuerit poſt Abraham; ergo fuit ante Abraham, quatenus eadem perſona, quæ in principio, & ante ſæcula erat Deus, facta fuit etiam homo. Neque explicationes Neſtorij ſufficiunt, nam etiam omnes iuſti ſunt templum Dei coniuncti cum voluntate Dei, filij adoptiui Dei, & ſæpè ſunt inſtrumenta miraculorum Dei; ergo cum altiori ratione hæc dicantur de Chriſto, hoc proinde fit, quia vnica eademque perſona eſt Deus, & homo.

5 Obijcies 1. Chriſtus Ioan. 2. dixit. *Soluite templum hoc*: vbi Chriſtus vocat humanitatem ſuam templũ diuinitatis: ſed templum diſtinguitur à perſona, quę templum inhabitat; ergo perſona diuina in Chriſto debuit eſſe diſtincta à perſona humanitatis. Item Matt. 7. dicitur. *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me*; ergo perſona diuina tunc ab illo receſſit, & ſola remanſit humana.

Reſpondeo ad primum, quod Chriſtus loquebatur de templo corporis ſui, quod debebat ſolui per receſſum animę, vt idem Apoſtolus ſe explicat in eodem loco. Ad ſecundùm dico, ſenſum illorum verborum eſſe, non quod diuina perſona dimiſerit humanitatem; quod enim ſemel aſſumpſit numquam dimiſit; ſed ſolùm, quia humanitas deſtituta fuit illa diuina protectione, & defenſione, qua præſeruaretur à morte.

6 Obijcies 2. D. Baſilius in Pſ. 159. appellat Chriſtum *hominem Deiferum*, & in hymno SS. Ambroſij, & Auguſtini, quem canit Eccleſia dicitur, quod filius Dei aſſumpſit hominem. *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum*. Sed homo importat perſonalitatem; ergo ſi filius Dei aſſumpſit hominem, vtique aſſumpſit etiam perſonalitatem creatam.

Reſpondeo ibi à Sanctis Patribus aſſumi concretum pro abſtracto; nam idem eſt per hos Patres aſſumere hominem, ac aſſumere humanitatem; & retorquetur argumentum; nam ſi eſt idem Deus, qui aſſumpſit hominis veram denominationem; ergo eſt vna, & eadem perſona: nam ſi eſset diuerſa perſona non poſſet dici, quod verè eſſet homo: eodem modo dico ad Baſilium.

7 Pro ſolutione aliorum argumentorum, quæ poſsunt peti ex ſcriptura, ſciendum eſt Chriſtum non fuiſſe purũ hominem, ſed hominem Deum, quo fit, vt de illo ſecundùm aliam, & aliam rationem affirmari poſſint quæcunque conueniunt verò Deo, & verò homini: Vnde malè dixit Neſtorius Chriſtum tantummodo ſignificare Deum, non verò Deum humanitati vnitum, nam verè Deus humanitati vnitus verus Deus eſt: quare B. V. verè eſt mater Dei cum humanitate vniti; & licèt de Chriſto dicatur. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo* ad Philip. 2. Senſus tamen illius dicti non eſt Deum verè non eſse factum hominem, ſed tantũ, quod Chriſtus ſecundùm aſpectum, & figuram externam videbatur purus homo, cum tamen etiam eſset Deus, vel ly in ſimilitudinem debet intelligi in ſimilitudinem ſubſtantialem, quo ad ſpecificam conuenientiam naturæ humanæ.

8 Obijcies 3. ratione. Ea, quæ infinitè diſtant nullam habet proportionem vt inuicem, poſſint vniri; ſed natura humana, & perſonalitas diuina infinitè diſtant; ergo nullam habent proportionem vt poſſint vniri; ergo ſi non poſſunt vniri, fatendum eſt in Chriſto adeſse propriam perſonalitatem, & diuinam. Confirmatur, multa entia creata ob ſola diſtantiam non poſsunt inuicem vniri, & facere vnum; ergo multò minus poterunt vniri natura humana, & Deus.

Reſpondeo, quod ea, quæ infinitè diſtant poſsunt habere aliquam proportionem in ratione actus, & potentiæ, non quidem accipiendo potentiam ſecundum ſuum eſse naturale, ſed ſecundum eſse obedientiale, licèt nullam habeant in ratione entis; quod alij dicunt adeſse proportionem geometricam, non aritmethicam. Ad confirmationem nego plura creata non poſse vniri, eo quod diſtent; ratio, igitur cur non poſſint vniri erit, quia non habebunt proportionem actus, & potentiæ, quæ tamen proportio requiritur ad vnionem, & in propoſito natura humana ſe habet vt potentia, vt terminetur à perſonitate diuina, & ideo cum ipſa vniri poteſt. ſecus aliqua poſsunt conuenire, & minus diſtare in ratione entis, & tamen nõ poſsunt vniri, & facere vnum, vt patet de duabus animabus, iſtæ maximè conueniunt inter ſe, & parum diſtant, & tamen non poſsunt vniri inuicem, licèt poſſint vniri cum materia, à qua magis diſtant entitatiuè.

9 Obijcies 4. Nulla natura perſonalitas reperitur extra talem naturam, ſed potius è contra natura reperitur extra propriam perſonalitatem, vt patet de natura diuina, quæ ſubſiſtit per plures perſonalitates: ſed ſi perſona diuina faceret ſubſiſtere humanitatem, perſona diui-

Digitized by Google

diuina eſſet extra propriam naturam, quod implicat: nam natura diuina non eſſet infinita; ergo nullo modo poteſt perſonalitas diuina facere ſubſiſtere naturam humanam. Tum quia ſi perſonalitas Verbi eſſet vnita naturæ humanæ, ibi tantum eſſet Verbum, vbi eſt natura humana: ſed natura humana in Chriſto non eſt vbique; ergo nec Verbum eſſet vbique; & ſic nec Deus eſſet.

Reſpondeo, quod nulla perſonalitas reperitur extra propriam naturam, à qua habet, quod ſubſiſtat, & ſic perſonalitas Verbi non eſt extra naturam diuinã; hanc enim ſubſiſtere facit, ſed quia infinita eſt, poteſt etiam terminare naturam humanam. Ad aliam probationem, nego ſequelam, & ratio eſt, quia Verbum, licèt ſit vnitum naturæ humanæ, non eſt tamen vnitum adæquatè ſecundùm omnes ſuas virtualitates, ſed tantũ inadæquatè, vt patet de anima rationali, quæ tota vnita eſt digito, & tamen tota eſt in capite, & tota in alijs partibus corporis, vbi non eſt digitus; ita licèt perſonalitas Verbi tota ſit vnita naturæ humanæ, cum tamen ſit identificata cum diuina, & hæc ſit immenſa, ideo perſonalitas non tantum eſt, vbi eſt natura humana Chriſti, ſed etiam vbique, vbi eſt diuina.

10 Obijcies 5. Data hac reſponſione ſequeretur primò, quod perſona diuina excederet naturam diuinam, & inadæquatè ſolùm illi correſponderet, magiſque perſonabilis eſſet natura diuina, quam apta eſſet perſonare diuina perſona, quod eſt abſurdum, vt de ſe patet. Sequeretur 2. quod perſona diuina pateretur, ſicuti enim vnire eſt agere, ita vniri eſt pati: ſed perſona diuina vniretur naturæ humanæ; ergo pateretur, quod eſt abſurdum.

Reſpondeo negando ſequi huiuſmodi abſurda: non ſequitur primum, nam perſona diuina ſecundùm totam ſuam perfectionem, & virtutem perſonandi ſuppoſitat ipſam naturam diuinam, ita vt nullus ſit gradus perfectionis in diuina perſona ſecundùm, quem non ſuppoſitetur natura diuina; ſicuti nullus eſt gradus perfectionis in intellectu diuino, ſecundùm quem non feratur in diuinam eſſentiam per cognitionem; & nihilominus, ſicuti intellectus ex eo, quod comprehendit eſſentiam diuinam, etiam cognoſcit omnes creaturas extra Deum; ita diuinum ſuppoſitum ex vi perfectionis, qua ſuppoſitat naturam diuinam, quia eminenter continet omnem perfectionem perſonæ creatæ, poteſt etiam aliam, & aliam naturam terminare, & ſic ſemper erit adæquata intenſiuè naturæ diuinæ, licèt extenſiuè poſſit ſe ad alias, & alias naturas extendere, & illas terminare. Non ſequitur ſecundum, quia tunc vniri eſt pati, quando fit per receptionem alcuius in ſe, & per mutationem; Verbum autem diuinum non recipit aliquid in ſe, ſed vnitur purè terminando ſine vlla mutatione ſui, vt infra magis explicabitur ſuo loco.

12 Obijcies 6. De ratione perſonæ eſt, quod ſi omnino incommunicabilis, definitur enim à Boetio, quod ſit *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*; quod autem indiuiduum eſt, incommunicabile eſt: ſed perſona diuina verè eſt perſona; ergo eſt incommunicabilis.

Reſpondeo de ratione perſonæ eſſe, quod ſit incommunicabilis paſſiuè, quia non poteſt ſuppoſitari aliena perſona, quia quod iam perſona eſt, non poteſt per perſonalitatem aliquam aliam perſona conſtitui, quia ſic eſſet, & non eſſet perſona, vt de ſe patet: Verùm cum hoc ſtat, quod ſit communicabilis actiuè, & poſſit terminare plures naturas.

12 Obijcies 7. Natura diuina non poteſt terminari à perſonalitate creata, v. g. humana; ergo neque natura humana poterit terminari à perſonalitate diuina, nulla enim eſt diſparitas.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; diſparitas eſt clara, quia terminare eſt pendere à ſuppoſito, vt terminante, & ſuſtentante, quod dicit imperfectionem, & ideo non poteſt conuenire naturæ diuinæ, quæ quamlibet excogitabilem includit perfectionem; vnde etiam quatenus præſcindit à perſonalitatibus relatiuis intelligitur ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, vt dictum fuit de Trinitate, & ideo non poteſt per perſonalitatem à ſe diſtinctã ſubſiſtere: at perſonare vt perſonare dicit tantùm terminare naturam, quod denotat perfectionem; ideo poteſt perſona diuina terminare alienam naturã; non autem natura diuina terminari aliena perſonalitate.

14 Obijcies 8. Vbi ſunt duæ naturę, & ſingulares, ibi ſunt duæ perſonæ: ſed in Chriſto ſunt duæ naturæ indiuiduæ, & ſingulares, vt ſupra vidimus contra Eutychetem; ergo in Chriſto ſunt duæ perſonæ: maior patet, quia perſona definitur, quod ſit naturę rationalis indiuidua ſubſtantia.

Reſpondeo negando maiorem; nam perſonalitas eſt quid realiter diſtinctum à natura ſingulari: aſſumpſit ergo Verbum naturam ſingularem, & indiuiduã humanam, ſed non perſonalitatem; ad

Digitized by Google

probationem dico, quod dico ly indiuidua accipitur pro incommunicabili; natura autem aſſumpta non fuit incommunicabilis ideo &c.

ARTICVLVS III.

An perſona Chriſti ſit compoſita.

1 ADuerte, aliud eſſe perſonam, aliud perſonalitatem; nam perſona vltra perſonalitatem dicit etiã naturam in concreto, in qua ſubſiſtit; perſonalitas verò dicit præciſam ſubſiſtentiam non includendo naturam. Hoc poſito perſonalitatem Chriſti non eſſe compoſitam clarum eſt, cum ſit ſimpliciſſima ſubſiſtentia Verbi; nec etiam perſona Verbi ſi comparetur ad diuinã naturam eſt compoſita; nam cum inter perſonalitatem diuinam, & naturam diuinam non detur diſtinctio, ſequitur clarè, quod nec datur, nec dari poteſt compoſitio, vt probatum fuit in tractatu de Deo vno quæſt. 2. artic. 5. Quæſtio igitur eſt de perſona Chriſti, vt ſubſiſtente in natura humana, an verè ſit compoſita; & dupliciter poteſt tractari diſſicultas; primò, an ſit compoſita, eo quod duæ naturæ, diuina ſcilicet, & humana vniantur in perſonalitate diuina; ſecundò an ſit compoſita, eo quod immediatà perſonalitas diuina humanæ naturæ vniatur, etiamſi per impoſſibile non haberet naturam diuinam; vtroque modo eſt quæſtio, licèt, Patres, & Concilia magis loquantur in priori ſenſu.

2 Prima ſententia eſt Bonauenturæ in 3. diſt. 6. ar. 1. quæſt. 2. Scoti quæſt. 3. Richar. ar. 2. q. 3. Durand. q. 3. Palud. q. 1. ar. 2. Gabrielis quæſt. 1. ar. 3. hæc opinio veretur admittere in Chriſto veram compoſitionem; & Caiet. hic quæſt. 2. ar. 4. dicit eſſe compoſitam perſonam Chriſti, ſed ineffabiliter.

Secunda eſt D. Thom. hìc quæſt. 2. ar. 4. Medinæ ibidem, Aluarez diſp. 12. Gonet diſp. 6. ar. 2. & Thomiſtarum communis, Suarez diſp. 7. ſect. 6. Vaſquez diſp. 16; cap. 2. Amici diſp. 9. ſect. 2. Lugi diſput. 10. Hurtadi diſp. 19. Valentiæ diſput. 1. q. 2. p. 4. Arriagæ diſput. 28 & communis recentiorum nunc, hæc docet perſonam Chriſti verè, & propriè eſſe compoſitam.

3 Concluſio. Perſona Chriſti eſt verè, & propriè compoſita ex duabus naturis humana, & diuina in vnica ſubſiſtentia Verbi. Probatur primò ex Concilijs, etenim in quinta Synodo Generali coll. 8. can. 4. habetur. *Sancta Dei Eccleſia vtriuſque perfidiæ iniquitatem reijciens vnionem Dei Verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur.* & can. 6. Chriſtus dicitur compoſitus ex duabus naturis. Et in Synodo 6. generali act. 4. habetur. *Confitemur Trinitatem perſonarum; item confitemur etiam Chriſtum ex duabus naturis cõpoſitum.* Idem habetur in Later. ſub Innoc. III. de fide Cath. cap. 1. & Damaſc. lib. 3. fidei cap. 3. *Vnita ſunt ad inuicem ſecundùm vnitatem in vnam compoſitam filij Dei hypoſtaſim*, & concludit; *Coniunguntur enim naturæ ipſius in hypoſtaſi vnam hypoſtaſim compoſitam habentes.* & eamdem veritatem tradunt alij Sancti Patres Aug. lib. 3. de Trinitate c. 17. Dionyſ. c. 4. de diuinis nominibus, Athanaſius, Gregorius, & alij.

4 Probatur ratione. Quando plura realiter diſtincta conueniunt ad conſtituendum vnum, datur compoſitio vnius ex multis; ſed natura humana conuenit cum natura, & perſonalitate diuina ad faciendam, ſeu conſtituendam vnam perſonam; ergo ex natura humana, & diuina fit compoſitio in vna perſona Verbi diuini; & idem argumentum fit cum perſonalitate Verbi; nam natura humana vnitur immediatè cum perſonalitate Verbi, & mediatè cum natura diuina; ergo facit compoſitionem cum ipſa perſonalitate Verbi, & reſultat perſona ſubſiſtens, non tantùm in natura diuina, ſed etiam humana; hæc conſequentia patet; quotieſcumque enim duo vniuntur inuicem, quæ erant diſtincta, & diſiuncta, vtique componunt inuicem, vt ipſa notio vocabili denotat; nam componere eſt plura diſtincta ſimul ponere; ergo &c.

5 Obijcies 1. Ad veram compoſitionem requiritur ratio partis: ſed ratio partis non poteſt conuenire perſonæ Verbi: cum dicat imperfectionem; ergo nec perſona Verbi poteſt componere cum humanitate.

Reſpondeo negando maiorem; dico quidem requiri componentia, non partes; & ratio huius eſt, quia nomen partis videtur importare imperfectionem, & ideo non debemus talia componentia appellare partes, niſi demptis imperfectionibus; vnde D. Thom. dixit compoſitionem Chriſti non eſſe in ratione partis, ſicuti ex materia, & forma componitur totum, ſed potius in ratione numeri, ſicuti ex duobus numeris v. g. ternarijs fit ſenarius.

6 Obijcies 2. Vt aliqua dicantur cõponere, non ſufficit ſi prius ſint diſtincta, & poſtea vniantur, ſed inſuper requiritur vt vnũ habeat rationem actus, alterũ potentiæ: ſed Verbũ nõ poteſt habere rationem actus, vel potentiæ; cum ſit in ſe cõpletiſſimum; & natura humana etiam

Digitized by Google

eſt in ſe completa, nec poteſt habere rationem actus, vel potentiæ; ergo ex natura humana,& perſonalitate Verbi non poteſt fieri compoſitum.

Reſpondeo non eſſe neceſſe ad veram compoſitionem, vt aliquid propriè habeat rationem actus, alterum potentiæ, ſed ſufficere ſi habeant rationem terminabilis, & termini; Verbum autem habet rationem termini terminantis, & natura habet rationem terminabilis:poteſt etiam dici, quod natura habet rationem potentiæ vt terminetur; Verbũ autem rationem actus terminantis demptis imperfectionibus; ratio verò actus, vt actus,nullam dicit imperfectionem.

7 Dices natura humana in Chriſto, eſt in ſe completa; ergo nullo modo poteſt habere rationem potentiæ. Sed contra reſpondeo, quod natura humana eſt quidem in ſe completa in ratione naturæ humanæ; at eſt in potentia ad ſubſiſtentiam; vnde adhuc poteſt terminari, vel à propria ſubſiſtentia, vel à diuina, & ideo ſub hac ratione poteſt habere rationem potentiæ terminabilis.

8 Obijcies 3. Perſona Chriſti eſt perſona Verbi; ſed perſona Verbi eſt ſimpliciſſima; ergo perſona Chriſti eſt ſimpliciſſima; ergo non poteſt eſſe compoſita.

Reſpondeo, quòd perſona Chriſti eſt quidem perſona Verbi, ſed vt ſubſiſtentis in natura humana, quo modo eſt cõpoſita; licèt eadem perſona, vt eſt in natura diuina, omnino ſit ſimpliciſſima.

9 Obijcies 4. Omne compoſitum eſt maius, & perfectius quocumque ex componentibus: ſed Chriſtus non eſt quid perfectius natura diuina, aut perſonalitate Verbi; ergo Chriſtus non eſt cõpoſitus ex natura humana,& diuina, ſeu ex natura humana, & perſonalitate diuina.

Reſpondeo maiorem eſſe veram, quando componentia ſunt finita; non verò quando vnum illorum eſt infinitũ, quia hoc continet omnem perfectionem eminenter,quoſt continet compoſitũm; vnde in tali caſu compoſitũ eſt maius, & perfectius extenſiuè, non intenſiuè; Quemadmodum hoc complexum ex Deo, & mundo non eſt perfectius Deo ipſo,niſi extenſiuè,quatenus eadem perfectio, quæ eſt in Deo per creationem mundi aliquo modo communicata fuit mundo.

10 Obijcies 5. Si Chriſtus eſſet verè compoſitus, verè diceretur filius Dei compoſitus, cum ea, quæ dicuntur de Chriſto dicantur etiam de Filio Dei per communicationem idiomatum:ſed non poteſt dici de Verbo, & Filio Dei,quod ſit perſona compoſita; ergo neque de Chriſto.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem Filius Dei eſſet compoſitus, vt ſubſiſtens in natura humana, concedo ſequelam: ſecundùm ſe, nego ſequelam maioris; ad probationem dico, quod ea,quæ dicuntur de Chriſto abſolutè, dicuntur etiam de Filio Dei; non autem ea, quæ dicuntur de Chriſto determinatè, pro vt ſignificat Verbum in natura humana ſubſiſtens, cuiuſmodi eſt: Chriſtus eſt compoſitus ex duabus naturis, & perſonalitate diuina; hoc enim prædicatum determinat Chriſtum ad ſtandum pro aggregato ex natura humana, & diuina in eadem perſonalitate diuina, quo ſenſu non poteſt dici Verbum eſſe compoſitum, niſi cum addito,nempe quatenus ſubſiſtit in natura humana.

ARTICVLVS IV.

An natura humana ſe ipſa vniatur Verbo, vel vniatur per modum.

1 SVppono contra quoſdam hæreticos tamquam veritatẽ Catholicam, fuiſse factam veram, & realem vnionem, tum animæ,tum corporis Chriſti cum ipſa perſona Verbi; Chriſtus enim verè fuit,& eſt homo;hoc autem non poſſet eſſe, niſi animam rationalem, & corpus verè haberet,& hæc eſſent vnita ipſi Verbo; hic autem inquirimus per quid anima, & corpus Chriſti fuerint vnita Verbo diuino: & quæſtio hæc redditur clara ex ijs, quæ ſolent quæri in phyſicis: per quid materia, & forma vniantur inuicem, an vniantur ſe ipſis, vel vniantur per entitatem realem ob extremis realiter diſtinctam, eo modo,quo duo lapides vniuntur per calcem,vel duo ligna per gluten, vel denique vniantur per entitatem quandam modalem, quæ entitas ſit tantùm id *quo* partes vniuntur. Quatuor enumerantur præcipuè ſententiæ in hac difficultate: imo à quibuſdam notantur ſeptem diuerſæ, ſed verè differunt tantum quo ad modum explicandi, quatuor ergo tantùm principaliores referam.

2 Prima eſt Scoti in 3.diſt.1.q.1. Scotiſtarũ communiter,Durãdi ibidem diſtinc.5.& aliorum hæc docet hanc vnionem eſſe relationem realem inter ipſa extrema realia,

Secunda ſententia eſt Gabrielis in 3. diſt.1. quæſt.1.ar.1.& aliorum, hæc aſſerit hanc vnionem eſſe qualitatem quandam

Digitized by Google

dam realem abſolutam, & realiter ab vtroque extremo diſtinctam.

Tertia ſententia, quam ſequuntur nunc communiter recentiores aſſerit hanc vnionem eſſe modum quemdam ſubſtantialem, ſupernaturalem, diſtinctum, tum à natura humana, tum à perſonalitate Verbi, qui modus eſt formalis vnio naturæ humanæ cum Verbo Dei. Sic Suarez diſp. 8. ſec. 2. Vaſquez diſp. 18. Lugus diſp. 11. ſec. 1. Amicus diſp. 8. ſec. 2. & 3. Arriaga diſp. 20 Sylpius hic quæſt. 2. art. 7. Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 8. Herrera, Araujo, & quamplurimi alij Doctores.

Quarta ſententia eſt Greg. in 1. diſt. 28. quæſt. 2. Bacconi in 3. diſt. 1. quæſt. 1. & Nominalium, Caiet. hic quæſt. 2. art. 10. ad. 1. Aluarez diſp. 13. Cipulli quęſt. 2. art. 8. dub. 2. Ioan. à S. Thom. diſp. 4. art. 3. Gonet. diſp. 6. art. 3. Nazarij, & plurium Thomiſtarum, Valentiæ diſp. 1. quæſt. 2. p. 5. & omnium illorum, qui negant modos tamquam ſuperfluos; hæc opinio aſſerit vnionem hanc non eſſe quid ſimplex ſuperadditum, ſed ſolùm complexum dependentiæ naturæ humanæ à perſonalinate Verbi tamquam à termino ſubſtantiali terminante.

3 Concluſio 1. Vnio hypoſtatica non eſt relatio prædicamentalis, aut qualitas ab ipſis extremis diſtincta. Eſt contra primam, & ſecundam ſententiam. Hæ opiniones impugnantur ab aliquibus, quaſi ſint contra id, quod definitur in quinta Synodo collat. 8. can. 4. vbi damnatur factam eſſe hanc vnionem ſecundùm relationem, & ſecundùm gratiam.

Sed verè talis definitio eſt tantùm contra Neſtorium, qui volebat in Chriſto non eſſe eamdem perſonam Deum, & hominem, ſed duas coniunctas per ſolam gratiam, & affectum, aut per relationem, qualis eſt amici ad amicum; quare cum hi Doctores, cum quibus contendimus, admittant veram vnionem, & vnam perſonam in Chriſto, certè contra iſtos nullo modo militat hæc definitio; vt optimè notant Cardinalis de Lugo, & alij Doctores, & rationibus ſolùm ſunt impugnandæ.

4 Sententia ergo Scoti ſic reijcitur. Prius eſt humanitatem eſſe vnitam Verbo, quam quod reſultet relatio vnionis; nam prius eſt fundamentum relationis, quam quod reſultat relatio; ergo per aliquid prius debet vniri, quam intelligatur aduenire relatio; ergo ſi prius debet intelligi vnio ante relationem, non poteſt vnio conſiſtere in relatione prædicamentali extrinſecus aduenienti. Ceterum quia plures Scotiſtæ non loquuntur de relatione prædicamentali, ſed dicunt hanc relationem eſſe ſubſtantialem, & tranſcendentalem in re coincidunt cum tertia ſententia, quod iſta vnio ſit modus ſubſtantialis; & ſi hoc modo intelligatur hæc ſententia, reijcienda erit ex ijs, quæ dicemus, dum concluſione ſequenti noſtram probabimus opinionem.

5 Sententia Gabrielis ſic reijcitur. Chriſtus eſt eſſentialiter ens ſubſtantiale; ergo quidquid eſt de intrinſeca ratione Chriſti debet eſſe ſubſtantiale: ſed vnio hypoſtatica naturæ humanę cum Verbo eſt de intrinſeca ratione Chriſti; non enim poteſt intelligi Chriſtus ſine vnione; ergo talis vnio debet eſſe ſubſtantialis. Confirmatur, vel hæc qualitas eſt abſoluta, & indifferens, vt vniatur cum perſonalitate Verbi, & natura humana, vel eſt relatiua determinata, vt ſit vnio naturæ humanę cum Verbo: ſi abſoluta & indifferens; ergo debet dari aliquid, à quo determinetur, vt vniatur potius Filio, quam Spiritui Sancto; ſi autem eſt relatiua, erit modus accidentalis, qui eſt ſuperfluus, vt videbimus concluſione ſequenti: & inſuper cum ſit accidentalis, non ſaluat hoc myſterium vnionis hypoſtaticæ, quod totum ſubſtantiale eſt.

6 Concluſio 2. Hæc vnio hypoſtatica non eſt modus ſubſtantialis, ſed complexum dependentiæ in ratione termini naturæ humanæ à perſonalitate Verbi. Probatur primò. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed nulla eſt neceſſitas ponendi talem modum ſubſtantialem diſtinctum ab humanitate, & Verbo; ergo non eſt ponendus: maior conceditur; probatur minor: In tantũ eſt neceſſarius hic modus, inquantũ non poſſumus ſine illo intelligere naturam humunam ſubſiſtentem per perſonalitatem Verbi, & perſonam Chriſti compoſitam: ſed verè ſine hoc modo ſufficienter intelligimus naturam humanam ſubſiſtentem per Verbum, & perſonam Chriſti compoſitam per hoc tantùm, quod perſonalitas diuina Verbi terminet naturam humanam, & ſuppleat id, quod præſtaret perſona creata, ſi adeſſet; ergo quemadmodum intelligimus naturam humanam vniri perſonalitati creatæ, & conſtituere perſonam ſine modo, ita etiam hoc intelligere poſſumus de natura humana cum perſonalitate diuina; & ſic ſemper ſuperfluus erit iſte modus.

7 Dices 1. Perſonalitatem humanam eſſe modum; & ideo non indigere alio modo. Sed contra, quia falſum eſt eſſe modum, eſt enim res, vt ſuppo-

Digitized by Google

ex metaphiſica probatum; etenim cum perſonalitatem tamquam quid diſtinctum abexiſtentia rei non cognoſcamus, niſi ex hoc myſterio, & ex illo Trinitatis, & naturaliter ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas, vt quid diſtinctum ſit incognoſcibilis; ſicut perſonalitas diuina eſt res, quæ de facto ſupplet vicem ſubſiſtentiæ creatæ, quæ reſultare deberet, fatendum eſt, etiam perſonalitatem creatam eſſe potius rem, quam modum. Contra ſecundò admitto eſſe modum noſtram perſonalitatem creatam, quo poſito ſic argumentor. Ideo perſonalitas creata vnitur ſe ipſa, & non per alium modum, quia ex natura ſua eſt proximè vnibilis: ſed etiam perſonalitas Verbi, cum ſit in ſumma actualitate, & contineat omnem perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ eſt proximè vnibilis; vnde illi, cum quibus contendimus, fatentur modum vnionis non requiri ex parte Verbi ob hanc rationem, quia Verbum eſt in ſumma actualitate: ergo perſonalitas Verbi ſine, modo eſt proximè vnibilis.

8 Dices 2. Verum equidem eſſe non requiri modum ex parte Verbi, quia Verbum eſt in ſumma actualitate; requiri tamen ex parte naturæ, ad hoc vt determinet ipſam naturam humanam ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Verbi; cum hæc ſit indifferens ad ſubſiſtendum, vel ſubſiſtentia propria, vel Verbi, vel Patris, vel Spiritus Sancti; dari ergo debet iſte modus determinans naturam ad ſubſiſtendum potius per ſubſiſtentiam Verbi, quam per aliam. Sed contra, quia licèt natura ſit res, non tamen indiget modo, vt vniatur ſubſiſtentiæ propriæ, quia ſubſiſtentia ipſa eſt proximè vnibilis propriæ naturæ, cum ſit, vt id *quo*, ergo etiam licèt natura humana ſit res, non tamen indigebit modo, vt vniatur ſubſiſtentiæ diuinę, cum illa contineat omnem perfectionem & vnibilitatem ſubſiſtentiæ creatæ.

9 Dices 3. Naturam creatam eſſe aptam ex natura ſua ad perſonalitatem propriam, non ſic ad diuinam, & ideo indigere modo, vt fiat apta. Sed contra, quia nec ad recipiendum talem modum eſt apta, cum talis modus ſit ſupernaturalis; ergo ſicuti dicunt aduerſarij, quòd licèt natura non ſit apta ſecundùm potentiam naturalem ad recipiendum hũc modum, eſt tamen apta ſecundùm potentiam òbedientialem; ita & ego dico, naturam non eſſe aptam, vt vniatur Verbo ſecundùm potentiam naturalem, eſſe tamen aptam per potentiam obedientialem.

10 Probant aliqui concluſionem, quia ſi eſſet neceſſarius hic modus vnionis maxime, quia extrema ſunt realiter diſtincta, & ideo debet dari hic modus vniens; ſed etiam hæc vnio eſt diſtincta; ergo debet dari alia vnio vniens, & ſic in infinitum. Verùm hæc ratio nihil probat, quia vnio non eſt res, ſed modus, & id *quo* eſſentialiter vniuntur extrema, quando autem proceditur à *quod* in *quo* ſiſtendum eſt in *quo*, nec datur proceſſus in infinitum.

11 Probant etiam Cipullus, & Gonetus concluſionem hac ratione. Si Pater, & Spiritus Sanctus vnirentur humanitati à Verbo aſſumptæ deberent vniri ſine modo intermedio ſubſtantiali; ergo & Verbum de facto ita vnitur: conſequentia patet à pari. Probatur antecedẽs ſi Pater, & Spiritus Sanctus deberent vniri per modũ, vel modus eſſet eiuſdem rationis, vel diuerſę: ſed neutrum eſſe poſſet; ergo &c. probatur minor, quo ad primam partem: non poſſet eſſe eiuſdem rationis, quia cum termini ſint quaſi ſpecificè diuerſi, & vniones debent eſse tales: neque poſset eſse diuerſæ rationis, quia iſti modi deberent eſſe eiuſdem perfectionis: ſed ſi eſſent diuerſæ ſpeciei eſsent diuerſæ perfectionis; quia ſpecies ſunt veluti numeri, vt docet Ariſtoteles, & per conſequens vnus modus deberet eſse perfectior altero; ſi ergo non poſsent eſse, neque eiuſdem rationis, neque diuerſæ, ſequitur, quod ſi Pater, & Spiritus Sanctus vnirentur humanitati à Verbo aſsumptæ ſine modo vnirentur; ergo & idem dicendum nunc de facto de Verbo. Sed verè hæc ratio non probat; etenim ſicuti dantur tres perſonæ diuinæ æquales in perfectione, cur non poſsunt etiam dari tres modi æqualis peſectionis, cum modi induant naturam rerum, quarum ſunt modi; Deinde non video vllam rationem conuincentem, qua ſimus coacti dicere, duas res diuerſæ ſpeciei non poſse eſse eiuſdem perfectionis. Neque Ariſtotiles eſt contrarius, qui loquitur de naturis ipſis abſolutis, quis probabile eſt omnes eſse diuerſæ perfectionis; at de modis, qui imitantur naturam relatiuorum, & rerum, quarum ſunt modi, non eſt locutus Ariſtoteles; firmum igitur fundamentum deſumitur ex ſuperfluitate horum modorum, vt probatum fuit.

12. Obijcies 1. Incarnatio eſt vera actio ad extra cuius efficiens eſt tota Trinitas; ergo huius actionis debet dari terminus: ſed terminus huius actionis non eſt perſonalitas Verbi; cum hæc à tota Trinitate ſit improducibilis, & tantùm producta fuit à Patre; neque eſt huma-

nitas,

nitas, quia prius eſt humanitatem eſſe productam, quam vnitam; ergo ſi non eſt neque Verbum, neque humanitas, vtique erit aliquid aliud; hoc autem aliud non poteſt eſſe, niſi modus.

Reſpondeo concedendo maiorem, & primam conſequentiam: ad minorē dico, terminum, qui producitur non eſſe perſonalitatem Verbi, neque humanitatem ſecundùm eſſe ſimplex, ſed eſſe Chriſtum, ſeu complexum ex Verbo, & humanitate: fateor enim libentiſſimè Verbum ſecundùm eſſe ſimplex nō produci, nec humanitatem, dum vnitur produci ſecundum ſuum eſſe ſimplex, cum ſupponatur producta: dico tamen produci totum complexum, ſeu produci Chriſtum; eo modo, quo in compoſito humano, nec generatur materia, quia eſt ingenerabilis, nec anima, quia eſt creata à Deo, ſed generatur totum, & complexum; ita dico ego non produci Verbum ſecundùm eſſe ſimplex, quia eſt improducibile, non humanitatem, quia ſupponitur producta, produci tamen hoc complexum, quatenus Verbum de non terminante ſit terminans, & natura de non terminata ſit terminata hypoſtaticè à Verbo, ſeu produci Chriſtum, qui prius non erat in rerum natura. Alij dicunt, quod incarnatio non eſt actio productiua, ſed vnitiua humanitatis cum Verbo; & ideo non eſſe neceſſe, quod aliquid producatur, ſed ſufficere, quod vniatur; vnitur autem Verbum humanitati per hoc, quod terminat naturam, quam prius non terminabat, etiam hæc reſponſio poteſt ſuſtineri, ſed prior data meo iudicio eſt clarior.

13 Dices. Complexum, ſeu totum eſt terminus adæquatus, ſed vltra terminum adæquatum debet dari formalis; ergo cum hic neque ſit Verbum, neque humanitas, erit modus.

Reſpondeo cum Caietano, quod ſicut anima rationalis licèt in compoſito phyſico non generetur ſecundùm eſſe exiſtentiæ, quia ſupponitur exiſtens, generatur tamen ſecundùm eſſe inexiſtentiæ, quatenus de non informante, & de non inexiſtente ſit informans materiam, & in ea exiſtens, & ſub hac ratione eſt terminus formalis generationis; ita dico ego, humanitatem, quatenus de non ſubſiſtente ſit ſubſiſtens per Verbum poſſe dici terminum formalem; vel è contra Verbum poſſe dici terminum formalem, quatenus de non terminante ſit terminans; quare ſub diuerſa ratione tam humanitas, quam Verbum poſſunt dici terminus formalis; terminum verò adæquatum iam conſtat eſſe totum complexum, nempe Chriſtum.

14 Obijcies 2. Ea diſtinguntur realiter, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio: ſed poteſt dari entitas Verbi, & entitas naturæ humanæ, quæ aſſumpta fuit à Verbo. & non dari vnionem hypoſtaticam; ergo vnio hypoſtatica eſt quid realiter diſtinctū ab humanitate, & Verbo: ſed non poteſt eſſe quid diſtinctum, niſi detur modus, ratione cuius diſtinguatur; ergo verè vnio hypoſtatica eſt modus realis, & ſubſtantialis.

Reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: poteſt dari entitas Verbi, & tota entitas naturæ humanæ, vt faciunt complexum coexiſtentiæ, & non dari vnionem hypoſtaticam, concedo maiorem; vt faciunt complexum dependentię naturæ humanæ à Verbo tamquam à termino, & perſonalitate, & non dari vnionem hypoſtaticam, nego minorem; ergo &c. diſtinguo conſequens, vnio hypoſtatica eſt aliquid diſtinctum ſimplex, ſeu modale à natura humana, & Verbo, nego conſequentiam: eſt aliquod complexum coexiſtentiæ, concedo conſequentiam.

15 Dices. Omnis diſtinctio realis inadæquata, ſiue includentis, & incluſi ſemper eſt ratione alicuius ſimplicis; ſic totum diſtinguitur realiter inadæquatè à materia, quia vltra illam includit etiā formam, diſtinguitur eodem modo à forma, quia vltra formam includit etiā materiam: ergo ſi hoc complexum hypoſtaticum, nempe Chriſtus diſtinguitur à natura, & Verbo inadæquatè diſtinctione includentis, & incluſi, vtique erit ratione alicuius ſimplicis; hoc autem non poteſt eſſe niſi modus; ergo &c.

Reſpondeo negando maiorem: dico enim, quod vltra diſtinctionem aſſignatam datur alia, qua maius complexum diſtinguitur à minori, vt quid includens minus, & hæc diſtinctio non eſt ſemper per aliud, ſed per ipſum complexum maius. Neque dicas gratis fuiſſe excogitatam hanc diſtinctionem; nam ſicuti in diſtinctione rationis eſt diſtinctio perfecta, & mutua, vt inter rationale, & animal in homine, rationale enim non eſt animal, & è contra; vltra hanc datur diſtinctio includentis, & incluſi; ſic homo diſtinguitur inadæquatè à rationali, quia vltra rationale includit animal, vltra hanc datur alia includentis, & incluſi, quæ non eſt ratione alicuius alterius, ſed ratione ſui ipſius, ſic tale ens diſtinguitur ratione includentis, & incluſi ab ente, quia includit ens, & etiam

Digitized by Google

etiam tale ens; huic diſtinctioni rationis correſpondet noſtra realis complexi maioris includentis complexum minus, à quo realiter inadæquatè diſtinguitur;ſic complexum vnionis hypoſtaticæ diſtinguitur à complexo coexiſtentiæ humanitatis, & Verbi, quia vltra humanitatē, & Verbum dicit complexum hypoſtaticum realiter inadæquatè diſtinctum,nō quidem tamquam aliquid ſuperadditū his, vt falsò quidam imaginantur, ſed conſurgens ex his.

16 Obijcies 3. Impoſſibile eſt contradictoria de eodem ſucceſſiuè affirmari, et negari nulla facta mutatione alicuius extremi; ſed Verbum ante Incarnationem non erat vnitum humanitati, per incarnationem eſt vnitum: ergo per aliquam mutationem factam: at qui hæc mutatio non poteſt intelligi facta per Verbum, aut per humanitatem, cum hæc ſupponeretur ante incarnationem; ergo facta eſt per modum vnionis.

Reſpondeo impoſſibile eſse contradictoria verificari nulla facta mutatione, neque ſecundùm eſse ſimplex, neque ſecundùm eſse complexum: at ſi mutatio fiat ſecundùm eſse complexū ſufficit: concedo deinde minorem, et diſtinguo conſequens, ergo per aliquam mutationem ſecundùm eſse ſimplex, nego conſequentiam;ſecundùm eſſe complexum, concedo conſequentiam: hæc autem mutatio ſecundùm eſse complexum eſt per hoc, quod humanitas non terminabatur à Verbo:modò facit complexū hypoſtaticum cū illo, et terminatur; et hoc complexum eſt aliquid realiter inadæquatè diſtinctum à natura humana, et Verbo, non quidem ſuperadditum his, ſed conſurgens ex his, vt dictum eſt.

17 Obijcies 4. Humanitas Chriſti habet peculiarem relationem ad Verbū, à quo ſolo hypoſtaticè pendet: ergo per aliquod reale fundamentum,ſed hoc fūdamentum non poteſt eſse niſi modus vnionis: ergo datur.

Reſpondeo hanc relationem nihil aliud eſse, quam complexum dependentiæ humanitatis à Verbo tamquam à terminante, neque relatio eſt res, aut modus, vt alibi probatum eſt, ſed tantùm duorum coexiſtentia, hæc autem omnia ſaluantur ſine modo diſtincto vnionis ſolùm per poſitionem terminationis, quam facit Verbum in natura humana, quæ terminatio non eſt, niſi complexum nouum, vt dictum fuit.

18 Obijcies 5. Natura humana eſt, ex ſeindeterminata, vt vniatur,vel Filio, vel Patri, vel Spiritui Sancto; ergo vt potius ſit vnita Filio, quam Patri, vel Spiritui Sancto debet per aliquod determinari; ergo per modum.

Reſpondeo extrinſecè determinari à Deo ſic volente, intrinſecè determinari ſe ipſa coniungendo ſe Verbo per complexum nouum.

19 Ex his colligas hoc complexum hypoſtaticum eſſe ſubſtantiale;eſt enim entitas naturæ humanæ, et Verbi, quæ omnia ſubſtantialia ſunt. Inſuper hoc complexum eſt inadæquatè finitum, ſcilicet ex parte humanitatis, et inadæquatè infinitum,ſcilicet ratione Verbi.

ARTICVLVS V.

Quomodo differant vnio, vnitio, aſſumptio, humanatio, & incarnatio.

1 SVppono Deum per veram actionem produxiſse hoc complexum hypoſtaticum, ſeu Chriſtum;et item ſuppono hanc actionem non eſse modum,ſed de hac actione loquendum eſt, ſicuti de ceteris actionibus realibus, quas in phyſicis diximus eſse complexū dependentiæ effectus à cauſa, ita vt de intrinſeca ratione actionis ſint effectus, et cauſa,vt faciunt complexum dependentiæ illius ab hac; ſine his enim nec eſse, nec concipi poteſt actio: ſed ea ſunt de intrinſeca ratione alicuius rei, ſine quibus nec eſse, nec concipi poteſt talis res; ergo ſi ſine cauſa, et effectu non poteſt concipi actio, ſequitur,quod cauſa, et effectus ſint de intrinſeca ratione actionis. Ex hoc deduco, quod etiam actio, qua productus fuit Chriſtus, ſeu compoſitum hypoſtaticum, ſit Deus effectiuè vniens naturam humanam Verbo, ita vt natura humana, quæ vnitur Verbo, et Deus ſint de intrinſeca ratione huius actionis, et Deus ſit cauſa, Chriſtus,ſeucompoſitum hypoſtaticum effectus. Hoc poſito. *Actio eſt complexū non modus*

2 Concluſio. Vnio, vnitio, aſsumptio, humanatio, et incarnatio ſignificant realiter eamdem actionem, qua Verbum factum eſt caro: ſed differunt, quod vnio ſignificat ipſam actionem in facto eſse, ſeu ſignificat terminum adæquatum diuinæ actionis, qui terminus eſt Verbum,et natura aſsumpta, et æquè primò importantur. Vnde Verbum tam dicitur vnitum humanitati, quam humanitas dicatur vnita Verbo. Vnitio ſignificat ipſam actionem in fieri, ſeu dicit Deum vnientem naturam humanam Verbo, ſeu Verbum humanitati. Aſſumptio dicitur quaſi ad ſe ſumptio, vnde hoc eſt complexum Verbi ad ſe ſumētis humanitatē;quare per ſe primò concipitur Verbum aſſumens, ſecundariò

natu

Digitized by Google

natura, quæ aſsumitur; eo modo, quo actio, licèt ſit complexum ex cauſa, & effectu dependente, tamen per ſe primò denotat cauſam, ſecundariò effectum; ita aſſumptio licèt includat Verbum aſſumens, & naturam humanam, tamen per ſe primò connotat Verbum; Vnde poteſt dici Verbum aſſumpſit humanitatem, non è contra, humanitas aſſumpſit Verbum. Humanatio denique, & incarnatio ſignificant eamdem rem, quã ſignificat aſſumptio, ſed ſub diuerſa ratione, eo modo, quo paſſio diſtinguitur ab actione; & ſicuti hæc primariò importat terminum, ſecundariò agens; ita humanatio, & incarnatio primariò ſignificant naturam humanam, ſecundariò Verbum aſsumens; & hæc ſint ſatis quo ad horum nominum explicationem.

3 Quæres 1. an Verbum vt terminat naturam humanam exerceat aliquod genus cauſalitatis?

De triplici genere poteſt eſse quæſtio; primò de genere cauſæ materialis, nempe, an Verbum exerceat genus cauſæ materialis ſuſtentando naturam humanam: ſecundò de genere cauſæ formalis faciendo naturam humanam ſubſiſtere per veram informationem: Tertiò de genere cauſæ efficientis, an peculiarem influxum habeat, quem non habet Pater, aut Spiritus Sanctus.

4 Reſpondeo nullum genus cauſæ exercere Verbum, quod non exerceat tota Trinitas. Probatur de cauſa efficienti, quia omnis actio ad extra eſt indiuiſa toti Trinitati: ſed incarnatio eſt vera actio Dei ad extra; ergo eſt indiuiſa toti Trinitati; ergo Verbum dum terminat naturam humanam nil cauſat effectiuè, quod non cauſetur à tota Trinitate.

5 Probatur modò de materiali, & formali, quia iſtæ cauſæ inuolunt imperfectionem in ſuo modo cauſandi, mutationem, & dependentiam vnius ab alia; ergo non poteſt talis modus cauſandi conuenire Deo,

6 Quæres 2. Quid peculiare habeat Verbum in hac vnione, quod non habeat Pater, et Spiritus Sanctus.

Reſpondeo Verbum habere hoc peculiare, quod ſit vnitum per modum puri termini terminantis, et actuantis naturam humanam per propriam perſonalitatem, quod non faciunt Pater, vel Spiritus Sanctus: Verbum enim factũ eſt homo, non Pater, aut Spiritus Sanctus, & ita factum eſt homo, vt vna, et eamdem perſona ſit Deus, et homo, vt ſupra contra Neſtorium diximus; hoc autem factum eſt, quia loco ſubſiſtentiæ, ſeu perſonalitatis creatæ, quæ naturaliter debebat reſultare à natura humana, Verbum poſuit in tali natura perſonalitatem ſuam diuinam, & impediuit ne reſultaret perſonalitas creata, & ſic ex hac vnione perſonalitatis diuinæ cum natura humana reſultat Chriſtus, hoc eſt compoſitum quoddam habens naturam humanam, & diuinam cum vnica ſimplici perſonalitate diuina

7 Dices perſonalitas humana terminat naturam humanam informando: ſed Verbum ſupplet vices ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis humanæ: ergo & ipſum debet informare. Sed contra dico Verbum ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ in eo, quod dicit perfectionem, non verò in eo, quod dicit imperfectionem, etenim in ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate creata duo ſunt, & quod actuet, & terminet, & quod informet; primum dicit perfectionem, ſecundum dicit imperfectionem: ſubſiſtentia diuina Verbi ſupplet id, quod dicit perfectionem, non verò illud, quod dicit imperfectionem, nam de ratione naturæ eſt, quod termínetur, & compleatur abſtrahendo ab informatione, vel non informatione; quia verò perſona creata eſt modicæ entitatis, & finita, ideo debet informare; at diuina, cum ſit perfectiſſimus actus, terminat, & actuat ſine informatione.

ARTICVLVS VI.

Quomodo per hanc vnionem Verbum mutatum non ſit.

1 EX vnione naturæ humanæ ad Verbum, cum factum fuerit homo de nouo, videtur dicendum Verbum fuiſſe mutatum; etenim cum mutari ſit aliter ſe habere, ac prius; & Verbum diuinum ante vnionem cum natura humana non eſſet homo, modo ſit homo, videtur dicendum, ipſum fuiſſe mutatum, & hoc intrinſecè, quia Verbum eſt intrinſecè humanitati coniunctum, & intrinſecè homo; ex alia parte, cum de fide ſit Deum eſſe omninò immutabilẽ maximè præmuntur Theologi, præſertim qui admittunt vnionem diſtinctam modalem in explicando, quomodo Verbum per incarnationem mutatum non ſit; nam ſicuti humanitas per hanc vnionem mutata fuit, ita & Verbum; quare Suarez hic diſp. 8. ſect. 3. dicit hanc difficultatem eſſe maximam, & vix poſſe humano ingenio diſſolui.

2 Valentia diſp. 1. quæſt. 1. punc. 2. dicit Verbum ideo per incarnationem non mutari, quia licèt non eſſet formaliter homo, erat tamen eminenter; ad

hoc

Digitized by Google

hoc autem, vt aliquid dicatur propriè mutari, non debet vllo modo continere formam, quam de nouo acquirit. Sed verè hæc ſententia facilè reijcitur; nam Sol, qui eſt eminenter calidus, ſi fieret formaliter calidus, vtique mutaretur; & ſi Deus, qui eſt ſummè ſapiens, de nouo fieret ſapiens aliquid addiſcendo, vtique mutaretur: ergo illa continentia eminentialis non ſaluat vllo modo, quod Verbum diuinum, quod de nouo factum eſt homo, cum prius non eſſet, non ſit mutatum.

3 Lorca hic diſp. 15. num. 4. vt refert Arriaga diſp. 21. ſect. 2. docet humanitatem eſſe quidem intrinſecè vnitam Verbo; at Verbum non eſſe intrinſecè vnitum hmanitati, ſed tantùm extrinſecè, & ideo non eſſe mutatum. Sed contra, quia implicat, quod aliquid ſit intrinſecè vnitum alteri, & illud non ſit intrinſecè vnitum illi alicui; ergo ſi humanitas eſt intrinſcè vnita Verbo; etiam Verbum erit intrinſecè vnitum humanitati: antecedens patet ex ipſis terminis; nam vnio eſt eſſentialiter duorum vnio; ergo ſi eſt vnio intrinſeca, eſſentialiter, & intrinſecè illa duo vniet. Confirmatur, quia Verbum intrinſecè eſt homo, non eſſet autem, nec poſſet eſſe intrinſecè homo, niſi eſſet intrinſecè vnitum humanitati.

4 Alii, quos ſuppreſſo nomine citat Arriaga loco citato ponunt duas vniones, vnam ſe tenentem ex parte humanitatis, & creatam vnientem intrinſecè naturam humanam Verbo; alteram ex parte ipſius Verbi, & increatam per quã illud intrinſecè vnitur humanitati; quare cum hæc vnio non ſuperaddatur Verbo, ſed fuerit in eo ſemper ab æterno, ideo Verbum non eſt mutatum. Sed cõtra, quia implicat dari vnionem in natura humana ad Verbum, & quod natura humana non ſit intrinſecè vnita Verbo; ergo etiam implicat dari vnionem ab æterno, ex parte Verbi ad humanitatem, & quod Verbum non fuerit vnitum humanitati ab æterno.

5 Dices defuiſſe ab æterno conditionem, quæ conditio eſt ipſa vnio creata ſe tenente ex parte humanitatis. Sed contra, quia eo ipſo, quod poſita eſt vnio in humanitate, eo ipſo ipſa eſt eſſentialiter vnita Verbo; ergo etiam eo ipſo, quod poſita fuit vnio in Verbo ad humanitatem; eo ipſo Verbum deberet eſſe vnitum humanitati; cùm ergo ab æterno ſit poſita hæc vnio in Verbo per aduerſarios, ab æterno deberet eſſe vnitum humanitati.

Confirmatur 1. eo ipſo, quod poſita eſt albedo in ſubiecto, eo ipſo ſubiectum eſt album, & eo ipſo, quod ponitur calor eſt calidum; & implicat aliter ſubiectũ ſe habere, cum eſſe calidum, & album ſint effectus formales caloris, & albedinis: Sed etiam effectus formalis vnionis eſt facere duo vnita; ergo ſi ab æterno hæc vnio fuit in Verbo, ab æterno fuiſſet vnitum; quod tamen falſiſſimum eſt. Confirmatur ſecundò. Quoteſcumq; aliqua forma totalis eſt in ſubiecto, denominat ſuum ſubiectum tale: ſed totalis eſſentia vnionis tenentis ſe ex parte Verbi datur ab æterno, & vnio ſe tenens ex parte humanitatis nullo modo, nec etiam inadæquatè ſpectat ad eſſentiam vnionis Verbi; ergo ab æterno debebat denominare Verbum vnitum humanitati; quia hæc denominatio non diſtinguitur fundamentaliter ab ipſa vnione, & Verbo: cum igitur hoc ſit ipſa experientia falſiſſimum, ſequitur etiam eſſe falſum, quod hæc vnio fuerit in Verbo ab æterno. Forma poſita in ſubiecto dat ſuum effectum formalem.

6 Contra ſecundo. Hæc reſponſio non per hoc ſaluat, quod Verbum non fuerit mutatum; quod ſic probo: vel verè Verbum ab æterno per vnionem, quam habebat erat vnitum, vel non: ſi erat vnitum; ergo falſum eſſet, quod docet fides, quod hæc vnio, & incarnatio facta ſit in tempore; ſi vero dicas ab æterno non fuiſſe vnitum, ſed vnitum fuiſſe in tempore; ergo mutatum fuit, quia prius non erat vnitum, modò eſt vnitum.

7 Petrus Hurtado diſp. 22. §. 11. dicit Verbum non mutari, quia illud ſolùm propriè mutatur, quod cauſat materialiter in ſe recipiendo; Verbum autem neque recipit in ſe humanitatem, neque vnionem, ſed ſolùm adhæret humanitati, vnde dici poteſt ſubiectum adhæſionis, adhæſio autem non inuoluit mutationem. Sed contra, quia intrinſecè adhæret humanitati, cui antea non adhærebat; ergo aliquam mutationem ſubit.

8 Communis tamen reſponſio, quam docent Caietanus quæſt. 16. art. 6. Gonet diſp. 2. art. 1. n. 42. Thomiſtæ communiter, Suarez diſp. 8. ſec. 3. Lugus diſp. 11. ſec. 7. Arriaga diſp. 21. Auerſa, & alij, qui licet in modo explicandi videantur diſcrepare, in re tamen conueniunt eſt; ideo Verbum per incarnationem non mutari, quia perſonare, vt perſonare non dicit mutationem in perſona.

9 Concluſio eſt cùm hac communi reſponſione. Probatur motus eſt actus entis in potentia prout in potentia; hoc eſt motus, ſeu mutatio inuoluit ſemper aliquam imperfectionem; vel recipiendo in

do in ſe aliquid tamquam ſubiectum, & hoc modò mutatur materia, dum recipit formam ſubſtantialem, vel quodcumq; ſubiectum, dum recipit formam accidentalem; vel informando intrinſecè, & à materia dependendo, & ſic mutatur quælibet forma ſiue ſubſtantialis; ſiue accidentalis: Sed Verbum cum ſit puriſſimus actus, & in vltimo actualitatis, neque eſt ſubiectum humanitatis, aut vnionis (dato, quod vt modus detur) neque informat humanitatem, aut ab illa dependet, ſed tantùm habet rationem puri termini, quia perſonare, vt perſonare eſt tantùm nunc ſubſiſtere in natura, cum prius non ſubſiſteret, & hoc per modum puri termini terminantis; ergo Verbum per incarnationem non mutatur. Vnitur ergo Verbum humanitati perſonando ipſam, & humanitas remanet terminata, & actuata à perſonalitate Verbi, & ipſa humanitas eſt, quæ mutatur, non Verbum; & ſic patet quomodo Verbum poſſit dici intrinſecè homo; eſt enim per hoc, quia cum homo dicat naturam cum ſubſiſtentia, & cum nunc Verbum ſubſiſtat in natura humana, cum prius non ſubſiſteret, hinc eſt, quod Verbum intrinſecè dicitur homo.

10 Obijcies primò. Quod reducitur de potentia ad actum mutatur; ſed Verbum in incarnatione ita ſe habet; nam ante incarnationem poterat vniri, modò eſt vnitum; ergo mutatum fuit.

Reſpondeo negando minorem; nam Verbum cum ſit, & fuerit ſemper puriſſimus actus, numquam fuit in potentia, ſed eſt humanitas, quæ fuit in potentia ad hunc actum, & ideò hæc mutata fuit, non Verbum.

11 Obijcies ſecundò. Si non fuit mutatum Verbum in incarnatione, maximè quia perſonare, vt perſonare non inuoluit mutationem, ſed dicit tantùm rationem puri termini: ſed hæc ratio eſt falſa; ergo &c. probatur minor: ſi perſonalitas creata Angeli, vel Petri vniretur alienæ naturæ humanæ mutaretur intrinſecè, & tamen tunc reſpectu talis naturæ haberet ſolum rationē puri termini; ergo ratio à nobis allata non ſubſiſtit.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem, concedo, quod perſonalitas creata mutaretur; nego tamen, quod reſpectu talis naturæ habeat rationem puri termini; etenim perſonalitas creata eſt entitas incompleta, & ex vnione ad naturam completur, perficitur, & ab illa dependet; quod non euenit in perſonalitate diuina, quæ perfectiſſimus, & puriſſimus actus eſt, & dum vnitur tantùm terminat naturam, & illam perficit; & nullo modo perficitur, & ideò ex vnione ad illam non mutatur.

Cur perſonalitas creata ſi alienam naturam terminaret mutaretur.

12 Obijcies tertiò. Verbum per incarnationem factum eſt intrinſecè homo: ſed non poteſt eſſe intrinſecè homo, niſi natura humana intrinſecè recipiatur in ipſo Verbo; cum impoſſibile ſit, quod aliquid extrinſecum alteri fiat illi intrinſecum, niſi recipiatur in ipſo; ergo ſi Verbum eſt intrinſecè homo, verè in ſe recepit humanitatem, & mutatum fuit.

Reſpondeo negando minorem: nam aliquid extrinſecum poteſt fieri alteri intrinſecum per hoc ſolùm, quod terminetur ab ipſo, eo enim ipſo, quod illud terminat eſt ſubſiſtens in ipſo, cum ergo Verbum terminet perſonando naturam humanam fit ſubſiſtens in natura humana, & intrinſecè homo, quia cum homo dicat intrinſecè naturam cũ ſubſiſtētia, & cum nunc Verbum ſubſiſtat in natura humana, cum prius non ſubſiſteret, hinc eſt, quod dicitur intrinſecè homo.

ARTICVLVS VII.

An humanitas Chriſti maneat violenter in Verbo, & appetat propriam ſubſiſtentiam.

1 HÆc duo ſimul proponuntur, quia non poteſt determinari humanitatem non manere violenter in Verbo, niſi etiam videamus, an perfectè ſit ſatiatus eius appetitus.

2 Suppono 1. appetitum diſtingui à Philoſophis, & Theologis in innatum, & elicitum: primus eſt propenſio cuiuſcumq; rei in propriam perfectionem abſque vlla cognitione, qualis eſt appetitus materiæ ad formas, lapidis tendendi in centrum, & huiuſmodi; qui rurſus duplex eſt; nempe in actu primo, & hic nihil aliud eſt, quam res ipſa apta habere proprium bonum; & in actu ſecundo, & hic eſt operatio naturæ tendentis in bonum; patet hoc in lapide: entitas ipſa lapidis apta, vt tendat in proprium centrum, eſt appetitus ipſius in actu primo, quod verò lapis actu grauitet, eſt appetitus innatus in actu ſecundo.

3 Suppono 2. violentum communiter definiri cum Ariſt. 3. Ethic. cap. 1. *Quod eſt a principio extrinſeco paſſo non conferente vim.* Vnde duæ conditiones requiruntur ad violentum; prima, quod ſit à principio extrinſeco: ſecunda, quod paſſum non conferat vim; hoc eſt paſſo repu-

Digitized by Google

repugnante, vt explicauimus in tract. de actibus humanis, q. 1. art. 7. Humanitatem Chriſti habere aptitudinē ad propriam ſubſiſtentiam, ſeu appetitum in actu primo ad illam, ſi dimitteretur à ſubſiſtentia Verbi, certum eſt; cum enim iſte appetitus innatus in actu primo ſit eadem natura apta habere ſubſiſtentiam, dum manet natura, manet etiam iſte appetitus, & de hoc non dubitatur. Difficultas ergo noſtra eſt de humanitate, vt vnita Verbo, an in actu ſecundo habeat hunc appetitum ad propriam ſubſiſtentiam; nam ſi habet, nec ſit ſaciatus hic appetitus, videretur dicendum, humanitatem violenter in Verbo manere, ſicuti violentum eſt lapidi, quod detineatur ſurſum, & ad ſuum centrum non tendat.

4 Scotus quodlib. 19. quæſt. 3. & Scotiſtæ communiter facilè ſe expediunt, dicunt enim ſubſiſtentiam nō eſſe quid poſitiuum, ſed tantùm negationes, & ideò naturam non dicere appetitum ad illam; & ſic humanitatem non eſſe violenter in Verbo, quia ad ſubſiſtentiam propriam nullo modo inclinatur, cum non ſit quid poſitiuum; & quidem Scotiſtæ loquuntur conſequenter ad ſua principia; nihilominus, cum certius ſit, vt infra videbimus, ſubſiſtentiam eſſe aliquid poſitiuum, data hac ſententia, quam & nos ſuſtinemus, videndum eſt, an detur iſte appetitus in humanitate in actu ſecundo.

Molina prima parte. Vaſquez hic diſput. 34. & Cabrera diſput. 8. volunt dari in humanitate vnita Verbo appetitum ad propriam ſubſiſtentiam, humanitatem tamen non eſſe violenter in Verbo, quia ſubſiſtentia non profluit à natura: ad hoc autem, vt quis violentiam patiatur, dicunt non ſufficere, quod priuetur perfectione ſibi debita, ſed debere talē perfectionē emanare à natura.

Communis ſententia, quam docent Caiet. infra quæſt. 4. art. 2. Medina ibidē dub. 2. Aluarez diſp. 27. Ioan. à S. Thom. diſp. 7. art. 2. Gonet. diſp. 9. art. 6. Suarez diſp. 8. ſec. 3. Lorca diſp. 30. & alij, docet in humanitate Verbo vnita non dari hunc appetitum in actu ſecundo ad propriam ſubſiſtentiam, & conſequenter nullo modo humanitatem eſſe violenter in modo.

5 Concluſio eſt cum hac vltima ſententia. Probatur 1. Potentia perfecta, & completa per actum continentem omnem perfectionem alicuius formæ non appetit talem formam: Sed humanitas Chriſti aſſumpta à Verbo completur, & perficitur per ſubſiſtentiam Verbi continentem omnem perfectionem, non ſolùm ſubſiſtentiæ creatæ, ſed etiam cuiuſcumq; ſubſiſtentiæ creabilis; ergo humanitas aſſumpta à Verbo remanet ſaciata, nec habet appetitum in actu ſecundo ad propriam ſubſiſtentiam. Confirmatur: ſi daretur aliqua forma, quæ contineret omnes perfectiones formarum corruptibilium, tùnc materia informata tali forma perfectè eſſet ſaciata, nec aliud appeteret; & ſi eſſet aliquid continens quidquid eſt in centro reſpectu lapidis, lapis in illo exiſtens quieſceret, ſicut in centro; ergo cum perſona diuina contineat omnem perfectionem, quam continet perſona creata, humanitas habens hanc perſonalitatem in ea quieſcit, nec in actu ſecundo propriam perſonalitatem appetit.

6 Probatur ſecundò ſi humanitas haberet appetitum in actu ſecundo ad propriam ſubſiſtentiam, vt vult Vaſquez, non poſſet ſaluari quomodo non eſſet violenter in Verbo: ſed nullo modo eſt dicendum, humanitatem eſſe violenter in Verbo, vt concedit etiam ipſe Vaſquez; ergo dicendum eſt non habere appetitum: ſequela maioris probatur, quia illud patitur violentiam, quod per aliquod extrinſecum priuatur perfectione ſibi naturaliter debita, ſic lapis pateretur violentiam, ſi ſurſum teneretur, nec ei permitteretur tendere in centrum: ſed ſi humanitas vnita Verbo haberet appetitum in actu ſecundo ad propriam ſubſiſtentiam, per perſonalitatem diuinam tali naturæ humanæ extrinſecam priuaretur propria perſonalitate, quæ eſſet perfectio naturaliter tali naturæ debita; ergo pateretur violentiam.

7 Dices cum Vaſquez, humanitatem non pati violentiam in Verbo; quia ſubſiſtentia creata non profluit à natura; ad hoc autem, vt quis violentiam patiatur, non ſufficit, quod priuetur perfectione ſibi naturaliter debita, ſed debet talis perfectio emanare à natura; de facto autem non emanat, ſed ſimul cum ipſa natura producitur à generante. Sed contra, quia falſum eſt ſubſiſtentiam non profluere à natura, aut ſaltem controuerſum; ergo ſi verum eſſet, ipſam profluere, adhuc deberet ſaluari quomodo humanitas non ſit violenter in Verbo, quod per Vaſquez non ſaluatur. Contra 2. ſi homo bracchijs priuaretur, vtique in tali priuatione pateretur violentiam, & tamen bracchia non ſunt ab homine tamquam à principio actiuo, ſed ſunt à generante; ergo & in propoſito idem dicendum eſt.

8 Obijcies, 1. Appetitus innatus eſt

 ipſa-

Digitized by Google

ipſamet potentia, quatenus poteſt talem actum habere, & non habet; ſed humana natura quamuis vnita Verbo ſemper eſt eadem potentia apta habere propriã ſubſiſtentiam; ergo ſemper, quamuis vnita Verbo, habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam.

Reſpondeo negando minorem; nam ſequitur tantùm, quod in humana natura aſſumpta à Verbo ſit appetitus innatus in actu primo, ſeu quod habeat appetitum conditionatum, quatenus entitas humanitatis conditionatè appeteret propriam ſubſiſtentiam, ſi non haberet diuinam; cum autem hanc habeat, & hæc compenſet in infinitum perfectionem creatam, in hac quieſcit, nec propriam vllo modo in actu ſecundo appetit.

9 Obijcies 2. potentia humanitatis Chriſti ad ſubſiſtendum diuina ſubſiſtentia non eſt potentia naturalis, ſed obedientialis; ergo per Verbi ſubſiſtentiam non ſatiatur eius appetitus naturalis, ſed tantùm obedientialis.

Reſpondeo per vnionem cum Verbo per ſe primò ſatiari appetitum obedientialem, ſecundariò naturalem, qui eſt vnus, & idem cum obedientiali, & ſolùm diuerſus formaliter; & cum hic tantùm exigeret vltimò compleri, & perfici, hoc totum perfectiſſimè fit per Verbum.

ARTICVLVS VIII.

An vnio hypoſtatica ſit maxima omnium vnionum.

1 IN hac quæſtione poteſt inquiri, an vnio hypoſtatica ſit maxima omnium rerum creatarum in perfectione; ſecundò, an ſit maxima in ratione vnionis; inſuper poteſt tractari hęc quæſtio data ſententia, quod vnio hypoſtatica ſit modus quidam ſubſtantialis, vel data noſtra opinione, quod hæc vnio nihil aliud ſit, quam complexum ex natura humana, & Verbo ipſam terminante. Si ſermo ſit de vnione, prout eſt complexum ex natura humana, & Verbo, certum eſt hanc vnionem eſſe in perfectione omnium maximam; nam adæquatè ſumpta includit Verbum, quod eſt infinitæ perfectionis, & Deus; & hoc videtur ex ipſis terminis notum; ſermo tamen eſſe debet de vnionibus, & complexis exiſtentibus; nam ſi fieret complexum hypoſtaticum ex Verbo, vel Patre, & natura perfectiſſima Angelica; hoc complexum inadæquatè ſumptum ex parte naturę aſſumptę eſſet perfectius; cum perfectior ſit natura Angelica, quam humana; ergo & complexum hypoſtaticum ex natura Angelica, & perſona Trinitatis erit inadæquatè perfectius, quam complexum vnionis hypoſtaticæ ex natura humana, & Verbo; & in hoc ſenſu certiſſima mihi videntur, quæ modo dicta ſunt.

2 Si verò ſit ſermo de vnione, vt modus eſt ſubſtantialis, ab Arriaga diſp. 2. ſec. 5. ſic quæſtio proponitur; ſi per impoſſibile poneretur in humanitate ille modus ſubſtantialis vnionis hypoſtaticæ, taliter tamen, vt Verbum non communicaretur humanitati; talis modus eſſet nè perfectiſſimus omnium aliarum rerum creatarum?

3 Prima opinio videtur eſſe Richardi, & Marſilij in 3. diſt. 9. art. 1. qui exiſtimãt vnionem creaturæ cum Deo in viſione beata, & vnionem per gratiam eſſe maiorem.

Communis opinio, quam docet D. Tho. hic q. 2. art. 10. ad 1. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, Caietanus, Cabrera, Gonet. diſput. 2. artic. 1. Gabriel à S. Vincentio diſp. 2. dub. 10. Suarez diſp. 9. ſec. 2. & de Gratia lib. 7. cap. 25. Vaſquez diſp. 20. & communiter Doctores, vult vnionem hypoſtaticam eſſe maximam vnionum in ratione dignitatis, & excellentiæ; Verum equidem eſt, quod hi Doctores non explicant, an loquantur de hac vnione vt modo, vel de ipſa vt afferente perſonam diuinam.

4 Concluſio 1. Vnio hypoſtatica eſt maxima vnionum ratione dignitatis, & excellentiæ. Probatur, quia illa eſt maxima vnionum, quæ eſſentialiter trahit ſecum maximum donorum, nempe Filium Dei, & facit naturam, cui conceditur Deificatam; ſed vnio hypoſtatica totum hoc præſtat eſſentialiter; vnde Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorũ cap. 15. loquens de natura humana Chriſti Domini dixit, quod Deus eam ad tantam dignitatem euexit, *vt quo altius attolleretur non haberet*. Ergo hæc vnio in ratione dignitatis, & excellentiæ maxima omnium vnionum eſt.

5 Dices 1. ex Arriaga diſp. 21. ſec. 5. ex hoc probari vnionem, quatenus afſert ſecum perſonam diuinam eſſe maximam vnionum, at non probari vnionem ipſam, quatenus eſt entitas modalis mortua, & quatenus reſpicit corpus corruptibile, eſſe in excellentia perfectiorem gratia, & viſione beata. Sed contra, quia vnio ipſa, vt modus eſt, eſt eſſentialiter attractiua Verbi diuini, ita vt implicet eam poni in humanitate, quin eſſentialiter intelligatur etiam in ea humanitate ſubſiſtens Verbum: ſed vnio, quæ eſſentialiter conſtituit homi- Vnio eſt eſſentialiter attractiua Verbi.

nem

Digitized by Google

nem Deum realiter in vnitate perſonæ eſt maior in excellentia, quam quodlibet aliud donum creatum; ergo &c. Quare, ſi vnio hæc eſt eſſentialiter attractiua Dei; talis etiam debet conſiderari, vt cognoſcatur eius excellentia, non verò debet ſolùm conſiderari, vt entitas modalis, mortua &c.

6 Dices 2. Illa vnio eſt excellentior, quæ eſt eligibilior; ſed eligibilius eſt hohominem habere claram viſionem Dei, & gratiam, quam habere ſolam vnionẽ hypoſtaticam; ergo vnio per viſionem beatam, & per gratiam eſt excellentior, quam ſi vnio hypoſtatica. Sed contra, quia eligibilius eſt hominem fieri Deũ realiter, & filium Dei verum, quam videre Deum, aut fieri filium adoptiuũ per gratiam; nam eo ipſo, quod quis per vnionem hypoſtaticam eſt Deus, habet etiam ius ad viſionem, & remanet ſanctificatus ſanctitate increata, quod eligibilius eſt.

7 Concluſio 2. Vnio hypoſtatica ex parte extremorum, quæ vniuntur, ſcilicet naturæ humanæ, & diuinæ, non eſt maxima vnionum. Ita D. Tho. hic ar. 9. in corpore, & in reſp. ad. 2. Probatur, tantò minor eſt vnio, quantò magis extrema illa diſtant: ſed natura humana, & diuina maximè diſtant; ergo minorem faciunt vnionem: maior probatur, nam quæ maximè diſtant, minorem habent proportionem ad faciendum vnum, ſic magis vnum fit ex materia, & forma: nam ex his fit vna natura; quod non contingit in vnione hypoſtatica, vbi ſunt etiam poſt vnionem duæ naturæ.

8 Concluſio 3. Hypoſtatica vnio eſt omnium vnionum maxima ratione eius, in quo vniuntur. Sic D. Tho. & communis Doctorum. Probatur communiter ex D. Bernardo lib. 5. de conſideratione, vbi habet. *Inter omnes vnitates arcem tenet vnitas Trinitatis, in qua tres perſonæ ſunt vna ſubſtantia; ſecundo loco illa præcellit, in qua è contrario tres ſubſtantiæ ſunt vna in Chriſto perſona.* Sed hæc auctoritas licèt faueat noſtræ ſententiæ, efficaciter non probat intentum, quia poteſt explicari D. Bernardus, quod vnio hypoſtatica ſit maxima omnium vnionum dignitate, & excellentia.

9 Probatur ergo ratione; quo fuerit perfectior nexus, & vinculum; quo aliqua coniunguntur, eò maior eſt vnio ex parte ipſius: ſed perſonalitas diuina, quæ eſt ſimpliciſſima, eſt nexus, in quo vniuntur duæ naturæ; ergo ex parte ipſius erit maior omnibus alijs vnionibus: excipitur autem Trinitas à D. Bernardo, verùm illa propriè non eſt vnio, ſed vnitas, & eſſentia ſimpliciſſima, cum qua identificantur omnes relationes.

10 Obiicies 1. ex Durando. Illa eſt maior vnio, cuius extrema magis intimè efficiunt vnum: ſed extrema aliarum vnionum. V. g. materiæ, & formæ magis efficiunt vnum, quam duæ naturæ in Chriſto; nam materia, & forma vniuntur, vt conſtituant vnam eſſentiam, & naturam; non ſic autem natura humana, & diuina conſtituunt vnam naturam in Chriſto; ergo hæc non eſt maxima vnionum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: materia, & forma magis efficiunt vnum in ſe ex parte extremorum ſecundùm ſe conſideratorum, concedo minorem; hoc enim eſt, quod dicimus in ſecunda concluſione: materia, & forma magis efficiunt vnum in alio, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia; etenim. cum natura humana, & diuina vniantur in perſonalitate ſimpliciſſima, in ipſa faciunt maximam vnionem: licèt ſi conſiderentur in ſe, vt extrema quædam ſunt, magis faciat vnum materia, & forma, quam natura humana, & diuina.

11 Obiicies 2. Quæ maximè diſtant non poſſunt ita vniri ad faciendum vnum, ſicuti ea, quæ minus diſtant; ſed natura humana, & diuina maximè diſtant; ergo minus poſſunt vniri, quam ea, quæ minus diſtant.

Reſpondeo eodem modo, quod ea, quæ maximè diſtant non poſſunt ita vniri, ſicut ea, quæ minus diſtãt, ſi extrema ſecundũ ſe cõſiderentur; at ſi cõſiderentur vt vniuntur in perſonalitate diuina, ſimpliciſſima, ratione perſonæ ſimpliciſſimæ faciunt maximam vnionem.

ARTICVLVS IX.

An Verbum diuinum aſſumpſerit naturam humanam ratione diuinæ eſſentiæ, vel ratione perſonalitatis.

1 EXplicata vnione ſecundum ſe in quæſt. 3. incipit agere de extremis huius vnionis, quæ ſunt perſona, & natura, in 3. agit de perſona aſſumente in 4. de natura aſſumpta, ſimul tamen miſcuit quaſdam quæſtiones de potentia abſoluta, vt exactius innoteſcat incarnatio. Hæc quoad ordinẽ doctrinæ D. Tho. ceterum, quo ad propoſitam difficultatem.

2 Certum eſt de fide ſolum Verbum de facto aſſumpſiſſe naturam humanam; Verùm cum in Verbo tria ſint, nempe eſſentia communis, quæ ex dictis in tractatu de Trinitate ſubſiſtẽs eſt, rela-

Digitized by Google

relatio filii, & perſona ex vtraque conflata, quærimus hic ratione cuius primò, & per ſe fuerit humanitas terminata a Verbo.

3 Durandus in 3. diſt. 1. quæſt. 2. tria dicit: primum vnionem naturæ humanæ factam fuiſſe cum ſubſiſtentia abſoluta, quam ſolam admittit in diuinis, & ratione illius vnionis præcisè humanitatem factam eſſe Deum: ſecundum, quod dicit eſt, per ſecundam vnionem, ſeu ſecundariò naturam humanam vnitam fuiſſe Filio, & ſic factum fuiſſe perſonam, cum ex vi prioris vnionis non eſſet incommunicabilis, quæ incommunicabilitas requiritur ad rationem perſonæ: tertium denique, quod dicit eſt, ideo ſolùm perſonam filij fuiſſe incarnatam, quia ſecunda vnio facta fuit ſolùm cum ſecunda perſona, non cum alijs.

Capreolus in 3. diſt. 1. quæſt. vnica art. 1. cum admittat vnicam tantum ſubſiſtentiam in diuinis triplici incommunicabilitate modificatam, vult rationem terminandi naturam humanam, non fuiſſe communem ſubſiſtentiam ſecundum ſe, neque proprietatem relatiuam tantùm, ſed eſſe immediatè ſubſiſtentiam modificatam incommunicabilitate relatiua, hanc tribuit Vaſquez diſput. 26. cap. 2. Victoriæ, Soto, & Marſilio; hanc olim ſuſtinui in ſcholis, & defendunt plures recentiores.

Communis, & vera ſententia eſt Verbum terminare naturam humanam formaliſſimè per ſolam proprietatem relatiuam perſonalem. Sic Caietanus hic quæſt. 3. art. 1. Medina, Nazarius, Aluarez, Arauius, Ioan. à S. Thoma, Cipullus, Gonet, & communiter Thomiſtæ. Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 5. Rada ibidem controu. 1. ar. 3. Vaſquez diſp. 26. cap. 3. Suarez diſput. 12. ſect. 2. Eſparza lib. 9. quæſt. 2. Amicus diſp. 14. ſect. 3, Gabriel à S. Vincentio diſp. 3. dub. 2. Arriaga diſput. 26. ſect. 4. & alij.

4 Concluſio. Vnio humanitatis cum Verbo facta eſt immediatè cum relatione perſonali propria filij, non in aliquo communi. Probatur 1. ex Concilio Tolet. 6. & 11. in Confeſſione fidei vbi habetur. *Solus filius formam ſerui accepit in ſingularitate perſonę non in vnitate diuinæ naturæ, in id, quod proprium eſt Filij, non quod Trinitati commune eſt*; Sed ſi humanitas fuiſſet primò vnita ſubſiſtentiæ abſolutæ, falſum eſſet, quod dicit Concilium, quod non ſit facta vnio in aliquo, quod ſit commune toti Trinitati; ergo per Concilium clarè deducitur, quod vnio facta eſt immediatè ſolùm cum perſonalitate propria Filij. Idem colligitur ex 6. Synodo generali Actione 8. vbi ex S. Dionyſio cap. 2 de diuinis nominibus refertur. *Quod Pater, & Spiritus Sanctus nihil in Incarnatione habent commune, niſi benigniſſimam voluntatem, & operationem*: Sed ſi facta eſſet vnio in ſubſiſtentia abſoluta, haberent etiam terminationem; ergo non eſt facta ſubſiſtentia abſoluta, ſed ſolùm in perſonalitate propria Filij.

5 Probatur 2. ratione. Solus Filius, non Pater, aut Spiritus Sanctus eſt incarnatus: ſed ſi vnio facta eſſet in aliquo communi, & non in eo, quod ſolum eſt proprium Filij, etiam aliæ perſonæ eſſet incarnatæ: vnde ſicuti dicimus nunc, Deus eſt homo, Verbum eſt homo; quia vnio facta eſt cum perſonalitate Verbi, quæ tantum virtualiter diſtinguitur ab eſſentia diuina, ſi facta fuiſſet cum ſubbſtentia abſoluta, poſſemus dicere, Pater eſt homo, Spiritus Sanctus eſt homo; nam tantùm virtualiter diſtinguitur ſubſiſtentia abſoluta a relationibus; ergo fatendum eſt ſolùm factam eſſe vnionem in proprietate perſonali Filij non in ſubſiſtentia abſoluta.

6 Dices cum Durando; hoc non ſequi, quia ſecunda vnio facta eſt tantùm ad Verbum. Sed contra. Quia ſi vnio humanitatis facta eſſet in natura diuina ſubſiſtente, & non ſolùm in eo, quod eſt proprium Filij: ergo abſolutè poſſemus dicere, Deus immediatè factus eſt homo, & Pater, & Spiritus Sanctus mediatè ſunt homo, quod falſum eſt: conſequentia probatur; illud immediatè factum eſt homo, quod immediatè vnitum fuit humanitati, & illud mediatè, quod mediatè eidem humanitati fuit vnitum; vt enim duo vnita cenſeantur, ſufficit ſi habeant vinculum commune, vt ex ipſi terminis notum eſt: ſed data ſententia Durandi ſubſiſtentia abſoluta, quæ eſt communis toti Trinitati, eſſet immediatè humanitati vnita, & mediatè eſſent vniti Pater, & Spiritus Sanctus; ergo immediatè Deus, & aliquid Trinitati commune factum eſſet homo, & mediatè Pater, & Spiritus Sanctus; quod tamen apertè eſt contra locum adductum Concilij Toletani. Neque quod dicit Durandus, quod ſecunda vnio facta ſit tantùm in eo, quod eſt proprium Filij, & ideo ſolùm filium eſſe incarnatum, euacuat vim argumenti; nam ex tali vnione ſequitur tantùm, quod immediatè poſſimus dicere, Verbum eſt homo: at non ſequitur, quod etiam Deus immediatè non ſit homo, cum immediatè per ſubſiſtētiam ſuam abſolutam vnitus ſit: & Pater, & Spiritus Sanctus eſſent mediatè

Digitized by Google

diatè homo, quæ ſunt falſa, vt patet ex Concilijs adductis; fatendum igitur eſt, factam eſſe vnionem immediatè in eo, quod eſt proprium Filij, nempe in perſonalitate relatiua.

7 Dices 2. cum auctoribus ſecundæ ſententiæ: Verbum terminaſſe quidem per ſubſiſtentiam abſolutam, ſed modificatam per relationem filij, quomodo eſt propria tantùm Verbi, non communis. Hanc reſponſionem conatur infringere Gonet. qui ſic arguit. Si perſona filij non terminaret humanitatem per propriam, & incommunicabilem ſubſiſtentiam, ſed per abſolutam, vt appropriatam Verbo, non poſset perſona Verbi, vt diſtincta a Patre, & Spiritu Sancto terminare humanitatem. ſed hoc eſt erroneum, vt patet ex dictis contra Durandum; ergo & illud: Probatur ſequela; quia virtus creatiua non eſt propria Filij, ſed illi communis cum alijs perſonis, non poteſt vt modicata perſonalitate Filij aliquid creare, niſi creent Pater, & Spiritus Sanctus; ergo à pari cum ſubſiſtentia abſoluta ſit quid commune Trinitati, non poterit Filius per talem ſubſiſtentiam, etiam ipſi appropriatam, & per relationem Filij modificatam terminare ſubſtantialiter humanitatem, niſi etiam aliæ perſonæ terminent. Secundò ſubſiſtentia abſoluta Dei, vt modificata proprietate relatiua Verbi, licet ſit quid illi appropriatum, non tamen eſt quid illius proprium: ſed ex Concilio Tolet. *Filius aſſumpſit humanitatem in eo, quod eſt proprium filij*; ergo non aſſumpſit per ſubſiſtentiam abſolutam modificatam. Tertiò, quia Filius non communicaret naturæ humanæ perſonalitatem propriam; ſed tantùm ſubſiſtentiam abſolutam, & communem; quod eſt erroneum. Sed verè iſtæ rationes non probant; non prima, quia licèt verum ſit, quod Filius non poteſt ſolus creare, niſi ſimul creent Pater, & Spiritus Sanctus; hoc ideò eſt, quia virtus, & ratio creandi eſt communis omnibus perſonis, at relatio Filij modificans virtutem creatiuam in ſecunda perſona non eſt ratio creandi; & relatio Filij eſt ratio terminandi naturam humanam, & propter hoc ſolus Filius terminat, non Pater, aut Spiritus Sanctus. Ex quo patet ſolutio ad ſecundam rationem: nam ſubſiſtentia abſoluta non eſt ratio terminandi, ſed eſt relatio propria filij, & ideò optimè dicit Concilium, quod filius aſſumpſit humanitatem in eo, quod eſt proprium filij: patet etiam ſolutio ad tertiam rationem, quia verè filius cõmunicat naturæ humanæ propriã perſonalitatem, cum ratio terminandi proxima ſit propria relatio, & propria perſonalitas.

8 Firma igitur ratio pro reijcienda ſecunda ſententia eſt, quia in diuinis, vt vidimus in tractatu de Trinitate, quæſt. 3. ar. 3. dantur tres ſubſiſtentiæ, vt pluribus auctoritatibus Cõciliorum, Patrum, & firmis rationibus ibi probauimus; & dari tres perſonas in concreto realiter diſtinctas de fide eſt; ergo ſi in abſtracto concedendæ ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & in concretio de fide eſt dari tres perſonas ſubſiſtentes realiter diſtinctas; cum ex alia parte Concilium Toletanum ſupra citatum dicat, Filium aſſumpſiſſe humanitatem in eo, quod eſt proprium Filij, & aſſumptio facta ſit realiter; cum in Verbo ſit realitas ſubſiſtens diſtincta virtualiter à ſubſiſtentia abſoluta, illa eſt ſufficientiſſima ad terminãdum, & ad faciendũ ſubſiſtere ipſam humanitatem, abſq; eo, quod ad hoc vllo modo concurrat ſubſiſtentia abſoluta; ſic enim magis ſaluãtur dicta Conciliorũ, & Patrũ.

9 Obijcies 1. ex Durando. Natura humana debet prius vniri illi, à quo habet ſubſiſtere, quam illi, a quo habet ſubſiſtere tale, nempe incommunicabiliter: ſed ſubſiſtentia abſoluta dat ſubſiſtere, perſonalitas dat tantùm incommunicabilitatem; ergo prius natura humana vnitur ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam vniatur perſonalitati.

Reſpondeo falſam eſſe maiorem, & minorem: falſa minor, quia perſonalitas non dat tantùm incommunicabilitatem, ſed cum hæc incommunicabilitas ſit ſubſtantia eſt etiam ſubſiſtentia, & verè perſona ſecunda Trinitatis eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia virtualiter diſtincta à ſubſiſtentia abſoluta, & realiter diſtincta à ſubſiſtentijs Patris, & Spiritus Sancti; falſa maior; nam cum talis vnio facta ſit ex libera voluntate Dei, facta fuit per ſe primò non ad ſubſiſtentiam abſolutam, ſed ad ſubſiſtens incommunicabiliter ſcilicet ad Filiũ, ita vt filiatio fuerit proxima ratio terminandi.

10 Obijcies 2. Non poteſt videri diuina eſſentia, quin videantur per ſe primò omnes perſonæ; ergo nec vnio poteſt fieri cum filio, niſi per ſe primò fiat etiam cum eſſentia, ſubſiſtentia abſoluta, & omnibus alijs perſonis.

Reſpondeo negando antècedens; nam ratione virtualis diſtinctionis inter eſſentiam, & relationes poteſt videri etiam obiectiuè eſſentia ſine relationibus, & è contra; imo ex hoc myſterio, ex eo, quod vniatur humanitas perſonæ Verbi, & non alijs perſonis, arguimus poſſe etiam videri vnam perſonam ſine alia. Thomiſtæ concedunt antecedens, & negant conſequentiam, & aſſignant diſparitatem,

ritatem, quia Verbum vnitur immediatè naturæ, cui immediatè non vnitur eſſentia, quia natura humana exigit terminari aliqua perſonalitate, qua expleta, non indiget amplius expleri per aliam perſonalitatem: & è contra viſio; cum terminetur extrinſecè ad Deum, debet terminari ad omne, quod cognoſcibile eſt; tam eſſentia verò, quam relationes ſunt cognoſcibiles; ideo &c.

11 Obijcies 3. Si non poteſt natura humana vniri immediatè ſubſiſtentiæ abſolutæ, maximè quia ex tali vnione ſequeretur omnes tres perſonas fuiſſe incarnatas; quod eſt contra Concilia, & fidem: ſed verè hoc non ſequitur; ergo ruit noſtrum fundamentum; probatur minor: Paternitas intimius vnitur cum natura diuina, quam humanitas; nam illa eſt vnita per identitatem, hæc diſtinguitur realiter; ſed ex hoc, quod paternitas ſit per identitatem vnita cum eſſentia, non ſequitur, quod ſi eſſentia perſonaliter inuenitur in Filio, & de illo prædicatur, etiam Paternitas prædicetur de Filio; ergo etiam ex vnione immediata humanitatis cum ſubſiſtentia abſoluta, non ſequitur vnio perſonalis ipſius cum tribus perſonis.

Reſpondeo negando minorem; ad probationem: concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam: & diſparitas eſt; quia ideo Paternitas non prædicatur de Filio, licèt in Filio ſit eſſentia, quæ identificatur cum Paternitate, quia Paternitas, & Filiatio relatiuè opponuntur, & realiter diſtinguuntur, ſecus ſicuti eſſentia, quia non opponitur cum relationibus, de omnibus prædicatur; ita cum humanitas cum proprietatibus relatiuis oppoſitionem non habeat, ſi cum ſubſiſtentia abſoluta vniretur, & de illis prædicaretur, etiam mediatè cum alijs perſonis vniretur, & de illis prædicaretur; vnde argumẽtũ eſt potius contra Durandũ, quam contra nos.

12 Aduerte tamen, quod licèt perſonalitas Filij terminet humanitatem, non tamen illam refert ad Patrem, nam actus referendi non conuenit illi, niſi ratione diuinæ naturæ, cũ qua complet perſonam Filij, qui refertur ad Patrem: materialiter tamen iſte homo Chriſtus poteſt dici referri ad Patrẽ, quia hoc ſuppoſitũ, quo ſubſiſtit refertur ad Patrẽ.

ARTICVLVS X.

An ſola perſona diuina, vel etiam creata poſſit alienam naturam aſſumere.

1 Non defuerunt, qui dixerunt non ſolum de potentia abſoluta poſſe perſonam creatam alienam naturam aſſumere, ſed etiam de facto id ſæpius contigiſſe, & quoſdam Prophetas, vt Malachiam, Aggæum, & Ioannem Baptiſtam fuiſſe Angelos incarnatos, imò ipſum Antichriſtum futurum Dęmonem incarnatum; verùm hoc ſine ſolido fundamento eſt, vt communiter tradunt Doctores. Quæſtio igitur eſt de poſſibili, & quantum eſt ex parte perſonæ, abſtrahendo ab hoc, quod terminet propriam naturam; nam vtrum poſſit perſona creata propriam, & alienam naturam ſimul terminare, eſt alia quæſtio, quæ infra decidetur.

2 Prima ſententia eſt Caiet. hic q. 3. art. 1. Ioan. à S. Thom. & communis Thomiſtarum hoc loco, Gonet diſp. 8. art. 6. Durandi in 3. diſt. 1. quæſt. 5. Paludani quæſt. 1. art. 2. Henrici quodlib. 11. quæſt. 10. Suarez diſp. 13. ſect. 4. Vaſquez diſp. 25. Lorcæ diſp. 23. Lugi diſp. 12. ſect. 7. Gabrielis à S. Vincentio diſp. 3. dub. 1. Orland. diſp. 6. quæſt. 4. Amici diſp. 14. ſect. 7. num. 158. & plurium aliorum; hæc negat etiam per abſolutam potentiam poſse perſonam creatam alienam naturam aſſumere.

Secunda ſententia affirmat poſſe per abſolutam potentiam perſonam creatam alienam naturam terminare: ſic Scotus, & Scotiſtę communiter in 3. diſt. 1. quæſt. 4. Ocham ibidem quæſt. 1. Gabriel quæſt. 2. art. 3. Arriaga in metaph. diſp. 4. ſect. 13. Yſambertus hic quæſt. 3. diſp. 1. art. 1. & plures alij.

3 Concluſio. Poteſt per abſolutam Dei potentiam natura creata terminari ab aliena ſubſiſtentia creata. Probatur. Id ſolum eſt denagandum omnipotentię diuinæ, quod apertam inuoluit implicantiam: ſed quod perſona creata poſſit terminare alienam naturam nullam inuoluit implicantiam: ergo quod perſona creata poſſit terminare alienam naturam non eſt denegandum omnipotentiæ diuinæ: maior patet: probatur minor: quia ſi repugnat, vel repugnat ex parte naturæ creatæ, vel ex parte perſonæ creatæ: ſed ex neutro capite repugnat; ergo nullo modo repugnat: probatur minor; quod non repugnet ex parte naturæ creatæ; nam natura creata poteſt ſeparari à propria ſubſiſtentia, vt patet de humanitate Chriſti; ex alia parte tantùm exigit compleri eius capacitas, quæ finita eſt; ergo ex parte naturæ non repugnat ſeparari à propria ſubſiſtẽtia, & poſtea eius capacitas compleri ab aliqua alia ſubſiſtentia creata, & finita: neque repugnat ex parte ſubſiſtentiæ creatæ; non enim repugnat ex parte ſubſiſtentię, vt ſubſiſtentia eſt, vel perſonę, vt perſona eſt; quia alioquin nec

Digitized by Google

nec diuina perſona potuiſſet terminare naturam humanam; neque repugnat vt creata, & limitata eſt, quia terminare alienam naturam non requirit virtutem infinitam; cum effectus, qui reſultat ſit quid finitum: ergo nullo modo repugnat. Confirmatur non eſt maior ratio, quod punctum terminet duas lineas, & quod ſubſiſtentia, vel perſona non poſſit terminare plures naturas: ſed verè punctum etiam in ſententia aduerſariorum poteſt terminare duas lineas: ergo etiam ſubſiſtentia, ſeu perſona creata poterit terminare plures naturas.

4 Dices 1. cum Suarez, & alijs perſonalitatem diuinam eſſe rem perfectiſſimam, & infinitam, & ideo poſſe terminare alienam naturam, perſonalitatem verò creatam eſse modum; & cum modus non poſſit ſeparari à re, cuius eſt modus; ideo diuinam perſonalitatem poſse terminare alienam naturam, non verò hoc poſse pręſtare, perſonalitatem creatam. Sed contra primò, quia quæ implicantia ſi ſubſiſtentia eſt modus, quod retenta vnione cum propria natura, adhuc terminet alienam? & hoc præcipuè, ſi poneretur alia natura penetratiuè præſens; ſicuti enim Verbum diuinum, & facit ſubſiſtere naturam diuinam, & humanam; cur non poterit creata ſubſiſtentia facere ſubſiſtere duas naturas creatas? cum ad hoc non requiratur virtus, aut perfectio infinta in ipſa ſubſiſtentia, vt fatetur etiam ipſe Suarez. Contra 2. Quia falſum eſt ſubſiſtentiam creatam non eſse rem, ſed ſolum modum; etenim cum huius ſubſiſtentiæ diſtinctæ à natura tantùm habeamus cognitionem ex Myſterijs Incarnationis, & Trinitatis; cum ex his myſterijs habeamus perſonalitates diuinas eſse res, certè conſequentius debemus fateri etiam perſonalitates creatas eſse res. Contra 3. Eſto quod perſonalitates creatę ſint modi, quæ implicantia, quod Deus aliquam perſonalitatem producat ita perfectam, quæ ſit res: ſed tunc nulla eſset implicantia, cur non poſset terminare alienam naturam: ergo etiamſi de facto perſona creata ſit modus, cum poſſit Deus aliquam perſonalitatem creatã producere, quæ ſit res; poterit in tali caſu alienam naturam terminare.

5 Dices 2. cum Thomiſtis, ſubſiſtentiam terminantem plures naturas ſupplere vicem ſubſiſtentiarum, quæ ſunt propriæ illarum naturarum, non poſse autem ſupplere vices earum, niſi ſit infinita; quia non poteſt ſupplere vices earum, niſi contineat illas ſecundùm proprias rationes eminenter, & formaliter: hoc autem modo non poteſt continere, niſi ſit infinita. Sed contra, neque hæc ratio quicquam ſolidè probat; etenim effectus, qui præſtari debet non eſt infinitus, ſed finitus, & limitatus, & ſubſiſtentiæ creatæ de facto ſunt finitæ, & limitatæ: ergo ad ſupplendas vices duarum, vel trium ſubſiſtentiarum ſufficit virtus finita, nec vllo modo eſt neceſsaria infinita. Nec D. Thom. eſt nobis contrarius, qui dicit hoc eſse proprium perſonalitatis diuinæ de facto, non de poſſibili, vt nos loquimur.

6 Obijcies primò. Subſiſtentia eſt modus: ſed modus non poteſt informare niſi rem, cuius eſt modus: ergo nulla ſubſiſtentia poteſt terminare alienam naturam.

Reſpondeo primò negando eſse modum, dico enim eſſe rem: dico 2. dato, quod ſit modus, nullam eſſe implicantiam, non enim eſt neceſſe, quod modus ſepararetur, ſed retenta vnione ad propriam naturam poſſet vniri alteri, vel ſe ipſo, vel per aliam vnionem, cum in hoc nulla ſit repugnantia.

7 Inſtabis. Modus eſſentialiter dicit ordinem ad rem, cuius eſt modus, non ad aliam: ergo ſolùm propriam naturam poteſt informare non aliam.

Reſpondeo, hunc modum conſideratũ ſecundùm potentiam naturalem dicere tantùm ordinem ad rem, cuius eſt modus: at ſecundùm potentiam obedientialem, dicere etiam ordinem ad aliam naturam.

8 Obijcies 2. Subſiſtentia Petri v. g. non eſt perfectio potentiæ vagæ, ſed huius naturæ determinatæ, prout diſtinguitur ab omni alia; ergo non poteſt terminare niſi propriam.

Reſpondeo, quod de facto, & ſecundùm potentiam naturalem eſt huiuſmodi, verùm de poſſibili, & ſecundùm potentiem obedientialem non tantùm eſt perfectio illius naturæ determinatæ, ſed etiam poteſt eſſe perfectio alterius, cum in hoc nulla ſit implicantia; ſicut enim natura humana ex ſe, et naturaliter conſiderata erat tantùm proportionata vt vniretur propriæ ſubſiſtentiæ; & nihilominus per potentiã obedientialem facta eſt proportionata, vt vniretur cum perſonalitate Verbi: ita ſubſiſtentia creata eſt ſolùm proportionata, naturaliter cõſiderata, vt vniatur cum propria natura; at ſecundùm potentiam obedientialem eſt proportionata, vt terminet etiam alienam naturam.

9 Obijcies 3. ex Ioanne S. Thoma. Eodem modo reſultat ſubſiſtentia à natura, quo modo reſultat totum ex partibus

tibus: ſed implicat aliquod totum inueniri, & communicari extra ſuas partes, quia ab illis reſultat, limitatur, & ſpecificatur: ergo etiam implicabit ſubſiſtentiam terminare aliam naturã à propria, cum à propria reſultet, limitetur, & ſpecificetur.

Reſpondeo falſam eſse maiorem; nam totum, quod reſultat ex partibus non eſt quid ſimplex, ſed ſolùm complexum maius, inadæquatè tantùm diſtinctum à partibus, vt ſupra dictum fuit; at ſubſiſtentia eſt res ſimplex, realiter diſtincta, & adæquatè à natura; vel ſaltem eſt modus realiter modaliter, & adæquatè diſtinctus; vnde implicat quidem totum eſſe extra partes, cum eas eſſentialiter includat; quod nullo modo militat de ſubſiſtentia, quæ eſt entitas realis ſimplex, realiter diſtincta à natura, vel ſaltem modus.

10 Obijcies 4. Nullus actus perfectiuus, qualis eſt perſonalitas reſpectu naturæ, poteſt perficere potentiam, quæ non ſit illi proportionata, & cuius perfectionem non contineat: ſed in creatis ſolus actus propriæ perſonalitatis eſt proportionatus, & continet perfectionem, qua caret natura perfectibilis, & perficienda: ergo tantùm propria perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia poteſt terminare propriam naturam, non alienam.

Reſpondeo maiorem eſſe veram, ſi nullo modo ſit talis actus proportionatus alienæ naturæ, nec eius perfectionem contineat; falſam verò ſi talis actus ſit proportionatus ſecundùm potentiam obedientialem, & de poſſibili eius perfectionem contineat; licèt ergo ſubſiſtentia creata non ſit proportionata alienæ naturæ, nec eius perfectionem de facto contineat; poteſt tamen de poſſibili illã continere; cum hæc continentia finita ſit, & limitata, & poteſt eſſe illi proportionata ſaltem ſecundùm potentiam obedientialem.

11 Obijcies 5. Subſiſtentia eſt cauſa formalis faciendi ſubſiſtere: ergo non poteſt eleuari ſecundum potentiam obedientialem, quia non datur iſta potentia obedientialis formalis; tum quia debet eſſe cauſa principalis: ſed ſi eleuaretur non eſset cauſa principalis, ſed inſtrumentalis; ergo nullo modo poteſt dari.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; etenim non tantùm datur potentia obedientialis actiua, & paſſiua, ſed inſuper cum Patre Marchino de Trinitate admitto potentiam obedientialem formalem, quatenus entitas formæ poteſt eleuari ad omnes informationes, & actuationes, quæ nullam inuoluunt contradictionem; & quidem anima Petri v. g. eſt tantùm apta informare proprium corpus, at quæ nec leuis implicantia quin poſſit eleuari à Deo ad informandum corpus Pauli? ita & in propoſito. Ad ſecundum dico, quod eleuari ſtat ſimul cum cauſa principali; vnde ſi materia eleuaretur ad recipiendas formas, adhuc eſset cauſa principalis.

ARTICVLVS XI.

An poſſit fieri vnio in ſubſiſtentia abſoluta tantùm.

1 Senſus quæſtionis non eſt, vtrũ ſi Deus eſset tantùm Vna perſona, poſſet aſſumere, & terminare naturam humanam, certum enim eſt, quod ſicuti de facto terminat per perſonalitatem relatiuam, ita poſſet etiam per abſolutam terminare, eſset enim infinita, & haberet ea omnia illa perſonalit as abſoluta, quæ nunc habet perſonalitas relatiua; quare præſens difficultas conſiſtit in hoc; an Deus poſſit immediatè terminare naturam humanam per ſuam ſubſiſtentiam abſolutam, quam ex dictis in tractatu de Trinitate, ſuppono dari in Deo.

2 Prima ſententia eſt Alenſis 3. par. quæſt. 7. memb. 1. ar. 1. & 3. Bonauent. in 3. diſt. 1. ar. 1. quæſt. 3. & diſt. 5. ar. 1. quæſt. 4. Maironis diſt. 1. quæſt. 4. Vaſquez diſput. 27. cap. 2. Lorcæ diſput. 24. num. 16. Hurtadi diſput. 16. ſec. 2. hæc ſententia negat poſſe fieri vnionem naturæ creatæ cum ſubſiſtentia abſoluta, eo quod non datur in Deo hæc ſubſiſtentia. Capreolus verò in 3. diſt. 1. q. 1. ar. 3. & Orlandus hic diſp. 6. quæſt. 3. cũ alijs, licèt admittant ſubſtentiam abſolutam in Deo, negant tamen, quod in ea poſſit fieri aſſumptio; eo quod huiuſmodi ſubſiſtentia non ſit incommunicabilis.

Secunda opinio docet poſse Deum aſſumere naturam creatam ratione ſuæ ſubſiſtentiæ abſolutæ. Sic Caiet. hic q. 3. ar. 3. Cabrera ibidem Cipullus ar. 3. dub. vnico. Gonet diſput. 8. ar. 3. qui citat Medinam, Aluarez, Nazarium, & alios. Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 2. Durand. q. 4. Ocham, Maior, Gabriel, & alij antiqui, quos citat, & ſequitur Suarez diſp. 13. ſect. 1. Amicus verò diſput. 14. ſect. 5. negat dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, & admittit ſolum exiſtentiam, & nihilominus vult à Deo exiſtente poſse aſſumi naturam creatam.

3 Concluſio 1. Deus vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta poteſt alienam naturam

Digitized by Google

turam aſsumere. Probatur 1. Non repugnat neque ex parte ſubſiſtentiæ diuinæ, neque ex parte naturæ creatæ: ergo poteſt Deus ratione ſuæ ſubſiſtentiæ abſolutæ alienam naturam aſsumere: probatur antecedens: Quia ideo de facto ad perſonam Verbi facta eſt vnio, quia perſona Verbi eſt infinita in ratione ſubſiſteudi, & continet omnem perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ: ſed hæc ſubſiſtentia abſoluta Dei eſt infinita, & continet omnem perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ; ergo ex parte ſubſiſtentiæ non repugnat; neque repugnat ex parte naturæ, nam ſicuti in Chriſto natura humana fuit vnita Verbo; ergo & poteſt vniri huic ſubſiſtentiæ; cum nulla poſſit aſſignari diſparitas.

4 Amicus loco citato quamuis neget in Deo ſubſiſtentiam abſolutam vult tamen poſse aſsumi ad exiſtendum completè, & duplex admittit exiſtere vnum ſimpliciter, & per hoc fatetur nullam rem poſse exiſtere exiſtẽtia alterius, aliud eſse exiſtere completiuè, & per hoc concedit aliquid poſse exiſtere exiſtentia alterius; quo pacto exiſteret natura, ſi aſsumeretur ad exiſtendum ab hoc Deo. Sed contra, quia hoc exiſtere cõpletiuè, vel eſt in ratione ſubſtantiæ, & ſic in re fatetur ſubſiſtentiam abſolutã, licèt voce eam neget; vel eſt tantùm in ratione exiſtentiæ, & ſic niſi admittat cum Thomiſtis eſsentiam diſtinctam realiter ab exiſtentia, quod tamen ipſe negat; implicat, quod aliquid exiſtat exiſtentia alterius; nam ſi non diſtinguitur eſsentia ab exiſtentia, ſicut implicat naturam creatam habere eſsentiam ab vnione, ita, & exiſtentiam.

5 Concluſio 2. Si fieret vnio in ſubſiſtentia abſoluta mediatè fieret etiam in omnibus perſonis. Probatur, quia ſicuti modo de facto ex eo, quod facta eſt vnio in perſonalitate Verbi, ſecundariò, & mediatè facta eſt vnio cum Deo; ita ſi fieret cum Deo, deberet ſecundariò fieri cum omni eo, quod à Deo realiter non diſtinguitur; huiuſmodi autem ſunt omnes perſonæ, quæ omnes identificantur cũ ſubſiſtantia abſoluta, & ſolum ab ea virtualiter diſtinguuntur.

6 Obijcies primò contra primam ex *Vaſquez* Sancti Patres dum probant vnionem humanitatis cum Verbo non eſse factam ſecundùm naturam, ſed ſecundùm perſonam, ſupponunt tamquam verum principium omnem vnionem, aut eſse ſecundùm naturam, aut ſecundùm perſonam: ſed hæc vnio, quæ à nobis ponitur ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam, neque eſt ſecundũ naturam, neque ſecundùm perſonam: ergo à Patribus hæc vnio fuit ſuppoſita impoſſibilis.

Reſpondeo intentum Patrum fuiſse concludere cõtra hæreticos Euthychianos, & Neſtorianos vnionem factam fuiſse cum aliquo relatiuo, non abſoluto, ſiue hoc abſolutum eſset tantum natura non ſubſiſtens, ſiue ſubſiſtens, de quo parum curabant, cum de hoc non eſset diſputatio; & ideo bene dicebant, aut factam eſse ſecundũ naturam, ideſt ſecundùm aliquid abſolutum, aut ſecundùm perſonam, & relatiuum. Et eodem modo reſpondendum ad illud, quod ſubiungit ex Concilio Tolet. 6. & 11. in Confeſſione fidei, falſum enim eſt Concilium inferre factam eſse in perſona, eo quod non ſit facta in natura: ſed tantùm definit factam eſse in eo, quod eſt proprium filij, non in eo, quod eſt commune, non verò vnum infert ex alio.

7 Obijcies 2. Non poteſt fieri vnio in noſtra natura, quin fiat in perſona: ergo multò magis in Deo id eueniet: probatur conſequentia; quia perſonalitas Dei minus diſtinguitur à natura diuina, quam diſtinguatur perſonalitas à noſtra natura. Confirmatur, ſi Deus eſset vnica tantùm perſona, non poſset fieri vnio in natura, quin immediatè fieret in perſona: ergo etiam nunc ita eueniret, cum nulla poſſit aſſignari diſparitas.

Reſpondeo negando antecedens; nam cum noſtra perſonalitas ſit res diſtincta à natura, poteſt naturæ vniri aliquid, & non perſonalitati, vel è contra. Ad Confirmationem concedo antecedens, & nego conſequentiam diſparitas eſt, quia nunc perſonalitas diſtinguitur virtualiter à natura diuina; tunc autem ſolum diſtingueretur ratione. Ideo &c.

8 Obijcies 3. Natura indiget compleri incommunicabiliter: ſed ſubſiſtentia abſoluta diuina non poteſt facere ſubſiſtere naturam incommunicabiliter: ergo neque poterit vniri.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam licet non faceret talem naturam ſubſiſtere incommunicabiliter, & vt perſonam, faceret tamen illam ſubſiſtere; ſed adhuc poſset fieri incõmunicabilis, & talis natura cum ſubſiſtentia abſoluta Dei præciſè conſiderata eſset ſubſiſtens, non perſona: de facto tamen, & à parte rei eſset perſona, quia mediatè eſset vnita perſonalitatibus diuinis à quibus haberet incommunicabilitatem.

9 Obijcies 4. In tantùm poteſt ſubſiſtentia abſoluta Dei aſsumere naturam creatam, in quantùm poteſt illam

terminare; ſed ſubſiſtentia diuina abſoluta non poteſt habere rationem termini, ſed ſolum terminabilis: ergo Deus ſubſiſtentia ſua abſoluta non poteſt aliquam naturam creatam aſsumere.

Reſpondeo, quod ſubſiſtentia diuina abſoluta, vel comparari poteſt cùm natura, cui dat ſubſiſtere, & ſub hac ratione habet rationem termini complentis, & terminantis naturam in ratione ſubſiſtentiæ: vel poteſt conſiderari quatenus adhuc eſset communicabilis pluribus, & poſſet fieri incommunicabilis per relationes, & ſic concedo, quod vlterius ſit terminabilis per relationes; ſed nihil contra nos, imo ex hoc confirmamus noſtram ſecundam concluſionem, quod ex vnione naturæ creatæ cum ſubſiſtentia abſoluta, ſecundariò fieret etiam vnio cum omnibus perſonis.

ARTICVLVS XII.

An omnes diuinæ perſonæ poſſint eamdem naturam aſſumere.

1 QVæſtio eſt, an ſicut natura humana vnita fuit Verbo diuino, an etiam ſimul potuerit vniri alijs perſonis; nam quod ſucceſſiuè hoc fieri poſſit clarum eſt; ſicuti enim de facto vnita fuit perſonalitati Verbi, ita potuit vniri perſonaliti Patris, aut Spiritus Sancti, cum tam Patris, quam Spiritus Sancti perſonalitas ſit ita infinita, ac ſit perſona Verbi.

2 Prima ſententia negat hoc eſſe poſſibile ſic Scotus in 3. diſt. 1. q. 2. Richard. ar. 1. quæſt. 3. Albertus quæſt. 1. ar. 10, Palud. quæſt. 3. ar. 2. Lugus diſp. 12. ſec. 6. num. 80. Amicus diſp. 14. ſec. 6. Si natura ſit adæquatè terminata ab vna perſona, ſecus verò dicit, ſi tantùm inadæquatè ſit terminata.

Secunda ſententia affirmat poſſe eamdem naturam creatam terminari pluribus perſonalitatibus diuinis. Sic D. Tho. hic quæſt. 3. ar. 6. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ ibidem Caiet. Medina, Aluarez, Nazarius, Cipullus, Ioan. à S. Thom. diſp. 6. art. 3. Gonet diſput. 5. ar. 4. Gabriel à S. Vincentio diſp. 3. dub. 5. Suarez diſp. 13. ſect. 2. Vaſquez diſp. 29. Arriaga diſp. 27. ſec. 1. & cōmuniter alij Doctores.

3 Concluſio 1. Omnes perſonæ diuinæ poſſunt ſimul eamdem naturam creatam aſſumere. Probatur, quia non repugnat neque ex parte naturæ, neque ex parte perſonarum; non ex parte naturæ, quia hæc habet potentiam obedientialem ad omne, quod non implicat contradictionem; ergo cum de facto natura humana ab vna perſona ſit aſsūpta, & per hoc, quod ſit aſſumpta nulla ſequatur contradictio, ſi ſimul ſumatur ab alijs, vt patet de natura diuina, quæ terminata Paternitate, adhuc terminatur Filiatione, & Spiratione paſſiua; deducitur, quod quantùm eſt ex parte naturæ nulla ſit contradictio. Non ex parte perſonarum, quia iſtæ non ſunt incompoſſibiles in eadem natura, etenim ſicuti de facto ſunt in natura diuina; ita de poſſibili poſſent eſſe in natura humana, vel alia.

4 Dices 1. ex Amico. Naturam creatam terminatam ab vna perſona diuina eſſe adæquatè, & vltimò completam ſubſtantialiter, & per ſe; ſed quod eſt adæquatè, & vltimò completum ſubſtantialiter, & per ſe, implicat, quod vlterius compleatur; nam eſſet vltimò; adæquatè, ſubſtantialiter, & per ſe completum, & non eſſet; quod implicat. Sed contra natura diuina per Paternitatem eſt verè terminata adæquatè, per ſe vltimò, & ſubſtantialiter in ratione Patris, & tamen non per hoc ſequitur, quod non poſſit adhuc terminari per Filium, & Spiritum Sanctum; ergo etiam natura humana, licèt ſit terminata adæquata per ſe vltimò, & ſubſtantialiter in ratione Patris per Paternitatem; adhuc poterit terminari per Filiationē, & Spirationem paſſiuam.

5 Dices 2. cum eodem Amico, eſſe diſparitatem de natura diuina, & creata; nam illa non exigit ſuas perſonalitates ad purè ſubſiſtendum, ſed vt ſit fæcūda, quod non euenit de natura creata, quæ ſupponitur fæcunda, & eget tantùm perſonalitate ad ſubſiſtendum. Sed contra quando dicitur, quod natura diuina non exigit perſonalitates ad purè ſubſiſtendum, vel vult dicere, quod perſonalitates diuinæ non faciant ſubſiſtentem naturam diuinam, & hoc falſum eſt; vel vult dicere, quod dant quidem ſubſiſtere naturæ diuinæ, ſed etiam requirantur ad conſtituendam fęcundam naturam, quocumque modo concurrant, & hoc verùm eſt, ſed cum hoc ſtat, quod dent ſubſiſtere: ergo licèt natura creata per tres perſonalitates diuinas non conſtituatur fæcunda, adhuc poterit conſtitui diuerſo modo ſubſiſtēs; aliud enim eſt, quod hoc natura humana non exigat, & hoc verum eſt; nam ex ſe, neque exigit vniri cum Verbo; aliud eſt, quod ſi tribus perſonis diuinis perſonaretur contradictionem inuolueret; & hoc non probatur, vt de ſe patet.

6 Dices 3. cum Lugo terminari na-

turam

Digitized by Google

turam ſuppoſito proprio eſt naturam ſiſtere in ſe, terminari ſuppoſito alieno eſt naturam ſiſtere in alio: ſed implicat aliquid terminari, & ſiſtere ibi, & ſimul non ſiſtere, & progredi vlterius; ergo implicabit naturam humanam terminari à Verbo, & ſiſtere ibi, & ſimul non ſiſtere, & progredi vlterius per terminationem Spiritus Sancti. Sed contra, quia naturam humanam v. g. ſiſtere in ſe, vel ſignificat ſiſtere in ſe ante ſubſiſtentiam, & hoc implicat, quia eſſet ſubſiſtens ſine ſubſiſtentia; vel vult dicere ſiſtere in propria ſubſiſtentia, ſicuti quilibet ſiſtit in propria domo, ita natura ſiſtit in propria ſubſiſtentia; & ſicuti quis ſiſtit in domo aliena, ita natura ſiſtere poteſt in aliena ſubſiſtentia: ergo ſicuti per Lugum non implicat, quod quis ſiſtat in duplici ſubſiſtentia propria, nec etiam implicabit, quod quis ſiſtat in duplici ſubſiſtentia aliena,

7 Obijcies 1. Non poteſt idem effectus eſse à pluribus cauſis totalibus; ſed ſi eadem natura terminaretur à pluribus perſonis diuinis idem effectus eſset à pluribus cauſis totalibus: ergo &c. minor probatur; nam quęlibet perſonalitas eſſet adæquata naturæ.

Reſpondeo negando maiorem, vt ſuppono ex phyſicis. Dico 2. data maiori, minorem eſſe falſam; nam non eſset idem effectus à pluribus cauſis totalibus, ſed ſi eadem natura terminaretur tribus perſonis diuinis, eſsent etiam tria ſuppoſita, quæ ſe haberent veluti effectus reſultantes ex natura, & perſonalitatibus.

8 Obijcies 2. D. Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo*, habet. *Plures enim perſonæ nequeunt, & eumdem hominem aſſumere in vnitate perſonæ: Quare in vna perſona tantùm hoc fieri neceſſe eſt.*

Reſpondeo D. Anſelmum non eſſe contra nos, arguit enim probando Chriſtum eſse vnum in vnitate perſonæ; vnde ſi tres perſonæ aſsumpſiſsent eamdē naturam, Chriſtus non fuiſset vnus in vnitate perſonæ, ſed fuiſsent tres perſonæ, & vnus homo ſicuti Trinitas eſt vna in tribus perſonis: ſic reſpondet D. Thom.

9 Obijcies 3. Ex hac vnione hypoſtatica trium perſonarum ſequeretur communicatio idiomatum, nec eſset ratio, cur Pater non eſset Filius, & è contra; nam hic homo, qui eſt Filius Dei, eſset Pater, & Spiritus Sanctus; ergo & Pater eſset Filius &c.

Reſpondeo, quod in dicto caſu fieret quidem communicatio idiomatum quo ad eſsentialia diuinæ naturæ, & notionalia cuiuſcumque perſonæ cum hoc homine, vt fit de facto, quo ad notionalia Filij; non tamen fieret quo ad notionalia inter perſonas ipſas; Vnde bene diceretur, hic homo eſt Deus, & eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; non poſset tamen dici, Pater eſt Filius, vel Filius eſt Spiritus Sanctus, aût è contra. Ratio eſt, quia ſi ſufficit diſtinctio virtualis diuinarum perſonarum ab eſsentia, vt perſonæ non poſsint prædicari inuicem; multò magis ſufficiet diſtinctio realis earumdem perſonarum à natura creata, quam terminarent. Quare ſicuti fallax eſt iſte Sylogiſmus expoſitorius. *Hic Deus eſt Pater: Hic Deus eſt filius; ergo hic Filius eſt Pater*: quia ly *Deus* habet rationem termini communis, ratione ſuæ infinitatis, & diſtinctionis virtualis. à perſonalitatibus; ita eſset fallax iſte *Hic homo eſt Pater: Hic homo eſt Filius; ergo hic Filius eſt Pater*; quia realiter natura diſtinguitur à perſonalitatibus; & ratione potentiæ obedientialis habet rationem termini communis.

10 Concluſio 2. Eadem perſona diuina poteſt ſimul terminare plures naturas creatas. Eſt communis. Ratio eſt clara, quia in ratione terminandi perſona diuina eſt infinita; vnde ſicuti poteſt de facto perſona Verbi non ſolum terminare naturam diuinam, ſed etiam humanam in Chriſto; ita poſset etiam aliā, & aliam in infinitum; cum hoc nullam prorſus inuoluat implicantiam.

11 Dices primo. Eſset re tunc communicatio idiomatum inter tales naturas?

Reſpondeo eodem modo de illis nos debere loqui, ſicuti modo loquimur de natura humana, & diuina in Verbo, eſſet enim prorſus eadem ratio.

12 Dices 2. Eſsent ne plures homines, vel vnus, ſi Verbum v. g. aſsumeret tres naturas humanas?

Reſpondeo inadæquatè, & terminatiuè eſse vnum hominem; inadæquatè etiam, & ratione humanitatum eſsent tres; quidquid alij confundentes terminos dicant.

ARTICVLVS XIII.

An ratione vnionis hypoſtaticæ Pater, & Spiritus Sanctus ſint per concomitantiam in Chriſti humanitate.

1 CErtum eſt, vt dicit D. Thom. incarnationem, vt dicit actionem, conuenire omnibus perſonis; actiones enim ad extra ſunt indiuiſæ toti Trinitati; & ſecundò certum eſt eamdem incarnationem, vt ſignificat terminum aſſumptionis, ſolùm conuenire ſecundæ perſonæ; ſola enim perſona

Filij

Digitized by Google

Filij fuit incarnata? Pater verò, & Spiritus Sanctus nulla ratione, neque ſecundariò poſſunt dici incarnati; quia ad hoc requireretur, quod eſſent idem cum illa perſona, quæ primariò, & per ſe dependentiam naturæ humanę terminauit; cum autem realiter diſtinguantur; hinc eſt, quod non poſſunt dici incarnati; natura verò diuina, cum identificetur cum Verbo, quod per ſe, & primariò naturam humanam terminauit; ideò mediatè Deus dicitur incarnatus.

2 Certum eſt tertiò Patrem, & Spiritum Sanctum ratione immenſitatis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam eſſe in humanitate Chriſti. Quare præſens difficultas eſt, an ratione ſubſtantialis vnionis humanitatis cum perſona Verbi, Pater, & Spiritus Sanctus habeant aliquem ſpecialem modum eſſendi in humanitate, vt ſi per impoſſibile ibi non eſſent præſentes per immenſitatem, adhuc tamen in ea eſſent per concommitantiam ratione vnionis Verbi cum humanitate.

3 Vgo de Sancto Caro apud Vaſquez diſp. 28. cap. 2. quem videntur ſequi Aluarez diſp. 20. & Cipullus hic quæſt. 3. ar. 4. dub. 2. negant Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe per concommitantiam ratione vnionis ſpeciali ratione in humanitate.

Communis tamen ſententia docet, quod Pater, & Spiritus Sanctus ratione vnionis hypoſtaticæ ſunt in humanitate ſpeciali quadam ratione; ita vt ſi per impoſſibile Pater, & Spiritus Sanctus non eſſent vbique, ratione huius vnionis eſſent in humanitate aſſumpta, quem modum eſſendi Theologi ex Damaſceno lib. 2. fidei cap. 10. vocant *Circuminſeſſionem perſonarum, ſeu per concommitantiam.* Sic Viguerius in inſtit. cap. 16. §. 3. verſ 4. Gabriel lect. 45. in can. Miſſæ. Maior in 4. diſt. 11. q. 1. §. 1. Raguſa diſp. 52. Suarez diſp. 12. ſec. 1. Vaſquez loco cit. Gabriel à S. Vincentio diſp. 3. dub. 4. & communis Doctorum.

4 Concluſio eſt cum hac ſecunda ſententia. Probatur primò ex D. Baſilio epiſt. 43. vbi habet: *Et quoniam is Chriſti ſpiritus teſte Paulo ex Deo eſt, fit, vt quemadmodum in catena, qui vnius annuli ſumitatem apprehendit, hoc ipſo ſimul, & alterum inſertum attrahit; ita & hic, qui ſpiritum habuit, eo ipſo, vt Propheta inquit, per ipſum, & Filium, & Patrem, vna ſimul attraxerit, & ſi quis verè Filium apprehenderit, habebit, & ipſum vtrinq; hinc Patrem illius, illinc Spiritum Sāctum vna compactum*: Sed humanitas per vnionem verè Filium apprehendit; ergo etiam trahit ſecum Patrem, & Spiritum Sanctum. Secundò ex 2. ad Cor. 5. vbi dicitur: *Quoniam Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Super quem locum Ambroſius: *Pater per id intelligitur eſſe in Filio, quod vna eorum ſit ſubſtantia. Rectè igitur dicitur Deus erat in Chriſto, hoc eſt Pater in Filio mundum reconcilians ſibi.* Tertiò ex D. Auguſtino in ſermonibus de tempore, ſer. Dom. 3. Aduentus, vbi habet: *Cum ergo vna ſit Deitas, vna ſit diuinitas, impleuit quidem carnem Chriſti, & & Pater, & Spiritus Sanctus, ſed maieſtate non ſuſceptione.* Idem docent Chriſoſt. Cyrillus, & alii Sancti Patres, quos ad longum allegat Vaſquez loco cit.

5 Probatur ratione. Nam ſi per impoſſibile Verbum non eſſet vbique, eo ipſo, quod eſſet in humanitate, eo ipſo ſecundariò deberet eſſe præſens natura, quæ realiter non diſtinguitur; cum autem perſonæ Patris, & Spiritus Sancti identificentur cum natura, eo ipſo per concommitantiam debent, & illæ eſſe præſentes; hac ratione etiam in Sacramento Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis ex vi verborum eſt corpus Chriſti per concommitantiam verò Anima, Sanguis, Diuinitas, Pater, & Spiritus Sanctus, vt infra ſuo loco.

6 Dices, Sanctos Patres, & rationem adductam probare, Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe in Chriſto ratione identitatis naturæ, & quia nequit eſſentia eſſe ſine perſonis, & vna perſona, ſine alia; non verò quia ſint in Chriſto ratione vnionis naturæ humanæ cum Verbo; ſicuti enim ſtante hac vnione, & identitate naturæ cum perſonis certum eſt de fide, Verbum eſſe incarnatum non Patrem, aut Spiritum Sanctum; ita ſtante eadem vnione, & identitate naturæ diuinæ cum perſonis, ſi iſtæ non eſſent immenſæ, Verbum eſſet in humanitate non Pater, aut Spiritus Sanctus. Sed contra hæc reſponſio nullo modo ſtare poteſt cum eo, quod definit Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi loquens de modo, quo Diuinitas eſt in Sacramento Euchariſtiæ habet: *Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem.* Ex quo loco ſic argumentor: licet diuinitas diſtinguatur virtualiter à Verbo immediatè vnito humanitati; nihilominus ex eo, quod in Euchariſtia ponatur anima, & corpus Chriſti ratione vnionis hypoſtaticę ponitur etiā diuinitas: ſed hæc etiam tantùm virtualiter diſtinguitur à Patre, & Spiritu Sancto; ergo & iſtæ perſonę ratione eiuſdem vnionis remotè, & ſecundariò debent poni; eo enim modo trahit Verbum Diuinitatem ad eſſendum in humanitate ratione vnionis hypoſtaticæ, quo Diuinitas trahit Patrem, & Spiritum Sanctum

Digitized by Google

ctum, Verbum enim tantùm virtualiter diſtinguitur à Diuinitate, & hæc virtualiter à reliquis perſonis. Quare licet ſtante hac vnione, & identitate naturæ cum perſonis certum ſit de fide, Verbũ eſſe incarnatum non Patrem, aut Spiritum Sanctum; nihilominus ex hoc non deducitur, quod ſtante hac vnione, & identitate naturæ cum perſonis, ſi iſtæ non eſſent immenſæ non eſſent futuræ præſentes ſpeciali modo in humanitate; & diſparitas eſt, quia ad hoc vt aliqua perſona dicatur incarnata debet immediatè terminare naturam, cum autem Pater, & Spiritus Sanctus non terminent naturã humanã, & realiter ſint perſonę diſtinctę à Verbo, quod immediatè eam terminat, hinc eſt, quod nullo modo dici poſſunt incarnatæ; vt verò ſpeciali modo ratione vnionis dicantur eſſe in humanitate ſufficit, ſi identificentur cum diuinitate, quæ cum ſit identificata cum Verbo per concomitantiã ibi eſſe debet; & ſecundariò per concomitantiam trahit ſecum alias perſonas.

Cur perſonæ Patris, & Spiritus Sancti non dicãtur incarnatæ.

7 Obijcies. Si Pater, & Spiritus Sanctus ſunt ſpeciali ratione in humanitate ratione vnionis, maximè quia non diſtinguuntur, niſi virtualiter à diuina eſſentia; ſed hæc diſtinctio ſufficit ad hoc vt ibi non ſint; ergo, &c. Probatur minor: hæc ſufficit, vt de Deo prædicentur prædicata contradictoria, cuiuſmodi ſunt eſſe communicabile, & eſſe incommunicabile; ergo etiam erit ſufficiens, vt verificentur iſta; diuina eſſentia eſt in humanitate, Pater, & Spiritus Sanctus non ſunt in humanitate.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, nego conſequentiam; ratio huius eſt, quia eſſe communicabile, & non eſſe communicabile ſunt prædicata, quæ deſumuntur ab eſſentia ſecundùm diuerſas virtualitates abſoluti, & relatiui: at hæc prædicata eſſe hic, & non eſſe hic, non deſumuntur à diuerſis virtualitatibus contrarijs, ſcilicet vnum ab abſoluto, aliud à relatiuo, ſed ſolùm ab abſoluto identificante ſibi relatiuum. Ideò &c.

ARTICVLVS XIV.

An quælibet natura ſit à Verbo aſſumptibilis.

1 EGimus hucuſque de perſona aſſumente, nunc de natura aſſumptibili agendum eſt, quæ, tractat D. Tho. in quæſt. 4. & 5.

Fuit error Vvcleffi, qui dixit ſolam illam naturam, quam de facto aſſumpſit Verbum, potuiſſe aſſumi, non verò aliam. Verum hic error eſt ſine prorſus fundamento, niſi hic hæreticus velit deſtruere omnipotentiam Dei; etenim quæ repugnantia in hoc, quod aliam naturam humanam aſſumat, cum ſit eiuſdem rationis cum illa Chriſti Domini? Hoc igitur omiſſo errore.

2 Albertus Magnus in 3. diſt. 2. vult naturam Angelicam non poſſe aſſumi. Alenſis verò 3. par. q. 2. mem. 7. Henricus quodlib. 13. q. 5. D. Bonauent. art. 3. diſt. 1. quæſt. 1. ar. 1. Carthuſ. diſt. 2. q. 2. ar. 3. Picus Mirand. in ſua Apologia in defenſ. 3. propoſ. Petrus Hurtadus diſp. 43. ſec. 2. negant poſſe naturam irrationalem aſſumi.

Communis tamen ſententia quam docet D. Thom. in 3. diſt. 2. q. 1. ar. 1. Capreolus diſt. 2. q. 1. Thomiſtæ communiter omnes, Suarez diſp. 14. ſect. 2. Vaſquez diſp. 30. cap. 2. Arriaga diſp. 24. ſec. 5. & communiter omnes alii Doctores docent, quamlibet naturam ſubſtantialem eſſe à Verbo aſſumptibilem.

3 Concluſio. Natura Angelica, & quælibet alia ſubſtantialis etiam irrationalis, & inſenſibilis poteſt hypoſtaticè à Deo aſſumi. Probatur de Angelica ex illo ad Hebræos 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* Quo loco commendat Apoſtolus ſpecialem charitatem, quam habuit Deus erga homines, quam non habuit erga Angelos, quod naturam humanam aſſumpſerit, non Angelicam; ergo ſupponit Angelos poſſe aſſumi. Secundò probatur ratione. Si non poteſt maximè, quiá ſuppoſitum in Angelis non diſtinguitur à natura; ſed hoc eſt falſum; nam cum diſtinctionem ſuppoſiti à natura colligamus ex myſterijs Trinitatis, & Incarnationis; ſicuti ex his myſterijs deducimus ſuppoſitum diſtingui à natura humana, ita, & ab Angelica, & ab omnibus alijs; cum non ſit maior ratio de vna, quam de alia; quare ſicuti creauit Deus naturam humanam, & loco ſubſiſtentiæ propriæ appoſuit diuinam; ita poterat creare naturã Angelicam, & loco ſubſiſtentiæ Angelicæ ponere diuinã.

Subſiſtentia etiã in Angelis diſtinguitur.

4 Probatur modò, quod potuerit aſſumere alias naturas etiam irrationales, & inſenſibiles; ex Nyſſeno in Oratione catechetica cap. 27. ex Auguſtino lib. de vera, & falſa Religione, cap. 16. & ex alijs Patribus, quos ad longum adducit Vaſquez loco citato cap. 2. ex quibus locis apparet, Verbum potuiſſe aſſumere corpus æthereum, & omnes naturas eſſe eiuſdem rationis quoad aſſumptionem; ergo ſi de facto aſſumpſit humanam, potuit etiam quamlibet aliã aſſumere.

5 Probatur ratione: nam non implicat

plicat neque ex parte naturæ; nam in qualibet eſt potentia obedientialis, & quælibet eſt ſeparabilis à propria ſubſiſtentia, ſicuti humana; neque repugnat ex parte perſonæ diuinæ; cum quælibet perſona diuina habeat virtutem infinitam ad terminandum; neque ſequitur vllum abſurdum, vt patebit ex ſolutione argumentorum. Confirmatur: Verbum diuinum vnitum eſt hypoſtaticè ſanguini, vt infrà probabimus; inſuper in triduo mortis fuit vnitum corpori ab anima ſeparato: ſed iſtæ ſunt naturæ irrationales; ergo verè natura irrationalis poteſt à perſona diuina aſſumi. Quod in triduo mortis fuerit vnitum corpori conſtat, tum ex illo communi axiomate, quod Verbum numquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit, quod quantùm ad partes principales omnes admittunt; ergo corpus, quod eſt pars principalis, & eſſentialis naturæ humanæ numquam fuit dimiſſum, & proindè Verbo fuit vnitum in triduo mortis. Tum quia de fide eſt Chriſtum pro nobis ſepultum fuiſſe, vt habemus ex Symbolo: *Paſſus, & ſepultus eſt*: ſed hoc verum non eſſet, niſi corpus fuiſſet vnitum Verbo in ſepulchro; ergo verè fuit vnitum Verbum corpori in triduo mortis.

6 Dices: Verum quidem eſſe, quod Verbum fuerit vnitum ſanguini, & corpori in triduo mortis, ſed tales naturas non fuiſſe à Verbo aſſumptas ſecundùm ſe, ſed ſolùm in ordine ad naturam rationalem, cuius ſunt partes. Sed contrà, quod ſint tales naturæ aſſumptæ in ordine ad naturam rationalem, & tamquã partes non facit, quod in ſe in triduo mortis non fuerint abſolutè irrationales; ergo ſi fuerunt tunc verè aſſumptæ, repugnantia non eſt ex parte naturæ.

7 Obiicies 1. Forma non poteſt vniri illi, cui non poteſt tribuere ſuum effectum formalem: ſed perſona diuina non poteſt tribuere ſuum effectum formalem naturæ irrationali; ergo nec etiam illi vniri: Probatur minor; effectus formalis perſonæ diuinæ eſt facere perſonam, illam ſanctificare, & cõſtituere filiam Dei: ſed ſi Verbum aſſumeret naturam irrationalem, nullum ex iſtis effectibus poſſet illi communicare; ergo ſignum eſt, quod non poſſit vniri.

Effectus formalis ſubſiſtentiæ quis eſt.

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem: ad probationem dico, effectum formalem primarium eſſe terminare naturam, & facere illam ſubſiſtentem, & ſi talis natura eſt rationalis faciet perſonam, ſi verò non ſit rationalis, illam conſtituet ſuppoſitum; ſicuti eadem curuitas in naſo facit ſimum non in alio ſubiecto; ex hoc porrò effectu ſequuntur alij, ſcilicet ſanctificare naturã, & conſtituere eam filiam Dei, ſi talis natura ſit capax, ſecus verò ſi ſit incapax; cuiuſmodi eſt natura irrationalis; eleuabitur quidẽ ad dignitatẽ veneratione dignam, vt patet de corpore Chriſti in triduo mortis, non tamen talis natura erit amica, aut filia, quia iſtæ denominationes ſupponunt capacitatem in ſubiecto; harum autem denominationum eſt incapax natura irrationalis; vnde ſi Verbũ aſſumeret equum, aut leonem; non per hoc leo eſſet filius Dei, aut ſanctus; cum harum denominationum huiuſmodi ſubiecta ſint incapacia.

8 Obiicies 2. Nulla natura eſt eleuabilis ad eſse ſupernaturale, cuius potentia non poteſt eleuari ad operationẽ ſupernaturalem: ſed nulla natura irrationalis eſt eleuabilis ad operationem ſupernaturalem; ergo neque eſt eleuabilis ad eſse ſupernaturale: maior patet, quia eſse eſt propter operari: Minor probatur, quia operationes ſupernaturales ſunt credere, ſperare, amare, & videre Deum; ad nullum autem ex his actibus eſt eleuabilis natura irrationalis; ergo neque ad eſse ſupernaturale eleuari poteſt.

Reſpondeo veram eſse maiorem de eſse eſsentiæ, & exiſtentiæ, non de eſse ſuppoſiti; nam hoc ſecundum non ordinatur ad operari, ſed eſt tantùm complementum naturæ, & conditio potentis operari: diuina autem perſona non communicat eſse eſsentiæ, & exiſtentiæ naturæ aſsumptæ, ſed tantùm eſse ſubſiſtentiæ, & ſuppoſiti, quod non affert ſecum poſse operari, ſed ſolùm eſt complementum naturæ: poteſt etiam concedi maior, & negari minor; falſum enim eſt, quod non dentur aliæ operationes ſupernaturales præter enumeratas; dantur enim etiam operationes miraculoſæ, quas poſset talis natura aſsumpta efficere.

9 Obiicies 3. Omne inconueniens eſt Deo impoſſibile ex D. Anſelmo de Incarnat. cap. 4. ſed ex aſsumptione naturæ irrationalis ſequeretur inconueniens, & indecens; ſcilicet Deum eſse lapidem, equum, lupum, & è contra; ergo eſt etiam impoſſibile, quod Deus has naturas aſsumat.

Reſpondeo negando minorem: nam talis aſsumptio poteſt eſse conueniens ad varios fines à Deo intentos, vt ad oſtendendam ſuam liberalitatem, ad facienda miracula, & huiuſmodi; etenim licet videatur maximè indecens, quod Deus expoſitus ſit flagellis, ſputis, cruci, & morti; nihilominùs Deus ſua ſapientia multas inuenit congruentias, vt hæc om-

Digitized by Google

omnia pateretur, in his enim ingentem eius charitatem erga genus humanum demonſtrauit, iuſtitiam cum miſericordia concurrit, & omnia attributa diuina in Incarnationis myſterio maximè enituerunt; ita Deus aſsumendo naturam irrationalem varias poſset adinuenire congruentias. Quare concedo poſſe dici tales propoſitiones, verùm dicerem cum Caietano: *Tene ſententiam, & cohibe linguam*; eo quod nunc cenſeantur piarum aurium offenſiuæ.

10 Obijcies 4. D. Thom. qui hic q. 4 art. 1. concludit dicens: *Vnde relinquitur, quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis.* 2. obijcit Hurtadus, Auguſtinum tom. 2. lib. de ſpiritu, & anima cap. 14. vbi vbi ait: *Animo ineſſe aptitudinem ad vnionem hypoſtaticam ex intelligendi virtute*; ergo vbi non eſt intelligendi virtus non eſt aptitudo. Adducuntur etiam Tertullianus de Carne Chriſti cap. 4. & Origenes lib. 2. Periarchon; ergo per hos Patres tantùm natura rationalis eſt aſſumptibilis.

Reſpondeo D. Thom. dicere ſolam naturam humanam eſse aſsumptibilem ſecundùm congruentias dignitatis, neceſſitatis, & extenſionis, quæ congruentiæ ſimul ſumptæ non ſunt in alijs naturis: fuit enim in ipſa congruentia dignitatis præ creaturis irrationalibus; fuit congruentia neceſſitatis, vt fieret ſatiſfactio Deo, eo quod tota natura per peccatum fuerat infecta: fuit congruentia extenſionis; quia per aſsumptionem humanæ naturæ toti mundo Deus ſe communicauit; cum homo habeat eſse cum lapidibus, viuere cum plantis, ſentire cum animantibus, intelligere cum Angelis, vt habet S. Greg. Hom. 29. in Euang. ceterum non loquitur D. Tho. de potentia abſoluta, vt patet ipſum legenti; & hoc modo interpretandi ſunt Patres; hoc vnum noto, quod de Tertulliano, & Origene non multum curandum, cum in varios prolapſi ſint errores; verùm in hac quæſtione non ſunt contrarij, ſed explicàtur, vt dictum fuit.

11 Quæres 1. Vtrùm poſſint aſsum partes abſque eo quod aſsumatur totũ vt materia, & forma materialis, vel aliqua pars integralis, vt bracchium.

Reſponeo affirmatiuè. Eſt contra Vaſquez diſp. 30. cap. 5. eſt etiam, quo ad materiam contra Thomiſtas fere omnes, eo quod ſuſtineant materiam non poſse exiſtere, nec diuinitus ſine forma. Reſponſio tamen noſtra eſt Suarez, Arriagæ, & plurium aliorum locis ſupra citatis, & quo ad materiam eſt Bannes, qui licet ſuſtineat materiam non habere propriam exiſtentiam 1. parte q. 66. ar. 1. dub. 2. docet per diuinam potentiam poſſe exiſtere ſine forma; eo quod Deus poteſt illi communicare propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam. Probatur ergo reſponſio; quia tam materia, quàm forma materialis, & quælibet pars integralis, vt bracchium, manus, &c. habent ſuas partiales ſubſiſtentias; ergo poſſunt illis priuari, & loco illarum poni diuina: ex hoc enim quæ repugnantia?

12 Dices; ergo tunc poſſemus dicere, Deus eſt forma, Deus eſt materia, vel bracchium. Sed contrà: nego conſequentiam, quia denominationes iſtæ poſſunt tantùm deſumi à natura totali; vnde ſicuti modo non dicimus bracchium eſt homo, licet in bracchio ſit tota animà cum materia, nec dicimus, Deus eſt ſanguis, licet iſte ſit vnitus Verbo; ita nec poſſumus dicere, Deus eſt materia, Deus eſt forma, vel bracchium propter eamdem rationem: poſſemus tamen dicere, Deus eſt vnitus materiæ, vel formæ, vel bracchio, &c. & hoc non alia ratione, niſi quia vſus communis loquendi docet tales denominationes debere deſumi à naturis totalibus, & non à partialibus. Hæc dicta ſunt ſuppoſito, quod materia habeat propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam.

13 Data tamen ſententia Thomiſtarum, quod materia nullam habeat propriam exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam; adhuc ſuſtineo cum Baneſio loco citato, & Soto 1. phyſicorum q. 6. poſſe materiam aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtẽtia diuina. Quod ſic probatur: de facto tota humanitas aſſumpta fuit à Verbo, & in triduo mortis corpus Chriſti erat vnitum Verbo: ſed non eſt certum formam cadaueris dari, aut dari formas partiales; & ſi forma cadaueris datur, non eſt certum, hanc fuiſſe vnitam Verbo; ſicut certum eſt fuiſſe vnitam materiam; ergo non tantùm de poſſibili, ſed etiam de facto probabile eſt materiam fuiſſe immediatè vnitam Verbo.

14 Secundò probatur. Si Deus non poteſt dare ſubſiſtentiam materiæ, niſi prius hæc ſit informata forma, maximè, quia ſubſiſtentia, vel exiſtentia ſunt effectus formales formæ, & Deus non poteſt ſupplere concurſum cauſæ formalis: ſed falſum eſt ſubſiſtentiam, & exiſtentiam eſse effectus formales formæ, vt debent etiam admittere ipſi Thomiſtæ, cum admittant in Incarnatione humanitatem non tantùm ſubſiſtere, ſed etiã exiſtere ſubſiſtentia, & exiſtentia diuina; & tamen Deus non concurrit in genere cauſæ formalis, ſed tantùm purè terminando: ergo ſi ratio ſubſiſtentiæ

Digitized by Google

conſiſtit in ratione puri termini, & Deus hoc poteſt præſtare, poterit etiam facere, quod materia exiſtat, & ſubſiſtat per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam diuinam.

15 Dices implicantiam eſse, quod ponatur materia exiſtẽs ſine forma; quia quidquid exiſtit debet eſse in aliqua determinata ſpecie, cum autem ponatur in determinata ſpecie per formam, ſequitur, quod non poſſit recipere exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam ſine forma: ſicuti implicat, quod Petrus ſit talis homo exiſtens, niſi ſit homo. Sed contra, quia falſum eſt, quod vt aliquid exiſtat, vel ſubſiſtat debeat eſse in aliqua determinatata ſpecie phyſica, vt patet de anima rationali, quæ ex ſe non eſt in aliqua determinata ſpecie phyſica, & tamen exiſtit, & ſubſiſtit; ſufficit ergo vt aliquid ſit in aliqua determinata ſpecie metaphyſica, hoc eſt, quod conſtet genere, & differentia; vt de facto conſtaret materia exiſtens per exiſtentiam diuinam: neque exemplum de Petro eſt ad rem; nam homo, & talis homo non diſtinguuntur, & dicit indiuiduum cum ſua ſpecie metaphyſica; ideò non poteſt eſſe Petrus talis homo, niſi ſit homo; quod nullo modo militat de materia, & forma, quæ realiter diſtinguuntur, & ſi ſeparatæ ponerentur à parte rei, ambæ eſſent in ſua ſpecie metaphyſica completa; licet in ſpecie phyſica eſſent tantùm incompletè, quod non implicat, vt patet de anima rationali.

16 Quæres 2. An Deus poſſit aſſumere naturam accidentalem?

Reſponde negatiuè ſic Mayron in 3. diſt. 5. q. 1. conc. 3. Baſſol. diſt. 2. q. 1. art. 2. Suarez diſp. 14. ſect. 4. Vaſquez diſp. 30. cap. 5. Orlandus diſp. 7. q. 3. citans Granadum, & alios. Quod Deus non poſſit aſſumere naturam accidentalem ad ſubſiſtendum, docent etiam Aluarez diſp. 22. concl. 5. Cabrera diſp. 5 & 6. Cipullus quæſt. 4. ar. 1. dub. 3. Ioann. à S. Tho. diſp. 7. ar. 3. Gonet. diſp. 8. ar. 3. dicunt tamen Thomiſtæ iſti poſſe Deum aſſumere accidens ad exiſtendum exiſtentia diuina, & increata, & verè conſequenter ad eorum principia, cum admittant exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia; vnde poteſt Deus vnire ſibi accidens, data hac ſententia, præbendo illi exiſtentiam diuinam. Noſtra tamen reſponſio eſt abſolutè contra Maiorem in 3. diſt. 2. quæſt. 3. Marſilium q. 3. ar. 1. Almainũ q. 2. Medinam hic ar. 1. Nazarium contro. 1. q. 6. Valentiam diſp. 1. q. 4. pun. 1. Amicum diſp. 15. nu. 24. Gabrielem à S. Vincentio diſp. 4. dub. 3. Suſtinentium poſſe accidens aſſumi immediatè à Deo ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina.

17 Probatur. Quod non eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ, neque poteſt aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia aliena, & diuina: ſed accidens non eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ; ergo neque poteſt ſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina: Maior patet; nam aſſumi ad ſubſiſtendum nihil aliud eſt, niſi quod loco ſubſiſtentiæ propriæ ponatur aliena: probatur minor, quia ſubſiſtere eſt modus differentialis, ſeu differentia conſtitutiua ſubſtantiæ, diuerſificando ipſam ab accidente; vnde ſicuti inhærentia, quia eſt propria accidentis, non poteſt communicari ſubſtantiæ; ita ſubſiſtentia, cum ſit propria ſubſtantiæ, non poteſt communicari accidenti: tum quia ſubſiſtentia eſt vltimum complementum ſubſtantiæ in genere ſubſtantiæ: ſed accidens non eſt capax vltimi complementi ſubſtantiæ; ergo non eſt capax ſubſiſtendi.

18 Quod verò neque poſſit aſſumi ad exiſtendum exiſtentia diuina patet, quia res eo ipſo, quod eſt extrà ſuas cauſas, eſt etiam exiſtens; nec exiſtentia diſtinguitur ab exiſtentia; ergo neque poteſt aſſumi accidens ad exiſtendum. In ſententia tamen Thomiſtarum cum eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, conſequenter loquuntur Thomiſtæ, dum dicunt poſſe aſſumi ad exiſtendum. Etenim cum accidens ſit capax exiſtentiæ, & hæc realiter diſtinguatur ab eſſentia, poteſt Deus loco exiſtentiæ propriæ dare accidenti exiſtentiam diuinam; Verùm, vt dixi, cum probabilius ſit eſſentiam non diſtingui ab exiſtentia; ſequitur apertè, quod neque ad exiſtendum aſſumi poſſit.

19 Aduerte tamen, quod duobus modis poteſt intelligi accidentia aſſumi; primo modo per ſe, ita vt immediatè exiſtant, vel ſubſiſtant per ipſammet exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam perſonæ aſſumentis: ſecundo modo mediatè, quia ſcilicet ſunt in natura aſſumpta, quamuis non habeant immediatam vnionem cum Verbo, & hic modus vocari poteſt in hypoſtaſi, primus autem modus ſecundùm hypoſtaſim: ſecundo igitur modo, & in hypoſtaſi; clarum eſt poſſe aſſumi, & de facto accidentia aſſumpta fuere à Chriſto; ſed quæſtio noſtra intelligenda eſt primo modo, ſeu claritatis gratia, an accidens ſeparatum poſſit aſſumi, & in hoc ſenſu dicimus non poſſe, neque ad exiſtendum, neque ad ſubſiſtendum.

20 Obijcies 1. Accidens ſeparatum habet modum eſſendi per ſe ſimilem ſubſtantiæ, vt patet in Euchariſticis accidendenen-

Digitized by Google

dentibus; ibi enim accidentia ſine inhærentia ſtant per ſe; ergo poteſt Deus illud accidens ſibi vnire ſupplendo illum modum.

Reſpondeo accidens in Euchariſtia habere modum ſimilem ſubſtantiæ negatiuè, non poſitiuè; nam accidenti ſeparato non tribuitur aliquis modus ſubſtantialis, ratione cuius ſubſiſtat, vt dicetur de Euchariſtia quæſt.5.ar.1.ſed videtur per ſe ſtare, eo quod non inhæreat: cum autem nos non poſſimus cognoſcere ſubſiſtentiam naturaliter, neque negationem inhærentiæ in Sacramento Euchariſtiæ, ideò dicimus habere ſimilem modum; vnde negatur conſequentia.

21 Objicies 2. Suſtentare naturam per modum ſuppoſiti maximam dicit perfectionem; ergo hoc poteſt conuenire Verbo reſpectu accidentis.

Reſpondeo repugnantiam non eſse ex parte Verbi, ſed ex parte accidentis, quod eſt incapax ſubſiſtendi.

ARTICVLVS XV.

An natura retenta propria perſonalitate potuerit à Verbo aſsumi.

1. DE fide certum eſt, quod Verbum aſsumpſit humanitatem ſine propria ſubſiſtentia, neque enim in Chriſto ſunt duæ perſonæ, vt definiunt Concilia, & Patres contra Neſtorium. Queſtio igitur præſens in eo conſiſtit, an Verbum ſicuti aſsumpſit naturam humanam non perſonalitatem, potuerit etiam aſsumere naturam humanam cum perſonalitate; nõ quod ſibi vnire poſſit hypoſtaticè perſonalitatem; hoc enim apertam inuoluit implicantiam, quia cum de eſsentia perſonalitatis ſit eſse quid incommunicabile alteri tamquam id *quo*, in id *quod*; ſi vniretur, deſtrueretur eius eſsentia.

Status quæſtionis. Quare ſenſus quæſtionis eſt, an natura terminata propria perſonalitate, non quatenus terminata, ſed materialiter conſiderata, retenta propria vnione ad ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem propriam, poſſit adhuc à Verbo aſsumi.

2 Prima ſententia eſt Alenſis 3. par. q.4.memb.6. Capreoli in 3. diſp.1. q.1. ar.3. Caiet.3.par.quæſt.3.art.6. Medinæ ibidem, Cabreræ q.3. art.6.diſp.1.ad 5. Aluarez diſp.26. Ioann. à S.Thom.diſp. 7.ar.1. Gonet.diſp.9. ar.4. & Thomiſtarum communiter. Scoti in 3.diſt.1. q.1. Durandi ibidem q.3.Suarez diſp.14.ſec. 1. Vaſquez diſp. 33. cap.2. Amici diſp. 15.ſec.2. & plurium aliorum apud ipsũ; hæc negat etiam de potentia abſoluta poſse aſsumi perſonam creatam, ſeu naturam retenta propria perſonalitate, hanc ſequitur etiam Lugus diſput. 12. ſect.6.

3 Secunda ſententia eſt Bacconis in 3.diſt.5.q.1. Martini Peres de Incarnat. diſp.9 ſec.9. Hurtadi in metaph.diſp.11. ſec.7.& 3.par. diſp.44. Bernaldi diſp 24. ſec.2. Ouiedi contr.6. metaph. punct.5. Arriagæ diſp.4.metaph. ſec.3. & hic diſput.27.ſec.1.Orlandi hic diſp.6.q.5 Gabrielis à S. Vincentio diſput.4. dub.4. & plurium recentiorum, hæc docet poſse aſsumi.

4 Concluſio. Potuit Verbum de potentia abſoluta aſsumere naturam humanam retenta propriá perſonalitate, eaque non aſsumpta. Probatur: Non repugnat ſecundum D.Thom. & auctores pro contraria ſententia allegatos humanitatem ſimul terminari duabus perſonalitatibus diuinis; ergo nec repugnabit terminari vna diuina, & altera propria.

5 Dices 1. diſparitatem eſse, quia ſubſiſtentia propria facit ſubſiſtere naturam in ſe, ſubſiſtentia verò aliena facit ſubſiſtere naturam in alio; implicat autem aliquid ſubſiſtere in ſe, & ſubſiſtere in alio. Sed contra hæc reſponſio non euacuat argumentum vllo modo; nam quod propria ſubſiſtentia faciet ſubſiſtere naturam in ſe, nihil aliud ſignificat, niſi quod faciat naturam ſubſiſtere in propria ſubſiſtentia; aliena verò facit ſubſiſtere naturam in aliena ſubſiſtentia; quare hoc eſt, quod quærimus, cur ſi poteſt natura ſubſiſtere in duplici ſubſiſtentia aliena; non poſſit etiam ſubſiſtere in propria, & aliena? Si enim ego poſsum ſimul eſse in duplici ſolo alieno; quare non poſsum etiam eſse in duplici ſolo, vno proprio, altero alieno? certè in hoc nulla poteſt aſſignari diſparitas.

6 Dices 2. cum Ioan. à S.Tho. quòd natura per propriam perſonalitatem habet rationem totius completi; ſi autem aſsumitur ab alia perſona non manet in ſe totum completum, & ſic erit totum, & non totum; totum in ſe, quia terminatum propria perſonalitate; non totum, quia eſt coniunctum alteri; eo modo, quo repugnat manum vniri homini tamquam ſuppoſito, niſi ſit pars illius; ſi verò ſit ſuppoſitata, non erit pars, ſed in ſe erit completa; & ſic quemadmodum manus eſset pars, & non eſset pars; ita natura perſonata, ſi aſsumeretur, eſset totum, & non eſset totum. Sed contra etiam natura humana aſsumpta à Verbo habet rationem totius completi, & tamen non deſinit

eſse totum, ſi aſſumatur eadem natura à Patre, ſed erit totum, & totum; ita natura cum propria perſonalitate eſt totum completum; at ſi aſſumatur à Verbo erit etiam totum, vnde erit totum completum, & totum completum, non totum, & non totum. Ad exemplum de manu, quod hæc ſit pars, non eſt, quia ſit ſuppoſitata ab aliena perſona, ſed quia non eſt ſeparata à toto; vnde etiam ſi daretur humanitas exiſtens, & non ſubſiſtens, adhuc manus eſſet pars humanitatis, ſeu totius corporis per vnionem cum reliquis partibus; & tamen tunc nō eſſet vnita ſuppoſito, cum non ſupponatur dari ſuppoſitum: ſi manus ergo ſubſiſtens propria ſubſiſtentia partiali vniretur ſuppoſito diuino, eſſet ſubſiſtens, vt pars per propriam ſubſiſtentiam partialem, & eſſet ſubſiſtens, vt pars per ſubſiſtentiam diuinam, verùm denominatio partis deſumeretur ab vnione cum reliquis partibus corporis, non ab vnione hypoſtatica.

7 Probatur 2. Non eſt diuinæ omnipotentiæ denegandum, niſi illud, quod apertam inuoluit contradictionem: ſed nulla eſt contradictio, quod natura retenta propria perſonalitate aſſumatur à perſona diuina, vt patebit ex ſolutione argumentorum; ergo &c. Confirmatur, quia idem corpus poteſt eſſe in pluribus locis, eadem materia poteſt informari duplici forma, & idem effectus poteſt eſſe à pluribus cauſis totalibus; ergo etiam eadem natura poterit habere duplicem ſubſiſtentiam propriam, & alienam; cum nulla prorſus in hoc poſſit aſſignari ſufficiens diſparitas.

8 Obijcies 1. Ex 5 Synodo Generali Coll. 8. can. 5. habetur: *Si quis non confitetur Dei Verbum carni ſecundùm ſubſiſtentiam vnitum, & propter hoc vnam eius ſubſiſtentiam, ſeu vnam perſonam, anathema ſit.* Idem inferunt multi SS. Patres. Ex quibus ſic poteſt formari argumentum. Concilium, & Sancti Patres inferunt in Chriſto vnam perſonam, eo quòd humanitas fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam Verbi: ſed hæc illatio non eſſet bona, ſi natura humana propria perſonalitate retenta poſſet terminari à diuina; ergo ſenſere Patres, & Concilium, vnionem naturæ humanæ cum Verbo eſse impoſſibilem, ſi natura retinuiſset propriā ſubſiſtentiam.

Reſpondeo. Patres, & Concilium ideo intuliſse non eſse in Chriſto duas perſonas, quia id repugnat ex natura rei, non verò quia diuinitus, ſicuti, quia quia naturaliter repugnat ſubſtantia panis cum ſubſtantia corporis Chriſti ſub iiſdem accidentibus, intulerunt in Sacramento Euchariſtiæ ſubſtantiam panis deſtrui; cum tamen diuinitus non repugnet conſeruari ſubſtantiam illam ſub ſpeciebus ſimul cum corpore Chriſti; ita pariter deduxerunt non eſse ſubſiſtentiam creatam in Chriſto, quia ibi erat diuina. Addo Patres, & Concilia collegiſse negationem perſonæ creatæ in Chriſto, non præciſè ex eo, quod Chriſtus ſubſiſtat per perſonalitatem Verbi, ſed quia de fide eſt, quòd in Chriſto ſit vna tantùm perſona, & ſcripturæ loquuntur de Chriſto homine, & Deo tamquam de vnica perſona, verum enim eſt, Verbum factum eſse hominem, & hunc hominem eſse Deum; quæ non poſsent verificari contra Neſtorium, niſi Chriſtus eſset vnica tantùm perſona.

9 Dices tamen: maius miraculum eſset priuare naturam propria ſubſiſtentia, quam eam conſeruare cum aliena: ſed facit Deus primum; ergo feciſset etiam ſecundum. Sed contra reſpondeo, & nego antecedens; nam eſt quidem miraculum ponere alienam: at tollere propriam præſente aliena non eſt miraculum, ſed aliquid naturaliter debitum, & neceſsariò conſequens; ſicuti ad poſitionem formæ ignis deſtructio ligni non eſt miraculum, ſed aliquid neceſsariò conſequens, & naturaliter debitum.

10 Obijcies 2. Subſiſtentia propria eſt intrinſeca cum natura ſua, & cum ea habet intrinſecam connexionem; ergo non poteſt aſsumi: probatur conſequentia, quia quando duo habent inuicem intrinſecam connexionem, non poteſt aſsumi vnum, quin aſsumatur & aliud; ſed implicat aſsumi perſonalitatem; ergo etiam implicat aſsumere naturam cum propria perſonalitate.

Reſpondeo negando conſequentiam: ad probationem, nego maiorem; nam licèt habeant intrinſecam connexionem, ſunt tamen res diſtinctæ realiter, & ideò poteſt terminari natura, non perſonalitas; ſicuti enim, licèt Chriſti humanitas haberet connexionem cum propria perſonalitate, tamen potuit aſsumi natura, & non aſsumi perſonalitas; ita etiā ſi remanſiſset perſonalitas, adhuc poterat vniri natura, non perſonalitas, ſunt enim res diſtinctæ.

11 Obijcies 3. De intrinſeca ratione ſubſiſtentię eſt reddere naturam incommunicabilem, ergo poſita ſubſiſtentia propria erit incommunicabilis, nec poterit poni alia.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: eſt reddere naturam incommunicabilem, ſi accipiatur natura formaliter, vt

habens

Digitized by Google

habens ſubſiſtentiam, concedo antecedens: ſi accipiatur materialiter, nego antecedens; etenim ſicuti aduerſarij concedunt, naturam poſſe terminari duplici ſubſiſtentia aliena, v. g. Patris, & Filij, ita dicimus nos, poſſe terminari duplici ſubſiſtentia, nempe propria, & aliena; quare negatur conſequentia.

12 Obijcies 4. Subſiſtentia propria facit naturam ſubſiſtere in ſe, & per ſe; ſubſiſtentia aliena facit ſubſiſtere naturam in alio: ſed implicat naturam ſubſiſtere in ſe, & in alio; ergo & ſubſiſtere per propriam, & alienam ſubſiſtentiam: probatur minor; nam ſubſiſtere per ſe, & in alio ſunt modi, qui inuoluunt contradictionem: nam ſubſiſtere in ſe, & per ſe formaliter eſt non ſubſiſtere in alio; ſicuti formaliter eſſe ens ab alio, eſt non eſſe ens à ſe; ergo ſicuti implicat eſſe ens à ſe, & eſſe ens ab alio; ita implicabit eſſe exiſtens, & ſubſiſtens per ſe, & in ſe, & eſſe ens exiſtens, & ſubſiſtens in alio. Sic arguunt Suarez, & fere omnes recentiores.

Reſpondeo ad maiorem in ly *in alio* latere æquiuocationem pluſquam palmarem: nam vel poteſt habere ſenſum, quod natura exiſtat, & ſubſiſtat per ſe, ſed in alieno ſuppoſito, vel quod inhæreat: ad minorem dico, quòd quidem implicat, quod natura exiſtat, & ſubſiſtat in ſe, & per ſe, & quod inhæreat: at non implicat, quod exiſtat in ſe, & per ſe in propria ſubſiſtentia, & etiam exiſtat per ſe in aliena ſubſiſtentia; nam ſequitur tantũ, quod bis ſubſiſtat, nõ verò, quod ſubſiſtat, & non ſubſiſtat. Ad probationem dico, exiſtere in ſe, & per ſe, & inhærere, eſſe modos contradictorios; ſicuti enim ſunt oppoſiti illi modi eſſe ens à ſe, & eſſe ens ab alio; ita ſunt oppoſiti eſſe ens per ſe, ideſt ſubſtantiam, & eſſe ens in alio, ideſt accidens, & vnum includit negationem alterius: at exiſtere per ſe in propria ſubſiſtentia, & exiſtere per ſe in aliena ſubſiſtẽtia non ſunt modi oppoſiti contradictoriè; dicunt enim tantum bis ſubſiſtere per ſe; & ratio eſt, quia ſubſiſtentia aliena facit id, quod faceret propria. Vnde humanitas ſicuti exiſtit per ſe, ſed in Verbo; ita etiam natura humana ſi haberet duplicem ſubſiſtentiam, ſcilicet propriam, & alienam, & exiſteret in ſe, & per ſe per propriam, & exiſteret per ſe in aliena, quod eſſet bis ſubſiſtere, hoc autem non implicat.

Æquiuocatio tollitur

ARTICVLVS XVI.

Quid de facto Verbum aſſumpſerit, & an aſſumpſerit ſanguinem.

1 CErtum in primis eſt de fide Verbum aſſumpſiſſe verum corpus humanum, & veram animam rationalem; ſic in Symbolo S. Athanaſij definitur: *Perfectus Deus, & perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*, & plura Concilia idem definiunt contra varios hæreticos.

2 Certum ſecundò eſt, Verbum aſſumpſiſſe has partes vnitas; hoc eſt Verbum aſſumpſiſſe corpus verum humanum informatum anima rationali, vt colligitur ex Concilio Epheſino can. 13. & Calcedonenſi act. 1. & 5. & in VI. Synodo act. 11. in epiſt. Sophronij, & act. 13. c. 9. Ratio eſt, quia de fide eſt Chriſtum fuiſſe verè mortuum in illo triduo; ſed ſi non aſſumpſiſſet partes vnitas, non fuiſſet mortuus; nam has partes ſemper habuit vnitas; ergo cum de fide ſit Chriſtum fuiſſe mortuum, ideò fuit, quia anima, quæ aſſumpta fuerat à Verbo vnita corpori in triduo illo verè ſeparata fuit à corpore.

3 Certum eſt 3. inter omnes Verbũ aſſumpſiſſe omnes partes integrales, quę formaliter, & intrinſecè informantur anima, & ſunt de intrinſeca ratione corporis, haſque omnes ſecundùm hypoſtaſim aſſumpſiſſe; reliqua omnia ſaltem in hypoſtaſi aſſumpſiſſe; Cum ergo oſſa, nerui, caro, & ſimiles partes informentur anima, has omnes partes aſſumpſiſſe indubitatum eſt.

4 Dubium ergo primũ eſt, an in proprietate ſermonis poſſit dici *Verbum aſſumpſit hominem*.

Lodouicus Viues in lib. 9. Aug. de Ciuitate Dei cap. 17. Grammaticus magis, quam Theologus irridet Theologos, eo quod negent poſſe dici, Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed re vera ipſe eſt reprehendendus, quod purus grammaticus auſus fuerit mittere falcem in meſſem alienam.

5 Concluſio prima. Hæc propoſitio *Deus aſſumpſit hominem* in rigore, & proprietate ſermonis eſt falſa. Ita D. Thom. hic quæſt. 4. ar. 3. & communiter omnes Theologi. Probat hoc D. Thom. auctoritate Felicis Papæ, & Martyris in Epheſina Synodo, & D. Damaſceni. lib. 3. cap. 4. vbi habet. *Sicut hoc nomen Deus ſignificat eum, qui habet naturam diuinã; ita hoc nomen homo ſignificat eum, qui habet naturam humanam*. Sed falſum eſt Verbũ aſſumpſiſſe id, quod habet humanam

natu-

naturam, ſecus duæ perſonæ eſſent in Chriſto; ergo etiam in rigore ſermonis falſum eſt, Verbum aſſumpſiſſe hominẽ; cum hoc ſignificet perſonam habentem humanam naturam.

6 Dices D. Aug. lib. de Agone Chriſti habet. *Filius Dei hominem aſſumpſit, & in illo humana perpeſſus eſt*; & idem habet pluribus alijs in locis; & idem videntur habere plura Concilia: ergo ſi Auguſtinus, & Concilia id dicunt, poſſumus, & nos cum proprietate ſermonis dicere idem.

Reſpondet D. Tho. loco citato, quod vbicumque inueniuntur iſtæ propoſitiones à S. Patribus dictæ piè ſunt exponendæ, vt dicamus, hominem aſſumptum, quia eius natura eſt aſſumpta, & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt filius Dei ſit homo. Cardinalis de Lugo dicit, quod antiquitus ly nomen *homo* erat indifferens ad ſignificandam naturam humanam in concreto, vel in abſtracto; Vnde ſicuti ſi Verbum aſſumeret hypoſtaticè aquam, diceremus Verbum aſumpſiſse aquam, quia non habemus duo nomina ad ſignificandam concretum, & abſtractum aquæ; at nunc habemus duo nomina ad ſignificandam naturam humanam in abſtracto, & in concreto, ſcilicet humanitatẽ, & hominem; hoc enim ſignificat naturam humanam in concreto, humanitas verò ſignificat eamdem in abſtracto, ſeu

Humanitas, & homo nõ ſunt idem.

naturam humanam cum ſubſiſtentia, & cum certum ſit, Verbum non aſſumpſiſse humanam naturam cũ ſubſiſtẽtia; hinc eſt, quod nunc cum rigore ſermonis non poſsumus dicere, Verbum aſsũpſiſse hominem, ſed ſolùm aſumpſiſse humanitatem; antiquitus autem poterat etiam dici, Verbum aſumpſiſse hominem.

7 Maior difficultas eſt inter Theologos, an Verbum immediatè aſumpſerit ſanguinem, & omiſſis quibuſdam delirijs hæreticorum.

Durandus in 4. diſt. 10. quæſt. 1. quem ſequitur Gabriel lec. 53 in can. Miſsæ, voluit ſanguinem non fuiſse vnitũ ſubſiſtentiæ Verbi immediatè, ſed ſolùm remotè, quatenus erat in humanitate Chriſti, quæ aſumpta erat: proximè, et immediatè à Verbo; vnde voluit, ſanguinem retinuiſse propriam ſubſiſtentiam, nec fuiſse anima informatum.

Caietanus infra quæſt. 54. artic. 2. & hic, Aluarez diſp. 28. Syluester quæſt. 31. Ciſullus quæſt. 5 ar. 1. dub. 1. Complutenſes de anima diſp. 6. quæſt. 1. Gonet diſp. 9. ar. 2. & Gabriel à S. Vincentio diſp. 5. dub. 2. diſtinguunt de duplici ſanguine, alium vocant purè nutrimentalẽ, alium naturalem, hic eſt ſanguis perfectè decoctus, & qui requiritur tamquam pars humani corporis; nutrimentalis verò non eſt perfectè decoctus, quia verã ſanguinis naturam necdum habet, quãuis in colore ſit ſimilis, ſed tendit ad naturam ſanguinis; dicunt ergo hi Doctores, ſanguinem naturalem fuiſse hypoſtaticè vnitum Verbo, non verò ſanguinem nutrimentalem; quam ſententiam Gonet vocat communem Thomiſtarum.

Capreolus in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. Albertus Magnus de ſacrificio Miſsæ, Suarez diſp 15. ſect. 6. & alij apud ipſum, Vaſquez diſp. 36. Lugus diſput. 14. ſec. 2. Orlandus diſp. 8. quæſt, 2. Ioan. à S. Thom. diſp. 7. ar. 3. Franciſcus Collius de ſanguine Chriſti lib. 5. cap. 5. Arriaga diſp. 22. per plures ſectiones, Amicus diſp. 15. ſect. 7. & communiter Doctores aſserunt, totum Chriſti Domini ſanguinem fuiſse Verbo vnito.

8 Concluſio 2. Verbum immediatè fuit vnitum ſanguini. Hæc opinio ita eſt certa, vt Ioan. à S. Thom. dixerit eſſe de fide, Capreolus notat Durandi opinionem vt erroneam, & hæreticam. Vaſquez vt temerariam Arriaga tamen conatur Durandi opinionem ab omni cenſura liberare; ſed verè non video, quomodo ad minus non ſit temeraria, cum ſit contra communem loquendi modum Patrum, & Conciliorum: verùm quicquid ſit de cenſura.

8 Probatur Concluſio primò ex Cõcilijs; nã Conciliũ Epheſinum can. 5. dicit. *Verbum æquè ac nos communicaſſe carni, & ſanguini*; & in Conc. Calced. act. 1. p. 33 approbatur illa explicatio Cyrilli *Verbum caro factum eſt*. id eſt. *carnem, & ſanguinem ſumpſit* Et Clemens VI. In Extrauag. *Vnigenitus* habet. *Guttam ſanguinis modicam propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſufficere potuiſſe*. Et Concilium Trid. ſeſs. 13 cap. 3. vocat ſanguinem partem Chriſti Domini. Vnde ſic formatur argumentum: omnis vera pars humanitatis, & corporis Chriſti verè aſumpta fuit à Verbo: ſed ſanguis eſt vera pars humanitatis, & corporis humani Chriſti Domini; ergo ſanguis verè aſumptus fuit à Verbo. Et hoc eſt etiam optimum argumentum ad probandum ſanguinem eſse animatum, cũ omnis vera pars debeat animari; quod ſi eſt animatus, vtique debuit aſumi à Verbo; cum Verbum aſumpſerit omnes partes, quæ fuerunt animatæ.

10 Quod dicimus de ſanguine intelligendum eſt etiam de alijs humoribus; ſcilicet flaua bili, atra bili, & flecmate; nam

Digitized by Google

cam ſunt commixti cum ſanguine, & ſunt de integritate naturæ.

11 Idem dicendum de ſpiritibus vitalibus, & animalibus; nam ſubſtantialiter hi ſpiritus ſunt particulæ ſanguinis magis tenues, & puræ. Idem dico de capillis, & vngnibus, tum quia per me ſunt partes animatæ; tum quia etiamſi non eſsent, ſunt tamen de integritate Chriſti corporis; Chriſtus autem aſsumpſit integrum corpus humanum.

12 Quid verò dicendum de ſententia Caietani, & aliorum diſtinguentiū duplicem ſanguinem in nutrimentalem, & naturalem, exiſtimo bene explicatis terminis non eſse inter nos, & eoſdem diſſidium; nam cum per ſanguinem nutrimentalem, vt explicant Gonet, & alij, intelligant materiam chyli, quæ antequam tranſeat in verum, & proprium ſanguinem habet aliqua accidentia valdè ſimilia ſanguini, quæ tamen non ſufficiunt, vel ad vnionem cum anima rationali, vel ad formam ſpecialem ſanguinis, ſufficiunt tamen vt in apparentia iudicetur ſanguis, cum tamen re vera non ſit ſanguis; certè hunc humorem non eſſe aſſumptum fatemur libenter; cum illa materia non ſit verus, & proprius ſanguis; ſed ſolùm nutrimentum, ex quo verus ſanguis formatur; noſtra autem concluſio dicit, quod omnis, & verus ſanguis aſſumptus eſt à Verbo; cum autem ille, quem vocant nutrimentalem, non ſit verus, & proprius ſanguis, ſed tantùm nutrimentum, ex quo formatur ſanguis; mirum non eſt, ſi hic non fuit aſſumptus. Sententia Caiet. explicatur.

13 Obijcies 1. Quod etiam ſanguis nutrimentalis fuerit aſſumptus. Clemens VI. in extrauaganti ſupra citata *Vnigenitus* dicit. *Guttam ſanguinis modicam propter vnionem ad Verbum pro redemptione humani generis, ſuffeciſſet*; Sed ſi totus ſanguis etiam nutrimentalis non fuiſſet vnitus, non quælibet gutta ſanguinis, ſed tantū illa, quæ fuiſſet vnita ſuffeciſſet pro redēptione generis humani; ergo cum abſolutè loquatur de qualibet gutta, debebemus etiam fateri omnem ſanguinem fuiſſe vnitum.

Reſpondeo hoc argumentum nullum eſſe; nam per guttam ſanguinis intelligit Pontifex verum ſanguinem non nutrimentalem, qui non eſt verus ſanguis, ſed tantùm ſimilis verò ſanguini in aliquibus accidentibus. Dico ſecundò, quod lacryma Chriſti Domini ſuffeciſſet pro redemptione generis humani, licèt hæc non ſit vnita Verbo, quia licèt non eſſet vnita, erat tamen infiniti valoris, quia procedebat à perſona infinitè digna; ita poſſumus dicere de gutta ſanguinis nutrimentalis, quamuis hic non ſit vnitus immediatè, ſufficit enim, ſi profluxiſſet à natura immediatè vnita, & conſequenter à perſona infinitæ dignitatis.

14 Obijcies 2. Quod eſt de integritate naturæ humanæ debuit immediatè aſsumi à Verbo diuino: ſed ſanguis nutrimentalis eſt de integritate naturæ humanæ: ergo debuit immediatè aſſumi à Verbo diuino: maior patet: probatur minor: ſanguis nutrimentalis eſt ille, qui deſeruit generationi, & ille, quem Filij à ſuis matribus accipiunt, ex Ariſt. 1. de gener. anim. cap. 20. Sed ſanguis, quem filij à ſuis matribus accipiunt, debet eſſe pars naturæ humanæ; ergo ſanguis nutrimentalis eſt pars naturæ humanæ; probatur minor, ſecus non procederent per generationem: cum hæc *Sit origo viuentis à viuente, vt à principio coniuncto in ſimilitudinē naturæ.* vbi per *principium coniunctum* intelligitur pars aliqua naturalis deciſa ab ipſo viuente, & communicata genito: imo nec Chriſtus poſſet dici filius Virginis contra id, quod fides docet, & definiunt Concilia contra Neſtorium, nam formatus fuiſſet tantū ex ſanguine nutrimentali Virginis, qui non eſſet pars naturæ humanæ ipſius Virginis; ergo cum de fide ſit Chriſtum eſſe filium Virginis, debemus etiam fateri ſanguinem nutrimentalem eſſe partem naturæ humanæ; omnis autem vera pars fuit aſſumpta à Verbo.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, dico ſanguinem generationi deſeruientem non eſſe illum, quem Thomiſtæ appellant nutrimentalem, & qui eſt ſimilis in accidentibus ſanguini, ſed nondum eſt verè ſanguis, ſed huiuſmodi ſanguinē generationi deſeruientē eſse verū ſanguinē magis decoctū, & in ſemen formatum; & Chriſtus verè eſt filius B. Virginis, quia eius corpus formatum fuit ex puriſſimo ſanguine ipſius virtute Spiritus Sancti; vt habet D. Thom. infra q. 31. ar. 5. Chriſtus cur verè filius Virginis ſit.

15 Obiicies 3. Nullum ſanguinem fuiſſe aſſumptum. Illud tantùm aſſumpſit Verbum, quod eſt de integritate corporis humani: ſed ſanguis non eſt de integritate corporis humani: ergo non fuit aſſumptus: probatur minor: quia ſanguis etiam perfectus deſeruit nutritioni carnis, oſſium &c. ergo eſt purum alimentum, non pars, niſi in potentia.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, nego conſequentiam, & aſſero inſtantiam claram de medullis, quæ informantur anima, & ſunt de integritate corporis, & tamen ſunt alimen-

alimentum viuentis; ita & de ſanguine dicendum eſt; non enim eſt abſurdum, quod animal ſecundùm diuerſas partes nutriatur ex ſuis partibus; ſufficit enim, ſi tales partes mutentur accidentaliter in ſententia illorum, qui negat formas partiales; nos autem, qui tales formas partiales admittimus, fatemur ſanguinem mutari ſubſtantialiter, dum fit caro &c.

16 Obijcies 4. Quod Verbum ſemel aſſumpſit numquam dimiſit: ſed certũ eſt, multum ſanguinis aliquando non fuiſſe vnitum Verbo; ergo etiam certum erit, talem ſanguinem numquam fuiſſe vnitum Verbo; ſecus aliquando dimiſiſſet, quod ſemel aſſumpſit; probatur minor, quia varias particulas ſanguinis in paſſione effuſi reliquit Chriſtus in terris ad conſolationem fidelium; ſed talis ſanguis in terris exiſtens nunc non eſt vnitus Verbo; ergo numquam fuit vnitus: maior conſtat ex Bulla Pij II. ad Abbatem S. Mariæ Xantonenſis diæceſis, vbi Pontifex dicit, non repugnare, quod pars Chriſti ſanguinis ſit in terra ad conſolationem fidelium. Idem apparet de Syndone Sacra Taurinenſi, declarauit enim Iulius II. ruborem, qui in ea nunc cernitur, eſſe reliquias ſanguinis fuſi; Idem cernitur in Sudario Veronicæ hic Romæ in Templo D. Petri aſſeruato, & in ferro lanceæ: tum quia narrat Nicephorus lib. 1. hiſtoriæ cap. 30. Sanguinem, & aquam ex latere Chriſti profuſa in Vaſculo quodam à Virgine, & Sancto Ioanne excepta, & conſeruata fuiſſe; & Syluester tract. 2. Roſæ aureę ad Euangelium feriæ quintæ infra octauam Paſchæ, ſcribit Beatam Magdalenam detuliſſe apud Sanctum Maximinum ampullam vitream, in qua eſt ſanguis Chriſti terra mixti, quem ipſa collegerat tempore paſſionis: qui ebullit in die Paraſceues, vt teſtati ſunt de Viſu plures Patres ex Dominicanis Gonero; & aſſeruatur hæc ampulla in Regio Conuentu Maximinenſi. Idem dicendum de ſanguine, qui Mantuæ aſſeruatur, fluxit enim de corpore Chriſti tempore paſſionis, vt notat Baronius ad annum 804. & lib. 6. reuelationum S. Brigittæ B. Virgo ſic dixit. *Cum tempus vocationis meę inſtaret de hoc mundo, ego ipſam ſacram membranam* (ſcilicet Præputij) *commendaui Sancto Ioanni cuſtodi meo cum ſanguine illo benedicto, qui remanſit in vulneribus eius, quando depoſuimus eum de Cruce.* Ergo etiam nunc datur verus ſanguis Chriſti in terris: probatur minor, quia nunc talis ſangnis non eſt vnitus Verbo; quicquid dicat Valentia hic diſp. 1. q. 5. punc. 1. ad. 3. & ratio eſt: tum quia non poteſt dici tales guttas in fine mundi veniendas corpori Chriſti; nam ſequeretur Chriſtum non perfectè reſurrexiſſe, nec in ea perfectione, in qua erit poſt diem iudicij, quod nullo modo dici poteſt: tum quia idem deberet dicit de pilis, de vnguibus, & de dentibus, quos in pueritia mutauit; quas tamen partes nullus admittit nunc eſſe vnitas: ergo &c.

Reſpondeo, quod axioma illud intelligitur de partibus integris; non verò de earum particulis, & maximè de ijs, quæ non erant neceſſariæ ad integritatẽ corporis Chriſti, vt patet de illis partibus, quæ continuò per calorem naturalem deperdebantur, & de pilis, vnguibus &c. fateor enim, has particulas ſanguinis nunc non eſſe vnitas Verbo diuino: at nego non fuiſſe vnitas, quando erant in corpore Chriſti, & verè erant partes Chriſti Domini, non enim reaſſumpſit Chriſtus omnes particulas ſanguinis ſui, ſed aliqua reliquit in terris ad conſolationem fidelium.

17 Quæres an in Triduo mortis, in quo ſanguis remanſit ſeparatus à corpore, eſſet vnitus Verbo.

De hoc fuit graue diſſidium inter Patres Dominicanos, & Franciſcanos anno ſecundùm Spondanum 1462. contendentibus Patribus Franciſcanis in triduo mortis ſanguinem non fuiſſe vnitum Verbo, è contrà verò Dominicanis contrarium aſſerentibus, & res delata fuit ad Summum Pontificem, qui tamen nihil nec pro vna, nec pro alia parte determinauit, vt refert Gonet ex Spondano tom. 2. continuationis ad annum 1462. Verum communis ſententia, tum Thomiſtarum, tum recentiorum, Suarez, Vaſquez, Lugi diſp. 14. ſect. 5. Arriagæ diſp. 23. ſect. 1. 2. & 3. Gabrielis à S. Vincentio, & aliorum eſt in triduo fuiſſe vnitum.

Reſpondeo tamen ſanguinem in triduo mortis fuiſſe vnitum. Ratio eſt, quia Verbum in triduo fuit vnitum corpori: ergo & ſanguini: probatur conſequentia; ideo remanſit vnitum corpori, quia erat pars humanæ naturæ, quæ reſurgere debebat: ſed etiã ſanguis eſt pars humanæ naturæ, quę reſurgere debebat: ergo Verbum etiam ſanguini vnitum remanſit.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XVII.

Quo ordine partes aſſumptæ fuerint à Verbo.

1 TRactant hic Suarez, & alij, an Verbum naturam humanam aſsumpſerit per vnicam vnionem, ſeu modum, & an vnio inter materiam, & formam fuerit aſsumpta per diuerſũ alium modum; Verùm cum per nos, vt ſupra vidimus, ſint ſuperflui omnes iſti modi, & verè, & ſufficienter intelligatur Verbum vnitum humanitati per complexum dependentiæ naturæ humanæ à Verbo in ratione termini, & terminabilis, dicendum eſt per vnicum complexum adæquatè aſsumptam fuiſse humanitatem; inadæquatè verò eſse duplex, non ex parte Verbi, quia eſt vnicum, & indiuiſibile; ſed ex parte partium ſcilicet corporis, & animæ, quæ ſunt duæ partes; & hæc de his vnionibus.

2 Suppono primò non inquiri hic de ordine temporis, vel realis exiſtentiæ, aut durationis, quia de fide eſt, animam Chriſti non fuiſse creatam ante corporis formationem, nec corpus fuiſse prius tempore conceptum, quam animatum, & aſsumptum; quæ ſane omnia pendent tum ex definitis contra Cherintum, & alios hæreticos, qui humanitatem Chriſti prius tempore creatam fuiſse dicebant, & deinde ſucceſsu temporis aſsumptam fuiſse à Verbo deſtructa propria perſonalitate: tum ex definitis contra Originem, qui volebat, animam Chriſti fuiſse prius creatã: tum ex definitis pro maternitate Beatæ Virginis, quod ſit vera Dei mater, & Chriſtus ſit ex Virgine conceptus: nam ſi prius tempore eius humanitas extitiſset, non poſset de Chriſto verificari, quod conceptus eſset ex Virgine. De fide etiã eſt integram humanitatem non prius tẽpore extitiſse, quam fuerit vnita Verbo, propter eamdem rationem Vnde ſolùm hic quærimus de prioritate naturæ, vel rationis, non de prioritate temporis.

3 Suppono 2. Hunc ordinem, vel poſse eſse ſecundùm intentionem, vel ſecundùm executionem. Ordo intentionis attenditur ex parte agentis intendentis prius vnam rem, quam aliam; Ordo verò executionis attenditur ex parte rerum, quatenus vna res vnitur mediante alia: hoc autem vniri vnum mediante alio dupliciter contingit, vel ita vt illud aliud ſit medium vniendi, & ſic gluten eſt medium vniendi duas tabulas, modus vnionis in ſentẽtia modos admittentium eſt ratio vniendi materiã, & formam &c. vel attenditur ex parte agentis, quatenus agens non aſsumeret aliquid, niſi adeſſet aliud; ſic gratia habitualis eſt ratio cur amemur à Deo, licèt Deus non amet gratiam amore amicitiæ, ſed nos habentes gratiam. His poſitis videndum eſt, quem ordinem ſeruauerit Verbum in aſsumptione partium, & humanitatis, & quomodo intelligi debeat illud commune dictum Patrum a Concilijs receptum, quod Verbum aſsumpſit carnem mediante anima; ita apertè loquitur ſexta Synodo actione 18.

4 Concluſio prima. Ideo Verbum aſsumpſit carnem mediante anima, quia hæc eſt dignor. Sic Caiet. Vaſquez, & plures alij. Probatur: quia non poteſt intelligi dictum Patrum, & Conciliorum, quod *Verbum* aſſumpſit carnem mediante anima, eo quod anima ſit medium, ſeu quaſi gluten vniendi corpus; nam ſi eſſet anima medium, ſeu gluten, ablato hoc medio deberet deſtrui talis vnio; ſed fides docet, quod licèt anima in triduo eſſet ſeparata à corpore; nihilominus Verbum adhuc remanſit vnitum corpori; ergo anima nõ erat medium, & gluten vniendi Verbum corpori. Dicitur ideo corpus vnitum mediante anima, quia corpus aſſumptũ fuit ratione ſubiectionis, quam habebat ad animam, & aſſumptum non fuiſſet, niſi ad animam rationalem ordinaretur.

5 Concluſio 2. Ordine intentionis Verbum prius aſſumpſit humanitatem, quam partes, & animam prius, quam corpus. Ita D. Thom. & communiter Thomiſtæ cum alijs. Probatur: quia finis eſt ille, qui eſt prior in intentione: ſed humanitas eſt illa, quæ habet rationem finis; nam ratione illius factum eſt Verbum homo: ergo etiam ordine intentionis prius aſſumpſit humanitatem, quam partes; & eadem ratione probatur etiam ordine intentionis prius intendiſſe aſſumere animam, quam corpus, quia anima eſt nobilior pars, & eſt illa, quæ conſtituit hominem.

6 Concluſio 3. Ordine executionis prius aſſumptum fuit corpus, quam anima. Probatur: tum quia ordo executionis eſt oppoſitus ordini intentionis: tum quia non debet immutari natura ipſarum rerum: ſed naturaliter loquendo prius corpus eſt diſpoſitum, quàm introducatur anima, & producatur; ergo in illo priori naturæ, in quo intelligebatur diſpoſitum, debuit etiam intelligi ſubſiſtens: ſed non intelligi ſubſiſtens per propriam ſubſiſtentiam, quia illam numquam habuit: ergo intelligitur ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi; adeoque prius

Digitized by Google

vnitum fuit corpus.

7 Concluſio 4. Prius partes aſſumptæ fuerunt, quam vnitæ fuerint inuicem. Eſt contra Vaſquez diſp. 37. & Lugum diſput. 15. eſt tamen Suarez, & aliorum. Probatur ille ordo ſeruandus eſt in aſſumptione à Verbo, qui in propria ſubſiſtentia ſeruaretur, & in alijs compoſitis ſeruatur: ſed prius natura eſt, quod partes ſubſiſtant in ſe, quam inter ſe vniantur ad faciendum totum; ergo etiam in Chriſto prius aſſumptæ fuerunt partes à Verbo, quam vnitæ fuerint inuicem: maior patet, quia non debemus immutare ordines rerum ſine euidenti neceſſitate: minor etiam patet, ex dictis in metaphyſica, vbi probatum ſuppono partes habere propriam ſubſiſtentiam partialem; ergo etiam prius quam vniantur inuicem, debent habere ſubſiſtentiam. Secundò probatur: prius natura anima creatur à Deo, & exiſtit, quam vniatur: ſed quando creatur debet intelligi habere, vel propriam, vel alienam ſubſiſtentiam; cùm creatio ſit ſubſiſtentium: ergo cum in Chriſto non potuerit habere propriam ſubſiſtentiam, debuit habere diuinam, & conſequenter prius vnita fuit Verbo, quam corpori.

8 Dices Patres Concilia, & D. Th. dicunt Verbum aſſumpſiſſe carnem mediante anima; ergo prius eſt animam informaſſe corpus, quam aſſumeretur; nam Verbum aſſumpſit carnem humanam; caro autem humana non eſt, niſi per animam. Sed contra: quia ideo dicitur, corpus fuiſſe aſſumptum mediante anima, quia corpus habebat ſubiectionem, & ordinem ad animam: erat enim vltimò diſpoſitum ad animam, & ideo poterat dici caro humana vltimò diſpoſita; realiter verò, quia in eodem inſtanti temporis fuit caro informata anima, & aſſumpta; & ſic poteſt etiam explicari D. Thom ſi aliquando in contrarium adducatur.

9 Concluſio 5. Ordine intentionis prius aſſumpta fuit humanitas, ordine executionis prius partes, quam humanitas, quæ tamen non fuit aſſumpta diuerſa aſſumptione ab illa partium, vt vult Suarez. Probatur prima pars, quia ordine intentionis agens prius intendit totum, quam partes, completum, quam incompletum; ſed humanitas eſt totum completum, anima, & corpus ſunt partes; ergo ordine intentionis agens prius voluit humanitatem, quam eius partes. Secunda pars, quod ordine executionis prius aſſumptæ fuerint partes, patet ex ſupradictis, & amplius ſic confirmatur ratione Caietani. Ordo compoſitionis eſt oppoſitus ordini reſolutionis; illud enim, quod vltimum eſt in compoſitione, eſt primum in reſolutione; ſed ſic eſt, quod in morte Chriſti, vbi veluti reſolui cepit vnio cum Verbo, humanitas non remanſit vnita, ſic verò partes; ergo quando facta fuit vnio, prius natura vnitæ fuerunt partes, quam humanitas.

10 Tertia pars, quod aſſumptio humanitatis non ſit diſtincta ab illa partium probatur; quia tota humanitas nihil dicit realiter ſimplex ſupra partes, ſed ſolùm eſt complexum vnionis ex his conſurgens: ergo eo ipſo, quod intelliguntur aſſumi partes, intelligitur aſſumptum realiter totum id, quod aſſumi debet ſimplex, & ſolùm requiritur, quod partes vniantur inuicem, vt poſſint dare hanc denominationem, quod aſſumpta fuerit humanitas.

11 Obijcies contra hanc vltimam: Tota humanitas debet eſſe immediatè aſſumpta à Verbo: ſed per vnionem partium cum Verbo non eſt aſſumpta tota humanitas, vt patet in triduo mortis; tunc enim erat vnitæ ambæ partes, & non erat vnita humanitas; ergo debet dari aſſumptio diſtincta realiter, qua Verbum aſſumat humanitatem.

Reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; per vnionem partium cum Verbo, & earum inuicem non eſt aſſumpta tota humanitas, nego minorem; per vnionem tantùm earum cum Verbo, concedo minorem; ergo &c. negatur conſequentia; etenim ad dandam denominationem humanitatis debent partes eſse inuicem vnitæ; eo ipſo verò, quod ſunt vnitæ inuicem, & cum Verbo, tota humanitas eſt vnita Verbo; quia realiter, & à parte rei nihil aliud ſimplex dicit humanitas, quod diſtinctum ſit a partibus; vnde ſolum requiritur illarum vnio ad dandam denominationem.

QVÆSTIO V.

De gratia ſanctificante Chriſti tum ſubſtantiali, tum accidentali, & virtutibus eius.

1 HVcuſque egimus de Incarnationis Myſterio, hoc eſt de vnione, & extremis eiuſdem ad illam concurrentibus, nunc agendum eſt de illis, quæ ſequuntur vnionem ipſam, & ſic in quæſtione 7. tractat D. Thomas de gratia Chriſti, quæ duplex eſt, alia ſubſtantialis proueniens illi ex vnione hypoſtatica, alia accidentalis, ſeu habitualis, quæ non ſolum animam Chriſti ſanctificat, ſed etiam ex ipſo in omnes

iuſtos

Digitized by Google

iuſtos deriuatur, & per ipſum in omnes influit tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites; agit poſtea in quæſtione 8. de Chriſti gratia, quatenus Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, quæ omnia nos vnica quæſtione concludemus.

ARTICVLVS I.

Vtrum humanitas Chriſti ſit ſancta ſanctitate increata.

1 CHriſtum Dominum fuiſſe Sanctum ab initio conceptionis eius in confeſſo eſt apud omnes, & hoc probant loca ſcripturæ Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*. Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur Filius Dei*. & Ioan. 10. *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*: quæ loca, & plura alia, quæ poſſent adduci probant ſaltem in communi Chriſtum fuiſſe ſanctum; ſed adhuc dubium eſt, an Chriſtus fuerit ſanctus tantùm per gratiam habitualem, vt nos ſumus, an verò fuerit ſanctus per ſanctitatem increatam.

2 Prima ſententia negat Chriſti humanitatem fuiſſe ſanctam ſanctitate increata, ſic aliqui antiqui Scholaſtici, vt Palud. in 3. diſt. 13. quæſt. 2. in 4 opinione. Marſilius in 3. diſt. 13. quæſt. 10. artic. 1. Durandus in 3. diſt. 13. q. 1. & quidam alij, quos citat Hurtadus diſp. 47. §. 38. ex Recentionibus eſt Radę 3. par. controu. 4. ar. 3. concluſ. 4. vbi ait eſſe Scotiſtis communem, & tamquam probabiliorem ſequitur Herincx hic diſput. 2. q. 2. n. 15.

Secunda ſententia communis inter Thomiſtas, & alios recentiores eſt Aluar. diſp. 31. Soti, & Medinæ hic quæſt. 7. art. 1. Ioan. à S. Thom. diſput. 8. ar. 1. Gonet diſp. 11. ar. 1. Cypulli hic quæſt. 7. art. 1. dub. 2. Vaſquez diſput. 41. cap. 3. Suarez diſput. 18. ſect. 1. Lugi diſp. 16. ſect. 1. Lorcæ 3. par. diſp. 36. Hurtadi diſp. 47. Arriagæ diſp. 29. per plures ſectiones Eſparzæ lib. 9. quæſt. 24. Amici diſp. 16. ſect. 3. Gabrielis à S. Vincentio diſp. 7. dub. 3. & aliorum, hæc docet humanitatem Chriſti fuiſſe ſanctificatam per ſanctitatem increatam.

3 Concluſio. Humanitas Chriſti fuit ſancta, & iuſta per ſanctitatem increatam. Hæc concluſio clarè colligitur ex illis locutionibus Conciliorum, & Patrum, quibus aſſerunt tam carnem, quam voluntatem Chriſti fuiſſe deificatas, & notat Eſparza, quod cum iſtæ locutiones vſurpentur à Concilijs generalibus, dum inſtruuntur fideles de rebus fidei, non poſſunt accipi in ſenſu improprio, & exageratiuò. Sic loquitur VI. Synodus act. 17. & Concilium Florent. in decreto vnionis habet: *Humana eius voluntas deificata eſt, non perempta, ſaluata autem magis ſecundum Theologum Gregorium dicentem. Nam velle illius, quod in Saluatore intelligitur, nihil eſt contrarium Deo; deificatum eſt totum*; ſed deificare eſt ſanctificare: ergo ſi humanitas Chriſti, & eius voluntas fuit per vnionem Verbi deificata, fuit ſanctificata; probatur minor: nam deificare eſt conſtituere hominem impeccabilem, radicem operationum diuinarum, & ſupernaturalium, hæredem gloriæ, iuxta illud Apoſtoli. *Quod ſi filius, & hæres*. & obiectum dilectionis Dei, in quibus formaliter conſiſtit ſanctificatio.

4 Probatur 2. ex ſcripturis, & Patribus Pſalm. 48. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*; Lucæ 4. et Iſai. 6. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me*. Daniel. 9. *Donec vngatur Sanctus Sanctorum*. Act. 10. *Quomodo vnxerit eum Deus Spiritu Sancto*. Sancti autem Patres, quos ad longum adducunt Suarez, et Vaſquez, locis citatis per vnctionem intelligunt ſanctificationem humanitatis per diuinitatem: ſufficiat tamen adducere Gregorium Nazianzenum, & Auguſtinum. Etenim ille Orat. 36. quæ eſt 4. de Theologia n. 36. habet. *Chriſtus verò dicitur propter diuinitatem. Ea enim humanitatis vnctio eſt, non operatione, vt in alijs Chriſtis, id eſt, vnctis, ſed totius vnguenti præſentia*; et Orat. 42 quæ eſt ſecunda in Paſcha; habet de Chriſto. *Perfectus non modo propter diuinitatem, qua nihil perfectius; ſed etiam propter diuinitatem vnctam humanitatem*. et Aug. lib. 15. de Trin. cap. 16. dicit. *Tunc vnctam fuiſſe inuiſibili Deo humanam naturam, quando diuinæ eſt vnita perſonæ*. Ergo ex ſcriptura, et Patribus verè probatur humanitatem Chriſti fuiſſe ſanctificatam ſanctitate increata.

5 Probatur ratione. Ideo gratia habitualis ſanctificat naturam rationalem, cui vnitur, quia excludit peccatum ratione ſuæ perfectionis, conſtituit filium adoptiuum, dat ius ad gloriam, & eſt radix habituum, & operationum omnium ſupernaturalium: ſed Verbum vnitum humanitati Chriſti excellentiori, & perfectiori modo hæc omnia præſtat: ergo Verbum excellentiori, & perfectiori modo in infinitum naturam humanam, cui vnitum eſt, ſanctificat: maior patet: probatur minor; nam Verbum vnitum excludit ab humanitate omne peccatum tam mortale, quam veniale, etiam, de poſſibili, vt infra videbimus, conſtituit filium naturalem Dei ipſum Chriſtum, dat ius inamiſſibile

Digitized by Google

bile ad gloriam, eſt prima radix omniũ donorum ſupernaturalium, & etiam ipſius gratiæ; & tandem conſtituit humanitatem Chriſti obiectum amicitiæ, & ſummi amoris Dei: ergo verè ipſam humanitatem, cui vnitum eſt, ſanctificat.

6 Obijcies 1. Effectus formalis alicuius formæ non poteſt præſtari, niſi ab ipſa forma, cum effectus formalis primarius non diſtinguatur ab ipſa forma, ſed ſit ipſamet forma, vt communicata ſubiecto; ſed ex Trid. ſeſ. 6. cap. 7. gratia habitualis eſt vnica formalis cauſa noſtræ iuſtificationis; ergo à nulla alia forma poteſt haberi ſanctificatio, niſi à gratia ſanctificante.

Reſpondeo concedendo maiorem; & diſtinguendo minorem: gratia habitualis eſt vnica formalis cauſa noſtræ iuſtificationis accidentalis, & de facto in nobis, concedo minorem; noſtræ iuſtificationis ſubſtantialis, aut de poſſibili, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia. Tridentinum enim aſſignat cauſam formalem, qua nos de facto iuſtificamur, at cum hoc ſtat, quod ſubſtantialiter poſſit Deus aliquam naturam rationalem excellentiori modo ſanctificare; & hanc ſanctitatem ſubſtantialem dicimus fuiſſe de facto in humanitate Chriſti.

7 Obijcies 2. Humanitas Chriſti eſt formaliter ſancta; ſed non poteſt eſſe formaliter talis per aliquid increatum; ergo poteſt eſſe ſancta tantùm per gratiam habitualem; probatur minor, quia nihil poteſt eſſe formaliter tale, niſi per formam in ſe receptam; ſed nihil increatum poteſt eſſe forma humanitatis; ergo nihil increatum poteſt conſtituere humanitatem formaliter ſanctam.

Reſpondeo negando minorem; ad probationem, nego vniuerſaliter maiorem; nam aliquid poteſt eſſe formaliter tale, vel per formam in ſe receptam, vt contendit argumentum; vel per identitatem, vt cum dicimus, *homo formaliter eſt animal*; verè enim, & formaliter eſt tale, licèt animal non ſit forma hominis, ſed ſolùm, quia identificatur cum homine; vel per vnionem cum alio in ratione termini, & terminabilis, & hoc modo humanitas Chriſti, vt fides docet, eſt formaliter ſubſiſtens ſubſiſtentia diuina; & propter eamdem rationem, quia eſt vnita Verbo infinitè, & ſubſtantialiter ſancto, redditur formaliter, & ſubſtantialiter ſancta; vnde argumentum ſolùm in pura æquiuocatione vim habet, vt de ſe patet.

8 Obijcies 3. Naturam aliquam ſanctificari eſt perfici, omnis autem perfectio debet prouenire ab aliqua forma; ſed nullum increatum poteſt eſſe forma humanitatis; ergo nullum increatum poteſt ſanctificare humanitatem.

Reſpondeo negando, quod omnis perfectio debeat prouenire ab aliqua forma informante, ſufficit enim ſi ſit à forma actuante, & terminante ſine informatione; vt patet in hoc myſterio, humanitas perficitur in ratione ſubſiſtẽtiæ, & perſonæ ab ipſo Verbo, & tamen Verbum non informat humanitatem, ſed tantùm actuat, & terminat illam; ita poteſt eadem natura perfici, & conſtitui ſancta per hoc ſolùm, quod Verbum diuinum vniatur humanitati illam actuando, & terminando ſine informatione.

9 Obijcies 4. Si humanitas Chriſti per vnionem cum Verbo redditur ſancta deberet etiam propter eamdem rationem reddi intelligens, & volens intellectione, & volitione increata, vel immenſa, æterna, & omnipotens: ſed natura humana in Chriſto per vnionem cum Verbo non conſtituitur intelligens, & volens intellectione, & volitione increata, nec immenſa, æterna, vel omnipotens; ergo nec ſancta ſanctitate increata.

Reſpondeo negando ſequelam maioris, & diſparitas eſt ex parte naturæ, quæ talium prædicatorum eſt incapax, non eſt autem incapax ſanctitatis ſubſtantialis; ideo per vnionem conſtituitur ſancta, ſubſiſtens, & perſona diuina; non autem intelligens, & volens intellectione increata, aut immenſa, æterna, vel omnipotens; ſicuti enim ſi Verbum vniretur naturæ irrationali, illam naturam conſtitueret ſubſiſtentem, non tamen perſonam, aut ſanctam, quia horum prædicatorum eſt incapax, ita & in propoſito. *Cur humanitas non redditur immenſa, æterna &c.*

10 Dices 1. Natura humana non minus eſt capax intellectus, & volitionis increatæ, quam ſit ſanctitatis increatæ; ergo ſi hoc non obſtante non redditur per vnionem cum Verbo intelligens, & volens intellectione increata, neque debet reddi ſancta ſanctitate increata; probatur antecedens; ſi natura humana non eſt capax intellectionis, & volitionis increatæ; maximè quia intellectio, & volitio debẽt eſſe actiones vitales, quæ eſſẽtialiter exigũt eſſe à principio intrinſeco: ſed nõeſt de ratione intellectionis, & volitionis, quod ſint actiones vitales, quæ eſſentialiter exigant eſſe à principio intrinſeco; ergo ratio allata nulla eſt: probatur minor; nam intellectio, & volitio Dei ſunt veræ, intellectio, & volitio, & ſunt vitales, & tamen non ſunt actiones, nec procedunt à principio intrinſeco,

cum

Digitized by Google

cum ſint eadem ſimpliciſſima entitas diuini eſſe; ergo de ratione intellectionis, & volitionis non eſt, quod ſint actiones vitales, aut quod procedant à principio intrinſeco.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem dico, quòd intellectio, & volitio creaturæ debent eſſe eſſentialiter actiones vitales, quæ eſſentialiter exigunt eſſe à principio vitæ;non autem de ratione intellectionis, aut volitionis vt ſic eſſe, quod ſint actiones vitales, quæ eſſentialiter exigant eſſe à principio vitæ; concedo enim, quòd intellectio,& volitio diuina non ſint actiones, nec procedant à principio intrinſeco, ſed ſint eadem ſimpliciſſima entitas diuini eſſe infinita: at de ratione cuiuſcumq; intellectionis, & volitionis creaturæ eſt, quod ſint actiones vitales, & eſſentialiter exigunt eſſe à principio vitæ: & hoc cognoſcamus à poſteriori ex denominationibus, quas tribuunt ſuis ſubiectis, ipſa enim denominant actiuè intelligentia, & volentia; ergo eſſentialiter exigunt actiuè procedere à principio vitæ. In Deo autem intellectio, & volitio non ſunt actiones, quæ procedant, ſed ſunt tantùm eadem ſimpliciſſima entitas, quæ eſſentialiter eſt volens, & intelligens.

11 Dices 2. Ergo poterit humanitas Chriſti intelligere, & velle intellectione increata; cum de ratione intellectionis, & volitionis increatæ non ſit, quod procedant per actionem, vel exigant eſſentialiter eſſe à principio vitæ; & ſic ſicuti per nos conſtituitur ſancta ſanctitate increata, etiam conſtituetur intelligens, & volens intellectione, & volitione increata, aut ſi hæc prædicata illi non conueniunt; nec etiam conueniet, quod ſit ſancta ſanctitate increata. Sed contrà: nego conſequentiam; nam aliud eſt, quod de ratione intellectionis, & volitionis increatæ non ſit, quod procedant per veram actionem, & hoc verum eſt; aliud, quod natura creata poſſit intelligere, aut velle, ſine vera actione; & hoc falſum eſt; non enim natura creata vllo modo poteſt intelligere, aut velle, niſi actiuè concurrat; cum actiuè etiam intelligentem, & volentem intellectio, & volitio denominent.

12 Dices 3. Prædicata æternitatis, & immenſitatis non ſunt prædicata actiua; ergo ſaltem hæc poſſent communicari humanitati; ſed non communicantur, licèt ei vniatur perſonalitas immenſa, & æterna; ergo neque poteſt ei communicari prædicatum ſanctitatis increatæ, licèt perſona, quæ humanitati vnitur ſit eſſentialiter ſancta. Sed contrà, quia licèt prædicata æternitatis, & immenſitatis non ſint prædicata actiua, ſunt tamen talia, quæ ex ſua ratione repugnant communicari humanitati, & horum hæc eſt incapax; nam æternitas ex ſui formali ratione dicit coexiſtentiam ad omne tempus, & immenſitas coexiſtentiam ad omne ſpatium,& cum huius coexiſtentiæ ſit incapax humanitas, ſequitur quod ſit incapax talium prædicatorum; at prædicatum ſanctitatis hoc nõ habet, facit enim ſubiectum, quod ſanctificat dignum amore Dei, habens ius ad gloriam, & filium naturalem Dei, excludens omne peccatum, quæ omnia ſunt in humanitate aſſumpta à Verbo, & ideò verè illam ſubſtantialiter ſanctificat.

ARTICVLVS II.

An humanitas Chriſti ſanctificetur ſanctitate ſubſtantiali per modum vnionis, vel diuinitate, vel perſonalitate.

1 Hvmanitatem Chriſti reddi ſanctam per Verbi vnionẽ ſanctitate ſubſtantiali vidimus, reſtat modò inquirendum per quid reddatur ſancta, an reddatur talis per vnionem ſubſtantialem, quæ ſit modus, qui licèt à nobis talis modus negetur; hic tamen diſputationis gratia ſupponimus dari, vel ſecundò reddatur talis per diuinitatem Verbi; vel tertiò per ipſam perſonalitatem.

2 Prima ſententia eſt Vaſquez diſp. 41. cap. 3. qui vult humanitatem Chriſti ſanctificari ſubſtantialiter, no n perſonalitate, ſed ipſa diuinitate; Vaſquium ſequitur Amicus diſp. 16. nu. 99. Gonet. diſp. 11. art. 2. qui vult hanc ſententiam debere conſequenter ſuſtineri ab omnibus illis, qui ſuſtinent relationes diuinas, vt relationes ſunt, nullam dicere perfectionem, & alij.

Secunda ſententia docet humanitatẽ Chriſti ſanctificari ſanctitate ſubſtantiali per ipsã perſonalitatẽ Verbi, ita vt vnio ſit tantũ cõditio, ſine qua nõ. Sic Nazar. hic contr. 2. concluſ. 4. Ioã à S. Tho. diſp. 8. art. 1. Suarez diſp. 18. ſect. 1. Lugus diſput. 13. ſect. 2. Arriaga diſp. 30. ſect. 1. Gaſpar Hurtadus diſp. 7. diff. 1. 2. & 3. Petrus Hurtadus diſp. 47. §. 96. Raguſa diſp. 67. §. 2. Gabriel à S. Vincentio diſp. 7. dubio 5. Valentia, Tannerus, & plures alij.

3 Concluſio. Humanitas Chriſti nõ ſanctificatur ſubſtantialiter ipſa vnione, dato quod hæc ſit modus; neque diuinitate, vt virtualiter diſtincta à perſonalitate, ſed ab ipſa perſonalitate Verbi, quę immediatè terminat humanitatem.

Pro-

Digitized by Google

Probatur prima pars: tum quia non datur iſte modus vnionis diſtinctus, vt ſupra fusè probatum eſt; ergo nec poteſt ſanctificare. Tum quia, eſto detur, eodem modo proportionaliter debemus loqui de hoc modo in ordine: ad ſanctificandum, ſicuti de modo vnionis albedinis ad conſtituendum album ſubiectum: ſed vnio albedinis ſi poneretur per impoſſibile in ſubiecto ſine albedine, non redderet album: cum implicet eſſe album ſine forma albedinis; ergo neque vnio hypoſtatica, ſi per impoſſibile poneretur in humanitate, vt modus eſt, ſine perſonalitate, non poſſet ſanctificare. Tum quia 3. Vnio hypoſtatica eſſentialiter æquè eſt nexus perſonæ diuinæ cum humanitate, ac humanitatis cum perſona diuina, & ſui ipſius cum vtroque hoc extremo; ergo eſſentialiter debet induere naturam rerum, quarum eſt modus; ergo ſi quatenus eſt nexus perſonæ diuinæ cum humanitate eſt eſſentialiter ſanctitas, cum induat naturam perſonæ diuinæ, quod vnit, etiam quatenus eſt nexus humanitatis cum perſona habebit indigentiam ſanctitatis, cum induat naturam humanitatis, quæ eſſentialiter indiget ſanctificari; & hoc præſertim cum inſit humanitati tamquam adæquato ſubiecto, & per conſequens magis accedat ad naturam, & conditionem ipſius: ſed implicat, quod eadem res realiter ſit ſanctitas, & indigentia ſanctitatis totaliter vacua ſanctitate; ergo etiam implicat, quod eadem vnio ſit ſanctitas, vt *quod*; eſſet enim, & non eſſet, vt dictum eſt; relinquitur ergo, quod ſit conditio, ſeu id *quo* determinatur humanitas ad habendam ſanctitatem perſonalitatis diuinæ.

4 Probatur ſecunda pars. Ad hoc vt humanitas ſanctificaretur per diuinitatem deberet diuinitas, vt contradiſtincta à relationibus vniri humanitati, & illam intrinſecè terminare: ſed de fide eſt, quod diuinitas non eſt ratio terminandi, nec intrinſecè actuandi humanitatem, ergo etiam certum erit, quod à diuinitate, vt eſt contradiſtincta à perſonalitatibus, non ſanctificatur. Confirmatur, quia ſanctificatio vera, quando fit à forma ſuperiori, & eminenti, debet præſtare illum effectum, quem præſtat forma inferior, & eo modo, quo præſtat inferior: ſed gratia, dum ſanctificat vt forma inferior, intrinſecè, & immediatè vnitur ſubiecto, quod conſtituit ſanctum; ergo etiam forma ſuperior debet immediatè vniri ſubiecto; diuinitas autem, vt contradiſtincta à relationibus, non vnitur immediatè humanitati; ergo neque ipſam immediatè ſanctificat; ſolum ergo mediatè, & quatenus diuinitas eſt identificata perſonalitati poteſt dici diuinitatem ſanctificare humanitatem Chriſti, nō autem formaliter, & immediatè.

5 Tertia pars remanet probata ab excluſione aliarum ſententiarum, & ex his, quæ diximus articulo præcedenti: ſi enim verum eſt, vt probatum fuit præcedēti articulo, humanitatem Chriſti per vnionem hypoſtaticam ſanctificatam fuiſſe ſubſtantialiter ſanctitate increata; & quod hanc ſanctitatem non habuit ab vnione, vt modo, neque à diuinitate immediatè, ſequitur, quod hanc habuerit à perſonalitate Verbi, ratione cuius conſtituitur Chriſtus filius naturalis Dei, hæres gloriæ, & obiectum amoris Dei ſine vlla prorſus macula peccati, quod omninò eſt impoſſibile cum vnione hypoſtatica: hæc autem ſunt, quæ cōſtituunt aliquod ſubiectum ſanctum.

6 Obiicies primò pro ſententia Vaſquez: Patres dum loquuntur de Chriſti ſanctitate increata, dicunt ipſum eſſe vnctum diuinitate, & quod diuinitas ſit vnctio humanitatis; ergo verè diuinitas ipſa eſt, quæ ſanctificat.

Reſpondeo, Patres loqui realiter: eorum enim intentum erat, quòd humanitas verè, & ſubſtantialiter eſſet ſanctificata per myſterium Incarnationis; an verò hac eſſet à diuinitate, vt contradiſtincta à perſonalitate, Patres non curarunt. Diuus tamen Auguſtinus loco ſupra citato art. præcedenti clarè explicat modum, quo facta eſt hæc ſanctificatio, dum dicit, tunc factam fuiſſe, quando humana natura diuinæ eſt vnita perſonæ.

7 Obijcies ſecundò: Illud poteſt ſanctificare humanitatem ſanctitate increata, quod eſt formaliter ſanctitas increata: ſed perſonalitas filij, prout eſt diſtincta à natura diuina non eſt ſanctitas increata; imò in ſententia plurium relationes, vt relationes nullam dicunt perfectionem, & conſequenter neque dicunt ſanctitatem, cùm ſanctitas ſit perfectio; ergo ſi humanitas Chriſti non poteſt hanc ſanctitatem habere à perſonalitate, debet illam habere à diuinitate.

Reſpondeo negando minorem: nam relationes etiam vt contradiſtinctæ ab eſſentia ſunt entia, dicunt perfectionem, & ſunt obiectum amoris Dei. Dico ſecūdò, perſonalitatem filij virtualiter diſtinctam à natura conſtituere filium naturalem Dei, cum iure ad gloriam, & obiectum amicitiæ diuinæ; hoc autem

eſt

Digitized by Google

eſt conſtituere ſanctum. Dico tertiò: eſto relationes ſecundùm eſſe *ad* non dicant perfectionem, vt volunt Thomiſtæ; nihilominus verè, realiter, & adæquatè ſumptæ dicunt perfectionem, & cum realiter Verbum terminet humanitatem, & illam trahat ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina, facit ipſum cõſortem naturæ diuinæ diuinitate perſonæ; hoc autem eſt talem naturam conſtituere ſanctam ſanctitate increata.

8 Obijcies tertiò contra primam partem. Illud eſt ſanctitas formaliter, quod excludit omne peccatum ab eo ſubiecto, in quo eſt: ſed vnio hypoſtatica excludit omne peccatum ab humanitate; ergo eſt formaliter ſanctitas, tum quia vnio hypoſtatica eſt donum nobilius, quàm ſit gratia: ſed hæc ſanctificat; ergo & vnio.

Reſpondeo, vnionem hypoſtaticam excludere omne peccatum ratione perſonæ diuinæ, quam ſecum affert, non ratione ſui; ideò &c. Ad ſecundum dico, quòd vnio hypoſtatica eſt donum nobilius, vt *quo*, quatenus, dato quod ſit modus, eſt id, quo realiter vnitur naturæ humanæ perſona Verbi, & eſt donum nobilius materialiter conſiderata, quia illa eſt ſubſtantia, gratia accidens, at formaliter eſt nobilior gratia, quia hæc facit hominem conſortem naturæ diuinæ, vt *quod*, cum iure ad gloriam, quod non faceret vnio, ſi per impoſſibile daretur in humanitate ſine perſonalitate; hæc enim nihil aliud eſſet, niſi modus determinans naturam humanam ad Verbum; vnde eius munera ſunt formaliter ſeruilia, nempè vniendi, & connectendi partes.

ARTICVLVS III.

An ſanctitas Chriſti ſit infinita.

1 CErtum eſt in Chriſto eſſe ſanctitatem increatam, & infinitam Verbi, & ratione Verbi Chriſtum amari à Deo infinitè; verùm in hoc sẽſu non tractatur quæſtio; ſed difficultas

Senſus quæſtionis qua hic ſit. in eo poſita eſt, an humanitas Chriſti ratione ſanctitatis perſonalis ſit adeò grata, & tantùm placeat Deo, quantùm placet ipſa diuinitas, & ipſa Verbi perſona, & ideo ſit infinitè ſancta, ſicuti ſancta eſt perſonalitas diuina.

2 Mæratius hic diſp. 6. ſec. 5. ſuſtinet humanitatem Chriſti ita amari à Deo, ſicuti amatur diuinitas, & ſanctitatem ita eſſe infinitam, ſicuti eſt infinita ipſa Verbi perſonalitas.

Lugus diſp. 16. ſec. 3. negat humanitatẽ Chriſti ita amari à Deo ſicut amatur diuinitas, & etiam ſuſtinet non eſſe ſanctam infinitè.

Petrus Hurtadus diſput. 47. Arriaga diſp. 3. ſec. 1. & 2. Gabriel à S. Vincentio diſp. 7. dub. 4. & 6. Cipullus q. 7. ar. 1. dub. 3. & 4. communiter Theologi docent, humanitatem Chriſti non ita amari, ac amatur diuinitas, fatentur tamen ſanctitatem ipſius eſſe ſimpliciter infinitam.

3 Concluſio prima. Magis diligitur à Deo diuinitas, quam humanitas ratione ſanctitatis perſonalis diligatur. Probatur primò. Illud magis diligitur à Deo, quod diligitur neceſſariò neceſſitate abſoluta, quam illud, quod diligitur liberè, & tantùm neceſſariò ex ſuppoſitione: ſed diuinitas diligitur à Deo neceſſariò neceſſitate abſoluta, humanitas liberè, & tantùm neceſſariò ex ſuppoſitione vnionis cum Verbo; ergo magis diligitur à Deo diuinitas, quàm humanitas vnita Verbo: maior probatur, quia amor Dei erga aliquod obiectum talis eſt, qualis eſt bonitas obiecti: ſed quod amatur à Deo neceſſariò neceſſitate abſoluta ex plenitudine cognitionis eius, ita eſt bonum, vt nullam includat reſpuibilitatem; quod diligitur liberè, & tantùm neceſſariò ex ſuppoſitione aliquam includit reſpuibilitatem; ergo, quod amatur neceſſariò, magis amatur, quam quod amatùr liberè: minor principalis argumenti conſtat; nam diuinitatem abſolutè, & neceſſariò Deus amat; Humanitatem verò tantùm amat neceſſariò ex ſuppoſitione vnionis cum Verbo, & potuit illam non amare, cum potuerit eam humanitatem non vnire Verbo.

4 Probatur ſecundò. Deus magis amat obiectum magis bonum, quàm minus bonum: ſed diuinitas eſt obiectum magis bonum, quàm ſit humanitas cum perſonalitate Verbi; ergo Deus magis amat diuinitatem, quam humanitatem cum perſonalitate: maior per ſe patet; probatur minor: vnio humanitatis cum perſonalitate non facit humanitatem eſſe diuinitatem; ergo nec poteſt facere humanitatem eſſe tam bonam, ac ſit diuinitas; & conſequenter non poterit facere humanitatem dignã tanto amore, ac ſit ipſa diuinitas. Confirmatur: maior perfectio eſt ſumma ſimplicitas, quam compoſitio, vnde in Deo nullam admittimus compoſitionem, ſed ſummam ſimplicitatem; ergo maior perfectio erit, quod diuinitas habeat ſibi identificatam omnem ſanctitatem, & bonitatem, quam quod aliud habeat eamdem ſibi vnitam; ergo magis amatur à Deo diuinitas ſibi identifi-

cans

Digitized by Google

cans omnem ſanctitatem,& bonitatem, quam humanitas, quæ habet eamdem ſibi vnitam; non enim ſolùm ſe complacet Deus in propria bonitate, & ſanctitate,ſed etiam in modo habendi eam inamiſſibili modò, abſolutè,& per idẽtitatem, quo modo eamdem ſanctitatem non habet humanitas,ſed illam habet per vnionem.

5 Concluſio ſecunda. *Sanctitas increata Chriſti eſt ſimpliciter infinita in omni genere ſanctitatis communicatæ per vnionem diſtinctam.* Probatur illa eſt ſanctitas infinita in omni genere ſanctitatis communicatæ, qua maior excogitari non poteſt: ſed ſanctitate humanitatis Chriſti per perſonalitatem diuinam illi vnitam, & communicatam maior in genere ſanctitatis communicatæ excogitari non poteſt; ergo eſt infinita; maior patet: minor probatur; nam ſanctitas, quæ humanitati Chriſti communicata fuit, eſt ſanctitas perſonalis Verbi: hac autem nulla maior excogitari poteſt ſaltem intenſiue; nam licet eidem vniretur Pater, & Spiritus Sanctus, non per hoc intenſiuè eſſet humanitas magis ſancta, ſed ſolùm extenſiuè. Confirmatur ſi humanitati Chriſti daretur gratia habitualis infinita, talis humanitas eſſet infinitè ſancta ſanctitate accidentali, & per participationem; ergo etiam, cum ei detur per vnionem ſanctitas infinita Verbi increata, erit infinitè ſancta ſanctitate increata eidem per vnionem cum Verbo communicata; non erit tamen ſancta per eſſentiam, vti eſt diuinitas,& Verbum, quia Deus habet hãc ſanctitatem per eſſentiam ſuam, & identicè,humanitas autem habet tantùm eamdem ſanctitatem ſibi communicatam per vnionem; & ideò ſanctitas Dei,& Verbi eſt maior ex modo nobiliori eam habendi, quam ſit ſanctitas humanitatis.

6 Obijcies primò contra primam. Vnaquęque res ita eſt bona, & amabilis quantæ amabilitatis, & bonitatis eſt illud, quo redditur bona, & amabilis: ſed humanitas Chriſti redditur bona, & amabilis per perſonalitatem, ſeu diuinitatem; ergo eſt tam amabilis, & bona, ſicuti perſonalitas, ſeu diuinitas: maior probatur, quia ſi ponatur gratia, vt vnum in homine, amatur vt vnum, ſi ponatur vt octo, amatur vt octo; ergo vnaquęque res ita redditur bona, & amabilis, quantę amabilitatis,& bonitatis eſt illud, quo redditur bona, & amabilis.

Humanitas non eſt amabilis per eſſentiam. Reſpondeo negando maiorem; nam *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; vnde cum humanitas reddatur bona, & amabilis propter Verbum, & diuinitatem, multò magis erunt amabilia, & bona Verbum, & diuinitas; nam Verbum, & diuinitas ſunt amabilia, & bona per eſſentiam, humanitas autem per vnionem Verbi; melior autem, & nobilior eſt modus habendi bonitatem, & amabilitatem per eſſentiam, quam eam habendi per vnionem: ad probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia gratia non amatur amore amicitiæ à Deo, cum ſit qualitas mortua incapax huius amoris, vnde eſt tantùm id, quo conſtituitur obiectum amabile, nec de gratia valet illud commune axioma Ariſtotelis: *Propter vnumquodque tale, & illud magis*; nam ad hoc, vt valeat, vt optimè notat Caietanus, debet totus effectus poſſe reflecti ſupra ſuam cauſam; vt in hoc exemplo: Luna eſt lucida propter Solem, quia Sol eſt lucidus; ergo multò magis Sol eſt lucidus; hoc autẽ non verificatur de gratia: non enim valet dicere, homo eſt amabilis amore amicitiæ propter gratiam, quia gratia eſt amabilis amore amicitiæ; non enim amatur gratia amore amicitiæ, vt dictum eſt, quod è contrà verificatur de diuinitate Verbi, nam Deus amat Verbum, & diuinitatem, quia ipſa ſunt amabilia, vt *quod*; & propter vnionem Verbi amat humanitatem; & ideò Verbum eſt magis amabile, & magis amatur, quam humanitas.

7 Dices; etiam gratia eſt amabilis; & tamen non magis amatur, quam ametur ſubiectum habens gratiam: ergo etiam licèt perſonalitas ipſa ſit amabilis, non magis amabitur à Deo, quam ametur humanitas habens eam perſonalitatem diuinam. Sed contrà, quia gratia eſt tantùm amabilis, vt ens, & qualitas apta conſtituere obiectum bonum amore amicitię amandum, vnde ſemper eſt diuerſus amor, quo amatur gratia, eo, quo amatur ſubiectum, v. g. homo; nam homo etiam habet ſuam amabilitatem; vnde licèt gratia vt octo ametur vt octo,& homo habens gratiam vt octo ametur vt octo, non eſt, quia gratia communicet vt octo ſubiecto ſuam amabilitatem, quæ ex eſſentia ſua illi conuenit; ſed quia homo eam amabilitatem per ſua intrinſeca principia ſupplet, quæ non habent locum in diuinis; nam Verbum ex eſſentia ſua ſanctum eſt, habens omnem amabilitatem, omnemq; perfectionem humanitatis eminenter continens, vnde hic modus habendi amabilitatem per eſſentiam ſuam, & identitatem non poteſt ab humanitate compenſari; vnde ſemper à Deo minus

nus amabitur humanitas habens perſonam.

8 Obijcies ſecundò. Verbum diuinum ſanctificat humanitatem communicando ſe ipſum totum humanitati; ergo tantam tribuit amabilitatem, quantam in ſe habet.

Reſpondeo negãdo conſequentiam; nam licet Verbum communicet ſe totum humanitati, communicat tamen ſe illi per vnionem, in ſe autem habet amabilitatem per identitatem, & eſſentiam; nobilior autem modus eſt habere amabilitatem per eſſentiam, quam per vnionem; & ideò Verbum in ſe eſt magis amabile, quam humanitas.

9 Obijcies tertiò. Perſona Verbi, & humanitas Chriſti Domini amantur à Deo vnico indiuiſibili actu, ergo æqualiter amantur.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam licèt vnico indiuiſibili actu amet varia obiecta, quatenus iſte actus indiuiſibilis ſe tenet ex parte Dei, tamen terminatiuè poteſt magis amare vnum, quam aliud, iuxta diuerſam amabilitatem, quam in ſe habent; ſic Deus vnico indiuiſibili actu amat ſe ipſum, & creaturas, & tamen magis amat ſe ipſum, ita & in propoſito magis amat Verbum, quam humanitatem habentem Verbum.

10 Obijcies 4. Humanitas Chriſti debet coli, & adorari eadem adoratione, qua colitur, & adoratur diuinitas; ergo etiam amatur eodem amore.

Reſpondeo negãdo antecedens, nam non adoratur humanitas ea perfecta adoratione latriæ, qua adoratur Verbũ, ſed adoratur adoratione latriæ propter vnionem ad Verbum; Verbum autem per eſſentiam ſuam adoratur. Ideò &c.

11 Obijcies quintò. Humanitas vt ſancta includit ſanctitatem Verbi; ergo vt ſancta amatur ſicut Verbum.

Reſpondeo diſtinguendo conſequẽs; ergo vt ſancta formaliter amatur ſicut Verbum, concedo conſequentiam; nam ly *Vt ſancta* reduplicat ſupra ipſum Verbum; ergo vt ſancta materialiter, hoc eſt, ergo humanitas, quæ habet ſanctitatem, amatur ſicut Verbum, nego conſequentiã, & in hoc ſenſu eſt difficultas.

12 Obijcies 1. contra ſecundam. Illa ſanctitas eſt infinita, qua maior excogitari nõ poteſt; ſed sãctitate Chriſti maior excogitari poteſt, nempe ſanctitas Dei, quæ eſt talis per eſſentiam; ergo &c.

Reſpondeo, ſanctitatem Chriſti eſſe talem, vt maior excogitari non poſſit in linea ſanctitatis communicatæ, licèt ſanctitas per eſſentiam ſit maior; quemadmodum, ſi daretur gratia infinita, illa eſſet talis, qua maior excogitari non poſſet in linea ſanctitatis accidentalis, licèt maior eſset increata ſanctitas humanitatis Chriſti, & his omnibus maior ſanctitas per eſſentiam, verùm hæ ſanctitates eſſent in diuerſo ordine.

13 Obijcies ſecundò. Sanctitas increata Chriſti eſt ſanctitas per eſſentiam, & tamen non conſtituit humanitatem ſanctam per eſſentiam; ergo etiam, licèt ſit ſanctitas infinita, non conſtituit humanitatem infinitè ſanctam.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia implicat, quod humanitas conſtituatur ſancta per eſſentiam; nam cum ex vna parte ſit producta, & diſtincta à ſanctitate, & ſanctitas per eſſentiam ſit improducta, & indiſtincta à ſanctitate, eſſet producta, & diſtincta, & improducta, & indiſtincta, quod implicat; quod non ſequitur de infinitate; eſt enim prædicatum, quod poteſt communicari naturæ humanæ ſine contradictione, dicendo eſſe humanitatem infinitè ſanctam in ratione ſanctitatis communicatę.

14 Obijcies tertiò. Si eſſet humanitas Chriſti infinitè ſancta haberet ius in gloriam infinitam: ſed de facto humanitas Chriſti non habet gloriam infinitam; ergo neque infinitam ſanctitatem.

Reſpondeo, argumentum poſſe retorqueri in meritis Chriſti infinitis, quibus tamen non fuit datum præmium gloriæ infinitum; quod ſi dicant Chriſtum non obtuliſſe ſua merita Patri pro præmio infinito; hoc idem poteſt dici de hac ſanctitate. Aliqui dicunt repugnare viſionem infinitam, ſed infra videbimus contrarium eſſe probabilius.

ARTICVLVS IV.

An in Chriſto detur etiam gratia habitualis & ad quem finem.

1 GRatiam habitualem fuiſſe in Chriſto ita certum eſt, vt oppoſitum aſſerere, Suarez diſp. 16. ſect. 2. iudicet eſſe hæreticum; verum plures alij, vt Vaſquez diſp. 41. cap. 1 Lugo diſp. 16. ſect. 5. Arriaga diſp. 31. ſect. 2. & communiter recentiores volunt tantùm eſſe temerarium; & ratio huius eſt, quia illa ſententia ſaltem eſt temeraria, quæ eſt contra conſenſum omnium ſcholaſticorum: ſed communis conſenſus ſcholaſticorum admittit gratiam habitualem in Chriſto; ergo contrarium aſſerere ſaltem eſt temerarium. Addo Bernardum, & Ambroſium, qui ex-

S preſ-

Digitized by Google

preſsè gratiam habitualem ponunt in Chriſto, etenim Bernardus Hom. 4. ſuper *Miſſus eſt* ad illa verba *Quod ex te naſcetur Sanctum* habet. *Singulariter Sanctum fuit quicquid Virgo concepit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem*. Ecce quomodo Bernardus diſtinguit ſanctificationem per vnionem à ſanctificatione Spiritus Sancti, quæ eſt per gratiam. Et D. Ambroſius lib. de Spiritu Sancto, habet. *Quem natum de Spiritu Sancto confitemini, quia negare non poteſtis, renaſci negatis? Magna inſipientia eſt, vt quod ſingulare eſt hominum confiteamini, quod commune eſt hominum denegetis*. Quod eſt idem ac dicere. Non negatis Chriſtum eſſe Deũ, quod proprium illius eſt, quia nimis clarè ſcriptura hoc docet; negatis autem eſſe renatum per gratiam, quod eſt commune cum alijs iuſtis; hæc magna inſipientia eſt. Hæc veritas deducitur etiam ex pluribus locis ſcripturæ, quæ adducunt Suarez, & alij; vnde nullo modo audiendi ſunt aliqui, qui videntur propenſi ad negandum in Chriſto gratiam habitualem; ſed dari in Chriſto tamquam certum tenendum eſt; qualis autem fuerit finis ponendi hanc gratiam in Chriſto.

2 Prima ſententia docet, gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam in Chriſto ad hoc, vt operationes Chriſti eſſent meritoriæ præmij ſupernaturali. Sic Durãd. in 3. diſt. 13. quæſt. 1. num. 8. Palud. q. 2. con. 3. Capreolus quæſt. vnica, Gabriel à S. Vinc. diſp. 8. dub. 7. Aluar. diſp. 31. Io. à S. Thom. vult datam fuiſſe gratiam ad hoc vt haberet Chriſtus omnem ſanctitatem poſſibilem; ſecundò vt eſſet principium proportionatum actuum ſupernaturalium; hoc docet etiam Gonet hic diſput. 12. artic. 2. licèt addat fuiſſe neceſſariam etiam ad merendum connaturali modo.

Secunda ſententia communis inter recentiores docet gratiam datã fuiſſe Chriſto, vt eſſet principium proportionatum actuum ſupernaturalium. Sic Suarez diſput. 18. ſect. 2. Vaſquez diſp. 41. cap. 1. Lugus diſput. 16. ſec. 5. Eſparza lib. 9. q. 26. artic. 1. Arriaga diſput. 32. ſect. 2. & plures alij.

3 Concluſio 1. Gratia habitualis non fuit neceſsaria in Chriſto vt humanitas ſanctificaretur, neque vt Chriſtus mereretur, neque vt diſponeret humanitatem ad vnionem. Probatur prima, & ſecunda pars. Quia Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ verè erat Sanctus, Filius naturalis, hæres naturalis gloriæ, cum qua vnione magis repugnat peccatum, quam cum gratia habituali; inſuper ratione dignitatis perſonalis infinitè poterat mereri, vt ſupra cum de ſatisfactione Chriſti diximus: ergo non fuit neceſſaria gratia in Chriſto, vt ipſum ſanctificaret, vel vt ipſe mereretur.

4 Dices. Si Angelus Gabriel nunc aſſumeret naturam humanam, etiamſi ipſe Sanctus ſit, non tamen per hoc præcisè ſanctificaret illam naturam, ſed poſſet adhuc eſſe in peccato: ergo etiam Verbum, ſi præcisè conſideretur vt terminans, dat ſolùm perſonalitatem non verò ſanctificat. Sed contra reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, diſparitas eſt, quia Angelus eſſentialiter non eſt Sanctus, ſed ſolùm per gratiam: inſuper eius perſonalitas non eſt eſſentialiter ſancta: at perſonalitas Verbi eſt eſſentialiter ſanctitas ipſa; & ideo eo ipſo, quod ponitur in ſubiecto capaci conſtituit ſubiectum ſanctum. Ideo &c.

5 Tertia pars, quod non ponatur vt diſpoſitio, eſt contra Alenſem; patet tamen ex ſupradictis, vbi vidimus, nullã gratiam præceſſiſſe vnionem hypoſtaticam; data tamen fuit vt diſpoſitio ornans, & conſequens ipſam vnionem, vt infra magis patebit.

6 Concluſio 2. Gratia habitualis poſita fuit in Chriſto, vt eſſet principium proportionatum actuũ ſupernaturalium, & vt in ipſo eſſet omnis ſanctitas poſſibilis. Probatur prima pars ratione D. Thom. Humanitas Chriſti debebat elicere operationes ſupernaturales: ſed per vnionem hypoſtaticam ſolùm non erat principiũ proportionatum operationum ſupernaturalium: ergo debebat fieri proportionatum per gratiam: maior patet: probatur minor; nam vnio hypoſtatica non conſtituit niſi principium *quod*; ſed non ſolùm principium *quod*, ſed etiam principium *quo* debebat eſſe proportionatũ; hoc eſt etiam ipſa humanitas, quæ eſt principium *quo* debebat eſse principium proportionatum in ordine ſupernaturali; hoc autem fit per gratiam habitualem, vt connaturalius operaretur; connaturalius enim eſt operari per principium intrinſecum, quam per ſolum extrinſecum auxilium; ergo ad hunc finem debuit poni gratia habitualis in Chriſto.

7 Secunda etiam pars patet. Quia in Chriſto concedenda eſt omnis perfectio, quæ eſt in alijs iuſtis, & quæ ſpecialem repugnantiam non habeat cum illa humanitate; ſed gratia ſanctificans eſt in omnibus alijs iuſtis, & nullam ſpecialem repugnantiam habet in ipſa Chriſti humanitate; ergo hæc gratia in Chriſto ponenda eſt. Confirmatur, quia Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ erat Sanctus ſanctitate increata, & ſubſtantiali,

Digitized by Google

ſtantiali; ergo ſicuti poſita ſubſtantia ponuntur accidentia, quæ ſequuntur; ita poſita vnione hypoſtatica debuit poni gratia ſanctificans, vt Chriſtus, qui eſt Filius naturalis Dei, haberet omnem ſanctitatem poſſibilem non ſolùm ſubſtantialem, ſed etiam accidentalem; cum ab ipſo vt à fonte debeant in nos omnes gratiæ profluere.

8 Dices: Gratia ſanctificans conſtituit ex ſua ratione filium adoptiuum: ſed Chriſtus eſt incapax, vt ſit filius adoptiuus, cum ſit filius naturalis Dei: ergo etiam eſt incapax huius gratiæ. Sed

Cur Chriſtus non ſit filius adoptiuus Dei.

contra, quia graria non conſtituit filium adoptiuum, niſi ſubiectum ſit capax talis denominationis; filiatio enim prius reſpicit perſonam; vnde cum perſonalitate ſit filius naturalis, per gratiam non poteſt dici adoptiuus; nam poneretur prædicatum repugnans perſonalitati; nõ ſequitur autem, quod non poſſit gratia poni in Chriſto; nam conſtituere filium adoptiuum non eſt effectus primarius, & formalis gratiæ; ſed tantùm effectus ſecundarius, qui poteſt ſeparari à primò, vt dictum fuit de iuſtificatione.

9 Obijcies 2. Contra primam: ad hoc vt Chriſtus mereretur præmium ſupernaturale debebat elicere actus in entitate ſupernaturales: ſed non poterat tales actus elicere ſine gratia; ergo ad merendum erat neceſſaria gratia.

Reſpondeo ex hoc probari noſtram ſecundam concluſionem, quod ſit neceſſaria gratia ad eliciendum actus ſupernaturales; non autem ad præmium; nam ſi actus ſupernaturales eliciti fuiſſent à Chriſto per auxilium actuale, vel per ſolùm auxilium extrinſecum, adhuc fuiſſent meritorij; cum haberent dignitatem perſonæ, & tamen non fuiſſent ab habente gratiam habitualem.

10 Obijcies 2. contra ſecundam: Gratia habitualis non datur ad elicendos actus ſupernaturales: ergo non requiritur vt conſtituat humanitatem principium proportionatum actuum ſupernaturalium: probatur antecedens: ad conſtituendas potentias Chriſti proportionatas ad actus ſupernaturales ſufficiunt habitus virtutum; ergo non eſt neceſſaria gratia.

Reſpondeo primò, quod ſuppoſita probabili ſententia, quod charitas non diſtinguatur à gratia habituali, falſum eſt antecedens; nam ſicuti in Chriſto dantur potentiæ ad hos actus eliciendos, vt potentia viſiua in ordine ad videndum, auditiua ad audiendum &c. ita, cum gratia, & charitas ſint vnus, & idem habitus, gratia datur ad eliciendos actus charitatis: ſuppoſita verò contraria Thomiſtarum, gratia eſt veluti natura in ordine ſupernaturali, & virtutes potentiæ; vnde iſtæ ſemper ſupponunt gratiam tamquam radicem.

11 Quæres primò, an gratia habitualis in Chriſto fuerit eiuſdem ſpeciei cum noſtra?

Reſpondeo affirmatiuè; ita communiter Doctores, & ita certam aliqui volunt eſſe reſponſionem, vt repugnet etiam de potentia abſoluta alia gratia habitualis ſpecie diuerſa à noſtra; verum contrarium diximus eſſe probabilius in tractatu de gratia quæſt. 5. ar. 3. Poteſt tamen dici diuerſæ ſpeciei quo ad modum eam habendi. Probatur prima pars; nam habet eumdem effectum formalem in Chriſto, ac in alijs iuſtis; ſcilicet facere Deo acceptum, gratum, participem naturæ diuinæ, & quod habeat ius ad gloriam; quare ſicuti lumen gloriæ, & viſio beata eſt eiuſdem ſpeciei in Chriſto, & in alijs beatis, ita & gratia; & quidem nullum adeſt fundamentum camponendi diuerſæ ſpeciei, & cum ponatur ad conſtituendam ſimilitudinem inter caput, & membra, fatendum eſt eſſe eiuſdẽ ſpeciei, non diuerſæ.

12 Secunda pars probatur, quia diuerſus eſt modus, quo eam habet Chriſtus, ac quo eam habent ceteri ſancti; nam Chriſtus eam habet cum omni perfectione, tum intenſiua, tum extenſiua; vnde ſicuti calor in ſummo eſt in igne, in alijs mixtis numquam eſt cum tanta intenſione, ita gratia in Chriſto eſt in ſummo, in alijs cum minori intenſione; in Chriſto habet rationem gratiæ vniuerſalis, in alijs iuſtis habet rationem gratiæ particularis; in Chriſto ratione vnionis ad Verbum habet infinitam dignitatem, & efficaciam, quam non habet in alijs iuſtis; quare etiamſi admitteremus in ipſo Chriſto gratiam ſecundum entitatem ſuam finitam; nihilominus nullus vmquam poterit, quantumuis creſcat in gratia, peruenire ad gratiam Chriſti.

13 Quæres 2. Vtrum poſſit dici diſpoſitio vnionis,

Reſpondeo eſſe diſpoſitionem conſequentem, & ornantem, non præcedentem. Quod non præceſſerit patet ex ſupradictis, vbi probauimus, Chriſtum non meruiſſe vnionem. Quod verò conſecuta fuerit tamquam diſpoſitio ornans probatur: quia Chriſtus vi vnionis eſt Filius naturalis Dei, ideo vi illius debita eſt ipſi omnis hæreditas gratiæ, & gloriæ; ergo fuit in illo conſequens vnionẽ tamquam effectus debitus. Probatur 2. Actus virtutum erant cõnaturales Chriſto; ergo principia eorum, quæ ſunt

S 2 gratia,

Digitized by Google

gratia, & alij habitus virtutum.

14 Non debemus tamen imaginari, quando dicimus tales habitus eſſe connaturales, quod illi ab vnione effectiuè producantur, perſonalitas enim, vt perſonalitas, non eſt actiua, ſed ita ſunt connaturales effectus, vt ex natura rei, poſita tali perſonalitate, debeantur, ita vt ſi Deus hos habitus non infunderet, præter ordinem naturalem faceret; erit igitur diſpoſitio conſequens, & ornans, non antecedens. Quemadmodum ſi Rex ducat in matrimonium aliquam puellam obſcuri generis, & poſt matrimonium contractum illam ornaret; talia ornamenta ſunt debita illi peracto matrimonio: ita & in propoſito.

15 Quæres 3. Vtrum gratia Chriſto fuerit connaturalis?

Reſpondeo affirmatiuè: nam licèt fuerit ordinis ſupernaturalis, nihilominus debebatur, vt dixi, ex natura rei humanitati, non ſecundùm ſe, ſed vnitæ Verbo, quatenus humanitas vnita exigebat omnem ſanctitatem poſſibilem.

16 Dices vnio hypoſtatica non eſt debita vllo modo humanitati; ergo neque gratia. Sed contra reſpondeo, & nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia antequam humanitas vniretur nihil erat in ipſa, quod talem vnionem exigeret; at poſita vnione, qua Chriſtus conſtitutus eſt Filius Dei naturalis, debebat habere omnem hæreditatem gratiæ, & gloriæ, Ideo &c. Et per hoc patet etiam cur debuerit dari in inſtanti conceptionis Chriſti; nam cum data fuerit ratione vnionis, non erat vlla ratio, cur deberet differri, vt fuit de gloria corporis, quæ ideo in inſtanti conceptionis data non fuit, vt eſſet viator, & poſſet redemptionem exequi.

ARTICVLVS V.

Vtrum gratia Chriſti fuerit infinita.

1 CHriſtum fuiſſe infinitè Sanctum, & ſanctitate increata, cum ſanctificatus fuerit per ipſam vnionem hypoſtaticam, ſupra vidimus; nunc videndum eſt, an etiam infinitè fuerit ſanctificatus per ipſam gratiam habitualem; & non eſt dubium, an hæc gratia habitualis aliquo modo poſſit dici infinita ratione coniunctionis, quam habebat cum Verbo diuino, & cum dignitate infinita perſonalitatis terminantis, vnde ratione huius poterat Chriſtus mereri, vt ſanctificarentur homines infiniti, ſi in infinitum propagarentur homines, vt colligitur ex illo Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autē tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. Verùm hoc modo eſt tantùm infinitas moralis; & nos quærimus de entitate ipſa phyſica gratiæ, vtrum fuerit finita, vel infinita.

2 Caietanus hic, Medina, Aluarez Nazarius, Cipullus Ioan. à S. Thom. quæſt. 7. diſp. 9. art. 1. & 2. Gonet diſp. 13 art 1. Negant gratiam Chriſti phyſicè eſſe infinitam, licèt admittant eſſe infinitam in ratione gratiæ, hoc eſt moraliter, vt ſupra explicauimus, Scotus verò, & Durandus in 3. diſt. 13. quæſt. 1. negant vlla ratione gratiam Chriſti eſſe infinitam. Suarez diſp. 22. ſect. 1. Vaſquez diſp. 46. ſect. 6. & communiter omnes illi, qui ſuſtinent implicare infinitum actu, docent gratiam Chriſti fuiſſe quidem ſummam, quæ dari poſſit de potentia ordinaria, abſolutè tamen negant eſſe infinitam.

Maior in 3. diſt. 13. quæſt. 3. docet eſſe infinitam, hancque ſententiam fuiſſe olim plurium Doctorum Pariſienſium teſtatur Almainus ibidem q. 2. con. 1. Eamdem ſequitur Maldonatus Lucæ 2. verſu 40. Hurtadus diſp. 13. phyſicæ §. 47. & hìc diſp. 48. vbi citat plures alios, ſed an verè illi, quos citat fuerint in hac ſententia ipſe videat; hanc ſuſtinet Arriaga diſp. 32. ſect. 3. & qui ſuſtinent infinitum non implicare facilè, & conſequenter dabunt manus.

3 Concluſio prima. Probabilius eſt gratiam habitualem in Chriſto fuiſſe infinitè intenſam. Probatur, quia eſt poſſibilis hæc intenſio infinita gratiæ, & ex alia parte cedit in magnam Chriſti Domini gloriam, & videtur debita infinitæ dignitati, & ſanctitati Verbi; ergo ſi poſſumus illi concedere hanc infinitam intenſionem gratiæ, illi concedenda eſt; neque in hoc debemus expectare reuelationem. Quod ſit poſſibilis probatur, quia non repugnat neque ex parte Dei, neque ex parte gratiæ; non ex parte Dei, quia Deus eſt omnipotens, & infinitus; non ex parte gratiæ; quia hæc eſt participatio diuinæ naturæ, & per quam reddimur conſortes diuinæ naturæ; atqui diuina natura eſt infinitè participabilis; & data quacumque participatione poteſt adhuc dari alia perfectior, & perfectior in infinitum; ergo neque ex parte gratiæ repugnat.

4 Dices 1. Hinc probari gratiam infinitam ſincategorematicè non repugnare, quia data quacumque intenſione gratiæ poteſt dari alia, & alia maior intenſio in infinitum; at cum hoc optimè ſtat, quamlibet intenſionem gratiæ actu eſſe finitam. Sed contra, quia vel gradus illi intenſionis gratiæ, quos Deus

ſimul

Digitized by Google

ſimul hodie videt poſſibiles, ſunt finiti, vel infiniti: ſi primum: ergo potentia Dei eſt finita, & natura diuina eſt tantùm finitè participabilis, & poſita tali intenſione finita, maiorem intenſionem non poterit producere, cum maior intenſio non ſupponatur poſſibilis; hoc autem eſſe abſurdum, etiam aduerſarij fatentur: ſi verò dicant eſſe ſimul poſſibiles infinitos gradus, & Deum ſimul poſſibiles eos videre; producat Deus ſimul hos infinitos gradus, quos ſimul videt eſſe poſſibiles, certè conſtituent gratiam infinitè intenſam categorematicè; ſi ergo non repugnat hæc gratia infinitè intenſa, & cedit in magnam Chriſti gloriam, vtique ipſi concedenda eſt.

5 Dices 2. Eſſe quidem poſſibilem, quantùm eſt ex ſe gratiam infinitam, at cum anima Chriſti, in qua vt in ſubiecto poni debebat, ſit finita, & cum operationes ſupernaturales, quæ ſunt finis propter quas eliciendas poſita fuit in Chriſto hæc gratia, ſint finitæ in numero, & in ratione entis, ſequitur etiam, quod gratia, quæ debet dari proportionata fini & ſubiecto, in quo ponitur, fuerit in Chriſto finita, non infinita. Sed contra, quia gratia debet eſſe proportionata ſubiecto non ſecundũ potentiam naturalem, ſed obedientialem: atqui potentia obedientialis animæ Chriſti eſt gratiæ infinitæ capax; ſi enim capax eſt recipiendi ſanctitatem infinitam, & increatam perſonalitatis diuinæ, multò magis erit capax gratiæ infinitæ creatæ; neque eſt verum, quod operationes ſupernaturales, quas debet elicere anima Chriſti, omnes ſint finitæ; nam debet elicere viſionem beatam infinitam, ad quam, licèt immediatè non concurrat gratia, ſed lumen gloriæ; nihilominus hoc datur iuxta proportionem gratiæ; ergo cum viſio beata Chriſti ſit infinita, & gratia, vt ſit proportionata infinita eſſe debet.

6 Probatur 2. Ioan. 3. habetur. *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum filio*, quem locum intelligit D.Thòm. quæſt. 7. ar. 11. ad primum non ſolùm de gratia vnionis, ſed etiam de gratia habituali adducens D. Aug. tract. 14. in Ioan. tom. 9. qui dicit. *Menſura diuiſio quædam donorum eſt: alij enim datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ: ſed Chriſtus, qui dat, non ad menſuram accepit.* Atqui gratia, quæ non eſt data ad menſuram, eſt infinita; ergo ſi gratia Chriſti non fuit data ad menſuram, ſequitur, quod fuerit infinita.

7 Dices cum Gonet, & alijs, hinc probari gratiam habitualem Chriſti in ratione gratiæ fuiſſe infinitam; non verò in ratione entis; nam in ratione entis omnia in pondere, numero, & menſura diſpoſuit Deus, vt habetur ſap. 11. Sed contra, quia vel gratia habitualis Chriſti fuit infinita in ratione gratiæ, eo quod ſit coniuncta in eodem ſuppoſito Chriſti infinito, & de hac infinitate non loquimur, cum ſit tantùm moralis, & ab omnibus admittatur; vel quod fuerit infinita in ratione gratiæ, quia apta eſſet conſtituere animam Chriſti infintè ſanctam, licèt ipſa entitatiuè ſit finita; & hoc eſſe non poteſt; nã gratia conſtituit gratum, & ſanctum ratione propriæ entitatis informando ſubiectum, & non diſtinguuntur realiter ratio entis, & ratio gratiæ; ergo ſi in ratione gratiæ data fuit ſine menſura Chriſto, etiam data fuit ſine menſura in ratione entis, & ſic infinita gratia, ſeu gratia infinitè intenſa data fuit animæ Chriſti Domini.

8 Obijcies primò. Si producta fuiſſet gratia infinitè intenſa in humanitate Chriſti, ſequitur exhauſtã fuiſſe omnipotentiam circa productionem vlterioris gratiæ: hoc non eſt dicendum; ergo neque illud vnde ſequitur.

Reſpondeo negando ſequelam; nam potius ſequitur potentiam Dei eſſe infinitam, quam exhauſtam; quemadmodum, quod viſio Dei videat infinita, & omne viſibile, non per hoc ſequitur, quod exhauriatur, ſed quod ſit infinita in cognoſcendo; ita à pari &c.

Dico 2. quod nullo modo eſt omnipotentia exhauſta, quia conſeruat illam gratiam infinitè intenſam, & poteſt illam deſtruere, & poſtea iterum producere: tum quia per hoc, quod produxerit gratiam infinitè intenſam in Chriſto, adhuc poteſt producere alias, & alias intenſiones infinitas gratiæ, tum in ipſo Chriſto, tum in alijs ſubiectis: vnde argumentum nullum eſt ex varijs capitibus.

9 Obijcies 2. ex Vaſquez. Nulla creatura poteſt reddi ita ſancta ſanctitate participata, quin poſſit ſemper creſcere in ſanctitate per actus bonos; ergo non poteſt habere ſanctitatem infinitam, quia ſic non poſſet amplius creſcere.

Reſpondeo primò, concedendo, quod non poſſet creſcere, vt patet in ſententia contraria non admittente gratiam infinitam, ſed tamen ſummam in Chriſto, etenim, quia ab initio habuit ſummam gratiam cum vnione, & ſanctitate increata infinita, numquam creuit, vt fatetur etiam ipſe Vaſquez, ita data noſtra ſententia, quod habuerit gratiam infinitam numquam creuit, quia iam ſuppo-

Digitized by Google

ſupponitur habere gradus infinitos. Dico 2. quod de poſſibili data gratia infinita in Chriſto, poſſet creſcere materialiter in ſanctitate; non enim de ratione infiniti eſt, quod in ſe includat omnes gradus poſſibiles intenſionis, ſed ſolùm, quod includat gradus ſine numero, infinitum eſt enim illud, à quo ſemper eſt aliquid accipere, nec habet primum, & vltimum; poſſet autem non habere primum, & vltimum formaliter, etiamſi poſſint addi alij gradus materialiter; & præſertim hoc verùm eſt, ſi gradus ſint homogenei.

10 Obijcies 3. Vel gradus intenſionis ſunt homogenei, vel heterogenei. Si ſunt homogenei, vt in Chriſto ſint infiniti, deberent in ipſo poni omnes gradus gratiæ non ſolum, qui de facto ſunt in iuſtis omnibus, ſed etiam, qui poſſibiles ſunt: omnes enim poſſunt augere intenſionem; Si verò dicatur eſſe heterogeneos cum iſti ſint eſſentialiter ſubordinati, habebunt primum, & vltimũ, cum in eſſentialiter ſubordinatis non detur proceſſus in infinitum; & ſic non poſſunt eſſe infiniti.

Reſpondeo poſſe ſuſtineri tales gradus, & eſſe homogeneos, & eſſe heterogeneos: ſi primum dicamus: nego, quod deberent poni omnes poſſibiles gradus in Chriſto, ſed ſufficit, ſi in ipſo ſint poſiti gradus gratiæ ſine numero; ad hoc enim vt gratia ſit infinitè intenſa in aliquo ſubiecto, ſufficit ſi in ipſo ſint gradus ſine numero, hoc eſt ſine primò, vltimò, vel medio: quia primum, vltimum, æquale, & medium ſunt proprietates entis finiti, non infiniti; poſſunt autem eſſe gradus intenſi gratiæ ſine numero in Chriſto, licèt in ipſo non ſint omnes gradus poſſibiles; neque alij gradus, ſi adderentur facerent maiorem intenſionem formaliter, ſed ſolùm materialiter, vt communiter explicant phyloſophi de infinito tractantes. Si verò dicamus eſſe heterogeneos, etiam nego in ipſis debere dari primum, & vltimum, ſed ſimul omnes producerentur, nec daretur primus, & vltimus.

11 Dices: Ille eſſet primus, qui eſſet infimus in perfectione; ille eſt vltimus, qui eſſet omnium perfectiſſimus: ſed ſi gradus eſſent heterogenei daretur infimus in perfectione, & ille, qui eſſet omnium perfectiſſimus, eſſent enim ſubordinati; ergo daretur primus, & vltimus, & ſic non eſſent infiniti.

Reſpondeo enim, quod ſi darentur infiniti, nec darentur infimus in perfectione, neque omnium perfectiſſimus, quia dato quocumque daretur alius, & alius in infinitum; & licèt eſſent ſubordinati, non per hoc tolleretur proceſſus in infinitum; nam ſubordinatio tantùm tollit proceſſum in infinitum in cauſis, quia numquam fieret motus, non in gradibus. Ideo &c.

12 Obijcies 4. Si in Chriſto daretur infinita gratia, daretur etiam infinitum lumen gloriæ: ſed implicat in intellectu Chriſti infinitum lumen gloriæ: ergo etiam in eius anima infinita gratia: probatur minor: nam ſic intellectus Chriſti comprehenderet Deum, quod implicat.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, nego intellectum creatum animæ Chriſti comprehenſurum Deum ex eo, quod in ipſo ſit infinitum lumen gloriæ; nam ad rationem comprehenſionis non ſufficit cognoſcere in Deo infinita, aut infinito modo infinitate per participationem, ſed deberent cognoſci infinito modo infinitate per eſſentiam, hoc eſt per intellectionem, quæ eſſet infinita per eſſentiam ſuam, ſicuti eſt Deus, qui comprehendi debet; vt de hoc argumento latius dictum fuit in tractatu de Deo quæſt. 3. ar. 19.

13 Obijcies 5. Illa gratia poteſt poni in Chriſto, cuius eſt capax: ſed anima ipſius cum ſit finita, eſt ſolùm capax gratiæ finitæ: ergo tantum finita, non infinita in ipſo poni debet.

Reſpondeo, quod ſecundùm potentiam obedientialem anima Chriſti, ſicuti eſt capax vt terminetur à Verbo infinito, ita eſt capax vt recipiat gratiam infinitam. Et hæc dicta ſint ſuppoſito ex phyſicis, quod infinitum cathegorematicum actu non implicet; ſi verò admittatur infinitum actu implicare.

14 Concluſio 2. Si infinitum implicat gratia habitualis in Chriſto fuit ſumma, id eſt tanta, quanta ſecundùm potentiam ordinariam produci poteſt; & explicatur à D. Thom exemplo, ſicuti lux Solis eſt ſumma, quæ ſecundùm potentiam ordinariam ſit, & ſic quodamodo lux, vt eſt in Sole, dicitur infinita; ita gratia in Chriſto, quia eſt tamquam in capite, & fonte totius gratiæ, dicitur ſumma, & quoaddamodo infinita: at ſi ſecundùm ſe conſideretur, finita eſt.

15 Dices: quod poteſt creſcere non eſt ſummum; gratia Chriſti potuit creſcere, etiam dato, quod infinitum actu implicet: ergo nõ fuit ſumma. Sed cõtra quia quod poteſt creſcere ſecundùm potentiam abſolutam, poteſt dici ſummum ſecundùm potentiam ordinariam, vt patet de luce Solis, quæ eſt ſumma, quæ ſecundùm potentiam ordinariam poſſit produci, licèt ſecundùm ſe à Deo poſſit intendi. Ita dicimus de gratia

tia Chriſti, illam eſſe ſummam ſecundùm potentiam ordinariam; vnde Chriſtus dicitur plenus gratia magis, quam fuerit Virgo, aut Apoſtoli, quia finis, propter quem data fuit Chriſto, fuit excellentior. quam in alijs Sanctis; nam ipſi data fuit tamquam fonti, & capiti, & vt eſſet principium operationum ſupernaturalium humanitatis coniunctæ cum Verbo; quod non verificatur de alijs Sanctis; cum hoc tamen ſtat, quod per abſolutam potentiam poſſit creſcere.

ARTICVLVS VI.

An in Chriſto fuerint auxilia actualia, virtutes, dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ.

1 Virtutes aliæ ſunt Theologicæ, aliæ morales: Theologicæ ſunt fides, ſpes, charitas, quæ viribus naturæ acquiri non poſſunt, & à Deo ſimul cum gratia in iuſtificatione infunduntur, morales verò ſunt reliquæ omnes, & iſtæ aliæ ſunt ſupernaturales, & per ſe infuſæ, aliæ acquiſitæ, & naturales, vti hoc fuit probatum in tractatu de virtutibus in communi q. 1. ar. 9. Quærimus ergo hic, an omnes virtutes, tam Theologicæ, quam morales per ſe infuſæ, & morales acquiſitæ, ex earum natura, quæ dicuntur per accidens infuſæ, fuerint omnes infuſæ Chriſti animæ in inſtanti ſuæ conceptionis.

2 Prima opinio docet virtutes morales naturales, & per ſe acquiſitas, & eas, quæ dicuntur per accidens infuſæ, non fuiſſe in Chriſto ab inſtanti ſuæ cõceptionis, ſed eas ſibi acquiſiuiſſe, ſicuti acquiſiuit ſcientiam experimẽtalem. Sic Cabrera hic ar. 2. diſp. 2. Nazarius controu. 1, concl. 3. Cipullus quæſt. 7. art. 2. dub. 3. idem ſuſtinet Vaſquez. diſp. 42. cap. 2. quo ad prudentiam ex natura ſua acquiſitam.

Secunda ſententia docet has virtutes morales per ſe acquiſitas numquam fuiſſe in Chriſto; eo quod Chriſtus ſemper operatus ſit ex fine, & motiuo virtutum infuſarum, qui ſemper eſt nobilior. Sic Lorca hic diſp. 28. & Capreolus, Richardus, & alij, quos refert Vaſquez *loco citato*.

Tertia communis ſententia docet omnes virtutes, tum Theologicas, tum morales ſtatui beatifico non repugnantes, tum per ſe infuſas, tum per accidens, fuiſse in Chriſto ab inſtanti ſuæ conceptionis. Sic D. Thom. hic q. 7. ar. 2. Medina, Aluarez, Ioan. à S. Thom. diſp. 8. ar. 3. Gonet diſp. 12. ar. 4. Suarez diſp. 19. ſect. 2. Lugo diſp. 16. ſect. 7. Arriaga diſp. 33. Eſparza lib. 9. q. 26. Gabriel à S. Vincentio diſp. 7. dub. 12. 13. & communiter Doctores.

3 Concluſio 1. Vltra gratiam habitualem etiam auxilia actualia fuerunt in Chriſto. Probatur breuiter, quia actus boni, & ſupernaturales requirunt auxilium Dei: vnio autem hypoſtatica non ſufficiebat, cum non habeat talem vim, neque ſufficiebat perſonalitas ſola; nam hæc prout diſtinguitur ab eſſentia non eſt operatiua, & omnes actiones ad extra ſunt indiuiſæ toti Trinitati; vnde debebantur auxilia actualia, concurſus Dei, præuiæ, & piæ cogitationes, & alia huiuſmodi ſimilia, in operando enim anima Chriſti debebat ſubordinari Deo. Ideò &c.

4 Concluſio ſecunda. In Chriſto fuerunt poſitæ omnes virtutes ab initio, quæ ſtatui beatifico non repugnabant. Probatur ratione. Ad dignitatem Chriſti pertinet illius humanitati concedere non tantum vt ſit proportionatum principium actuum ſupernaturalium, & quicquid pertinet ad illius ſanctificationem in ordine ſupernaturali, ſed etiam quidquid ſpectat ad rectitudinem eius in ordine naturali: ſed virtutes per ſe infuſæ, tum theologicæ, tum morales ſpectant ad ſanctificationem eius in ordine ſupernaturali, & conſtituunt ipſum principium proportionatum actuum ſupernaturalium; virtutes autem morales acquiſitæ ſpectant ad rectitudinem eius in ordine naturali; ergo omnes iſtę virtutes tam ſupernaturales, quàm naturales illi ſunt concedendæ.

5 Dices primò. Chriſtum ſufficienter fuiſſe conſtitutum principium proportionatum omnium actuum ſuorum per infuſionem virtutum ſupernaturalium; ideoque non fuiſſe in ipſo neceſſarias virtutes acquiſitas, ſed has decurſu temporis potuiſſe acquirere, quemadmodum decurſu temporis acquiſiuit ſcientiam experimentalem. Sed contrà, quia licèt virtutes acquiſitæ non requirantur ad conſtituendum Chriſtum principium proportionatum actuum ſupernaturalium; requiruntur tamen ad conſtituendum ipſum principium proportionatum actuum naturalium; & non ſolùm eſt inconueniens, quod Chriſtus non ſit proportionatum principium actuum ſupernaturalium, ſed etiam, quod non ſit proportionatum, & expeditum principium actuum naturalium; & ideò vt non dentur hæc inconuenientia in Chriſto, non tantùm in ipſo debuerunt poni omnes virtutes ſupernaturales, ſed etiam naturales ſtatui

Digitized by Google

tui beatifico non repugnantes: & diſparitas eſt de ſcientia experimentali, & de his virtutibus, quia Chriſtus ea omnia iam ſciebat per ſcientiam beatam, & infuſam, ex alia vero parte fuit etiam conueniens habere acquiſitam, vt omni modo poſſibili haberet ſcientiam, & acquiſita pro aliquo tempore carere, nullam dicebat imperfectionem, nec habebat debitum ſciendi omnia per quamcumque ſcientiam: at cum Chriſtus habuerit debitum rectè operandi ſemper, tum in ordine ſupernaturali, tum naturali, debuit habere omnia principia, & omnes virtutes, quibus reddebatur principium aptum, & proportionatiſſimum ad operandum. Aliam diſparitatem aſſignat Ioann. à S. Thom. quia, ſi Deus infudiſſet animæ Chriſti ſcientias experimentales, manſiſſet intellectus agens in ipſo perpetuò otioſus, cum eius munus ſit abſtrahere ſpeciem à phantaſmatibus; hoc autem inconueniens non euenit per infuſionem virtutum naturalium; nam per hoc, quod infundãtur voluntati, non per hoc manet perpetuò impedita ad eliciendum actum ſuum, ſed perfectiores elicit operationes, quando eaſdem elicit iam perfecta per habitum.

Cur Chriſtus acquiſiuit ſcientiam non virtutes.

6. Dices ſecundò. Hinc probari Chriſtum habuiſſe quidem virtutes morales acquiſitas ab initio ſuæ conceptionis, ſed non probari, quod tunc fuerint illi infuſæ per accidens; nam potuit eas comparare proprijs actibus in primo inſtanti ſuæ conceptionis. Sed contra, quia ideò aduerſarij ponunt in Chriſto virtutes morales proprijs actibus comparatas, nè ponant eas in Chriſto infuſas per miraculum; cum ex natura ſua ſint acquiſibiles: ſed maius miraculum eſſet, ſi eas acquiſiſset proprijs actibus; etenim actus illi non poterant exerceri ſine dependentia à ſenſibus; neque ſenſibus poterant offerri illa obiecta ſine multiplicatione miraculorum, ſtante Chriſti ſtatu tunc temporis, in vtero Beatiſſimæ Virginis; quæ miracula non eſſent multiplicanda, ſi admittamus infuſionem illorum habituum; ergo nè tot miracula multiplicentur, debemus admittere tales habitus fuiſse infuſos, ſicuti eos communiter Theologi infuſos Adamo admittunt; ſic enim maximè cedũt in dignitatem Chriſti Domini, vt ab initio haberet omnes habitus pertinentes ad rectificationem voluntatis.

7. Dixi in concluſione eſse ponendas eas virtutes, quæ ſtatui beatifico nõ repugnant. Vnde propter hoc non fuit in Chriſto fides, quia repugnat cum clara Dei viſione, vt dictum eſt in tract. 9. tom. 2. de fide, quæſt. 4. ar. 4. Si tamen accipiatur fides pro fidelitate, & veritate, vtique fuit in Chriſto, ſicuti etiam fides, quæ eſt gratia gratis data; fides autem hoc pacto ſumpta, vel ſignificat donum explicandi aliis myſteria fidei, vel ſingularem certitudinem de rebus fidei, quam præbet Deus Doctori Euangelico, vel proteſtationem certam faciendi miracula, vel denique indubitatum aſſenſum, quod auxilium Dei ſibi defuturum non ſit ad facienda miracula; nam cum iſtis modis non repugnet fides ſtatui beatifico, debet his modis poni fides in Chriſto; verùm ſic non eſt fides theologica.

Neque in Chriſto fuit propriè ſpes theologica; nam hæc eſt reſpectu beatitudinis, quam ſperamus: Chriſtus autem fuit ab initio beatus. Vide quæ circa hoc dicta ſunt de ſpe tract. 9. q. 6. ar. 4. ne eadem toties repetamus.

8. Obiicies primò. In Chriſto non fuit inordinatio partis ſenſitiuæ, ſicuti in ipſo fuit ſublata omnis potentia peccandi; ergo non ſunt ponendæ illæ virtutes in Chriſto, quæ dantur ad moderandum appetitum: ſed temperantia, & fortitudo dantur ad hunc finem; ergo non ſunt ponendæ in Chriſto.

Reſpondeo, duo eſſe in virtutibus, nempe materiale, & formale: materiale eſt moderatio appetitus, nè ſit contra rationem, formale verò eſt eidem præſtare, vt facilè, & delectabiliter operetur id, quod ratio præſcribit: primo modo non fuerunt neceſſariæ prædictæ virtutes in Chriſto, ſic autem ſecundo modo.

9. Obijcies ſecundò ex Vaſquez. Prudentia includit ſpecies, quibus cognoſcat præſentia, præterita, & futura: ſed iſtæ ſpecies non fuerunt in Chriſto; cum eas acquiſierit; ergo in ipſo non fuit prudentia.

Reſpondeo, prudentiam fuiſſe infuſam quo ad habitum, quia hoc ſpectabat ad decus Chriſti; verùm probabile eſt actus non elicuiſſe, niſi acquiſitis ſpeciebus; licèt etiam poſſimus dicere has ſpecies fuiſſe ſuppletas per ſcientiam infuſam.

10. Obiicies tertiò ex Lorca. Illę virtutes debebant poni in Chriſto, quibus Chriſtus operabatur: ſed per virtutes acquiſitas naturales Chriſtus non operabatur; ergo hæ virtutes non debebant poni in Chriſto. Maior patet; quia illæ, quibus Chriſtus non operabatur fuiſsẽt perpetuo otioſæ: minor probatur; quia Chriſtus ſemper operabatur ex motiuo ſupernaturali charitatis; quare perpetuò otio-

Digitized by Google

otioſæ eſſent virtutes acquiſitæ naturales: vnde D. Thom. in 3. diſt. 33. q. 1. art. 4. & alibi negat virtutes acquiſitas in beatis, & ſolùm ponit infuſas.

Reſpondeo negando minorem, abſurdum enim eſt, vt notat Arriaga loco cit. num. 13. negare humanitati Chriſti omnes actus naturales voluntatis, ita vt planè numquã, niſi actum ſupernaturalẽ elicuerit; vnde, ſi aliquos habuit actus naturales, illi planè fuerunt honeſti, & virtuoſi; ergo habuit virtutes naturales: ad id, quod dicitur, quod Chriſtus ſemper operabatur ex motiuo charitatis, dico, quòd licèt ita fuerit, poterat tamen ex motiuo charitatis imperare virtutibus acquiſitis, & ſic tales virtutes non fuiſſent otioſæ. Ad D. Thom. dico, ipſum apertè docere has virtutes manere in beatis ſic 1. 2. q. 67. ar. 1. & ſolùm docet illas virtutes morales non fuiſſe in Chriſto, quæ aliquam imperfectionem in ſubiecto ſupponunt: ſicuti continentia, quæ reſiſtit paſſionibus vehementibus, quæ in Chriſto non ſupponebantur, & verecundia, quæ eſt de facto turpi præſenti, & hæc propriè non eſt virtus.

11 Dices ad Hebr. 2. dicitur, quòd Chriſtus didicit ex his, quæ paſſus eſt obedientiam; ergo obedientia non fuit infuſa.

Reſpondet D. Tho. quòd Chriſtus expertus eſt, quam graue ſit obedire, quia ipſe in difficillimis obediuit.

12 Quæres primò, an Pœnitentia fuerit infuſa Chriſto?

Suarez diſp. 19. ſec. 1. admittit habitũ pœnitentiæ in Chriſto ſecundùm rem, non ſecundùm denominationem, quam opinionem ſequitur Arriaga diſput. 33. ſec. 2. Ioann. à S. Tho. diſp. 8. ar. 3. negat in Chriſto fuiſſe pœnitentiam.

Reſpondeo vtrumq; probabiliter dici poſſe. Poteſt dici primum, ſi dicamus habitum pœnitentiæ non ſolùm ordinari ad deteſtanda propria peccata, ſed etiam ad deteſtanda aliena peccata ob idem planè motiuum; ob quod illud iam commiſſum alius vult tollere, & ad ſatisfaciendum pro ipſis; in quo ſenſu; cũ Chriſtus potuerit deteſtari aliena peccata ob illud idem motiuum, quo alij volunt illa tollere, & voluerit ſatisfacere pro illis; certè in hoc ſenſu potuit in Chriſto poni habitus pœnitentiæ; talis tamen habitus propriè non denominatur pœnitentia, niſi ab actu, quo quis dolet de proprio peccato; & ideò Chriſtus non potuit denominari habens pœnitentiam, vel pœnitens.

13 Si verò dicamus eſſe de ratione pœnitentiæ, quod ſit deteſtatio proprij peccati, cum in Chriſto non potuerit eſſe peccatum, neque in ipſo potuit eſſe pœnitentia; cum pœnitentia in ipſo ſubiecto eſſe non poſſit, in quo non poteſt eſſe materia pœnitentiæ.

14 Dices. Si Verbum aſſumeret naturam humanam habentem virtutem pœnitentiæ, hæc non deſtrueretur; ergo non eſt incompoſſibilis cum vnione; ergo de facto ponitur in Chriſto. Tum quia potuit Chriſtus habere hunc actũ, *Si haberem peccatum dolerem de illo*; ergo propter hunc actum conditionatum debet poni in Chriſto pœnitentia. Sed contra, quia ſi aſſumeretur humana natura, eo ipſo deſtrueretur pœnitentia, quia eſſet in ſubiecto incapaci, pertineret enim tunc illa natura ad aliam perſonã, quæ eſſet incapax peccati, & per conſequens deſtrueretur materia pœnitentiæ, ſeu obiectum eius; nec perſona diuina, quæ aſſumpſit naturam illam, poteſt per pœnitentiam vindicare illa peccata, quia alterius perſonæ ſunt, non ſua. Ad aliud dico, tales actus eſſe omnino impoſſibiles, qui non ſufficiunt ad conſtituendam virtutem in ſubiecto.

15 Dices ſecundò. In Adamo propter tales actus conditionatos fuit poſita pœnitentia; ergo & in Chriſto potuit poni. Sed contrà: nego conſequentiam; nam ſtatus Adami erat ſtatus accidentalis; ſtatus autem Chriſti perſonalis omninò incompoſſibilis, vt dictum fuit; nam Adamo peccante remanebat eadem perſona; at ſi per impoſſibile peccaret habẽs vnionem hypoſtaticam, non remaneret in tali natura eadem perſona.

16 Quæres 2. an in Chriſto fuerint dona Spiritus Sancti, & gratię gratis datæ.

Reſpondeo primò. In Chriſto fuiſſe omnia ſeptem dona Spiritus Sancti. Hęc reſponſio eſt ita certa, vt plures velint illam eſſe de fide. Probatur ex illo Iſai. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, &c.* quem locum communiter Patres, & Theologi explicant de Chriſto. Ratio eſt, quia hæc omnia dona dicunt maximam perfectionem, & ſunt maximum ornamentum ea habenti; ergo Chriſto concedenda ſunt, cui omnia bona hæreditario iure debentur poſita vnione, & filiatione naturali Dei.

17 Dices, actus timoris eſt fuga mali imminentis; ergo in Chriſto non potuit eſſe, cui nullum malum ex culpa ei debitum fuit. Sed contra reſpondeo, quod timor vel ſumitur pro fuga mali apprehenſi, vt futuri ex propria culpa, vel pro timore filiali, qui eſt affectus reuerentiæ ad Deum, vt potentem ſimpli-

Digitized by Google

pliciter infligere malum; primò modo nen fuit in Chriſto, ſic autem ſecundo modo, ſic enim eſt etiã in omnibus Sãctis, iuxta illud Pſalm. 18. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.* Et ſic intelligitur illud Iob 23. *Columnæ Cœli contremiſcunt.*

Reſpondeo ſecundò, etiam in Chriſto fuiſſe omnes gratias gratis datas, quę ſunt nouem, vt eas enumerat Apoſtolus 1. ad Cor. 12. nempe ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, & interpretatio ſermonum. Has omnes fuiſſe excellentiſſimo modo in Chriſto patet ex euangelica hiſtoria. Et ratio eſt, quia, cum omnes iſtæ gratiæ ordinentur ad ſalutem, & vtilitatem aliorum, debebãt principaliter conferri Chriſto, qui venit de Cœlis propter nos, & propter noſtram ſalutem.

18 Dices primò. Supra dictum eſt in Chriſto non fuiſſe fidem; ergo &c. Sed contrà dictum fuit in Chriſto non fuiſſe fidem theologicam, quod vltra fateor; verùm hic fides ſumitur pro fiducia ad patranda miracula, & pro facilitate in explicandis fidei myſterijs. Ideò &c.

19 Dices ſecundò. Ideò non ponitur fides theologica in Chriſto, quia hæc includit obſcuritatem: ſed etiam Prophetia eamdem includit; ergo non
Beati cur non ſunt Prophetæ. debuit poni in Chriſto. Minor patet, quia ſecus etiam Beati eſſent Prophetę, cum futura cognoſcant. Sed contrà nego minorem; nam vt optimè dicit D. Tho. de ratione prophetiæ eſt tantùm futura prædicere, quæ ſint occulta, licèt à Propheta clarè cognoſcantur, vnde Prophetæ etiam dicti fuere videntes. Ratio verò cur Beati non ſint Prophetæ eſt, quia non annunciant occulta alijs, cum quibus conuerſantur; cum Beatis omnia ſint clara in Verbo: at ſi nobis aliquod occultum reuelarent, vtique reſpectu noſtri poſſent dici Prophetæ.

ARTICVLVS VII.

An Chriſtus ſit caput Triumphantis, & Militantis Eccleſiæ.

1 CErtum eſt Chriſtum eſſe caput, tum triumphantis, tum militantis Eccleſiæ. Hoc colligitur ex ſacris litteris. Ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Ad Col. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Hunc etiam modum loquendi ſequuntur Patres, ac Theologi; Non debet tamen accipi ly *caput* propriè, ſed metaphoricè tantùm, ducta metaphora ab humano capite, & quemadmodum in humano corpore caput ſupereminet omnibus membris, in ipſo vigent ſenſus, & ipſum in reliquum corpus influit; ita Chriſtus conſtitutus eſt ſuper omnem Eccleſiam, viget perfectione, & plenitudine omnium gratiarum, & influit gratiam, gloriam, & alia dona ſupernaturalia in alios; quæ tria ex D. Th. requiruntur ad rationem capitis.

2 Dices. Si Chriſtus eſſet caput Eccleſię, etiam eſſet membrum ipſius; omne enim caput eſt membrum illius corporis: ſed Chriſtus nec eſt, nec dici poteſt membrum Eccleſiæ; ergo neque caput. Sed contra reſpondet D. Thom. in 3. diſt. 13. q. 1. art. 1. ad 6. quòd caput naturale ideò eſt caput, & commembrum, quia ab aliis partibus influxum recipit; at Chriſtus eſt tantùm metaphoricè caput, & nullum influxum recipit ab Eccleſia, ideò non eſt Eccleſiæ membrum, ſed ſolùm caput. Tractat de gratia capitis D. Thom. hic quæſt. 8. Verùm quia res eſt ex ſe clara, & facilis; ideò ſolùm quædam dubia proponemus, & ſoluemus.

3 Quæres 1. an Chriſtus ſit caput omnium creaturarum?

Reſpondeo. Chriſtum eſſe caput omnium hominum non creaturarum irrationalium. Quod Chriſtus non ſit caput irrationalium eſt contra Suarez diſput. 23. & alios apud ipſum; eſt tamen communis aliorum. Probatur: de hoc nomine in tantùm loqui debemus, & illud Chriſto attribuere, in quantùm ſcripturæ, & Patres hoc dicunt: ſed communis conſenſus Patrum eſt, quod ſit caput hominum, non irrationalium; ergo ita loqui debemus. Confirmatur, quia ad rationem capitis requiritur influxus in membra; Chriſtus autem, cum ſit caput politicum, debet in membra influere gratiam, & gloriam: ſed in irrationalia non poteſt influere gratiam, & gloriam; ergo reſpectu irrationalium non eſt caput. Eſt tamen Dominus, & Princeps omnium rerum. *Omnia, enim, ſubiecit ſub pedibus eius.* Ad Epheſ. 1. & ad Col. 2. dicitur: *Primogenitus omnis creaturæ.*

4 Quæres ſecundò. An Chriſtus ſit caput omnium etiam infidelium, & hæreticorum.

Reſpondeo, poſſe verè dici caput. Sic Suarez in com. art. 3. huius quæſt. 8. Lugo diſp. 17. Alphonſus à Caſtro lib. 2. de iuſta hæretic. punitione, cap. 24. & alij contra Gonetum diſp. 14. art. 2. Gabrielem à S. Vincentio, & alios, quos ipſe citat.

Digitized by Google

rat. Ratio eſt, quia Chriſtus in omnes influit per vocationes, inſpirationes, &c. hoc autem eſt proprium capitis; an verò peccatores in ſtatu peccati exiſtentes, hæretici, & infideles ſint dicendi membra Chriſti, in hoc poteſt eſſe quęſtio de nomine: non ſunt membra propriè, quia omnes iſti ſunt ſeparati, nec ſunt vniti per gratiam ſanctificantem: poſſunt tamen dici in latiſſima ſignificatione membra, quando actu cooperarentur vocationibus; ceterum ſecundùm ſe ſunt tantùm membra in potentia, vt quando vocationes non recipiunt: neque Chriſtus eſt caput, ſed tantùm in potentia, ſicuti iſti tantùm in potentia ſunt membra.

5 Quæres tertiò. An Chriſtus fuerit caput Adami in ſtatu innocentiæ?

Reſpondeo affirmatiuè eſt contra Thomiſtas, Vaſquez, & alios, conſtat tamen ex dictis ſupra, dum de decreto Incarnationis egimus, quia omnē gratiam, quam habuit Adamus, illam recepit ex meritis Chriſti.

Fuit etiam caput omnium animarum, quæ erant in lymbo Patrum, quia ab illo accipiebant ſpem, fidem, & charitatem; propter eamdem rationem eſt caput omnium animarum Purgatorii, & omnium exiſtentium in Cœlo, licèt diuerſimodè regat, & gubernet Ciuitatem illam, quæ ſurſum eſt Ieruſalem triumphantem, ac Eccleſiam iſtam militantem: Damnatorum verò nec dęmonum eſt caput, quia in ipſos non influit gratiam, neque gloriam.

6 Dices primò. D. Hieron. ſuper caput primum ad Epheſ. dicit Chriſtum eſſe caput dæmonum. Sed contrà dico, ſic debere exponi, non quod propriè ſit caput, cum ei, deſint conditiones capitis; dici tamen ſic ratione dominii, quod habet in dæmones, & ex eo, quod cogantur, quamuis inuiti obedire Chriſto.

7 Quæres quartò. An Chriſtus ſit caput non ſolùm hominum, ſed etiam omnium Angelorum.

Reſpondeo affirmatiuè. Ita D. Thom. hic, & communiter Theologi contra Bonauent. in 3. diſt. 13. & quoſdam alios. Probatur 1. ex illo ad Col. 2. *Qui eſt caput omnis Principatus, & Poteſtatis*, & ad Ephe. 1. *Conſtituit eum ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Ibi autem loquitur Apoſtolus de Chriſto vt homine, vt patet ex contextu.

Probatur ſecundò, ratione D. Thom. Vnius corporis debet aſſignari vnum caput, ſecus corpus eſſet monſtroſum: ſed ex Angelis, & hominibus integratur vnicum corpus myſticum, & vnica vniuerſalis Eccleſia; ergo huius corporis vnicum debet dari caput; hoc autem eſt Chriſtus.

8 Dices. Caput debet eſſe homogeneum, & eiuſdem naturę cum membris: ſed Chriſtus non eſt huiuſmodi cum Angelis; ergo &c. Sed contra reſpondeo ſufficere conuenientiam genericam in ratione naturæ intellectualis cum ordinatione ad eumdem finem gloriæ, & quod membra recipiant influxum gratiæ, & gloriæ à capite: omnes autem Angeli, vt dictum eſt ſupra cum de decreto Incarnationis egerimus, acceperunt gratiam, & gloriam à Chriſto, & ordinantur in eamdem beatitudinem. Cur verò Chriſtus potius dicatur caput, quam cor, rationem reddit D. Th. hic q. 8. art. 1. ad 3. dicens, quòd caput habet manifeſtam eminentiam ſuper cetera membra externa; cor autem habet influētiam occultam; & ideò deducit cordi comparari Spiritum Sanctum, qui inuiſibiliter Eccleſiam viuificat; capiti verò comparari Chriſtum ſecūdùm viſibilem naturam, ſecundùm quam eminet ſuper omnes.

9 Quæres quintò, quid ſit gratia capitis in ipſo Chriſto?

Reſpondeo, eſſe eandem realiter cum perſonali ipſius, prout hæc comprehendit tum gratiam ſubſtantialem vnionis & accidentalem. Probatur, quia ratione huius gratiæ habet influere in ceteros: influit enim ratione ſuorum meritorum; merita verò ſumunt valorem ab hac gratia; vnde diſtinguitur tantùm, quatenus refertur ad membra, in quæ influit. De hac materia agit D. Thom. hic per totam quæſt. 8. qui plura cupit ipſum videat; res eſt ex ſe facilis.

QVÆSTIO VI.

De ſcientia Chriſti.

SEcundum, quod aſſumpſit Verbum in hypoſtaſi pertinentis ad Chriſti perfectionem, fuit ſcientia creata, de qua D. Thom. tractat à quæſt. 9. vſque ad 12. incluſiuè, hancq; fuiſſe in Chriſto certum eſt apud omnes Catholicos, & in hac quęſtione videbimus quotuplex fuerit, & quid per per hanc ſcientiam cognouerit.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Quotuplex fuerit in Chriſto ſcientia creata.

1 NOn loquor hic de ſcientia increata, quã habuit Chriſtus vt Deus, ſed de ſcientia, quam habuit anima Chriſti; anima autem Chriſti non intellexit per ſcientiam increatam, vt à nobis dictum fuit in tractatu de beatitudine, quæſt. 2. ar. 1. vbi etiam probauimus implicare cõtradictionem, quod anima Chriſti, vel alia natura intellectualis intelligat intellectione increata, vnde non opus eſt idem nunc repetere, ſed loquor de ſcientia creata, quæ fuit in anima Chriſti; non enim fuit tantùm Deus, aut tantùm habuit intellectum diuinum, ſed etiam habuit veram animam creatam, & verum intellectum creatum; quod ergo cognouerit per hunc intellectum Chriſtus, videndum eſt.

2 Concluſio. In Chriſto fuit triplex ſcientia creata, ſcilicet, beata, infuſa, & acquiſita. Ita D. Thom. hic quæſt. 9. & cum eo communiter omnes Theologi; Inter iſtas autem ſcientias nobilior eſt beata, quæ eſt propria comprehenſorum, & hanc habuit ab inſtanti, conceptionis ipſius. Probatur 1. ex illo Io. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Vbi denoratur, quod ex eo, quod fuit Vnigenitus Patris, ſcilicet ab inſtanti conceptionis, fuit etiam plenus gratia, & veritate, ideſt ſcientia vera, vt explicant D. Auguſtinus, & alij SS. Patres; & infra. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe ennarabit.* Quam certum verò tenendum ſit in Chriſto fuiſſe ſcientiam creatam, & actum intelligendi creatum; dico eſſe de fide, cum definitum ſit 6. Synodo, & alijs Concilijs cõtra Monothelitas in Chriſto fuiſſe non tantùm vnam operationem, eamque increatam, ſed etiam creatam. Quam verò certum ſit in Chriſto fuiſſe triplicem illam ſcientiam ſtantibus auctoritatibus ſupra dictis, conſenſu Patrum, & ſcholaſticorum noſtra concluſio eſt ita certa, vt contraria, vel erronea, vel temeraria ad minimum ſit; & de hoc poſſunt videri Suarez diſp. 25. ſec. 1. Ioan. à S. Thom. hic, & alij.

3 Probatur ratione Chriſtus eſt filius naturalis Patris; ergo congruum erat, vt perſona diuina, quæ erat vnita tali humanitati, illi conferret omnem gratiam, & gloriam, & alia ſupernaturalia dona, quæ illi conuenire poterant, interque erat ſcientia beata. Confirmatur; quia Chriſtus fuit auctor omnis gratiæ, & glorię ceteris; ergo conueniens fuit vt ab inſtanti conceptionis illam gratiam, & gloriam haberet; idque colligitur etiam ex illo Ierem. 31. *Mulier circumdabit virum.* Ideſt vt D. Hieronymus, & alii Patres exponunt: Virgo circumdabit Chriſtum, qui ab inſtanti conceptionis fuit vir, non ætate, ſed ſapientia.

4 Dices Lucæ 24. dicitur *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam*; ergo ab inſtanti conceptionis non fuit beatus. Sed contra, hic locus, & alia ſimilia, quæ poſſunt adduci, debent intelligi de gloria manifeſtationis reſurrectionis, & corporis, vt communiter Patres eadem loca intelligunt. Cur autem ſicuti gloria data fuit animæ non data fuerit etiam corpori ab inſtanti conceptionis; dico quod, quantùm eſt ex ſe ratione vnionis debita erat talis gloria; at propter noſtram redemptionem ad tempus illa carere debuit.

5 Secunda ſcientia eſt infuſa; hæc autem eſt per proprias ſpecies obiectorum, & duplex eſt, alia infuſa per ſe, alia per accidens; infuſa per ſe eſt illarum rerum, quas non poſſumus viribus naturæ cognoſcere, huiuſmodi eſt perfecta cognitio obiectorum ſupernaturalium, & etiam naturæ Angelicæ &c. infuſa per accidens eſt illarum rerum, quas nos poſſumus cognoſcere. Quod in Chriſto fuerit hæc ſcientia, omiſſis auctoritatibus ſcripturæ, & Patrum, quas ad longum adducunt Doctores, probatur ratione D. Th. Chriſtus non ſolum erat comprehenſor, ſed etiam viator; ergo vltra ſcientiam beatam propriam comprehenſorum debuit habere aliam infuſam propriam viatorum: tum quia etiam beati vt vidimus in tractatu de Deo vno, vltra ſcientiam beatam in Verbo habent aliam infuſam; ergo etiam Chriſtus hanc habere debuit, cum fuerit beatus, & filius naturalis Dei.

6 Dices ex Durando. Non ſunt multiplicandæ ſcientiæ in Chriſto ſine neceſſitate: ſed ſufficiebat in Chriſto ſcientia, vel beata, vel infuſa; ergo vel vna, vel altera erat ſuperflua. Sed contra, reſpondeo, quod cum Chriſtus fuerit, & viator, & comprehenſor debuit vtramque habere, vt ſecundùm omnem ſtatum poſſet congruenter operari.

7 Tertia ſcientia fuit acquiſita eiuſdem rationis cum noſtra. Probatur ex illo Lucæ 2. *Proficiebat ætate, & ſapientia*; & ad Hebræos 5. *Didicit ex eis, quæ paſſus eſt.* Quæ loca multi Patres explicant

Digitized by Google

cant de ſcientia acquiſita. Ratio eſt, quia Chriſto debuit concedi omnis perfectio naturalis hominis: ſed inter perfectiones naturales hominis perfectiſſima eſt ſcientia; ergo hæc concedi debuit Chriſto: tum quia in Chriſto fuerunt ſenſus, & intellectus agens; ergo debuerunt habere ſuas proprias operationes, illi tranſmittendo ſpecies ſenſibiles, hic efformando ſpeciem intelligibilem, ne prorſus otioſus eſſet talis intellectus.

8 Obijcies primò. Sufficienter anima Chriſti potuit eſſe beata ſcientia increata; ergo non debuit poni creata: antecedēs probatur: natura humana in Chriſti fuit eleuata ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina; ergo & eius intellectus fuit eleuatus ad intelligendum ſcientiã increata.

Reſpondeo, de fide eſſe animam Chriſti intellexiſſe ſciētia creata; & implicare, quod aliqua creatura poſſit intelligerẽ ſcientia increata, quia intellectio eſſentialiter eſt actio vitalis, quæ eſſentialiter petit, vt procedat actiuè à principio vitæ, vt latè oſtenſum fuit in tractatu de beatitudine quæſt. 2. art. 1.

9 Obijcies 2. ex Alenſi. Chriſtus habuit claram cognitionem myſterij Incarnationis: ſed hæc cognitio nequẽ ſpectat ad ſcientiam beatam, neque infuſam, neque acquiſitam; ergo danda eſt alia, quæ dicatur vnionis.

Reſpondeo negando minorem; nam cognitionem comprehenſiuam huius myſterij habuit quatenus Deus, claram, & quidditatiuam quatenus beatus, vt magis infra patebit.

10 Ex his colligas in Chriſto fuiſſẽ etiam habitus harum ſcientiarum, vt connaturalius poſſet operari; & ideo poſitus eſt habitus luminis gloriæ pro beata, & dati ſunt proprij habitus pro infuſa, & acquiſita.

ARICVLVS II.

An cognouerit Chriſtus per ſcientiam beatam omnia præſentia præterita, & futura.

1 SVppono primò ex D. Thom. hic quæſt. 10. art. 4. Chriſtum per hanc ſcientiam beatam clarè, & intuitiuè vidiſſe diuinam eſſentiam, & hanc ſcientiam clariorem fuiſſe in Chriſto, quam in quocumque alio Beato; Chriſtum tamen non comprehendiſſẽ Deum, quia ſimpliciter à nullo intellectu creato poteſt comprehendi, vt hoc probatum fuit in tractatu de Deo vno quæſt. 3. de viſione art. 19. eo quod tantæ perfectionis non ſit cognitio, quantæ perfectionis eſt cognoſcibilitas Dei; cum hæc ſit cognoſcibilitas infinita per eſſentiam, quælibet autem cognitio creata, quamuis ſit infinita, ſit ſemper cognitio per participationem infinitè diſtans à cognoſcibilitate per eſſentiam. Rurſus ſicuti alij Beati vident ea omnia diſtinctè, quæ ſunt formaliter in Deo, & multas etiam creaturas, quæ ſunt eminenter in diuina eſſentia; ita etiamẽ Chriſti anima, & inſuper hæc omniã videt perfectius anima Chriſti, quam vllus alius Beatus videat, aut quam omnes alij ſimul videant, cum etiam ipſius gratia, & lumen gloriæ ſint maiorã, quam ſint gratia, & lumen omnium aliorum ſanctorum.

2 Suppono 2. ex loco citato de viſione; creaturas non dici videri à beatis in Verbo, eo quod videantur tantùm in ſecunda perſona, videntur enim in eſſentia, quæ eſt communis omnibus perſonis, ſed ideo dicuntur videri in Verbo; quia perſonæ procedenti per intellectum per appropriationem tribuuntur ea, quæ ad cognitionem pertinent, ſicuti procedenti per voluntatem tribuuntur ea, quæ ſpectant ad opera iuſtificationis, & bonitatem: Vt autem creaturæ dicantur videri in Verbo, non ſatis eſt, vt videantur eadem viſione, qua videtur diuina eſſentia, ſed neceſſe eſt, vt videantur, & eadem viſione, & ex vi diuinæ eſſentiæ, quæ ſe habeat tamquam medium, in quo videantur creaturæ; vt ex loco citato probatum ſuppono. Quando verò dicimus à beatis, & ab anima Chriſti videri creaturas in Verbo, non eſt ſenſus, quod videantur tantùm ſecundùm eſſe eminentialẽ, quod habent in Deo; hoc enim non eſt cognoſcere formaliter ipſas creaturas, ſed ipſam creatricem eſſentiam, quam omnes Beati neceſſariò vident, ſed ſenſus eſt videri ſecundùm proprium eſſe, quod habent, vel habere poſſunt finitum, limitatum, varijſque imperfectionibus admixtum; eo modo v.g. quo imagines rerum terrenarum videntur in ſpeculo; diuina enim eſſentia eſt veluti ſpeculum voluntarium.

3 Prima ſententia negat ab animã Chriſti videri in Verbo ea omnia, quæ videt Deus ſcientia viſionis, nempe omnia præſentia, præterita, & futura: ſic Richard. in 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 3. vbi dicit, quod anima Chriſti in Verbo cognouit omnia præterita, præſentia & futura, quæ non habent ſucceſſionem, ſecus, quæ habent ſucceſſionem, vt cogitationes cordium; idem docent Bonauent. in 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 3. Gabriel ibidem, Scotus, & alij eadem

diſt.

Digitized by Google

diſt. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 2. diſp. 4. ſec. 7. & Amicus diſp. 14. ſec. 2.

Secunda ſententia communis eſt D. Thom. hic; & eam docent Theologi in 3. diſt. 14. Magiſter, Albertus Magnus, Capreolus, Paludanus, Henricus, & alij apud Suarez, quos ipſe ſequitur diſp. 26. ſect. 3. eſt communis Thomiſtarum, Cabreræ quæſt. 10. art. 2. diſp. 1. Aluarez diſp. 55. Ioan. à S. Th. diſp. 12. art. 3. Gonet diſp. 16. art. 3. Gabrielis à S. Vincentio diſp. 10. dub. 4. Vaſquez diſp. 51. cap. 2. Lugi diſp. 19. ſect. 1. Arriagæ diſp. 36. ſect. 3. Eſparzæ hic quæſt. 28. hæc docet animam Chriſti cognouiſſe omnia per ſcientiam beatam, quæ ſcit Deus ſcientia viſionis, nempe omnia præſentia, præterita, & futura, ſiue modo hæc omnia viderit in Verbo, vt fert communis opinio, ſiue tantùm ex Verbo, vt vult Vaſquez cum alijs.

4 Concluſio. Anima Chriſti per ſcientiam beatam videt omnia in Verbo, quæ videt Deus ſcientia viſionis, ſcilicet quæcumque ſiue exiſtentia, ſiue præterita, ſiue futura pro quacumque temporis differentia; & hanc cognitionem habuit à primò inſtanti ſuæ conceptionis. Probatur ex illo ad Col. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi* & 1. ad Cor. 2. *Nemo nouit, quæ ſunt Dei, niſi Spiritus Dei*: ſuper quem locum Magiſter loco cit. littera 3. infert. *Ergo cum humanitas Chriſti habuerit totum Dei ſpiritum, debuit etiam omnia noſcere; quia illi non eſt datus ſpiritus ad menſuram teſte Ioanne Euangeliſta: dona ergo Spiritus Sancti ſine menſura habuit; ergo & ſapientiã; omnia ergo ſciuit anima illa; ſi enim quædam ſciuit quædã non, tunc non ſine menſura ſcientiam habuit.* Accedunt Gloſſa ſuper illud Apoc. 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt &c.* vbi habet. *Dignus eſt accipere cognitionem omnium rerum ſicuti Verbum*; & Iſidorus de ſummo bono cap. 3. dum inquit. *Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini aſſumpto.*

6 Probatur 2. ratione D. Thom. Beatus videt in Verbo omnia, quæ ſpectant ad proprium ſtatum, vt ſuppono ex tractatu de Deo vno quæſt. de viſione: ſed ad ſtatum, & dignitatem animę Chriſti ſpectant omnia, quæ videt Deus ſcientia viſionis; ergo hæc omnia anima Chriſti debet videre: probatur minor primò ex dignitate perſonæ ſuæ, ratione cuius eſt filius naturalis Dei, vnde ſicuti ratione vnionis hypoſtaticæ debita fuit Chriſto omnis gratia, vt quæſt. præcedenti vidimus; ita & omnis veritas, vt habet Ioan. cap. 1. Secundò, quia eſt caput omnium hominum, & Angelorum: Tertiò quia eſt iudex omnium conſtitutus: Iudex autem debet omnia cognoſcere, vt rectè iudicet: Quartò, quia omnia ſiue præſentia, ſiue præterita, ſiue futura illi ſubiecta ſunt, & propter eius gloriam creata ſunt; ergo omnia ſpectat ad eius proprium ſtatum, & per conſequens omnia debet cognoſcere. Et hæc ratio probat tam de neceſſarijs, quam de liberis, ſiue ſint cordis cogitationes, ſiue alij quicumque actus; nam cum ſit primogenitus, & primatum tenens non debuit ab vllo doceri, quod non accideret, ſi aliquid horum neſciret. Neque in hac ſcientia fuit profectus ille, de quo Lucæ 2. *Proficiebat ætate, & ſapientia &c.* vt tradunt Patres, neque in hoc debuit hominibus aſſimilari ignorantiam aſſumendo: nam hæc potius obfuiſſet, quam profuiſſet muneri Redemptoris; ſicuti ergo in primò inſtanti ſuæ conceptionis habuit gratiam infinitam, & proportionatum lumen gloriæ; ita in inſtanti conceptionis omnia cognouit in Verbo, quæ Deus ipſe videt ſcientia viſionis.

6 Obijcies primò. Si anima Chriſti videret ea omnia, quæ videt Deus ſcientia viſionis, videret infinita; ſed hoc eſt contra Angelicum, qui hic quæſt. 10. ar. 3. docet Chriſtum videre tantùm finita; ergo per eumdem Angelicum non videt Chriſtus ea omnia, quæ videt Deus ſcientia vidonis.

Reſpondeo, concedendo ſequelam maioris, & negando minorem: nam D. Thom. quando dicit animam Chriſti videre tantùm finita, loquitur de actu exiſtentibus, & de generationibus ſubſtantialibus, quæ non ſunt in æternum propagandæ, ſed tantùm finitæ erunt: at cum hoc ſtat, quod actus futuri ab illis creaturis per totam æternitatem ſint infiniti; vnde etiam hac de cauſa dixit 1. p. idem Angelicus ſcientiam viſionis Dei eſſe infinitorum.

7 Obijcies 2. Si anima Chriſti Domini videret infinita actu, deberet etiam habere lumen infinitum; ſed hoc non habet: ergo neque infinita clarè poteſt videre: ſequela maioris probatur; quia ad videndum aliquas creaturas in Verbo requiritur aliquod lumen, & ad videndum maiorem numerum requiritur maius lumen; ergo ad videndum infinita requiritur lumen infinitum.

Reſpondeo primò non repugnare lumen infinitum, vnde libenter illud concedo animæ Chriſti Domini ſimul cum gratia habituali infinita, vt dictum fuit ſupra quæſt. præcedenti; quia tamen etiam dato, quod implicet lumen infinitum, argumentum nullo modo probat. Ideo. *Lumen infinitum nõ repugnat.*

8 Reſpondeo 2. Negando ſequelam maio-

Digitized by Google

maioris: ad probationem concedo quidem, quod ad videndas aliquas creaturas in Verbo requiratur aliquod lumen, non eſt tamen neceſſe, quod ad videndas plures requiratur maius lumen, ſed ſufficiet idem, & ſolùm requiritur concurſus Dei, & quod Deus concurrat per modum ſpeciei ad repræſentandas alias creaturas, liberè enim concurrit; cum ſit ſpeculum voluntarium; & hoc patet exemplo viſibili, & palpabili inter nos; Ad videndum decem homines ſufficit lux Solis, & ad videndum centum, & mille ſufficit eadem lux, & ſolùm requiritur, quod ponantur ſpecies in potentia viſiua; Id ergo, quod facit ſpecies in nobis, facit diuina eſſentia in beatis, & in anima Chriſti, cum diuina eſsentia gerat vicem ſpeciei, & ſit ſpeculum voluntarium.

9 Obijcies 3. Inter ea, quæ cognoſcit Deus ſcientia viſionis eſt dies iudicij: ſed hic non cognoſcitur ab anima Chriſti; dicitur enim Math. 13. *De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli, neque filius hominis, niſi Pater*; ergo anima Chriſti non cognoſcit omnia, quæ videt Deus ſcientia vnionis.

Diem iudicij nouit Chriſtus.

Reſpondeo negando minorem; Sic enim habetur in 6. Synodo act. 11. vbi damnantur Themiſtius, qui dicebat Chriſtum neſciſse diem iudicij; Vnde variè explicant hunc locum Patres, Angelicus ſequutus Auguſtinum de Trin. cap. 12. dicit Chriſtum neſciſſe diem iudicij ad manifeſtandum diſcipulis, & ideo neſciſſe effectiuè, quia faciebat diſcipulos neſcientes; non verò, quod ipſe formaliter neſciret. D. Gregorius explicat hoc pacto, quod filius ſecundum humanitatem neſcierit, nec etiam vt Filius à ſe ſciuerit; ſciuiſse tamen vt ſecunda perſona, quia illi communicata fuit a Patre talis notitia; & ſciuiſſe ſecundùm humanitatem, quia illi data fuit huiuſmodi cognitio eo ipſo, quod fuit vnita Verbo.

10 Obijcies 4. Si anima Chriſti cognoſceret omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis comprehenderet talem ſcientiam; ſed hoc implicat, quia ſic comprehenderetur Deus, cum talis ſcientia ſit Deus: ergo falſum eſt cognoſcere omnia, quæ videt Deus ſcientia viſionis.

Reſpondeo negando ſequelam; nam inter ea, quæ cognoſcuntur ſcientia viſionis eſt etiam Deus ipſe; Deus autem comprehendi non poteſt, nec actus diuinus talis ſcientiæ propter rationem ſupra adductam, quam latè expoſuimus de Deo vno quæſt. cit. de viſione; hinc eſt, quod non comprehenditur ab anima Chriſti talis ſcientia; ceterum ſi accipiatur talis ſcientia pro reliquis obiectis creatis, ſic non implicat, quod comprehendatur.

11 Obijcies 5. Ideo Chriſtus debet cognoſcere omnia, quæ videt Deus ſcientia viſionis, & omnia futura, & libera, quia ipſe iudex eſt omnium, & omnes homines, & Angeli ſunt ab ipſo: ſed de actibus futuris poſt diem iudicij Chriſtus non debet iudicare: ergo iſti ad ipſum non ſpectabunt, & conſequenter eos non cognoſcit.

Reſpondeo negando minorem; etenim cum ad Iudicem ſpectet determinare præmium, & pœnam, & iſti actus in beatis habeant rationem præmij, in damnatis pœnæ, debet omnes actus cognoſcere, vt iuxta vniuſcumque merita, vel demerita, vel præmia decernat, vel ſupplicia; cetera autem omnia debet cognoſcere, quia omnium Dominus eſt, & omnia ſubiecit Deus ſub pedibus eius.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima Chriſti videat omnia poſſibilia.

1 PRima ſententia eſt communis Thomiſtarum omnium, hæc docet animam Chriſti in Verbo videre multa poſſibilia, & ea omnia, quæ continentur in potentia cuiuſcumque creaturæ, non tamen omnia, quæ continentur eminenter in omnipotentia Dei, nam ſi hæc omnia viderentur comprehenderetur Deus; hanc eamdem ſequūtur Suarez diſp. 26. ſect. 2. Amicus diſp. 19. ſect. 2. Iſamber. hic diſp. 1. ar. 8. & 4. Corneus quæſt. 10. diſp. 2. dub. 1. Gabriel à S. Vincentio diſp. 10. dub. 6. & plures alij, quos longum eſſet recenſere.

Secunda ſententia affirmat animam Chriſti per ſcientiam beatam videre omnia poſſibilia; diuerſi tamen ſunt in ea explicanda, & ſuſtinenda; nam Scotus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. §. ſed ſi iſta. Bonau. ibidem ar. 2. quæſt. 3. Rubion quæſt. 2. §. ad cuius euidentiam, Gabriel quæſt. 1. ar. 1. Marſilius quæſt. 10. ar. 2. Almainus quæſt. 1. ar. 1. docent animam Chriſti habitu, non actu cognoſcere omnia poſſibilia. Magiſter verò in 3. diſt. 14. Alenſis 3. par. quæſt. 13. mem. vlt. Albertus in 3. diſt. 14. ar. 1. 2. & 3. Maior quæſt. 4. Baccho quæſt. 1. ar. 4. Arriaga 1. parte diſput. 13. & hic diſput. 36. ſectio. 3. inclinat Lugo diſput. 19. num. 1. cum alijs; omnes iſti Doctores docent animam Chriſti videre omnia poſſibilia.

2 Concluſio. Anima Chriſti videt omnia

omnia poſſibilia, quæ continentur in omnipotentia Dei. Probatur 1. ex ſcriptura ad Col. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi:* & D. Chryſoſt. Hom. 5. dicit Chriſtum omnia ſcire, & nihil ignorare; ſed ſi anima Chriſti non omnia poſſibilia videret, non omnia ſciret, & aliqua ignoraret; ergo omnia poſſibilia videt. Ad hoc etiam faciunt auctoritates, quas ſupra adduximus ad probandum animam Chriſti videre omnia, quæ videt Deus ſcientia viſionis.

3 Probatur ratione. Si anima Chriſti eadem viſione formaliter, qua videt diuinam eſſentiam non videret omnia poſſibilia eminenter in illa contenta, maximè quia, vt volunt aduerſarij, comprehenderet Deum: ſed etiam viſis omnibus poſſibilibus creaturis necdũ comprehenderetur Deus; ergo de facto ea omnia videt: maior eſt præcipuum contrariæ ſententiæ fundamentum: probatur minor: vt comprehendatur aliquid non ſufficit cognoſcere omnem perfectionem extenſiuam alicuius rei, ſed inſuper requiritur, vt cognoſcatur omnis perfectio intenſiua: atqui per cognitionem omnium creaturarum poſſibilium cognoſcitur tantùm omnis perfectio extenſiua omnipotentiæ Dei, non intenſiua; nam adhuc poſſet in infinitum perfectius cognoſci Deus; ergo per cognitionem omnium creaturarum poſſibiliũ in diuina eſſentia necdũ comprehenditur Deus. Et explicatur hoc exemplo. Demus cauſam aliquam v.g. Angelum Gabrielem poſſe producere mille effectus, & quod ego cognoſcam omnes illos effectus poſſibiles à tali Angelo, non per hoc comprehenderẽ Angelum Gabrielem; nam clarius modus, quo procederent tales effectus cognoſceretur ab Angelo ſuperiori: ergo ego non comprehenderem talem Angelum, etiãſi cognoſcam omnes effectus poſſibiles a tali Angelo producibiles; ita etiam cum omnipotentia in infinitum perfectius ſit cognoſcibilis, & perfectius cognoſcatur à Deò, quam ab anima Chriſti; etiamſi anima Chriſti cognoſcat omnes effectus poſſibiles ómnipotentiæ Dei, non tamen per hoc comprehenderet Deum.

4 Dices cum aduerſarijs, hoc verum eſſe, ſi creaturæ cognoſcerentur cauſaliter extra diuinam eſsentiam: at falſum eſſe, ſi cognoſcantur vi diuinæ eſſentiæ; nam ſi cognoſcatur vi diuinæ eſſentiæ debet prius ipſa cognoſci, eo modo, quo cognoſcibilis eſt, vt deinde vi illius cognoſcantur omnia, quæ ab illa procedere poſsunt. Sed contra falſum eſt, quod ad hoc vt cognoſcantur omnia, quæ poſſibilia ſunt, debeat cognoſci ipſa diuina eſſentia eo modo, quo cognoſcibilis eſt; etenim hæc eſt infinitè in infinitum perfectius, & perfectius cognoſcibilis: ſed per hoc, quod videantur omnes creaturæ poſſibiles non viderentur infinitè, ſed talis viſio eſset tantùm finita: ergo adhuc non ſequeretur comprehenſio: probatur minor: ponamus claritatis gratia duas viſiones, vnam, qua homo v.g. videat albedinem, aliam, qua anima Chriſti videat Deum, & in eo omnia futura, tunc ſic argumentor: magis diſtat in perfectione viſio animæ Chriſti, qua videt Deum, & omnia futura à viſione illius hominis videntis albedinem, quam diſtaret ab illa, qua eadem anima Chriſti videret in Verbo etiam omnia poſſibilia, data ſuppoſitione, quod ea videat: ſed viſio, qua Chriſtus videt Deum, & omnia futura in ipſo, non diſtat infinitè à viſione noſtra de albedine: ergo neque viſio omnium poſſibilium diſtaret infinitè ab illa viſione omnium futurorum: ergo eſſet finita, quia finitum additum finito non facit infinitum: minor, & conſequentia patent, ſolumque maior indiget probatione, & ſic probatur: Ideo viſio Chriſti excedit noſtram de albedine, quia intuetur Deum; ſi videret autem omnia poſſibilia excederet hæc viſionẽ, qua Chriſtus videt Deum ratione creaturarum: atqui magis excedit Deus in perfectione albedinem, quam omnes creaturæ poſſibiles excedant futuras: ergo etiam magis diſtat in perfectione viſio, qua anima Chriſti videt Deum, & omnia futura à viſione albedinis, quam diſtet à viſione, qua anima Chriſti videt in Deo omnia poſſibilia. Vide, quæ circa viſionem omnium poſſibilium diximus in tractatu de Deo vno quæſt. 3. de viſione artic. 18. vbi etiam poſuimus obiectiones, quæ poſsunt fieri in contrarium, vnde ſolùm aliquas hic addemus.

5 Obijcies primò. Intellectus animæ Chriſti ẽſt finitus, & omnia poſſibilia ſunt infinita: ſed non poteſt intellectus finitus attendere ſimul ad obiecta infinita: ergo nec cognoſcere: conſequentia patet, quia cognitio alicuius obiecti eſt attentio aliqua ad tale obiectum.

Reſpondeo negando minorem; ſicuti enim intellectus finitus tendit in Deum infinitum, & illum ſupernaturaliter cognoſcit; ita vi diuinæ eſsentiæ cognitæ poteſt terminari adquodcumque eſt per diuinam eſsentiã repræſentabile, nec requiritur proportio arithmetica inter obiecta, & potentiam, ſed ſufficit geometrica in ratione potentiæ, & obiecti; vnde ſicuti viſus percipit plura obiecta

ſimul,

Digitized by Google

ſimul, eaque videt; ita intellectus licèt finitus poteſt ſupernaturaliter attendere, & videre obiecta etiam infinita.

6 Obiicies 2. In directorio Inquiſitorū damnata fuit doctrina Arnaldi de Villanoua aientis animam Chriſti in Verbo omnia videre; ergo de facto non videt.

Reſp. Ideo damnatam fuiſse; quia ſupponebat tamquam fundamentum, quod vnio hypoſtatica non poſset aliter ſtare, & quod viſio ſpectat ad ſuppoſitum non ad naturam, quæ duo ſunt falſiſſima; vide, quæ de hoc dictum fuit loco citato de viſione; vbi alios adduximus, qui noſtram ſuſtinent concluſionem, & de D. Hieronymo morti vicino refert Euſebius in Epiſtola ad Damaſum Epiſcopum, quod ſic Chriſtum affatus eſt. *Tua anima ſtatim vt vnita fuit inſeparabiliter diuinitati omnia perfectè ſciuit, quæ ipſa ſcit diuinitas*. Quare cum tot habeamus Doctores pro noſtra ſententia, & in maximam cedat gloriam Chriſti, quod hæc omnia nouerit; ex alia verò parte nullo modo ſequatur, quod anima Chriſti comprehendat Deum, fatendum eſt in Chriſto fuiſse omnium poſſibilium cognitionem.

ARTICVLVS IV.

An Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouerit omnia naturalia cordis cogitationis, futura conditionata, & omnia poſſibilia.

1 Svpponp primò de facto fuiſſe hanc ſcientiam in Chriſto, vt eam probat D. Thom. q. 11. artic. 1. & ratio huius eſt, quia decebat animam Verbo vnitam, & illum hominum, qui erat caput tum hominum, tum Angelorum, & omnium Doctor vltra ſcientiam beatam, quam D. Auguſtinus matutinam vocat, etiam habere infuſam per ſpecies rerum extra Verbum, quam ſcientiā idem Doctor vocat veſpertinam; ſecus in ipſo fuiſſet ignorantia, nec cognouiſſet ea myſteria, quæ nos per fidem cognoſcimus, cum in ipſo fides repugnet. Hac ſcientia poterat vti Chriſtus tum per conuerſionem ad phantaſmata, tum ſine conuerſione pro ſuo libito; nam ab inſtanti conceptionis ſuæ fuit hac ſcientia perfectiſſimè ſapiens, tunc autem necdū phantaſmata formauerat: vnde fatendū eſt poſſe ea vti ſine phantaſmatibus, ne Chriſtus vt viator haberet communem ignorantiam, quam pueri habent.

2 Dices primò. Modus operandi ſequitur modum eſſendi; ſed anima Chriſti exiſtebat in corpore dependenter ab eodem corpore; ergo et operabatur dependenter à corpore, & ſic per conuerſionem ad phantaſmata. Sed contra reſpondeo, modum operandi, quando naturali modo fit, ſequi modum eſſendi naturalem, & modum operandi ſupernaturalem ſequi modum eſſendi ſupernaturalem; hinc eſt, quod per ſcientiam acquiſitā ſemper operabatur Chriſtus dependenter à phantaſmatibus; per ſcientiam verò infuſam, cum hæc ſit altioris ordinis, & data ſit animæ Chriſti independenter à corpore, etiam poterat operari independenter à corpore; anima enim non tantùm eſt forma corporis, ſed etiā in ſe, & formaliter eſt omnimodè ſpiritualis, & independens à corpore.

3 Dices 2. Ergo numquam potuit per hanc ſcientiam ſe conuertere ad phantaſmata, ſicuti contingit in Beatis, qui ideo non dependent in operando à phantaſmatibus, quia eſt ſcientia altioris ordinis. Sed contra reſpondeo, & nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia hæc ſcientia in Chriſto eſt per modum habitus, habitu verò vtimur, quando, & quomodo volumus: at ſcientia beata eſt per modum actus neceſſitantis intellectum ad actualiter ſemper videndum independenter à quocumque phantaſmate. Ideo.

4 Suppono 2. ad habendam hanc ſcientiam requiri, quod ſpecies illarum rerum infundantur, quarum debebat Chriſtus habere cognitionem. Diuerſi ſunt tamen auctores in explicandis his ſpeciebus; etenim Angelicus Doctor vult fuiſſe plures ſpecies in Chriſto, illaſque minus vniuerſales Angelicis. Alij volunt eſſe vniuerſaliores, & alias dari ad repreſentandas res naturales, alias ad repreſentanda myſteria ſupernaturalia. Marſilius verò in 3. diſt. 14. q. 10. art. 2. vult in Chriſto fuiſſe vnicam tantùm ſpeciem repræſentantem omnia. In hac re ſunt probabiles omnes ſententiæ adductæ; etenim cum hoc pendeat ex pura, & mera voluntate Dei, potuit fieri, quod infuſæ fuerint ſpecies minus vniuerſales Angelicis, vt modus operandi Chriſti eſſet conaturalior, & comodo, quo eſt in alijs hominibus: poteſt etiam dici, quod fuerint vniuerſaliores Angelicis, eo quod nō debuerit attēdi tantùm modus naturalis eſſendi animæ, ſed etiā debuerit attendi modus eſſendi animæ vnitæ Verbo, quæ debebat omnia cognoſcere, & perfectiori modo, quam quilibet Angelus; quia erat caput omnium, & ipſi debebatur cognitio omnium myſteriorum ſupernaturalium, quæ Angeli per ſcientiam infuſam non cognouerūt; & ideo eſse vniuerſaliores Angelicis, quæ ratio mihi magis arridet; & ob hanc etiam rationem mihi magis placet ſententia Marſilii, quod per vnicam ſpeciem omnia cognouerit; cum vt vidimds de

Angelis quæſt. 3. ar. 7. dari poſſit hæc ſpecies vniuerſaliſſima omnium ſiue exiſtẽſtentium, ſiue præteritorum, ſiue quomodocumque futurorum, ſiue poſſibilium repræſentatiua, ſicque Chriſtus per vnicam ſpeciem vniuerſaliſſimam omnium tum naturalia, tum ſupernaturalia, quæ debebat cognoſcere, cognouit; licèt enim talis ſpecies non ſit debita animæ Chriſti conſideratæ ſecundùm ſe, nihilominus, ſi eadem anima conſideretur vt vnita Verbo, decuit illam habere, & quæ cõtra hanc ſpeciem obijci poſſunt remanent ſoluta ex dictis loco citato de Angelis.

5 Suppono 3. ad hanc ſcientiam requiri etiam proportionatum lumen, quod nec eſt naturale lumen intellectus, nec lumen gloriæ, ſed lumen medium, quo iuuabatur intellectus Chriſti, vt poſſet intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata ad modum animæ exiſtentis extra corpus, ſicuti illa ſcientia fuit infuſa independenter à corpore: nec fuit lumen gloriæ; quia hoc ex ſua intrinſeca ratione eſt in ordine ad diuinam eſſentiam, & non ad creaturas tamquam ad obiectum primarium; Lumen verò ſcientiæ infuſæ Chriſti erat ordinatum ad manifeſtandum obiecta creata tam naturalia, quam ſupernaturalia, & hoc pro voluntate ipſius Chriſti, quod non contingit in lumine gloriæ, quod neceſſitat ad actualiter ſemper videndum Deum. His poſitis.

6 Prima ſententia eſt Scoti in 3. diſt. 14. q. 3. §. ad quæſtionem poteſt dici; & Scotiſtarum communiter, Gabrielis ibidem quæſt. vnic. ar. 2. Almaini ibidem, & aliorum, hæc negat animam Chriſti per ſcientiam infuſam cognoſcere omnia ſingularia, & ſolum cognoſcere quidditates rerum in communi.

Secunda ſententia communis docet animam Chriſti per ſcientiam inditam cognoſcere omnia ſingularia ſiue materialia, ſiue ſpiritualia, ſiue cordis cogitationes, ſiue libera ſint conditionata. Sic Caiet. hic ar. 1. ad ſecundum, Ioan. à S. Thom. diſp. 13. ar. 3. Gonet diſput. 17. ar. 2. & 4. Gabriel à S. Vincentio diſp. 11. dub. 1. 2. & 3. Suarez diſput. 27. ſect. 1. Lugus diſp. 20 ſect. 2. Arriaga diſput. 39. & communiter Doctores, licèt diſcrepent aliqui in modo cognoſcendi futura conditionata.

7 Concluſio. Anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouit omnia tam materialia, quam ſpiritualia, cordis cogitationes, & etiam futura conditionata libera. Probatur prima pars ratione D. Thom. Chriſtus erat caput omnium hominum, & Angelorum, & Doctor; ergo ſicuti Angelis conceditur extra Verbum hæc perfecta cognitio omnium rerum naturalium, maiori iure conueniebat etiam hanc Chriſto Domino dare, ne in hoc eſſet alijs naturis inferior. Confirmatur animæ Chriſti debet concedi illa ſcientia, ad quam ſe extendebat capacitas tum naturalis, tum ſupernaturalis ipſius intellectus: ſed capacitas intellectus animæ Chriſti ſe extendebat ad cognoſcenda hæc omnia: ergo de facto hæc omnia cognouit.

8 Dices. Hæc naturalia fuerunt cognita à Chriſto per ſcientiam acquiſitam; ergo non potuerunt cognoſci per ſcientiam inditam: probatur conſequẽtia; nam duæ ſcientiæ non poſſunt verſari circa idem obiectum. Sed contra reſpondeo negando conſequentiam: ad probationem dico, circa idem obiectum materiale poſse verſari diuerſas ſciẽtias, ſed ſub diuerſa ratione; ſic in propoſito altiori modo cognoſcit anima Chriſti naturalia omnia per ſcientiam infuſam, quam faciat per acquiſitam; nam per ſcientiam infuſam poteſt hæc omnia cognoſcere ſine dependentia à phantaſmatibus, quod non facit per acquiſitam.

9 Secunda pars probatur. Nam D. Thom. hic ar. 1. habet. *Per hanc ſcientiam cognouit Chriſtus Dominus omnia, quæ quomodolibet per reuelationem hominibus innoteſcunt, ſiue per donum prophetiæ, ſiue per donum ſapientiæ, ſiue per quodcumque aliud donum Spiritus Sancti*: Sed per reuelationem, & prophetiam innoteſcere poſsunt cordis cogitationes, & futura conditionata libera: ergo hæc omnia per hanc ſcientiam Chriſtus cognouit, imo de facto plures cordis cogitationes cognitas fuiſſe à Chriſto patet ex pluribus locis ſcripturæ, vt Lucæ 11. *Vt vidit Ieſus cogitationes eorum*; & ex alijs locis; de futuris etiam conditionatis patet ex illo Lucæ 10. & Matth. 11. *Vè tibi Corozain, Vè tibi Betſaida &c.* & ratio eſt iam tacta, quia Chriſtus vt viator erat legis doctor, & legislator, omnium caput, quatenus homo futurus erat omnium iudex: ergo hæc omnia ſcire debuit; & cum habuerit animam Verbo vnitam, decuit etiam, vt omnia poſſibilia cognoſceret.

10 Obijcies primò. Vt cognoſcatur aliquid debemus habere ſpeciem illius; ergo vt cognoſcantur omnia ſingularia debent haberi ſpecies illorum: ſed ſingularia ſunt infinita; ergo Chriſtus debuiſset habere ſpecies infinitas; quod tamen falſum eſt. Neque dicas omnia repræſentari per vnicam ſpeciem vniuerſaliſſimam; nam ſpecies vniuerſatiſſima non poteſt repræſentare indiuidualem deter-

Digitized by Google

determinationem, ſed tantùm rationes communes, & vniuerſales; ergo tantùm quidditates rerum in communi cognoſcit non ſingularia determinatè.

Reſpondeo primò ſufficere vnicam ſpeciem vniuerſaliſſimam: ad impugnationem dico, ſpeciem vniuerſalem non continere formaliter determinationem indiuidualem, ſic autem virtualiter, & hoc ſufficit; ſpecies enim eſt id, quo obiecta cognoſcuntur. Poteſt dici 2. ſufficere ſi habeantur ſpecies, quæ repræſentent comprehenſiuè naturas, vt in eis cognoſcantur poſtea omnia indiuidua, & omnes actus. Poteſt dici 3. quod ſi concederemus in anima Chriſti ſpecies infinitas nullum inde ſequeretur abſurdum. Ideo &c.

11 Obijcies 2. quod eſt proprium ſolius Dei non debet concedi animæ Chriſti: ſed cognoſcere ſecreta cordium, & futura contingentia libera eſt proprium ſolius Dei; vnde Iſaiæ 41. habetur: *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos*: ergo hæc non cognouit anima Chriſti.

Quomodo ſit propriũ Dei cognoſcere ſecreta cordis.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; quod eſt proprium quarto modo ſolius Dei non debet concedi animæ Chriſti; concedo maiorem: quod eſt proprium ſolius Dei, hoc eſt, quod illi naturaliter ſolùm conuenit, non poteſt per gratiam communicari animæ Chriſto, nego maiorem, hoc enim modo eſt proprium ſolius Dei, quod natura ſua videat ſeipſum, & ſit beatus; & nihilominus per gratiam communicatur eadẽ viſio beatis; ita etiam eſt proprium Dei cognoſcere ſecreta cordis, & futura conditionata libera, quia horum cognitionem nulli puræ creaturæ, neque Angelis conceſſit; at potuit concedere, & de facto conceſſit animæ Chriſti, vt ex ſcriptura probatum fuit.

12 Obijcies 3. Non poteſt explicari quomodo hæc futura conditionata libera cognoſcantur ab anima Chriſti; ergo horum cognitionem non habet. antecedens probatur; nam hæc futura non poſſunt cognoſci ab anima Chriſti in decreto diuino; nam taliter ea cognoſcere eſt proprium ſcientiæ beatæ; neque poſſunt cognoſci in cauſa creata, quia cum hæc ſit ſemper indifferens, à cauſa indifferenti vt tali non poteſt prodire determinatus effectus; neque poſſunt cognoſci in ſe ipſis, quia in ſe non ſunt, neque forſan erunt: ergo nullo modo cognoſci poſſunt.

Reſpondeo negando antecedens, & dico cognoſci per ſpecies repræſentantes eorum determinatam veritatem; etenim cum certum ſit; tamen ſententia Thomiſtarum, hæc futura habere determinatam veritatem in decreto Dei, quã in contraria habere determinatam veritatem obiectiuè in ſe ipſis; quomodocumque habeant hanc determinatam veritatem, poteſt Deus infundere ſpeciem hanc veritatem repræſentantem, & hanc dicimus datam fuiſſe animæ Chriſti, qua omnia iſta cognoſceret.

ARTICVLVS V.

An per hanc ſcientiam cognouerit omnia myſteria gratiæ creata.

1 MYſteria gratiæ ſunt in duplici differentia, nam alia ſunt veluti habitus creati, cuiuſmodi ſunt fides, ſpes, charitas, gratia, lumen gloriæ &c. alij ſunt actus, cuiuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, & charitatis, & actus charitis poteſt vlterius conſiderari vt ſit in via, vel vt ſit in patria; his poſſumus addere vnionem hypoſtaticam. Inter hæc omnia myſteria ſupernaturalia, alia ſunt complexa, quæ includunt eſſentialiter in ſuo conceptu Deum, huiuſmodi ſunt viſio clara Dei, amor beatificus, & vnio hypoſtatica; alia verò, vel ſunt ſimplicia, vt ſunt habitus fidei, ſpei, charitatis, gratiæ, & luminis gloriæ; vel ſi complexa, non includunt tamen in ſuo conceptu eſſentiali Deum, vt ſunt actus ſupernaturales viæ.

2 Durandus in 3. diſt. 14. quæſt. 3. Scotus ibidem, Vaſquez diſput. 53. & alij volunt Chriſtum per ſcientiam infuſam non potuiſſe cognoſcere gratiam, fidem diuinam, viſionem beatam, & vnionem hypoſtaticam.

Bannes 2. 2. q. 5. ar. 1. & Aluarez de auxilijs diſput. 118. & 119. docent entia creata ſupernaturalia, vt ſũt gratia, fides, & charitatas, non cognoſci ab anima Chriſti quidditatiua cognitione, ſed tantùm euidentia in atteſtante; idem docet hic diſp. 61.

Communis opinio docet, hæc omnia fuiſſe per ſcientiam inditam ab anima Chriſti quiddatiuè cognita. Sic Gabrera quæſt. 11. artic. 1. diſput. 7. Gonet diſput. 17. artic. 3. qui volunt non ſolùm quidditatiuè, ſed etiam comprehenſiuè fuiſſe cognita. Suarez tamen diſp. 27. ſect. 3. vult tantùm quidditatiuè fuiſſe cognita, idem docent Lugus, Amicus, Arriaga, Gabriel à S. Vincentio, & alij.

3 Concluſio. Anima Chriſti per ſcientiam infuſam omnia myſteria ſupernaturalia creata clarè, & quidditatiuè cognouit, exceptis tamen vnione hypoſtatica, viſione beata, & amore beatifico. Probatur prima pars. Illa poſſunt quidditatiuè cognoſci per hanc ſcien-

 tiam,

tiam, quorum poſſunt haberi propriæ, & quidditatiuæ ſpecies: ſed omnium enumeratorum poſſunt dari propriæ, & quidditatiuæ ſpecies; ſunt enim omnia enumerata res finitæ, & limitatæ: ergo poterunt quidditatiuè, & clarè cognoſci; ſi verò poſſunt cognoſci clarè, & quidditatiuè, etiam fatendum eſt verè fuiſſe cognita ab anima Chriſti per ſciētiam infuſam; nam ſic maximè congruit dignitati Chriſti horum omnium cognitionem habere, ſicuti horum omnium fuit auctor.

4 Secunda pars, quod vnio hypoſtatica, amor beatificus, & viſio clara Dei non potuerint quidditatiuè per hanc ſcientiam cognoſci, probatur breuiter; nam in noſtra ſententia hęc omnia ſunt complexa, quæ eſſentialiter includunt Deum ad ſui conſtitutionem, vt ex alibi dictis ſuppono: Complexum autem non poteſt clarè, & quidditatiuè cognoſci, quin cognoſcantur clarè conſtituentia hoc complexum: ſed hæc non poſſunt à viatore cognoſci clarè, & quidditatiuè, eſi vnum ex conſtituentibus ſit Deus, qui clarè, & quidditatiuè à viatore cognoſci nequit; eo ipſo enim, quod clarè cognoſceretur, eſſet beatus; ergo ſi hæc conſtituentia non poſsunt clarè, & quidditatiuè cognoſci à viatore, ſequitur quod Chriſtus per hanc ſcientiam inditam hæc myſteria non cognouerit. Et certè in hoc non video quomodo aliqui Doctores conſequenter loquantur, vt notat etiam Suarez loco citato, nam nobiſcum ſentiunt vnionem hypoſtaticam nihil aliud eſſe, quam complexum ex natura, & perſonalitate Verbi, & poſtea hic docent, hanc vnionem comprehenſiuè cognoſci; etenim vt comprehendatur totum, debent comprehendi partes, vt ex terminis ipſis conſtat: ſed implicat comprehendi perſonalitatē Verbi, quæ eſt vnum ex conſtituentibus hanc vnionem, vt fides docet, & ipſi admittunt; ergo etiam implicat, quod comprehendatur vnio. Scio hoc argumentum non habere vim contra illos, qui dicunt vnionem eſſe modum, data enim hac opinione, conſequenter etiam dicunt per ſcientiam inditam clarè, & quidditatiuè ab anima Chriſti cognoſci; at ſuſtinendo, quod vnio ſit complexū, conſequenter debent dicere non cognoſci clarè, & quidditatiuè ab anima Chriſti.

5 Obijcies primò. Implicat cognoſci quidditatiuè, & clarè aliquid, quin cognoſcatur ſpecificatiuum illius: ergo implicat clarè, & quidditatiuè cognoſcere fidem ſupernaturalem, gratiam, & lumen gloriæ, quin cognoſcatur clarè illius ſpecificatiuum; ſed ſpecificatiuum eſt Deus; ergo implicat iſta cognoſcere, quin clarè cognoſcatur Deus: atqui Deus clarè nequit cognoſci à viatore, quia ſi clarè cognoſceretur, talis non eſſet viator, ſed comprehenſor; ergo etiam talia myſteria à viatore clarè cognoſci non poſſunt; & conſequenter ab anima Chriſti per ſcientiam inditam non cognoſcentur.

Reſpondeo veram eſſe maiorem de ſpecificatiuo intrinſeco, non de extrinſeco; Deus autem eſt ſpecificatiuum extrinſecum; intrinſecè autem tales habitus ſpecificantur à propria entitate, vt hæc dicit ordinem tranſcendentalem ad Deum; vnde non eſt neceſse, quod clarè cognoſcatur Deus, ſed ſufficit, quod cognoſcatur, quoad an ſit, & vt terminus horum habituum, non vt eſt in ſe; ſicuti ex eo, quod adſunt creaturæ, cognoſcimus Deum eſſe; ita ex cognitione habitus, vel actus ſupernaturalis cognoſcit anima Chriſti Trinitatem eſſe; non tamen eam cognoſcit quidditatiuè; Quemadmodum nos, qui cognoſcimus creaturas, non per hoc cognoſcimus quidditatiuè Deum.

6 Obijcies 2. Gratia ſanctificans eſt participatio naturæ diuinæ: ergo non poteſt clarè, & intuitiuè cognoſci, niſi ſimul cognoſcatur clarè natura diuina, cuius eſt participatio: ſed natura diuina non poteſt clarè cognoſci, niſi per ſcientiam beatam; ergo neque gratia poterit clarè, & quidditatiuè cognoſci, niſi per ſcientiam beatam.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam etiam intellectus humanus eſt participatio intellectus diuini; & omnes naturæ creatæ ſunt participationes naturæ diuinæ, & tamen omnia cognoſcuntur clarè, & quidditatiuè abſque eo, quod clarè cognoſcatur Deus, ſolùm ergo eſt differentia inter alia entia creata naturalia, & gratiam, quod hæc eſt participatio naturæ diuinæ, ſed in eodem ordine ſupernaturali cum Deo: vnde ſi cognoſcatur gratia, faciet etiam deuenire in cognitionem Dei, quatenus Deus eſt auctor rerum ſupernaturalium, non tamen per hoc clarè cognoſceretur Deus; & hoc modo datur cognitio in Chriſto per ſcientiam infuſam.

7 Obijcies tertiò. Quando aliquid dicit ordinem eſſentialem ad aliud non poteſt clarè cognoſci illud, quin clarè cognoſcatur, & aliud: ſed lumen gloriæ dicit ordinem eſſentialem ad Deum clarè viſum; ergo ſaltem lumen gloriæ non poterit clarè cognoſci, niſi clarè cognoſcatur Deus; & ſic non poterit

cogno-

Digitized by Google

cognoſci per ſcientiam infuſam.

Reſpondeo primò negando maiorem: poteſt enim cognoſci ordo ille eſſentialis, qui eſt intrinſecus lumini abſq; eo, quod clarè cognoſcatur terminus, ſed ſufficit ſi terminus cognoſcatur quo ad an ſit, ſic creatura dicit ordinem eſſentialem ad Deum, & tamen poſſum cognoſcere clarè, & quidditatiuè creaturam abſque eo, quod clarè, & quidditatiuè cognoſcam Deum; ita in propoſito dicendum eſt; ſolùm ſequitur, quod per cognitionem claram, & quidditatiuam luminis gloriæ debeam cognoſcere Deum quo ad an ſit, & tamquam auctorem rerum ſupernaturaliũ, quam cognitionem non habemus per claram cognitionem creaturarum naturalium. Dico ſecundò, quòd poteſt etiam negari minor; nam lumen ſolùm non dicit ordinem ad Deum clarè viſum, niſi ſimul ponatur cum intellectu; neque enim lumen eſt adæquata cauſa viſionis, niſi etiam ponatur intellectus; in cauſa; autem inadæquata numquam poteſt cognoſci effectus.

ARTICVLVS VI.

An Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouerit myſterium Trinitatis, & quomodo.

1 HOc myſterium dupliciter cognoſci poteſt, vel intuitiuè, & hoc pacto non poteſt viatori hæc viſio communicari, eſſet enim eo ipſo beatus; vel abſtractiuè, & hoc modo poteſt cognoſci tripliciter, ſcilicet, vel primò quidditatiuè, vel ſecundò euidentia in atteſtante, vel tertiò euidenter quo ad an ſit: primo modo cognoſcitur, quando per ſpeciem alienam formo conceptum de Trinitate il i tantùm conuenientem, ſed non clarum; quo modo, qui habet fidem de Trinitate, & format conceptum de ipſa, nempè, quod Deus ſit vnus, & Trinus, format de Trinitate conceptum, & cognitionem quidditatiuam, quia talis conceptus ſoli Trinitati conuenit. Sed non per hoc habet cognitionem claram de ipſa Trinitate: ſecundo modo cognoſcitur, nempe euidentia in atteſtante, quando licèt non videatur Deus, audiens tamen ipſum loquentem cognoſcit Deum eſſe, qui loquitur; quemadmodum, licèt ego nõ videam amicum, ſi audiam illius vocem, cognoſco talem eſſe, v.g. Petrum, qui loquitur. Tertio modo cognoſcitur euidentia quoad an ſit, & hæc eſt, quando cognoſcitur verè Deum eſſe vnum, & Trinum, ſed non cognoſcitur clarè, quomodo ſit vnus, & Trinus, ſeu quando cognoſcitur non per conceptus proprios, ſed per conceptus aliarum rerum, & aliis cognitis, & non cognoſcitur in ſe ipſo Deus vnus, & Trinus, ſed in aliis, quamuis poſtea formentur conceptus improprij quidem reſpectu Dei, nihilominus tamen illi ſolum conuenientes.

2 Vaſquez 1.par.diſp.155. cap.4. & hic diſp.53. cap.1. Lorca hic diſput.60. Durandus in 3.diſt.14.quęſt.3. & alij negant animam Chriſti per hanc ſcientiam habuiſſe cognitionem euidentem Trinitatis, quo ad an ſit. Caietanus, & Medina hic quæſt.11.art.1. Cabrera hic diſp.6. Ioann. à S.Thom. diſp.13. art.1. Gonet diſp.17. & communiter Thomiſtę, Suarez diſp.27.ſect.5. Lugus diſp.20. ſec.3. Amicus diſp.20.nu.54. & ſequentibus. Scotus in 2.diſt.3.q.9. §. Ad quæſtionem, & quodlib.7. con.2. & Scotiſtæ communiter docent poſſe haberi à viatore hanc notitiam Trinitatis quo ad ſit, atque adeò Chriſtum per ſcientiam infuſam hoc myſterium quo ad an ſit cognouiſſe; Suarez tamen cum alijs non vult eſſe diuerſam hanc cognitionem ab euidentia in atteſtante; alij volunt eſſe per ſpeciem abſtractiuam Trinitatis, alij eſſe in Chriſto per viſionem intuitiuam viſionis claræ, & vnionis hypoſtaticæ.

3 Concluſio. In Chriſto fuit per ſcientiam infuſam cognitio Trinitatis euidens quo ad an ſit, & per conceptus Trinitati tantùm conuenientes; hanc autem potuit habere per claram cognitionem actuum fidei, & luminis glorię. Probatur, quia Chriſto vt viatori debet communicari omnis illa cognitio, quæ aliis communicatur, & quæ in ipſo poſſibilis ſit: ſed eſt poſſibilis cognitio euidens Trinitatis quo ad an ſit; ex nullo enim capite repugnat, vt patebit ex ſolutione argumentorum; & ex alia parte aliis communicatur cognitio huius myſterii per reuelationem; ergo cum Chriſto non poſſit communicari huius myſterii cognitio per reuelationem, & fidem, cum hæc in Chriſto repugnet, debemus aſſerere fuiſse illi communicatam per ſcientiam inditam. Confirmatur, quia Chriſtus vt viator debebat docere alios hoc myſterium, debebat poſſe orare Patrem, & ipſum diligere, quod facere non potuiſſet, niſi hanc euidentèm cognitionem Trinitatis quo ad an ſit habuiſset.

4 Quod autem hanc cognitionem potuerit habere per claram cognitionem actuum fidei, & luminis gloriæ probatur, quia anima Chriſti habuit ſpeciem clarè repræſentantem omnes

actus

Digitized by Google

actus fidei ſupernaturales, videbat hos actus non potuiſse eſse falſos, ſed eſſentialiter eſse veros; ergo ex his poterat deduci in cognitionem obiecti horum actuum, & ſic poterat formare conceptum tantùm Trinitati conuenientem, quod Trinitas ipſa exiſteret; & idem argumentum poteſt fieri de lumine gloriæ.

5 Dices cum Suarez hanc notitiam reduci ad euidentiam in atteſtante; quia ille effectus ſupponit teſtimonium Dei, & ab illo ſumit ſuam rationem, & & eſsentiam. Sed contra nego antecedens; non enim Chriſtus aſsentitur myſterio Trinitatis propter auctoritatem Dei atteſtantis, ſed aſſentitur, quia videt ipſum actum eſse eſsētialiter verum circa tale obiectum, eo quod ſit ab habitu fidei, vel auxilio ſupernaturali, quod ad falſum inclinare non poteſt; quod motiuum eſt diuerſum à diuina atteſtatione, vt de ſe patet; ergo &c.

6 Obijcies primò pro Suarez. Sufficit notitia in atteſtante, quo ad hoc myſterium Trinitatis; ergo non debet poni notitia euidens quoad an ſit, & per conceptus proprios.

Reſpondeo quantùm eſt ex natura rerum, vtique ſufficeret; at ſi attendatur dignitas Chriſti, & animæ eius vnitæ, congruum fuit dare illi extra viſionem beatam omnem cognitionem poſſibilem.

7 Obijcies ſecundò. Illa cognoſcuntur per ſcientiam inditam à Chriſto, quæ ſunt repræſentabilia per propriam ſpeciem: ſed Trinitas non eſt repræſentabilis viatori per propriam ſpeciem; ergo neque cognoſcitur per ſcientiam inditam: minor patet; nam ſi daretur propria ſpecies Trinitatis; hæc cognoſceretur clarè, vt eſt in ſe, & per conſequens, qui illam ſpeciem haberet, eſset beatus.

Reſpondeo negando tantùm illa cognoſci per ſcientiam infuſam, quæ ſunt repræſentabilia per propriam ſpeciem; etenim in omnium ſententia cognouit Chriſtus Deum, & tamen hic non eſt repræſentabilis per propriam ſpeciem viatori; ſufficit ergo, vt aliquid cognoſcatur per ſcientiam infuſam, quod vel cognoſcatur per propriam ſpeciem, vel per alienam, quæ tamen faciat deuenire in cognitionem illius myſterii Trinitatis.

8 Obijcies 3. Si cognoſcitur Trinitas maximè per effectus ordinis ſupernaturalis: ſed iſti non poſſunt facere deuenire in cognitionem Trinitatis; ergo &c. probatur minor; nam omnis actio ad extra eſt indiuiſia toti Trinitati, & per conſequens tantùm poterit facere venire animam Chriſti in cognitionem Dei, non Trinitatis.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: iſti non poſſunt facere deuenire in cognitionem Trinitatis tamquam cauſæ, concedo minorem, tamquam obiecti, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: neque probatio minoris officit, nam probat tantùm, quod actus ſupernaturales non poſſunt ducere in cognitionem Trinitatis, vt cauſæ, quod verum eſt, poſſunt tamen ducere in cognitionem Trinitatis vt obiecti talium actuum.

9 Obiicies 4. Vel hæc cognitio eſt clara, vel obſcura; non obſcura, quia hæc repugnat Chriſto beato; non clara, quia eſset beatifica; ergo neutra potuit poni in Chriſto.

Reſpondeo eſse claram abſtractiuam per ſpeciem alienam impreſsam, & per conceptum proprium, hoc eſt tantùm Deo conuenientem, non tamen quidditatiuè repręſentantem diuinam eſsentiam.

ARTICVLVS VII.

An Chriſtus cognouerit obiecta ſcientia infuſa ſemper in actu ſecundo.

GAbriel in 3. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. voluit Chriſtum per ſcientiam infuſam nullum potuiſse habere actum ſecundum earum rerum, quarum habuit cognitionem in Verbo, niſi iſta ceſsente; verùm communiter refutatur cum nullum huius rei adſit firmum fundamentum.

Arriaga diſp. 39. ſect. 6. docet Chriſtum potuiſse vel vnico actu, vel pluribus cognoſcere omnia obiecta à principio; actibus liberis exceptis, & deinde pro libito ſuo potuiſse cognoſcere, quod magis ipſi placebat, an verò vnico actu, vel pluribus cognouerit hæc omnia dicit eſse incertum.

Vaſquez diſp. 53. cap. 2. vult Chriſtum ſaltem aliquando cognouiſse omnia, quæ per hanc ſcientiam cognoſcibilia ſunt, non eſse tamen neceſse, vt poſtea ſemper aliqua actu conſideret, ſed pro libito ſuo poſse conſiderare modò hæc obiecta, modò alia.

2 Concluſio 1. Chriſtus aliquando cognouit omnia in actu ſecundo, quorum habuit ſpeciem infuſam: Probatur ſi Chriſtus non habuiſset aliquando in vita cognitionem omnium, quorum ſpeciem habebat, ſequitur, quod in ipſo fuerit vera, & propria ignorantia; etenim

Digitized by Google

etenim ille propriè dicitur ignorare aliquid, qui non cognoſcit ſaltem aliquando ea, quorum illi debita eſt ſcientia: ſed talia ſunt omnia obiecta ſcientiæ infuſæ; ergo ſi Chriſtus aliquando ea non cognouit, ſequitur in ipſo fuiſſe veram ignorantiam.

3 Dices 1. Illum non poſſe dici ignorare, qui in actu ſecundo non conſiderat aliquod obiectum, ſi tamen illius habet ſpeciem; ſicuti habebat Chriſtus ſpecies omnium obiectorum ſcientiæ infuſæ. Sed contra, quia hoc verum eſt de illo, qui aliquando elicuit actum ſcientiæ, ratione cuius dicitur habitualiter ſciens: at, qui non elicuit actum ſcientiæ circa aliquod obiectum, verè dicitur illud ignorare.

4 Dices 2. In Chriſto hoc non contingere, eo quod iam clarè omnia per ſcientiam cognouerat; & ideo ſufficit, ſi in eo eſſent ſpecies obiectorum omniũ ad hoc vt non dicatur ignorans; licèt à parte rei omnia actu non cognouerit per hanc ſcientiam. Sed contra, quia in Chriſto non tantùm debemus ponere ſcientiam beatam: ſed etiam ipſi tamquam viatori debet concedi ſcientia infuſa, ſecus vt viator ea ignoraret, ergo licèt non poſſet dici Chriſtus abſolutè ignorans, quia habeat ſcientiam beatam, vt viator tamen fuiſſet ignorans, quia talia obiecta non cognouiſſet: tum quia ponere hanc ſcientiam in actu ſecundo ſaltem aliquando in Chriſto nullam inuoluit implicantiam, & cedit in maximam Chriſti perfectionem; ergo ipſi concedenda eſt; cum ſit filius Dei, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.

5 Concluſio 2. Non eſt neceſſe, quod Chriſtus fuerit ſemper in actu ſecundo huius ſcientiæ, ſed pro libito ſuo, modò poterat conſiderare aliqua obiecta, modò alia, etiam independenter à phantaſmatibus à principio ſuæ creationis. Eſt D. Thom. hic quæſt. 11. art. 5. & communis. Probatur, quia nihil eſt, quod neceſſitet Chriſtum ad actualem ſemper vſum huius ſcientiæ, ſed fuit in Chriſto, ſicuti fuit in Angelis, & Adamo: ſed Adamus non ſemper omnia intelligebat, ſed illa tantùm obiecta, quæ volebat, & idẽ dicendum de Angelis; ergo & hoc idem concedendum Chriſto; nihil enim poteſt excogitari, quod neceſſitet intellectum ad ſemper intelligendum, ſed poterat ſe habere per modum actus primi, & habere hanc ſcientiam in habitu, non verò ſemper actu.

6 Quod verò potuerit habere hanc ſcientiam independenter à phantaſmatibus probatur: nam anima habebat lumen proprium huius ſcientiæ infuſum, perfectiſſimè dominabatur corpori, & in ſuis ſpiritualibus actibus ab vllo non dependebat, nec ab eo impediabatur; ergo poterat ea vti quomodocumque volebat independenter à corpore, vel per formationem phantaſmatum, vel ſine illis.

7 Dices. Anima Chriſti, vt intelligens per has ſpecies erat forma corporis: ergo ſemper debebat intelligere dependenter à phantaſmatibus, vt modus operandi ſequeretur modum eſſendi. Sed contra reſpondeo, quod identicè, & materialiter erat forma corporis, non verò formaliter; nam erat beata, habebat lumen aliud infuſum, & corpus perfectiſſimè ſubdebatur animæ, vnde poterat vti phantaſmatibus pro libito ſuo.

8 Obijcies 1. contra primum: Si aliquando hęc omnia cognouit Chriſtus, vel ea cognouit vnico actu, vel pluribus: non vnico; nam ea quæ cadunt ſub hanc ſcientiam, aliqua cognoſcuntur à priori, quædam à poſteriori, alia in ſe ipſis, alia in cauſa, & multis aliis modis; ergo hæc omnia vnico actu cognoſci non poſſunt: neque pluribus; nam ſic fuiſſet ignorantia in Chriſto reſpectu obiectorum, quæ per priorem actum non cognouiſſet: tum quia cum ſint infinita, & omnia poſſibilia, non potuit omnia cognoſcere.

Reſpondeo, quod Chriſtus potuit hæc omnia cognoſcere, & vnico actu, & pluribus: vnico; nam ſicuti poteſt dari vnica ſpecies, quæ ſit repręſentatiua omnium, & ratione ſuæ perfectionis, & eminentiæ poſſit omnia obiecta repręſentare; ita potuit dari vnicus actus, quo anima Chriſti hæc omnia cognoſceret. Quæmadmodum enim diuina eſſentia de facto eſt omnium repræſentatiua, & multi fatentur, vti nos etiam diximus in tractatu de Deo quæſt. 3. de viſione, & in tractatu de Angelis q. 3. art. 7. poſſe dari ſpeciem repræſentatiuam diuinæ eſſentiæ, & omnium poſſibilium in illa contentorum; ita potiori iure poſſumus dicere dari vnam ſpeciem repræſentatiuam omnium obiectorum à diuina eſſentia; & etiam vnicum actum per hanc ſpeciem omnia cognoſcentem: Potuit etiam cognoſcere pluribus; non ſequitur autem, quod fuerit ignorantia; nam ignorantia, quæ dicit imperfectionem eſt, quando neſcitur aliquid, quod pertinet ad propriam ſtatum ſecundum exigentiam rerum, Chriſtus autem ſemper cognouit, quæ ad proprium ſtatum pertinebant ſecundum rerum exigentiam. Ad confirmationem dico, quod

de fa-

Digitized by Google

de facto vnico actu cognouit infinita, neque enim hoc implicat, vt ex alibi dictis patet.

9 Obijcies 2. contra 2. Si Chriſtus non fuit ſemper in actu 2, reſpectu omnium obiectorum, ſequitur, quod numquam potuerit exire in actum ſecundum reſpectu eorum obiectorum, quorum antea cognitionem non habebat; nam vel voluntas fertur in incognitum, & hoc eſt impoſſibile; vel in id, quod prius cognoſcat; neque hoc, quia prius cognoſceret, quam cognoſceret: ergo dicendū eſt fuiſse ſemper in actu ſecundo.

Reſpondeo argumentum commune eſſe tum Chriſto, tum alijs intellectibus creatis, qui non ſemper ſunt in actu ſecundo intelligendi; dico igitur, quod ſicuti intellectus creati ab obiectis extrinſecis, & cauſis ſæpè mouentur ad reminiſcentiam; ita Chriſtus occaſione ſenſibilium occurrentium poterat exire in actum ſecundum pro libito. Secundò hoc erat peculiare in Chriſto, quod iam ipſe cognoſcebat per ſcientiā beatāactu omnia obiecta, & ideo per illam poterat iuuari ad actum ſecundū ſciētiæ infuſæ.

10 Ex his Colligas primò cum D. Thom. & Thomiſtis communiter, Arriaga, & alijs potuiſſe Chriſtum vti hac ſcientia, tum diſcurrendo, tum ſine diſcurſu contra Vaſquez diſp. 52. cap. 3. & Suarez diſp. 28. ſect. 2. contendentes Chriſtum per hanc ſcientiam non poſſe diſcurrere. Ratio eſt, quia ad diſcurſum ſolum requiritur, quod vnum deducatur ex alio: ſed Chriſtus per ſpeciem inditam, qua cognoſcebat leonem rugibilem poterat deducere; ergo leo eſt rugibilis: ergo verè per talem ſcientiam poterat diſcurrere.

11 Dices. Vt quis diſcurrat, debet deducere aliquod ignotum ex notis: ſed Chriſtus per ſcientiam infuſam non poterat deducere aliquod ignotum ex notis: ergo neque diſcurrere poterat. Sed contra retorqueo argumentum in ſcientia acquiſita, cum qua Chriſtus diſcurrebat, vt concedunt etiam Suarez, & Vaſquez, & tamen non deducebat Chriſtus aliquodignotum ex notis, cum ſemper omnia cognouerit. Dico ergo non eſſe neceſſe ad diſcurſum, quod deducatur aliquid ignotum, ſed ſufficere ſi vnū deducatur ex alio per diuerſos actus.

12 Colliges 2. Hanc ſcientiam in Chriſto fuiſſe perfectiorem ſcientia Angelorum, & Adami. Ratio eſt, quia ſe extendebat ad plura obiecta, & per vnicam ſpeciem vniuerſaliſſimam perfectiſſimè hæc omnia cognouit.

Quæ autem, & quot obiecta conſiderauerit per hanc ſsientiam Chriſtus; Alij qui volunt fuiſſe ea omnia, quæ vbique terrarum efficerent homines: Verum in hoc nil certi dicere poſſumus, cum omnino dependeret à ſua voluntate, qua vellet modò cognoſcere vnū obiectum, modò aliud.

ARTICVLVS VIII.

An Chriſtus de nouo in hac vita ſcientiam acquiſierit.

1 NOmine ſcientiæ acquiſitę, & naturalis intelligimus notitiam euidentem eo modo, quo definita fuit ab Ariſtotele, nempe; quod *ſit cognitio certa, & euidens rei neceſſarię per cauſam neceſſariam*; & quæ notitia comparata ſit miniſterio ſenſuum, & per abſtractionem intellectus agentis educentis ſpeciem ſpiritualem ex intellectu poſſibili poſito phantaſmate, vt ſuppono ex dictis de anima, vt ſic enim contradiſtinguitur ab infuſa rerum naturalium, quæ naturaliter quidem cognoſci poterant; ſed tamen eorum notitia à principio fuit infuſa, vt communiter docent Scholaſtici factum fuiſſe cum Adamo.

2 Aduerte ſcientiam naturalē Chriſti, aliam eſſe de ſe infuſam, qualis eſt, quæ per ſenſus non acquiritur, ſed animabus ſeperatis infunditur, eo modo, quo Angelis in prima ſui productione debentur multæ ſpecies; & hanc fuiſſe infuſam Chriſto communis eſt Doctorū ſententia: ſicuti enim datur Angelis, & animabus ſeparatis, ita multò magis debuit dari animæ Chriſti Domini Verbo vnitæ: aliam eſſe infuſam per accidēs, & hæc eſt illa, quæ miniſterio ſenſuum acquiri poteſt, & nihilominus aliquando infunditur, vti factum fuit cum Adamo. Salomone, & quibuſdam alijs, & de hac quærimus, an infuſa fuerit Chriſto, vel proprijs actibus eam ſibi acquiſierit.

3 Scotus, Gabriel, Durandus, Paludanus, Bonauentura, & alij in 3. diſt. 14. art. 3. quæſt. 2. quos ſequitur Suarez diſput. 30. ſect. 2. volunt hanc ſcientiam fuiſse infuſam per accidens Chriſto eo modo, quo fuit infuſa Adamo.

Gaſpar Hurtadus diſp. 8. diff. 22. et Arriaga diſput. 40. ſect. 3. cenſent in Chriſto fuiſse poſitas, & infuſas per accidens ſpecies illarum rerum, quas ſucceſſu temporis non debebat cognoſcere, non verò infuſas fuiſſe ſpecies illarum rerū, quas ſuceeſsu temporis erat cognoſciturus miniſterium ſenſuum.

D. Thom. hic quæſt. 12. artic. 1. & 2. Caiet. Medina ibidem. Ioan. à S. Tho. diſput. 9. ar. 3. Goner diſput. 18. artic. 2. Cabrera quæſt. 12: ar. 1. & communiter omnes

Digitized by Google

omnes Thomiſtæ. Vaſquez diſp. 55. cap. 2. Beccanus, Raguſa, Theophilus, Rainaudus apud Gouetum. Amicus diſp. 21. & alij apud ipſum docent hanc ſcientiã experimentalem ſucceſſu temporis à Chriſto acquiſitam fuiſſe, non verò per accidens infuſam.

4 Concluſio 1. Scientia experimentalis fuit de nouo acquiſita à Chriſto nõ infuſa per accidens. Probatur ex ſcriptura Lucæ 2. *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate.* Vbi notat D. Ambroſ. lib. de Incar. cap. 7. quod eodem modo profecerit ſapientia, ac ætate: ſed ætate proprium augmentum corporis acquiſiuit: ergo & proficiendo ſapientia vera in ſapientiam acquiſiuit. Secundò probatur ex illo ad Hebr. 5. *Et quidem cum eſſet filius Dei didicit ex eis, quæ paſſus eſt obedientiam.* Quæ loca D. Ambroſius loco cit. D. Auguſt. contra Maxim. cap. 23. & alij Patres, quos ad longum adducit Amicus, intelligunt de verò profectu animæ Chriſti.

5 Probatur 2. ratione D. Thom. Chriſtus conuenit cum ceteris hominibus non modo in natura, ſed etiam in potentijs, & operationibus: ſed ceteri homines habent hanc operationem maximè propriam, & ipſis connaturalem acquirendi ſcientias medijs ſenſibus, & abſtrahendo ſpecies à phantaſmatibus: ergo etiam Chriſtus debuit habere hanc operationem acquirendi ſcientias medijs ſenſibus, & abſtrahendo ſpecies à phantaſmatibus; ſecus in ipſo fuiſſet otioſus intellectus agens: tum quia omnes concedunt, quod Chriſtus acquiſierit ſpecies in ſenſibus: ergo & in intellectu; cum non minus fuerit potens ſenſus ad recipiendas ſpecies ſenſibiles; quam intellectus agens ad abſtrahendũ ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus; nullo enim modo repugnat dignitati ipſius abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, & ex terminis apprehenſis deducere concluſiones, & ex frequentatis actibus comparare perfectam ſcientiam.

6 Probatur 3. ratione Caietani; nam hæc ſcientiæ acquiſitio per actus proprios magis conuenit Chriſto, quam infuſio ipſius: primò ex parte ipſius ſcientiæ, quia ſic præſtantior eſt eius generatio; cum habeat, quod eſt per ſe de illius ratione; ſecundò ex parte ſcientis; nam qui acquirit ſcientiam per infuſionem, mouetur, qui verò eam acquirit propria induſtria, mouet ſe: præſtantius autem eſt mouere, quam moueri: Tertiò ex parte modi ſciendi; nam Chriſtus habuit ſcientiam beatam per modum proprium comprehenſorum; habuit infuſam per modum ſuum proprium: ergo etiam debuit habere acquiſitam per modum proprium, qui eſt per acquiſitionem; probatur conſequentia, tum quia ſic ponuntur in Chriſto omnes ſcientiæ, & omnes modi ſciendi, & acquirendi ſcientias: Chriſto autem debet tribui illud, quod eſt magis conueniens, & perfectionem inuoluit. Confirmatur; nam vt habetur ad Hebræos 2. *Debuit in omnibus aſſimilari fratribus*; ergo etiam in modo ſciendi, & acquirendi ſcientias, cum præſertim talis modus ſit connaturalis, & proprius animæ rationalis exiſtentis in corpore.

7 Concluſio 2. Chriſtus acquiſiuit hanc ſcientiam vi propriæ inuentionis; non diſciplinæ. Probatur: tum quia huiuſmodi modus eſt perfectior, & conſequenter Chriſto tribuendus: tum quia id magis decuit eius dignitatem, & ſtatum; Chriſtus enim vt ſupremus Doctor nihil debuit ab Angelis, vel ab hominibus diſcere; vnde ſi quandoque legitur interrogaſſe, id fecit vt Doctor, & Magiſter; neque fuit vllum inconueniens Chriſtum pendere ab obiectis in acquiſitione ſpecierum intelligibilium huius ſcientiæ, vt fuiſſet (quidquid dicat Durandus) ſi à docente didiciſſet; nam admiſſo primò, Chriſtus adhuc ſibi ipſi eſt Doctor, nec obiecta ipſum docent: e contra verò accidiſſet, ſi alterius diſciplina didiciſſet.

8 Dices cum hæc ſcientia acquiſita ſupponat rerum omnium experientiam quomodo potuit Chriſtus in vita breui, & ærumnoſa rerum omnium experientiã facere? præſertim cum in vna tantùm regione ſit immoratus, nec legatur, quod ſtudio vacauerit. Sed contra reſpondeo ſatis fuiſſe primò rerum aliquarum experientiam, præcipuè Cælorum, elementorum, & ſui corporis, quibus cognitis quo ad eſſentiam, & proprietates, etiam cognoſcuntur omnes fere cauſæ ſenſibilium quo ad eſſentiam: etenim vt docet D. Thom. hic ar. 1. ad 2. *Licèt non fuerint Chriſti ſenſibus ſubiecta omnia ſenſibilia, fuerunt tamen ſubiecta ſenſibus eius aliqua ſenſibilia, ex quibus propter excellentiſſimam vim rationis eius in aliorum potuit notitiam deuenire.* Nec per hanc ſcientiam erat neceſſe cognoſcere omnia indiuidua, neque eſſentiam ſubſtantiarum ſeparatarum, ſed tantùm ea, quæ per lumen intellectus agentis ſunt cognoſcibilia, vt docet D. Thom. loco cit. ad 3.

9 Addo, quod maximè iuuabatur Chriſtus à ſcientia beata, & infuſa, cuius ſpecies repræſentabant eadem obiecta, & tam ab ipſa, quam à beata præſeruabatur à quocumque vel minimo errore, & ex hoc patet, cur naturalia facilè cognoſcere potuerit. Poteſt etiam dici

Digitized by Google

cum Caietano, probabile eſſe, multa ſingularia fuiſſe ab Angelis oblata Chriſto, vt ex ipſis ſpecies educeret, & ſcientiam acquireret, nec videtur mirum, cũ Chriſto eſurienti Angeli miniſtrauerint cibos in deſerto: ergo multò magis ſubminiſtrarũt pertinentia ad perfectionem intellectus; non tamen per hoc ab Angelis didicit, ſed ipſe accipiebat ſpecies ab obiectis, & eas ordinabat.

10 Obijcies primò. Plures Patres dicunt illud Lucæ 2. *Puer perficiebat ætate, & ſapientia*, intelligendum eſſe non de verò profectu, ſed tantùm ſecundùm oſtenſionem; ergo nihil de nouo dedicit, ſed hanc ſcientiam habuit infuſam.

Reſpondeo alios Patres ſtare pro noſtra, vt ſupra probauimus; quare, ſi qui in contrarium adducuntur, intelliguntur, quod Chriſtus abſolutè non profecerit, nam nihil didicit, quod prius per ſcientiam infuſam non cognouerit: at ſecundùm ſcientiam experimentalem habuit verum profectum: nec ſequitur aliquando per hoc fuiſſe in Chriſto ignorantiam; nam hæc potius erat neſcientia illius ætatis propria; & ex alia parte, iam hæc omnia ſciebat per ſcientiam infuſam.

11 Obijcies 2. Illud debemus tribuere animæ Chriſti, quod eſt perfectius: ſed perfectius eſt habere ſcientiam perfectam ab inſtanti conceptionis, quam illam acquirere de nouo poſt longum tempus cum labore: ergo ſcientiam hanc habuit infuſam ab inſtanti conceptionis.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, quæ vera eſſet, ſi iam non cognoſcerentur hæc omnia per aliã ſcientiam infuſã, & niſi Chriſtus ex hoc priuatus fuiſſet debito modo operandi ſuarum potentiarum, quæ debent elicere ſpecies ab obiectis vt intelligant; cum ergo Chriſtus ab inſtanti conceptionis habeat ſcientiam infuſam, perfectius eſt hanc naturalem acquirere proprijs actibus propter rationes poſitas in probatione concluſionis.

12 Obijcies 3. Abſurdum eſt Chriſtũ didiciſſe ſcientiam ab hominibus, vel Angelis: ergo etiam eſt abſurdum illam accipere ab obiectis; eadem enim eſt paritas.

Reſpondeo negando conſequentiam, diſparitas eſt, qui accipere ſpecies ab obiectis non eſt doceri ab illis, quia dum aliquis accipit ſpecies à rebus, ipſe ſe dirigit, & ordinat ſpecies: at ſi quis diſcat ſcientiam ab homine, vel ab Angelo, homo, vel Angelus ſunt, qui dant ſpecies, & eas ordinant; vnde hoc modo doceri inuoluit imperfectionem, nempe ignorantiam modi coniungendi appreheñſiones, & principia, ſic enim humanus intellectus ab extrinſeco magiſtro doceri poteſt; quod non euenit accipiendo ſpecies à rebus, tunc enim intellectus eas accipit ſecundùm modum naturalem operandi intellectus diſcurſiui.

13 Obijcies 4. Adam non fuit perfectior Chriſto: ſed in Adamo ponimus ſcientiam infuſam per accidens ab inſtãti ſuæ creationis; ergo idem dicendum de Chriſto.

Reſpondeo negando conſequentiam; diſparitas eſt, quia ſi in Chriſto non fuit hæc ſcientia, habuit tamen infuſam, qua mediante omnia cognoſcebat; & non cognoſcere hæc naturalia per ſcientiam acquiſitam erat neſcientia propria illius ætatis Chriſti: at ſi Adam caruiſſet hac ſcientia; cum nullam aliam haberet in ea ætate virili, in qua creatus fuit, ignorans fuiſſet, & tamen debebat eſſe omnium Doctor.

14 Obijcies 5. Si Chriſtus debuit acquirere ſcientiam proprijs actibus maximè ne intellectus agens eſſet in ipſo fruſtra: ſed hæc ratio nulla eſt; ergo ruit fundamentum: probatur minor: nam in Adamo fuit iſte intellectus, & remanet in Beatis, & tamen non eſt fruſtra, licèt non abſtrahat ſpecies à ſenſibus; ergo potuit eſſe in Chriſto hoc pacto.

Reſpondeo, quod in Adamo eſt intellectus agens, quia ipſe fuit primus omnium, vnde debebat habere eas potentias, quas alij poſteri eius habituri erant, & in Beatis remanet ad ornatum, cum iam habuerit proprias operationes; at non per hoc ſequitur, quod Adam non caruerit propria operatione intellectus agentis quæ conſiſtit in hoc, quod abſtrahat ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, quam operationem, cũ debeamus concedere Chriſto, vt omnibus modis poſſibilibus habeat ſcientiam; hinc eſt, quod ipſe per proprios actus ſcientiã acquiſiuit.

15 Obijcies 6. Chriſtus clariſſimè cognoſcebat omnes propoſitiones, ſicuti nos cognoſcimus prima principia: ſed nos non poſſumus habere ſcientiam de primis principijs; ergo neque Chriſtus de alijs rebus.

Reſpondeo Chriſtum cognouiſſe omnes propoſitiones per ſcientiam infuſam, at non per acquiſitam naturaliter; vnde hoc modo potuit efficere demonſtrationem, & acquirere ſcientiam: addo, quod ſicut nos explicatis terminis cognoſcimus prima principia v.g. totum eſt maius ſua parte; & tamen de aliquo in particulari poſſumus formare demonſtrationem, & de eo habere ſcientiam;

tiam;

Digitized by Google

tiam; vt ſi dicam: Omne totum eſt maius ſua parte: ſed hoc eſt totum; ergo &c. Ita de Chriſtò dicendùm eſt.

16 Obijcies 7. Chriſtus ab Angelo Confortatus eſt, vt conſtat ex illo Lucæ 22. ſed talis confortatio fieri non potuit niſi proponendo rationes, quæ dolorem ipſius lenire poſſent; ergo ab Angelis potuit aliquid diſcere.

Reſpõdeo cum D.Thom. in 3.diſt.14. quæſt.1. art. 3. quæſtiunc. 6. ad 2. quod Chriſtus non fuit confortatus ab Angelo per illuminationem, aut inſtructionem, ſed quaſi per ſocietatem, & compaſſionem eo modo, quo ex colloquio amicorum homo confortatur in triſtitijs; aut confortauit corpus debilitatum, & ſanguine perfuſum, vel abluendo ſanguinem, vel aliquo modo fouendo corpus, vt reſpondet hic Caietanus art.4.

17 Ex his colligas triplicem eſſe modum intelligendi in anima Chriſti; primus eſt per ſcientiam beatam, qui eſt proprius beatorum, & diuinus: ſecundus per ſcientiam infuſam proprius Angelorum: tertius per ſcientiam acquiſitam, qui eſt proprius naturæ humanæ.

QVÆSTIO VII.

De voluntate Chriſti.

POſt ſcientiam tractat D. Thom. de potentia animæ Chriſti, & quærit vtrum fuerit omnipotens; & ad hoc breuiter reſpondeo negatiuè, remãſerunt .n. impermixtę naturę; vnde ſicuti humanitas nõ facta fuit diuinitas; ita nec facta fuit anima omnipotens: per cõmunicationem tamẽ idiomatũ, ſicuti dicitur homo eſt Deus, ita poteſt dici homo eſt omnipotens, verùm hoc non conuenit illi ratione animæ, ſed ratione perſonalitatis. Tractat poſtea quomodo patrauerit humanitas Chriſti miracula; & in hoc placet dicere fuiſſe inſtrumentum coniunctum diuinitatis; an verò phyſicè, vel moraliter humanitas concurrerit ad miracula patranda eodem modo dicendum eſt, ſicuti dicemus in tractatu de Sacramentis, an Sacramenta ſint cauſæ morales, vel inſtrumenta phyſica gratiæ, & ideo hanc quæſtionem ad talem tractatum remitto, ne toties eadem repetamus. Solum differunt humanitas in ordine ad patranda miracula, & Sacramenta in ordine ad producendam gratiam, quod humanitas eſt inſtrumentum coniunctum, Sacramenta ſunt ſeparata. Multa alia in ſequentibus quæſtionibus tractat vſque ad quæſt. 18. cuius titulus eſt de voluntate Chriſti; nos poſt ſcientiam tractabimus de voluntate, nam reliqua, vel facilia ſunt, vel ſi quę difficultates tactæ ſunt a D. Thom. in alijs quæſtionibus, in hac omnes explicabimus.

Anima Chriſti an ſit omnipotens.

Humanitas ad patranda miracula quomodo concurrat.

ARTICVLVS I.

An in Chriſto fuerint duæ voluntates, & appetitus ſenſitiuus.

1 PLures fuere hæretici, qui in hoc errarunt. Nam primò Apolinaris, cum diceret, quod Verbum in Chriſto eſſet anima ipſius, in ipſo vnam tantùm voluntatem, eamque diuinam ponebat. Secundò Eutiches, qui naturam humanam permixtam cum diuina ponebat, etiam voluntatem permixtam, ſeu vnam naturam per tranſmutationem compoſitam aſſirmabat, de quo errore ſupra egimus quæſt.4.ar.1. Tertiò hæretici Monothelitæ licèt ponerent in Chriſto duas naturas integras, & impermixtas, negabant tamen in Chriſto duas voluntates, ſed aſſerebant Chriſtũ vnicã tantũ habuiſſe voluntatẽ, eamq; diuinam, vnamq; operationem, hancque diuinam: actiones verò exteriores humanitatis, vt ambulatio, fletus locutio &c. vocabant opus, & operata, non operationes, eo quod eſſent effectus voluntatis diuinæ; hoc autem complexum ex opere externo, & voluntate diuina vocabant operationem theantricam, ne omnimode Sanctis Patribus aduerſari viderentur.

2 Dubitari ſolet inter Catholicos, an hęretici Monothelitæ negauerint in Chriſto ſolũ actũ voluntatis humanę, an verò etiam ipſam potentiam volitiuam.

Vaſquez diſput. 73. cap. 1. quem ſequitur Lugus diſp. 25. voluit hos hæreticos erraſſe, quia negabant actus voluntatis humanæ in Chriſto; ceterum non fuiſſe ſolicitos de voluntate, vt potentia eſt.

D. Thom. hìc quæſt.18. art. 1. Caiet. ibidem Ioan. à S. Thom. diſp.18. art. 1. dub. vnico, Thomiſtæ communiter, Gabriel à S. Vincentio diſp. 18. dub. 1. & fere cõmuniter Doctores docent ipſos hæreticos non ſolum negaſſe actus voluntatis humanæ in Chriſto, ſed etiam ipſam potentiam voluntatis.

3 Concluſio 1. In Chriſto fuerunt duę voluntates non ſolùm quo ad actus, ſed etiam quo ad ipſas facultates, & potentias. Probatur 1. ex Concilio Lateranenſi ſub Martino primò can. 10. vbi habetur. *Si quis non confitetur propriè, & verè duas eiuſdem, & vnius Chriſti Dei voluntates, ſimiliter, & operationes cohæren-*

 ter

Digitized by Google

ter vnitas diuinam, & humanam &c. ſit condemnatus. & in 6. Synodo act. 8. ſic habetur. *Omnes qui docuerunt, & qui dicunt vnam voluntatem, & vnam operationem in duabus naturis vnius Domini Noſtri Ieſu Chriſti, veri Dei noſtri anathematizamus*. Et ex Epiſtola Synodica Agathonis Papæ, quam adducit D. Thom. hic in corpore ſic habetur. *Iuxta quod olim Propheta in Chriſto, & ipſe nos erudiuit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes prædicamus*. Ecce quod Concilia, & Pontifex determinant in Chriſto non ſolùm duas operationes humanam, & diuinam, ſed etiam duas voluntates; ergo ly *voluntas* non ſumitur tantùm pro operatione, nam ſuperfluè, & impertinenter repeteretur.

4 Probatur ſecundò ex ſcriptura Matth. 26. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*, Lucæ 22. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, Ioann. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me*. Et ex pluribus Patribus eadem veritas colligitur.

5 Probatur tertiò ratione D. Thom. Filius Dei aſſumpſit naturam humanam perfectam: ſed ad perfectionem naturæ humanæ pertinet voluntas, ergo ſi Filius Dei aſſumpſit naturam humanam perfectam, etiam aſſumpſit voluntatem humanam. Ex alia parte nullam diminutionē paſſus eſt in ijs, quæ ſpectant ad diuinitatem: ſed ad diuinitatem ſpectat habere voluntatem; ergo etiam habuit voluntatem diuinam. Confirmatur, quia finis redemptionis humanæ, propter quam venerat Chriſtus, exigebat, vt Chriſtus poſſet mereri, & operari; ſed niſi habuiſſet voluntatem humanam non potuiſſet mereri; nam ſecundùm diuinam non erat capax meriti; ergo verè in eo fuit non ſolùm voluntas diuina, ſed etiam humana, non ſolùm quo ad actum, ſed etiam quo ad potentiam.

6 Concluſio ſecunda. Fuit etiam in Chriſto appetitus ſenſitiuus. Ita D. Tho. hic art. 2. & videtur de fide: nam licèt non reperiatur in terminis definita, quia tamen generaliter definitum eſt à Verbo aſſumptam fuiſſe integram, & perfectam naturam cum omnibus ſuis facultatibus abſque peccato, vtique etiam hunc appetitum habuiſſe certum eſt; cum ad naturam rationalem non tantùm operationes intellectus, & volũtatis, ſed etiam partis ſenſitiuæ pertineant. Nullus tamen in Chriſto fuit actus indeliberatus præueniens rationem. Ratio eſt, quia iſti actus proueniunt ex rebellione contra rationem ad proprium obiectum; in Chriſto autem non fuit talis rebellio, quia hæc eſt effectus peccati, vnde non erat in ſtatu innocentiæ, & multò minus in Chriſto: tum quia in Chriſto erat perfectiſſima ſcientia, & propter hanc perfectionem ſcientiæ numquam appetitus poterat præuenire rationem. Quare ab actibus huius appetitus ſenſitiui in Chriſto fuit ſublata omnis imperfectio, quæ in nobis eſt ratione originalis peccati, vt fomitis, rebellionis, &c. ſed perfectiſſimè ſubdebatur rationi, & voluntati Chriſti.

7 Obijcies primò contra primam. Si in Chriſto fuit voluntas humana cum ſuis actibus, illi deberemus tribuere triſtitiam, & timorem, vt habetur Matth. 26. *Cepit contriſtari, & mæſtus eſſe; tunc ait illis, triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. Et Marci 14. *Cepit pauere, tedere, & mæſtus eſſe*: ſed iſti actus non potuerunt eſſe in Chriſto, cum eſſet Beatus: clara autem Dei viſio excludit omnem mæſtitiam, & timorem; ergo nec voluntas humana fuit in Chriſto.

Reſpondeo concedendo maiorem; ad minorem reſpondet Canus lib. 12. de locis theologicis cap. 14. Deum pro tunc ſuſpendiſſe delectationem beatificam à voluntate Chriſti, vt poſset admittere actum triſtitiæ. Verum hæc reſponſio communiter reijcitur, eo quod beatitudo ſit de natura ſua perpetua, & ſemel habita à Chriſto, ſemper eam retinuit. Alij aliter reſpondent. Verùm reſpondeo cum communi, negando minorem: ad probationem, licèt verum ſit, quod de potentia ordinaria viſio clara Dei excludat quamcumque mæſtitiam, & timorem; at de potentia abſoluta poteſt Beatus, & habere triſtitiam, & ſummam cōſolationem reſpectu diuerſorum obiectorũ; ſic diximus in tractatu de beatitudine, quod poteſt quis videns Deum de potentia abſoluta torqueri etiam igne inferni; & ita dicimus ſpeciali ratione factum eſse, vt Chriſtus pro tunc, & eſſet beatus ratione viſionis, & triſtis, & mæſtus ratione mortis imminentis.

8 Obijcies ſecundò. Inter actus aſſignatos eſt timor: ſed in Chriſto non potuit eſse timor, nam hic definitur fuga mali futuri, vel imminentis cum incertitudine euentus; in Chriſto autem non fuit hæc incertitudo: tum quia ſupra in Chriſto poſuimus tantùm timorem filialem; ergo nè ſinius contrarij, neq; hic timorem ponere debemus.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem dico, incertitudinem non eſse de ratione timoris vt ſic, vt patet in damnato ad mortem, qui certus eſt de morte, & eam timet: definitio ergo allata conuenit tantùm timori efficaci, &

ope-

operatiuo ad vitãdum malum. Ad confirmationem dico, nos ſupra excluſiſſe à Chriſto timorem prouenientem à culpa, vel timorem de amiſſione beatitudinis,& ibi poſuimus in Chriſto timorem filialem, quia ille erat, qui ad illam quęſtionem pertinebat, non per hoc tamen excluſimus hunc timorem prouenientem Chriſto ex morte illi imminenti, & futura.

9 Obijcies tertiò pro Vaſquez. Monothelitæ concedebant in Chriſto duas integras naturas; ergo nulla probabilitate poterant negare facultatem voluntatis in Chriſto,præſertim cum communior ſententia tunc temporis non admitteret potentias realiter diſtinctas ab anima.

Reſpondeo primò retorquendo argumentum contra Vaſquez: tales hæretici ſecundùm Vaſquez admittebant in Chriſto duas integras naturas cum ſuis facultatibus; ergo nulla ſpecie probabilitatis poterant negare actus proprios harum facultatum; patet conſequentia, quia facultas eſt propter operationes; vnde ſi poneretur facultas ſine operatione poneretur principium proximum mortuum inutile, & impotens ad operationem: vide ergo, quod etiam poſita ſententia Vaſquez nullam ſpeciē probabilitatis habent in ſuis ſomniis hęretici; admittat ergo Vaſquez hos hæreticos negaſſe etiam potentias, vt ex locis adductis Conciliorum deducitur clarè: neque quod ſubiungit, quod probabilis eſt ſententia, potentias non diſtingui ab anima; & per conſequens, ſi tales hæretici admittebāt in Chriſto animam, debebant etiam admittere voluntatem, quicquam officit. Etenim ſiue diſtinguantur realiter, vt volunt Thomiſtæ, ſiue tantùm formaliter, vt Scotiſtæ; ſi detur iſta potentia, debet dari operatio, & ſi hæc negatur poſſibilis,vt negabant illi hæretici, etiam potentia ipſa negatur quomodocumque ab anima diſtinguatur.

10 Obijcies quartò pro eodem Vaſquez Agathonem Papam in epiſtola ad Heraclium quę eſt in 6.Synodo act.4.vbi definiens voluntatem, quam hæretici negabant, inquit: *Voluntas motus eſt naturæ, quoniam motus eſt animi.* Ergo tales hæretici negabant actum, non potentiam.

Reſpondeo,quod hoc dicitur,ſed non probatur, quod in tali loco definierit Papa voluntatem, quam negabant hæretici; nam ex locis adductis Conciliorum, & eiuſdem Agathonis, quæ adduximus in probatione concluſionis, conſtat, eos negaſſe etiam potentias,& non ſolùm actus.

11 Plura alia poſſent adduci, quæ latè proſequitur, & eruditè Ioan.à S.Tho. verùm adducta ſufficiant, cum ex locis adductis Conciliorum conſtet potius tales hæreticos negaſſe in Chriſto non ſolùm actus voluntatis, ſed etiam ipſam potentiam; dixi conſtare potius,&c.nam vt aduertunt Caietanus, & Suarez hic diſp.37.ſec.1.ex Agathone Papa in epiſt. cit. *Tam variè, tamquam confusè loquuti ſunt, vt vix ſatis conſtet, quo ſenſu errorem ſuum aſſeruerint.* Hocq; mirum non eſt, cum proprium ſit hæreticorum ſubdolè ſemper loqui; neque vllam tenere conſequentiam.

ARTICVLVS II.

An voluntas humana in Chriſto fuerit ſemper conformis voluntati diuinæ.

1 POtiſſimum hæreticorum argumentum negandi in Chriſto duas voluntates humanā, & diuinam fuit, vt auferrent omnem pugnam, et diſcordiam internam à Chriſto Domino, exiſtimantes non poſſe eſſe perpetuam pacem, vbi duplex eſſet voluntas, & duplex liberum arbitrium; quare hìc videndum eſt quomodo hæ voluntates fuerint ſemper conformes,& numquam inter ſe contrariæ.

Difficultas oritur ex ſcriptura, in qua ponitur voluntas humana Chriſti, quæ videtur contraria diuinæ; nam Matth. 26.dicitur: *Tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et Lucæ 22. *Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Ecce quod Deus volebat Chriſtum mori, vt redimeret genus humanum, voluntas autem humana Chriſti recuſabat mortem.

2 Vaſquez hic diſp.73. cap.3. quem ſequitur Lugus diſp.25.num.14. qui dicit eſſe communem explicationem, docet hos actus, ſeu has voluntates non eſſe contrarias, quia vnus actus eſt efficax, & abſolutus, alter inefficax, & virtualiter conditionatus; vnde Chriſtus habuit voluntatem, ſed inefficacem fugiendi mortem,dum dixit: *Tranſeat à me calix iſte*; aliam verò efficacem, dum dixit: *Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat*; iſtæ autem voluntates non pugnant, nec ſunt inuicem contrariæ.

Arriaga diſp.12.ſec.1. Admittit tamquam probabilius in Chriſto voluntatē inefficacem fuiſſe voluntati diuinę contrariam.

D.Thom. hic quæſt.18.ar.5.& 6. Caietanus, Ioann.à S.Thom & communiter Thomiſtæ. Alenſis 3. part. quæſt.15. membr.1. Albertus in 3.diſt.17.ar.1 Bona-

Digitized by Google

na.ar.1.q.3. Richardus quæſt.2. Durandus ibidem num.6.Suarez diſp.38.ſec.4. Amicus diſp.25. ſec.1. & plures alii volunt ideò voluntates in Chriſto ſemper fuiſse conformes, quia quando voluntas humana Chriſti refugiebat mortem, Deus voluit, quod voluntas humana Chriſti mortem refugeret.

3 Concluſio. Voluntates humana, & diuina in Chriſto fuerunt ſemper cõformes, ſiue loquamur de voluntate efficaci, ſiue de inefficaci. Hæc concluſio videtur definita in 6.Synod. act.4.in epiſtola Agathonis Papæ vbi ſic habetur: *Prædicamus duas naturales voluntates non contrarias (iuxta quod impij aſſerunt hæretici) ſed ſequentem eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem, vel reluctantem, ſed potius ſubiectam diuinæ eius, atque omnipotenti voluntati.* Et idem habetur in aliis Conciliis, quæ adducit Suarez: patet etiam ex ſcriptura ad Hebræ.10.& Pſalm.36. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam Deus.* Ioann.4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Et cap. 8. *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.*

4 Probatur ratione, quod voluntas efficax humana numquam fuerit contraria voluntati diuinæ. Voluntas humana non poteſt ferri efficaciter in id, quod cognoſcit impoſſibile: ſed Chriſtus cognoſcebat clarè eſſe impoſſibile fieri cõtrariũ illi, quod Deus efficaciter volebat; ergo non poterat velle efficaciter aliquid cõtrariũ voluntati diuinæ efficaci.

5 Dices cum Lugo, ſcientiam illam Chriſti non fuiſſe antecedentem, ſed cõſequentem libertatem humanam; ſicuti enim voluntas diuina eſt conſequens libertatem humanam; vnde ſicuti in priori illo ſigno non intelligitur in intellectu diuino præſcientia illius voluntatis, nec impedit libertatem Dei ad vtrumq; quia eſt ſcientia conſequens; ſic neque debet intelligi in intellectu humano Chriſti pro eo priori ſigno; atque adeò non poterit impedire voluntatem ad volendum, vel nolendum tale obiectum. Sed contrà: quia in primis ſcientia, & voluntas diuina ſemper antecedit voluntatem creatam; hæc enim debet illi ſubordinari, vt latè de Deo vno probatum fuit: tum quia eſtò ſit conſequens ratione noſtra, vt vult Lugus, nihilominus ſaltem in inſtanti reali eſt ſimul, & determinatio Chriſti debebat fieri in inſtanti reali: ſed in eo inſtanti in ipſo erat ſcientia voluntatis diuinæ, & quid vellet efficaciter Deus; ergo impoſſibile eſt, quod Chriſtus vellet efficaciter contrarium; nam voluiſſet efficaciter, quod cernebat impoſſibile, quod implicat; & hoc præſertim eſt dicendum de Chriſto, qui prudentiſſimè ſemper ea, quæ voluit, etiam voluit cum ſubmiſſione ad voluntatem diuinam.

6 Quod verò etiam voluntates inefficaces Chriſti fuerint conformes volũtati diuinæ, vt regulæ, licèt voluntas humana Chriſti aliquando voluerit aliquid, quod diuina nolebat, etiam deducitur tamquam firmum ex loco adducto ex 6. Synodo: *Prædicamus duas voluntates non contrarias*; vnde nullo modo admittendus eſt modus dicendi Arriagæ, qui dicit has voluntates poſſe dici contrarias; nam quo ad modum loquendi ſaltem eſt contra Concilium: in rebus autem fidei debemus non ſolùm in re ipſa, ſed etiam in modo loquendi eſſe conformes Concilijs.

7 Explicare igitur debemus, quomodo ſtet has voluntates eſſe conformes, licèt voluntas humana Chriſti aliquando voluerit aliquid, quod diuina nolebat; & vt hoc intelligatur: notat D. Thom. quod voluntas humana Chriſti dupliciter poteſt conſiderari, nempe primò vt natura eſt, ſecundò vt ratio eſt: dicitur voluntas operari, vt natura eſt, quatenus tendit in obiectum ſub ratione proprij commodi, licèt tales actus in Chriſto ſemper eſſent liberi, nam in ipſo non ſunt actus indeliberati rationes perfectæ ſuæ ſcientiæ, ſicuti multoties ſunt in nobis, in quibus non ſunt liberi ratione inaduertentiæ; dicitur verò voluntas operari, vt ratio eſt, quando operatur ex intentione finis efficaciter; in propoſito ergo, ſi conſiderentur verba illa Chriſti: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu;* iſtæ voluntates erunt diuerſæ in obiecto materiali volito, & ratione actuum; erant tamen inter ſe conformes, quia dum voluntas humana, vt natura, & per actus inefficaces volebat proprium cõmodum, & fugiebat mortem, hoc volebat etiam voluntas diuina, erant enim iſti actus ex ſuo genere honeſti, & boni, & diuina voluntas complacebat, quod voluntas humana, vt natura, mortem refugeret, & vt ratio efficaciter mortem vellet. Ex alia verò parte nulla erat pugna, nulla rebellio partis inferioris contra ſuperiorem, ſed pars inferior erat perfectiſſimè ſubiecta ſuperiori, & nulla vmquam in Chriſto fuit voluntatum contrarietas, ſed ſemper fuerunt conformes.

8 Obijcies. Velle, & nolle idem obiectum indicat contrarietatem voluntatum, non conformitatem: ſed humana voluntas Chriſti nolebat mortem, quam diuina voluntas volebat: ergo hæ

duæ

duæ voluntates erant contrariæ, & non conformes.

Reſpondeo indicare contrarietatem voluntatum, ſi eſſent actus efficaces: at quando vnus eſt tantùm inefficax, ſeu vt alij dicunt virtualiter conditionatus, & elicitur tantùm à voluntate, vt natura eſt, quæ vt ratio habet actum efficacem, quo vult id, quod vult Deus, non arguitur contrarietas, ſed ad ſummum diuerſitas actuum, & conformitas voluntatum; eo quod, dum Chriſtus ſecundùm voluntatem, vt natura eſt, volebat mori, etiam diuina volebat, quod Chriſtus haberet hunc actum; vnde in Chriſto ſemper voluntates fuere conformes.

ARTICVLVS III.

An Chriſtus peccare potuerit.

1 CVm in Chriſto fuerit intellectus, & Voluntas, conſtat etiam in ipſo fuiſſe liberum arbitrium; nam liberum arbitrium non eſt voluntas ſola, aut ſolus intellectus, ſed eſt facultas voluntatis, & rationis, & libertas radicaliter conſiſtit in intellectu repręſentante in obiecto rationem boni, & mali, formaliter in voluntate, quæ cum indifferentia ſe determinat ad id, quod vult; vnde definitur liberum arbitrium, quod ſit potentia, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poſſit operari, & non operari. In Chriſto autem fuiſſe liberum arbitrium conſtat ex ſcriptura. Iſaiæ 10. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Ioann. 10 *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam, & poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Ratio poteſt eſſe, quia in Chriſto debemus ponere meritum, vt genus humanum poſſet redimere: ad meritum autem neceſſariò requiritur libertas, vt ex alibi dictis in tractatu de gratia probatum fuit. Ex hoc grauiſſimæ difficultates inſurgunt; prima eſt, ſi Chriſtus fuit liber, quomodo ſit impeccabilis? cum libertas ſit facultas faciendi, & non faciendi, & operandi contrarium. Secunda quomodo in exequutione præcepti ſtet eius impeccabilitas. Tertia quomodo ſtet eius libertas cum viſione clara Dei; primam difficultatem in hoc articulo explicabimus, reliquas in ſequentibus.

2 Suppono in primis tamquam certum inter Catholicos, Chriſtum numquam peccaſſe; hoc colligitur ex pluribus locis ſcripturæ ſæpius atteſtantis, Chriſtum nec peccaſſe, nec dolum inuentum eſſe in ore eius; & ratio D. Th. eſt, quia peccatum omni ratione dedecebat talem perſonam, quæ erat Deus; tum quia Chriſtus venit, vt homines à peccato redimeret, & Deo reconciliaret; ergo debuit omni peccato carere, *In Chriſto nõ fuit peccatum.* ſecus etiam ipſe indiguiſſet redemptore. Quare hæc veritas definita fuit in Concilio Epheſ. cap. 18. & Lateranenſi ſub Martino I. cap. 5. quidquid impudentiſſimè, & inſaniſſimè dicat Caluinus, Chriſtum peccaſſe dum in Cruce dixit: *Deus Deus meus, &c.* conſtat enim in iſtis verbis nec vmbram fuiſſe peccati; ſolùm enim ea verba denotant, ipſum quo ad dolores, & afflictiones traditum eſſe, & derelictum in manibus carnificum, qui ipſum varijs tormentis, & cruciatibus affecerunt; verum de hac Caluini inſania ſatis.

3 Difficultas eſt de poſſibili, & non inquirimus hic, vtrum, ſi humanitas Chriſti prius extitiſſet antequam vniretur Verbo, tunc peccare potuerit; hoc enim clarum eſt, quod potuerit peccare, *Status quæſtionis.* ſicuti poſſunt omnes aliæ humanitates; nihilominus tamen eo ipſo, quod eſſet vnita Verbo eſſet sãctificata. Quæſtio igitur præſens eſt de humanitate Verbo vnita, ſeu de Chriſto, an peccare potuerit.

4 Prima ſententia ex Durandi in 3. diſt. 12. q. 2. Gabrielis, Marſilij, Mayronis, & aliorum apud Vaſquez diſp. 61. cap. 3. & Suarez diſp. 33. ſec. 2. eſt etiam Scoti in 3. diſt. 2. q. 1. & diſt. 12. q. vnica, Fab. in 3. diſp. 27. Herincx diſp. 2. q. 3. nu. 43. & Scotiſtarum communis, hæc affirmat humanitatem Chriſti vi ſolius vnionis hypoſtaticæ non eſſe redditam impeccabilẽ, fuiſſe tamen ratione viſionis beatæ, ſicuti modo ſunt impeccabiles omnes beati, ceterum ſi humanitas Chriſti præcisè fuiſſet vnita, nec eius anima fuiſſet beata, fatetur Durandus cum alijs Chriſtum peccare potuiſſe.

Secunda ſententia fere omniũ aliorũ Theologorum eſt, Chriſtum peccare nõ potuiſſe, hocq; habere vi ſolius vnionis hypoſtaticæ, ſic Magiſt. in 3. diſt. 12. D. Thom. ibidem q. 2. art. 1. Capreolus quæſt. vnic. art. 1. Cabrera, & Thomiſtæ communiter omnes, Ioann. à S. Thom. diſp. 16. art. 1. Gonet diſp. 20. art. 1. Vaſquez diſp. 61. cap. 3. & plures alij apud ipſum, Suarez diſp. 33. ſect. 2. Tannerus diſp. 7. q. 5. Lugo diſp. 26. ſec. 1. Hurtadus diſp. 59. §. 11. Arriaga diſput. 34. à ſec. 2. Amic. diſp. 24. ſec. 1. & quãplurimi alij.

5 Concluſio Chriſtus vi vnionis hypoſtaticæ nec per abſolutam Dei potentiam potuit peccare. Hæc concluſio eſt ita certa, vt oppoſitam plures Doctores varijs cenſuris notent, ex ea enim videtur ſequi Deum potuiſse peccare, poise

Digitized by Google

eſſe damnatum, & deteriorem diabolo, & huiuſmodi, quæ qui concederet, inquit Capreolus: *Contra illum non eſſet agendum argumentis, ſed flammis*. Verum ab his cenſuris ego abſtineo, præſertim cum tot Doctores Catholici cõtrariam ſuſtineant, & publicè defendant, nec admittant ſequelas, quas alij deducunt.

6 Probatur ergo primo concluſio ex Patribus, quos longa ſerie congerit Vaſquez loco citato; aliquos tantùm ponam, & primus omnium ſit D. Hilarius, qui lib. 1. de Trin. circa medium aſſerit Chriſtum non potuiſſe admittere peccatum: *Dum Chriſtus eſt, eo quod, qui Chriſtus eſt, non potuit amittere, quod Chriſtus eſt*: ſed eſt Chriſtus per vnionem hypoſtaticam præcisè; ergo vi vnionis peccare non potuit. D. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 10. dicit Chriſtum non potuiſſe peccare, *Quia non ſolùm homo, ſed etiam Deus erat*. Et hoc idem apertè docet Dionyſius Alexandrinus in epiſtola contra Paulum Samoſatenum circa finem epiſtolæ dicens: *Niſi fuiſſet idem, qui erat Deus Verbum, non poterat eſſe alienus à poteſtate peccandi; nemo enim eſt, quin peccare poſſit, niſi vnus Chriſtus; ſicut Pater Chriſti, & Spiritus Sanctus*. Idem docet D. Auguſtinus tom. 4. lib. 2. de Incarnatione Verbi ante finem his verbis: *Sicut vas ipſum, quod ſubſtantiam continet vnguenti, nullum genus aliud poteſt recipere liquoris: ita anima Chriſti velut vas, in quo inerat ſubſtantia vnguenti, impoſſibile fuit, vt contrarium reciperet odorem*. Ex quibus cõſtat hos Patres aſſerere Chriſtum fuiſſe impeccabilem ratione vnionis.

7 Probatur 2. concluſio ratione. *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, vt docet Philoſophus, & fuit principium admiſſum in Concilio Florentino ſeſſ. 18. non tantùm à Patribus Latinis, ſed etiam à Græcis ad probandum per hoc, quòd Spiritus Sanctus eſſet à Filio; vnde licet rationes, quibus vtuntur Patres, & Concilia ad definiendum aliquid de fide, non ſint de fide, negari tamen non poteſt, eas non eſſe maximæ auctoritatis; ergo ſi Chriſtus peccaret, eius ſuppoſitum peccaret: ſed implicat ſuppoſitum Chriſti poſſe peccare, cum ſuppoſitum Chriſti ſit Deus, & Verbũ Patris; ergo ſi implicat ſuppoſitũ Chriſti peccare poſſe; etiam implicat Chriſtum poſſe peccare.

8 Dices primò cum Marſilio, quòd ſi humanitas Chriſti peccaret, ſola ipſa peccaret, non ſuppoſitum, quia peccatum repugnat ſuppoſito diuino. Sed contrà, quia ſi humanitas Chriſti peccaret, vel tunc eſſet vnita Verbo, vel non; ſi hoc ſecundum, non facit ad rem; nam nos loquimur de humanitate vnita: ſi eſt vnita Verbo, ergo ſicuti ratione huius vnionis omnes operationes Chriſti dicuntur theantricæ, id eſt Dei virilis, vt dicitur in 6. Synodo Generali act. 8. & 11. & propter hanc rationem diximus actiones Chriſti fuiſſe in genere moris infiniti valoris; ita etiam ſequitur, quòd non poſſint eſſe peccaminoſæ; cum operatio theantrica eſſe nequeat peccaminoſa, ſemper enim ſequeretur Deum ipſum peccare; cum actiones ſuppoſitorum ſint.

9 Dices ſecundò cum Durando, nõ repugnare dicere Deum peccare per communicationem idiomatum, ſicuti enim dicitur Deus eſt mortuus, eſt paſſus: ita poteſt dici Deus peccat; non enim magis repugnat Deo peccatum, quam mors; & tamen mors per communicationem idiomatum tribuitur ſuppoſito diuino; ergo etiam peccatum poteſt tribui; ſicuti enim per hoc non ſequitur, quod Verbum ſit mortuum, ſed tantùm humanitas; ita nec ſequitur quod Verbum peccatum commiſerit, ſec tantùm humanitas. Sed contra, quia præterquam quod hæc propoſitio; *Verbum per communicationem idiomatum poteſt peccare, vel peccat*: eſt piarum aurium offenſiua, & ideò reijcienda; ſic impugnatur ex differentia, quæ eſt inter prædicata, *Mortuum, paſſum, & peccatum*; quod mori, & pati ſunt prædicata, quæ poſſunt intendi à Deo ad bonum finem, cum ſint mala pœnæ, & ideò non repugnat Deo mori in aliena natura, quamuis Deo repugnet mori, & pati in propria: at peccatum eſt malum culpæ, & ideò nullo modo poteſt tribui Deo; quod magis explicabitur, ſi conſideremus, quod pati mortem, ſitim, famem, & huiuſmodi ſunt prædicata paſſiua, ad quæ non debebat concurrere Verbum, ſed vt denominaretur tale ſufficiebat illa pati in natura aſſumpta; at peccatum eſt prædicatum actiuum, & peccatum debet actiuè procedere à natura, vt à principio *quo*, & à ſuppoſito, vt à principio *quod*; implicat autem ſuppoſitum diuinum actiuè concurrere ad peccatum.

10 Dices tertiò cum Lugo, & Arriaga. Suppoſitum nullo modo influere phyſicè in operationes; & proinde ſicuti paſſiones ſunt ſuppoſitorum, & per communicationem idiomatum dicitur Verbum paſſum, & mortuum, ita etiam poſſet dici habere peccatum, abſque eo quod vllo modo in peccatum influat; & ideò ex hac ratione nõ probari Chriſtum

Digitized by Google

ſtum peccare non potuiſſe. Addit Lugus, quod etiam ſi ſuppoſitum phyſicè influeret; adhuc Deus non eſset auctor, vel cauſa peccati; nam ſicut concurſus, quem Deus præſtat vt cauſa prima, non facit ipſum cauſam, vel auctorem peccati; quia prout venit à Deo eſt indifferens, & ſubordinatur noſtræ voluntati quo ad exercitium; ſic etiam concurſus Verbi nō faceret Verbum auctorem peccati, quia ille concurſus prout eſset à ſubſiſtentia eſset indifferēs, & ſubordinaretur humanitati quo ad exercitium. Sed cōtra eſto, quod ſuppoſitum, vt ſuppoſitum, non influat phyſicè; negari tamen non poteſt, quod ſaltem non influat moraliter, vnde propter hanc rationem merita Chriſti ſunt infiniti valoris, vt concedunt etiam Lugus, & Arriaga; ergo etiam in peccatum influeret moraliter Verbum, ſi Chriſtus peccaſſet; Verbum autem influere moraliter in peccatum quis non videat implicare? nam ſic moraliter ipſi peccatum tribueretur, quod dici nullo modo poteſt; neque quod addit Lugus vllo modo ſubſiſtit; nam concurſus Verbi non eſſet concurſus cauſæ primæ indifferens, ſed eſſet concurſus ſpecialis Verbi ſimul cum voluntate concurrentis, ita vt hæc eſſet principium *quo*, Verbum principium *quod* ſpeciale; ſed implicat Deum per ſpecialem concurſum concurrere ad peccatum; nam non tantùm moraliter, vt probatum eſt, ſed etiam phyſicè, vt principium *quod* eſſet auctor peccati; nec eſt concurſus indifferens, qui vt principiū *quod* indiuiſibiliter concurrit ad effectum; ergo &c.

11 Probatur tertiò. Quando plures voluntates eandem perſonam componunt ad ſuperiorem voluntatem ſpectat dirigere inferiorem, & hoc negligere tribuitur in defectum ſuperioris voluntatis, & hoc explicatur in homine, in quo eſt appetitus ſenſitiuus, & voluntas; ſi hæc non refrænat appetitum ſenſitiuum, & ſinit ipſum efficere id, quod eſt contra rationem, verè peccatum tribuitur etiam voluntati; ergo ſimiliter, cum perſona Chriſti ſit compoſita ex natura humana, & diuina in eodem ſuppoſito, ſi voluntas diuina non refrænat voluntatem humanam, vt tantùm tendat in id, quod eſt ſecundùm rectam rationem, ſi hæc tendit in peccatum, etiam Deus peccaret.

12 Dices primò, hoc contingere, quia pars ſenſitiua eſt vna, & eadem anima. Sed contra primò, quia in ſententia plurium appetitus ſenſitiuus eſt potentia realiter diſtincta. Contra ſecūdò, dato quod appetitus ſenſitiuus non ſit potentia diſtincta, nihilominus, ſi anima ſenſitiua in homine eſſet diſtincta realiter à rationali, adhuc ad rationalem ſpectaret dirigere ſenſitiuam, & ſi non dirigeret, ipſi tribueretur peccatum, vt de facto contingit in humanis: Parentes, & filii diſtinguuntur realiter; & tamen, quando filii peccant, ſi patres non impediunt, cum poſſint, & debeant, eis etiam imputatur peccatum; ergo cum natura humana cum perſonalitate Verbi faciant vnam perſonam, ad hanc ſpectabit dirigere naturam humanā, quod ſi non faciet, ipſi tribuetur peccatum. Et hæc ratio deſumitur ex 6. Synodo actione 8. vbi poſtquam determinauit Chriſtum habuiſſe humanā voluntatem impeccabilem cōcludit teſtimonio Nyſſeni: *Quemadmodum noſtrum corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima noſtra; ita & in Domino Chriſto tota humana eius conſperſio* (ſcilicet natura) *ab eiuſdem Verbi diuinitate ſemper, & in omnibus mota Deo mobilis erat.* Et ex Patribus; nam Ambroſius lib. de Incarnat. cap. 7. habet: *Qui alios regebat ſe regere ipſe non poterat?* Et Epiph. in Anchor. *Quia Verbum virtute ſua frænabat inferiorem naturam ab omni inutili carnali turba.*

13 Dices ſecundò ex Lugo. Hanc rationem non probare: primò, quia Deus eſt ſupremus Dominus; ergo poteſt pro libitu ſuo licitè permittere ruinam ſubditorum: ſecundò, quia non qualibet coniunctio inducit obligationem regiminis, ſed illa ſola, ex qua oritur dependentia, & ordinatio vnius ab alio: coniunctio autem humanitatis cum diuinitate in eodem ſuppoſito non dat poteſtatem ipſi naturæ diuinæ, vt poſſit regere humanitatem; quemadmodum, ſi homo vniretur cum leone, aut fluuio, non teneretur curare, quod ille leo rugiret, aut nè fluuius inondaret agros; & ſi Deus vniretur igni non teneretur curare, nè talis ignis comburreret vicinas ſegetes. Sed contrà: ideò vt ſupremus Dominus non tenetur vetare ruinam ſubditorum, ſed poteſt illam permittere, quia reſpectu ſubditorum ſe habet, vt cauſa vniuerſalis, & indifferens, nec tenetur immutare eſſentias, quas creaturis dedit; cum ergo fecerit eas liberas ad peccandum, vel non peccandum, repugnat Deo talis obligatio, quia ſic deſtrueret eſſentias rerum; at ſuppoſita vnione, in ipſo eſt ſpecialis obligatio talis perſonæ, nè peccatum naturę humanę redundaret in perſonam diuinam. Ad illud, quod ſecundo dicitur, quod non qualibet coniunctio inducit obligationem; retorqueo argumentum contra ipſum; etenim ſi per

impoſſibile homo haberet pro filio fluuium, vel leonem teneretur nè regere fluuium nè inondaret? aut leonem ne rugiret? certè non; quia inſtantiæ ex irrationalibus non ſunt capaces directionis; & tamen tenetur Pater reſpectu Filij; ita dico ego, ſi Deus eſſet vnitus igni, vel fluuio non teneretur curare nè comburreret vicinas ſegetes, imò poſſet hoc directè intendere, cum Deus ſit omniũ Dominus; at vnitus naturæ humanæ, vel Angelicæ, tenetur curare, nè peccet.

14 Dices tertiò cum Hurtado. Pater tenetur vitare non ſolùm peccata filiorum, ſed etiam eorum ægritudinem, & mortem, & tamen Verbum non tenebatur regere humanitatem, nè flagellaretur, crucifigeretur, aut moreretur; ergo etiam non tenebatur curare, nè ipſa peccaret. Sed contrà, nego conſequentiam, & diſparitas eſt manifeſta, quia in malis phyſicis poteſt quis ea honeſtiſſimè velle, & ſic poteſt quis appetere mortificationes, & flagellis ſe ipſum cædere propter Chriſtum, at non poteſt velle malum morale; ita Verbum potuit velle flagella, crucem, & mortem in humanitate, vt redimeret mundum; at non potuit velle malum morale.

15 Probatur 4. Humanitas Chriſti per vnionem ad Verbum fuit infinitè ſanctificata ſanctitate increata: ſed hæc includit repugnantiã cum peccato quocumque originali, ſiue habituali, ſiue mortali actuali, ſiue veniali; ergo poſita tali ſanctitate in Chriſto nullum fuit poſſibile in ipſo peccatum: hæc vltima conſequentia probatur; primò vi vnionis debetur ex natura rei animæ Chriſti viſio beatifica, & excluſio omnis ignorantiæ: ſed poſita viſione beatifica, & excluſione omnis ignorantiæ redditur Chriſti humanitas impeccabilis, vt fatentur omnes Scotiſtæ; ergo etiam poſita ſola vnione redditur ex natura ſua impeccabilis: probatur conſequentia, quia id ratione cuius debetur immediatè forma incompoſſibilis cum aliqua re, neceſſariò eſt æquè immediatè incompoſſibile cum illa re, cum incompoſſibilitas immediata cum illa re conſtituatur formaliter per connexionem immediatam cum forma oppoſita: probatur ſecundò illa prima conſequentia. Vi vnionis hypoſtaticæ non ſolùm reddita fuit ſancta ſanctitate increata anima Chriſti, ſed etiam per ipſam conſtituta fuit natura humana principium *quod* operandi, quod ſupponitur ad operationem; ergo per operationem non poteſt diſſolui; ergo non poteſt admittere peccatum: probatur conſequentia; quia ſi admitteret peccatũ ex vna parte deberet diſſolui, cum peccatum pugnet cum ſanctitate infinita, ex alia parte deberet remanere, cum nulla operatio diſſoluat ſuũ principiũ, ſed illud ſupponat; vnde eſſet, & non eſſet, quod implicat.

16 Obijcies primò. Si Angelus aſſumeret naturam humanam, quamuis hæc per voluntatem peccaret, nòn tribueretur peccatum voluntati Angelicæ, ſed humanæ, quę per ſe libera eſt; ergo idem dicendum de Chriſto.

Reſpondeo, quòd ſi Angelus poſſet regere voluntatem humanam, & non regeret, etiam peccatum illi tribueretur: ſi verò non poſſet, iam ſumus extra caſum; Deus enim poteſt, & tenetur regere poſita vnione.

17 Obijcies ſecundò. In tantùm tribueretur peccatum Deo, in quantùm deberet regere, & non regeret naturam humanam; ſed Deus nulla lege poteſt ad hoc obligari; ergo non teneretur; ergo ſi voluntas humana caderet in peccatum, tantùm permiſſiuè ſe haberet Deus: hoc autem peccatum non eſt; ergo &c.

Reſpondeo, quòd non datur quidem vlla lex poſitiua obligans Deum ipſum; tenetur tamen ex natura ſua, qua Deus eſt eo ipſo, quod eſt coniunctus hypoſtaticè humanitati, eo quod voluntas humana cenſeatur voluntas Dei; & hæc eſt peculiaris diuerſitas inter voluntatem humanam Chriſti, & alias, quod illa per ſuppoſitum Verbi cenſeatur voluntas Dei; at reſpectu aliarum ſe habet Deus tamquam cauſa vniuerſalis.

18 Obiicies tertiò. Eadem eſt voluntas Verbi, ac Patris, & Spiritus Sanctiſed Pater, & Spiritus Sanctus nulla ratione tenentur regere voluntatẽ humanã Chriſti nè peccet; ergo nec Verbum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, quæ vera eſt abſolutè, & primariò, falſa ex ſuppoſitione, & ſecundariò. Explico reſponſionem Pater, & Spiritus Sanctus, ſicuti & Verbum nullam habent abſolutè obligationem regendi voluntatem humanam, nè peccet: ex ſuppoſitione tamen, quod Verbum Incarnatum ſit, tenetur Verbum per ſe primò regere voluntatem creatam, nè peccet, eo quod talis voluntas eſt volũtas Verbi propria; & cum voluntas diuina Verbi ſit eadem, ac aliarum perſonarum; hinc eſt, quod etiam aliæ perſonæ ſecundariò tenentur regere, cum à voluntate Verbi diſcordare non poſſint, & in idem conſenſerint, quando Verbum caro factum eſt.

19 Obijcies quartò. Non minus repugnat vitæ Dei mors, quam bonitati peccatum: ſed hoc non obſtante per cõ-

mu-

Digitized by Google

municationē idiomatum dicitur Deus eſt mortuus; ergo etiam poteſt dici Deus peccat.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quæ vera eſt, ſi ſecundùm ſe conſiderentur vita, & mors, bonitas, & peccatum: falſa ſi conſiderentur vita, & bonitas Dei, vt hypoſtaticè ſunt vnitæ humanitati: & diſparitas eſt, quia ad hoc vt Deus denominetur mortuus merè paſſiuè ſe debet habere humanitas; imò & actiuè poteſt concurrere Deus intendēdo mortem, quia mors eſt tantùm malum pœnæ, & in ſe eſt quid bonum, & propter varios fines poteſt intēdi: at denominatio *peccat* eſt denominatio actiua, quæ deberet eſſe à Verbo tamquam à principio *quod*; implicat autem Deum concurrere ad malum culpæ, & propter alias rationes, quas in concluſione adduximus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum humanitas Chriſti potuiſſet peccare amittendo vnionem.

1 Vidimus ſupra humanitatem Chriſti non potuiſſe peccare manēdo vnitam Verbo, nunc videndum eſt, an potuerit peccare amittendo vnionem; quemadmodum quis perſeuerante gratia habituali non poteſt peccare, quia ſunt incompoſſibilia gratia, & peccatum: at poteſt abſolutè peccare, & per peccatum amittere gratiam; ita nunc inquirimus hic, an anima Chriſti poſſit peccare, ita vt per peccatum amittatur vnio.

2 Omnes auctores relati articulò præcedenti pro prima ſententia affirmant, Chriſtum peccare potuiſſe amittendo vnionem, quibus accedunt Hurtadus diſp. 59. & Arriaga diſp. 35. licèt hi duo nobiſcum ſentiant in concluſione præcedentis articuli.

Omnes alij, quos allegauimus pro ſecunda ſententia ſuſtinent humanitatem Chriſti non potuiſſe peccare amittendo vnionem, & cōſequenter humanitatem Chriſti per vnionem ad Verbum redditam fuiſſe omnino impeccabilem.

3 Concluſio. Humanitas Chriſti peccare non potuit peccato deſtruente vnionem. Varij tamen ſunt auctores in probanda hac concluſione.

Prima ratio eſt Vaſquez, qui concluſionem ſic probat. Gratia vnionis ſuaptè natura non ſubijcitur humanis actionibus ſicuti gratia adoptionis; ergo non poteſt per vllum peccatum amitti: antecedens probat, quia gratia vnionis non poterat creſcere per opera, ſicuti augetur in nobis gratia adoptionis per opera bona. Sed contra hæc ratio non eſt firma; nam quod non poſſit creſcere per opera bona eſt, quia conſiſtit in indiuiſibili, & poſita vnione intelligitur Verbum hypoſtaticè vnitum humanitati; ex hoc autem non excluditur, quin potuerit dependere ab operationibus humanitatis; etenim, vt concedit ipſe Vaſquez diſp. 21. num. 48. ſi humanitas Chriſti fuiſſet producta ante vnionem decorata gratia; & cum illa operata fuiſſet, potuiſſet mereri de cōgruo vnionem hypoſtaticam; ergo falſum eſt non poſſe ſubiici humanis operationibus; ergo ſi poteſt ſubiici, vt ſit, poterit etiam ſubiici, vt deſtruatur; hoc enim nec dū probatum fuit.

4 Secunda ſit Cardinalis de Lugo diſput. 26. ſect. 5. num. 65. qui reiectis varijs rationibus ſic concluſionem probat. Humanitas Chriſti per gratiam vnionis ſanctificatur ſanctitate perfectiſſima, & perfectiſſimo modo, & ad hanc ſanctitatem pertinere videtur, quod non ſolùm impediatur omne peccatum, ſed etiā potentia peccādi; alioquin poſſet excogitari aliud genus ſanctificationis perfectius, quæ ſanctificatio tolleret nō ſolū peccatū ex natura rei, ſed etiā de potentia abſoluta; hoc enim genus ſāctificationis non implicat: ergo dicendum hoc genere ſanctificationis fuiſſe ſanctificatā animam Chriſti, cum ſanctificata fuerit ſanctitate infinita. Sed contra neque hæc ratio firmè probat; nam hic ſupponere debemus, gratiam vnionis, ſicuti poſita fuit liberè à Deo, ita poſſe etiam deſtrui, & non eſſe ex eſſentia ſua indefectibilem; quod autem poteſt à Deo abſolutè deſtrui nulla expectata conditione, poteſt etiam deſtrui in pœnam peccati: vnde ſic argumentor: talis ſanctitas non eſt prærequiſita ad operationem; ergo ſine illa poteſt humanitas operari; ſi ergo operetur peccatum; certè ſicuti poteſt Deus abſolutè eam auferre; ita poteſt poſito peccato. Nihilominus hæc ratio poteſt bene ſuſtineri, & confirmari hoc pacto contra Arriagam: etenim, licèt viſio beata, quæ ex natura ſua perpetua eſt, poſſit diuinitus deſtrui, nihilominus non ſequitur, quod poſſit deſtrui per peccatum à Beato committendum; nam eo ipſo, quod quis Beatus eſt, impotens eſt ad peccandum: ergo etiam licèt vnio, quæ ex natura ſua eſt perpetua ſit diuinitus deſtruibilis à Deo, non poterit tamen deſtrui per peccatum habentis eam: probatur conſequentia, quia forma, quæ ex natura ſua exigit aliquid, quod eſt incompoſſibile cum pec-

Digitized by Google

cato, multò magis, et ipſa erit incompoſſibilis: ſed vnio hypoſtatica ex natura ſua exigit viſionem beatam, quæ ex ſe tollit omnem potentiam peccandi: ergo, & ipſa vnio tollit omnem potentiam peccandi, & ſi tollit, certè etiam eſt impoſſibile, quod poſſit diſſolui per peccatum, cum peccatum ſit impoſſibile ipſa durante.

5 Firmæ tamen rationes ad probandum, quod per peccatum non poſſit diſſolui vnio, ſunt allatæ à nobis in articulo ſuperiori. Prima, quod actiones ſunt ſuppoſitorum: humana autem natura habens vnionem habet ſuppoſitum diuinum: hoc autem implicat, quod peccet. Secunda deſumitur ex obligatione, quam habet Verbum vnitum regendi humanitatem aſſumptam, niſi enim prius eam dimittat, tenetur eam gubernare, alioquin culpa redundaret in Verbum, vt ſufficienter ſupra probatum fuit.

6 Dices 1, actiones quidem ex natura rei eſſe ſuppoſitorum, at non repugnare, quod natura ſine ſuppoſito operetur; poterit ergo diuinitus natura humana ſine ſuppoſito operari; ergo ſi in tali caſu peccet, diſſoluetur vnio; ſecundò obligationem regendi humanitatem eſſe in ſenſu compoſito vnionis cum Verbo: at in ſenſu diuiſo nulla videtur obligatio. Sic Arriaga. Sed contra concedo, quod diuinitus poſſit natura operari, vt exiſtens eſt, etiamſi non habeat ſuppoſitum: at natura humana vnita Verbo non poteſt intelligi non ſubſiſtens; ergo ſuppoſitum ſemper erit principium quod; tum quia vel loquitur Arriaga de natura humana vnita Verbo, vel non vnita: ſi hoc ſecundum, ſumus extra caſum, nam quæſtio eſt de natura vnita Verbo, an poſſit peccare peccato diſſoluente vnionem; ſi primum, implicat illam non concipere cum ſuppoſito: per quod reijcitur id, quod dicit contra regimen; nam hic loquimur de regimine debito poſita vnione, ſeu in ſenſu compoſito vnionis; nam in ſenſu diuiſo vnionis à natura; hoc eſt, ſi concedatur natura non vnita Verbo, certum eſt, quod tali naturæ non debeatur ſpeciale regimen, ne peccet; verùm quæſtio eſt in primo ſenſu.

Ex hoc patet quomodo differat impeccabilitas Chriſti ab illa confirmatorum in gratia; nam iſta prouenit tantùm ab extrinſeco, & à voluntate Dei ſemper aſſiſtente, & gubernante tales cõfirmatos, & eſt impeccabilitas tantum conſequens: at impeccabilitas Chriſti eſt antecedens, & intrinſeca proueniens à ſuppoſito diuino vnito, quod antecedenter requiritur ad operationem, & erat obligatum ſemper regere humanitatem ſibi vnitam, ne peccaret.

Impeccabilitas Chriſti differt a b illa confirmatorum in gratia.

7 Obijcies primò. In humanitate Verbo vnita remanent omnes proprietates naturæ humanæ, vt Concilia, & Patres docent; ſed potentia peccandi eſt proprietas naturæ humanæ; ergo remanſit in Chriſto; ergo potuit peccare, & peccanddo diſſoluere vnionem.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: potentia peccandi remota eſt proprietas naturæ humanæ, concedo minorem: proxima, & expedita eſt proprietas naturæ humanæ, nego minorem; ergo remanſit in Chriſto potentia remota, concedo conſequentiam, proxima, nego conſequentiam; ergo &c. nego vltimam conſequentiam; in Chriſto enim non fuit potentia expedita próxima ad peccandum: ſic D. Thom. in 3. diſt. 12. q. 2. art. 2.

8 Obijcies 2. Poſſe peccare conuenit humanitati, vt eſt ens finitum, & ex nihilo: ſed etiam vt vnita Verbo eſt ens finitum, & ex nihilo: ergo etiam vt vnita Verbo poteſt peccare.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: poſſe peccare conuenit humanitati, vt ens finitum eſt, & ex nihilo, ſi accipiatur humanitas ſecundùm ſe, concedo maiorem: ſi accipiatur humanitas vt facit complexum vnionis cum ente infinito, nego maiorem; deinde diſtinguo minorem: humanitas vnita eſt ens finitum, ſi accipiatur humanitas ſpecificatiuè, & ſecundùm eſſe ſuum ſimplex, concedo minorem: ſi accipiatur humanitas reduplicatiuè vt vnita, & ſecundùm eſſe complexum cum Verbo; nego minorẽ; ergo poteſt peccare: diſtinguo conſequens; ſi accipiatur ſpecificatiuè, & ſecundùm eſſe ſimplex proprium, concedo conſequentam: ſi acciptatur reduplicatiuè, vt vnita, & ſecundùm eſſe complexum, quod habet cum Verbo, nego cõſequentiam; in hoc autem ſenſu tractatur quæſtio. Ideo &c.

9 Obijcies 3. Deus aſſumpſit quidquid in noſtra natura plantauit ex Damaſceno lib. 12. de fide cap. 6. ſed in noſtra natura plantauit potentiam peccandi; ergo hanc aſſumpſit.

Reſpondeo Deum plantaſſe in noſtra natura potentiam remotam peccandi, non proximam; vt docet D. Tho. loco ſupra citato ad 6. Et D. Damaſcenus loquitur de his, quæ pertinent ad perfectionem naturæ, non ad imperfectionem, qualis eſt potentia proxima peccandi.

10 Obijcies 4. Humanitas per vnionem non fuit facta omnipotens nec immenſa: ergo neque impeccabilis.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo, & nego conſequentiam; nam illorum prædicatorum erat incapax; non verò huius *impeccabilis*, vt latè diximus de hoc argumento ſupra qu. 5. art. 1.

ARTICVLVS V.

An ſaltem potuerit anima ipſius habere originale, vel habituale mortale, vel veniale.

1 SVppono ex dictis in tractatu de vitijs, & pecatis quæſt. 6. ar. 1. & 3. peccatum originale non conſiſtere in ſola denominatione extrinſeca ab actuali peccato Adæ, ſed includere privationem gratiæ debitæ ex promiſſione facta Adamo, & poſteris eius; Inſuper cauſari in nobis hoc peccatum ex peccato Adæ, & contrahi ipſa propagatione, quæ eſt omnibus, & vnicuique propria: Tertiò peccatum habituale eſſe actum præteritum malum non retractatum, moraliterque permanentem cum priuatione gratiæ, vt loco citato ar. 1. explicatum fuit.

Status quæſtionis.

Quærimus ergo hic vtrum Verbum potuerit aſſumere naturam peccato originali infectam, & quæſtio eſt de poſſibili; nam de facto, cum corpus Chriſti formatum fuerit virtute Spiritus Sancti nullo modo contrahere poterat originale; cum hoc ex D. Tho. & alijs Doctoribus contrahatur tantùm per ſeminalem propagationẽ; quare quæſtio propria eſt, an ſi corpus Chriſti formatum fuiſſet virtute ſeminis, & per propagationem naturalem, vtrum tunc contraxiſſet originale peccatum.

2 Concluſio 1. *Si Chriſti corpus formatum fuiſſet virtute ſeminis non tamen contraxiſſet, nec potuiſset contrahere originale peccatum.* Probatur; nam humanitas non prius natura inficitur peccato originali, quam anima informet corpus, & prius humanitas eſt homo, quam intelligatur contrahere originale, & conſequenter prius debet intelligi ſubſiſtens, quam maculata; ergo cum prius Chriſtus fuerit ſubſiſtens, quam potuerit maculari, & ſubſiſtentia ipſius fuerit ſubſiſtentia Verbi, cum qua omnino eſt impoſſibile peccatum, ſequitur, quod etiamſi formatum fuiſſet illius corpus per ſeminalem virtutem, ahuc non poſſet contrahere originale.

3 Dices. In tantùm non potuit peccare Chriſtus peccato actuali, in quantùm actiones ſunt ſuppoſitorum; vnde ſi peccaſſet etiam eius ſuppoſitum peccaſſet: ſed peccatum originale non contrahitur voluntate propria, ſed voluntate Adami; ergo ab humanitate Chriſti potuiſset contrahi, ſi fuiſset per ſeminalem generationem propagata abſque eo, quod eius ſuppoſitum peccaret. Sed contra: quia originale peccatum non tantùm fuit voluntarium Adamo, ſed etiam eſt moraliter voluntarium paruulis illud contrahentibus, vt diximus loco citato de peccatis: ſed hoc modo non potuit eſſe voluntarium Chriſto, in quo erat ſuppoſitum Verbi, quod tenebatur regere humanitatem, ne in peccatum caderet, ſecus ipſi imputaretur peccato; ergo nullo modo potuit illud contrahere: tum quia vt ab humanitate contraheretur talis macula originalis debebat in ipſa non eſſe forma incompoſſibilis: iam autem erat humanitas infinitè ſanctificata per ſanctitatem increatam Verbi; vnde nullo modo poterat in ipſa cadere peccatum.

4 Concluſio 2. Quodcumque peccatum ſiue habituale mortale, ſiue veniale in natura exiſtens pugnat cum vnione hypoſtatica; vnde ipſa poſita, deberet doleri. Probatur: quia per vnionem hypoſtaticam humanitas perfectiſſimo modo ſanctificatur, & deificatur, & eadem diuinitas illi vnitur: ſed implicat vnum, & idem ſubiectum eſſe perfectiſſimo modo ſanctificatũ, & Deo ſummè gratum, & ſimul eſſe per peccatum immundum, & Deo inuiſum; ergo eo ipſo, quod humanitas eſt Verbo vnita, implicat, quod in ipſa ſit quodcumque peccatum ſiue actuale, ſiue habituale, ſiue mortale, ſiue veniale; quodcumque enim cum ſumma ſanctitate pugnat.

5 Obijcies primò. Cum eo non poteſt eſſe peccatum, cum quo priuatiuè opponitur; ſed peccatum originale, & habituale non opponuntur cum vnione hypoſtatica, ſed tantùm cum gratia, includunt enim hæc peccata priuationem gratiæ, non vnionis hypoſtaticæ: ergo cum vnione hypoſtatica ſtare poſſunt.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; cum eo non poteſt eſſe peccatũ, cum quo priuatiuè opponitur, vel formaliter, vel eminenter, concedo maiorem; formaliter tantùm, nego maiorem: ad minorẽ ergo licèt poſſit concedi, quod formaliter opponatur tantùm gratiæ; at eminẽter etiam natura diuina illi omnimodè opponitur, eſt enim forma talis ordinis, & tam ſancta, vt cum ea implicet quodcumque peccatum.

6 Obijcies 2 Quod pugnat cum veniali debet eſſe infinita ſanctitas: ſed humanitas Chriſti non fuit ſanctificata infinitè per Verbum; ergo poteſt habere veniale: minor probatur, nam ſancti-

tas

Digitized by Google

tas humanitatis eſt minor ſanctitate Verbi; ergo non eſt infinita.

Reſpondeo negando minorem ; ad probationem: concedo quod ſanctitas humanitatis ſit minor ſanctitate Verbi ; Verùm hoc non arguit, quod in ipſa humanitate non ſit ſanctitas infinita, ſed ſolùm, quod ſanctitas Verbi ſit ſanctitas infinita per identitatem; ſanctitas autem humanitatis eſt per vnionem; vt ſupra cum de ſanctitate Chriſti hoc argumentum diſcuſſimus :

7 Quæres primò an potuerit eſſe in Chriſto fomes peccati.

Fomes peccati quid ſit. Fomes peccati non eſt appetitus ſenſitiuus nihil aliud connotando, vt falsò putauit Durandus ; nam ſi eſſet tantùm appetitus ſenſitiuus, vtique illum deberemus ponere in Chriſto, cum ſpectet ad integritatem naturæ ; fomes igitur peccati, vt docet D. Tho. eſt appetitus ſenſitiuus proximè potens, & expeditus præueniens vſum rationis per ſuos actus inordinatos tendens in delectabile ſecũdùm ſenſum præter rationis præſcriptum.

Reſpondeo fomitem peccati nec fuiſſe, nec potuiſſe eſſe in Chriſto, eſt communis Thomiſtarum, vt teſtantur Ioan. à S. Thom. diſp. 16. ar. 2. & 3. & Gonet diſput. 20. ar. 2. eamdem docent Suarez, & alij ; quo ad ſecundam tamen partem, quod nec potuerit eſſe, eſt contra Vaſquez, Lugum, Beccanum, Arriagam diſput. 35. ſubſect. 2. & alios. Probatur prima pars ex Concilio 5. Generali, quod dicitur Germanum act. 7. can. 12. Vbi Damnatur Theodorus Mopſueſtenus eo, quod dixerit. *Alium eſſe Dei Verbum, & alium Chriſtum paſſionibus animæ, & deſiderijs carnis moleſtias patientem*. Vbi notandum, quod non damnatur ſolùm, qui a dixerat Chriſtum eſſe alium à Verbo, ſed etiam, quia dixerat Chriſtum moleſtias carnis paſſum. Hoc idem definitur in 6. Synodo Generali act. 11. in Epiſtola Sophronij. Ratio eſt: quia dedecebat Chriſtum habere huiuſmodi motus contra rationem propter diuinitatem vnitã, quæ tenebatur regere non tantùm volũtatem humanam, ſed etiam appetitum *Nec in Virgine fuit fomes peccati.* ſenſitiuum ; quæ ratio non tantùm probat primam partem, ſed etiam ſecundã, quod fomes peccati non potuerit eſſe in Chriſto ; vnde nec fuit in Virgine ratione maternitatis, ſed D. Thom. vult in ipſa fuiſſe ligatum, quando primò concepta fuit, & ſanctificata in vtero matris, fuiſſe verò extinctum, & penitus ſublatum, quando fuit ab Angelo ſalutata.

8 Dices tales motus appetitus ſunt naturales, nec ſunt peccata; ergo potuerunt eſſe in Chriſto. Sed contra : nego conſequentiam ; nam licèt eſſent naturales, & non eſſent peccata, indecentiam tamen quandam indicant, quam in Chriſto Deo, & homine nullo modo admittere debemus.

9 Quæres 2. An in Chriſto potuerint eſſe habitus vitioſi.

Reſpondeo negatiuè contra Vaſquez diſp. 61. Arriagam loco citato, & alios; eſt tamen communis Thomiſtarum, & eorum, quos adduximus in tract. de vitiis quæſt. 1. ar. 2. vbi docuimus Deum ſe ſolo non poſſe infundere habitum vitioſum ; & per conſequens in Chriſto, nec fuit, nec eſſe potuit habitus vitioſus ; etenim ille non potuit elicere actus vitioſos, quibus hos habitus compararet, vt hucuſque probatum fuit; nec Deus potuit ſe ſolo eos habitus infundere, vt loco citato probatum fuit; ergo nullo modo in Chriſto eſſe potuerunt.

ARTICVLVS VI.

Quomodo Chriſti impeccabilitas non repugnet libertati eiuſdem in executione præcepti.

2 Difficultas conſiſtit in hoc; cũ libertas ſit facultas, quę poſitis omnibus requiſitis ad agẽdum poſſit agere, & non agere, vel agere contrarium, vel Chriſtus poterat non obſeruare præcepta, & ſic poterat peccare, quia poſse tranſgredi præceptum, eſt poſse peccare; vel non poterat non obſeruare præcepta, & ſic non videtur liber; licèt *Quæſtionis difficultas in quo conſiſtat.* autem poſſit fieri quæſtio de omnibus præceptis, quæ tenebatur Chriſtus obſeruare, in particulari tamen tractatur de obſeruantia, & executione præcepti, quod habuit de ſubeunda morte, quomodo Chriſtus liberè mortuus ſit, ſi habuit præceptum moriendi, quod tranſgredi non potuit ; ſi enim ipſum tranſgredi potuiſset, fuiſset peccabilis, quod dici non poteſt, vt ſupra probatum fuit: propter hoc argumentum ſoluendum hæc quæſtio redditur ex celebrioribus huius tractatus, in varias enim abierunt ſententias Doctores; principaliores ponemus, mox noſtram explicabimus.

2 Prima ergo ſententia ſaluat libertatem Chriſti cum ipſius impeccabilitate dicendo in Chriſto nullum fuiſſe præceptum moriendi obligans in conſcientia ſic Lorca diſp. 71. num. 15. citans pro ſe Paludanum, Albertum, Victoriam, & plures Patres Græcos, quam opinionem Eſparza ſequitur lib. 9. q. 32. & iudicat probabilem Arriaga diſp. 42. ſect. 2. ſubſec. 4. ſed verè hæc ſententia, licèt videa-

Digitized by Google

videatur ſaluare aliquo modo libertatem cum impeccabilitate Chriſti Domini, nihilominus nullo modo eſt admittenda; nam ſcripturæ, Patres, & D. Th. apertè ſupponunt in Chriſto fuiſſe præceptum de ſubeunda morte: vnde dum ex vna parte conatur conciliare Chriſti libertatem cum impeccabilitate, ſcripturas, & Patres difficillimè trahere poteſt ad proprium intentum: Etenim Ioan. 10. dicitur. *Hoc mandatum accepi à Patre meo* & cap. 12. *Qui miſit me Pater ipſe mihi mandatum dedit*: & cap. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio*. Ad Philip. 2. *Factus obediens vſque ad mortem mortem autem crucis*; Obedientia autem ſupponit mandatum, vt docet D. Thom. Accedit Auguſtinus tract. 79. in Ioan. & lib. contra ſermon. Arian. cap. 1. qui ex obedientia Chriſti erga Patrem contendebant Chriſtum eſſe inferiorem Patre; & ſic habet. *Quod enim voluntati, & præcepto Patris obediens eſt Filius, nec in hominibus demonſtrat diuerſam, imparemque naturam Patris præcipientis, & obedientis filii: Huc accedit, quod Chriſtus non tantùm Deus eſt, qua natura æqualis eſt Patri, ſed etiam homo, qua natura maior eſt Pater, cuius etiam non ſolùm Pater, ſed Dominus eſt*. Idem docet Ambr. lib. 5. de fide ad Gratian. cap. 5. quare ſic formatur argumentum. Quotieſcumque ſcriptura poteſt in vero, & proprio ſenſu explicari, & nullum ſequitur abſurdum, imo ſic eam intelligunt Patres, taliter etiam eſt intelligenda, ſecus liberum eſſet vnicuiquè ſcripturam explicare eo modo, & ſenſu, quo magis ipſi placeret, quod nullo modo admittendum eſt: atqui ſcriptura, & Patres clarè dicunt in Chriſto fuiſſe præceptum de ſubeunda morte; & idem fere omnes ſcholaſtici pauciſſimis demptis ſentiunt; ergo verum, & proprium præceptum in Chriſto fuiſſe de ſubeunda morte fatendum eſt.

3 Impugnatur 2. hæc ſententia, nam ea data adhuc non ſaluat quomodo Chriſtus fuerit liber in obſeruantia præceptorum naturalium, ad quæ tenebatur; ergo licet admitteremus Chriſtum liberum in ſubeunda morte crucis, eo quod de hac non habuerit præceptum, adhuc remanet tota difficultas, quomodo fuerit liber, & meruerit in obſeruantia aliorum præceptorum.

4 Dices cum Arriaga: hoc argumentum nullo modo impugnare Lorcę opinionem; nam vel præcepta ſunt purè negatiua, & iſta obſeruantur per puram omiſſionem, quæ non eſt meritoria; vnde liber fuit Chriſtus ad ea obſeruãda per actus ſupernaturales, & meritorios; vel ſunt affirmatiua, & hæc non obligant ad actus ſupernaturales, & meritorios, vel ſi obligant non tamen ſemper, ſed in vna, aut alia occaſione; vnde Chriſtus poterat efficere plures actus circa illa, quando non obligabant, quod verò in aliqua occaſione vnus, aut alter actus non fuerit liber, parui eſſe momenti. Sed contra, quia ſaltem in ſententia negante puram omiſſionem ſequitur, quod Chriſtus non fuerit liber in obſeruantia præceptorum negatiuorum, & quod etiam nullo modo fuerit liber in obſeruantia affirmatiuorum, quando ipſa inſtabant, vt obſeruarentur; ergo licèt ſaluet libertatem Chriſti in ſubeunda morte, non ſaluat, quomodo ſtet libertas cum impeccabilitate in obſeruantia aliorum præceptorum, & tamen difficultas a Theologis vniuerſaliter tractatur.

5 Impugnatur 3. Chriſtus non ſolum fuit incapax vllius peccati etiam venialis, ſed etiam omnis imperfectionis poſitiuæ moralis, qualis reperitur in tranſgreſſione aliquarum regularum religioſorum, quæ neque obligant ſub veniali, & qualis imperfectio reperitur in filio, vel ſubdito, ſi cognſcat inclinationem Patris, vel Superioris eſſe, vt ipſe efficiat aliquid, & nihilominus iſte velit facere contrarium: ſed licèt in Chriſto non fuerit præceptum de ſubeunda morte; cognoſcebat tamen Chriſtus inclinationem Patris eſſe, vt ipſe ſubiret mortem; ergo non erat liber: probatur conſequentia; nam vel poterat non mori, & ſic poterat habere imperfectionem illam moralem poſitiuam ſimilem illi, quæ reperitur in tranſgreſſione regularum ad peccatum non obligantium, quod de Chriſto dici non poteſt, vel non poterat non mori; & ſic in morte ſubeunda non fuit liber.

6 Secunda ſententia contendit ſaluare libertatem Chriſti cum eius impeccabilitate in morte ſubeunda, eo quod tale præceptum fuit impoſitum Chriſto à Patre dependenter ab eius voluntate; ita vt in primo inſtanti conceptionis cognita ſimplci voluntate Patris, qua ſibi maximè complacebat in noſtra ſalutè obtinenda per mortem Chriſti, illam ſibi petierit Chriſtus intimari à Patre, & ideo vult liberè exequutũ fuiſſe præceptum, quia illud voluit. ſic Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. diſp. 4. §. 3. Zamel 1. p. quæſt. 22. art. 4. & quidam alij ſed contra neque hæc reſponſio euacuat difficultatem; nam vel Chriſtus cognita voluntate Patris, qua ſibi maximè cõplacebat in noſtra ſalute obtinẽda per mortẽ ipſius, poterat nõ petere à Patre,

vt ſibi intimaret præceptum, vel non poterat non petere: ſi hoc ſecundùm dicas; ergo non fuit liber in petendo, vt de ſe patet; ſi primum ergo poterat diſcordare à voluntate Patris ſibi manifeſtata; hoc autem quis non videat eſſe imperfectionem moralem in Chriſto; ſicuti enim eſt imperfectio poſitiua in ſubdiio, ſi ſciat eſſe Prælati voluntatem, quod aliquid faciat, & nihilominus faciat contrarium; ita fuiſſet in Chriſto, ſi non petijſſet ſibi intimari præceptũ, et potuiſſet eſſe hæc imperfectio, ſi potuiſſet non petere: ergo neque hic modus dicendi vllo modo ſaluat Chriſti libertatatem.

7 Contra 2. Nam de hac poſtulatione nihil habetur in ſcripturis, & ſine fundamento dicitur: tum quia poneretur myſterium noſtræ redemprionis primò, & per ſe dependiſſe ab humana voluntate, non autem à diuina, cum tamen ſcripturæ reducant hoc in diuinā voluntatem. Vnde Ioan. 6. dixit Chriſtus. *Deſcendi Cęlo non vt faciam voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me.* & Matth. 26. *Pater mi, ſi non poteſt hic Calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua*; idem habetur Marc. 14. Lucæ 22. & Ioan. 18. dicitur. *Calicem, quem dedit mihi Pater non bibam illum?* vbi ſemper ſcriptura non in voluntatem Chriſti petentis, ſed in voluntatem Patris reducit præceptum de morte: ergo iſte modus non eſt admittendus.

9 Poteſt etiam reijci; tum quia non ſaluat libertatem Chriſti in obſeruantia præceptorum naturalium; tum quia licèt in petendo præceptum fuerit liber; tamen ipſo poſito non erat amplius liber in executione, & in morte ſubeunda, niſi ex ſuppoſitione petitionis, non autẽ abſolutè; nam poſito præcepto hic, & nunc non erat liber; quemadmodum quis liber eſt, vt ingrediatur aliquem carcerem: at ſi ingrediatur, & cuſtos carceris claudat oſtium, ipſi non eſt amplius liberum, vt exeat; ita, & in propoſito.

9 Tertia ſententia, ſeu modus conciliandi libertatem in præcepto mortis cum eius impeccabilitate, dicit Chriſtũ ideo fuiſſe liberum, quia potuit ex ſua libertate petere diſpenſationem pręcepti iuxta illud Math. 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Sic Lugus diſp. 26. num. 102. quem plures recentiores ſequuntur. Sed contra, quia Chriſtus cognoſcebat determinatam voluntatem Patris, vt moreretur: ergo non potuit petere diſpenſationem ſine peccato: probatur conſequentia: velle efficaciter, & abſolutè oppoſitum voluntatis diuinæ efficacis alicui euidenter notæ eſt actus imprudens, otioſus, & temerarius, & proinde peccaminoſus: ſed Chriſtus cognoſcebat clarè dari in Deo volũtatem efficacem, quod ipſe moreretur; ergo ſine peccato non poterat petere diſpenſationem.

10 Dices ex Lugo, præceptum non obligare Chriſtum ad accipiẽdum illud tunc, quia in illo inſtanti non habebat neceſſitatem patiendi tunc, ſed nec etiã poſtea, quia licèt iam eſſet poſitum pręceptum, & in ſenſu compoſito præcepti non poſſet non pati; poterat tamen Chriſtus tollere illum ſenſum compoſitum, & impetrare diſpenſationem præcepti, & mortem ſimpliciter impedire. Sed contra: quia licèt non fuiſſet neceſſitatus ad acceptandum præceptũ tunc, cognoſcebat tamen tale præceptum eſſe voluntatem efficacem Patris tali loco, & tèmpore adimplendum; ergo pro tali loco, & tempore non poterat petere diſpenſationem; quia petijſſet id, quod videbat eſſe abſolutè contra voluntatem efficacem Patris; ergo ſi non potuit petere diſpenſationem pro tempore, quo inſtabat præceptum moriendi, ſequitur, quod pro tali tempore liberè mortuus non fuerit, quod tamen dici non poteſt, cum ex ſcripturis clarè habeamus, quod liberè Chriſtus mortuus eſt. Contra 2. ſi præceptum moriendi non erat pro tunc, quando mortuus eſt Chriſtus, ſed hoc fuit pro libera ſua voluntate; ergo nõ opus erat tunc diſpenſatione, ſed ſine eo, quod peteret diſpenſationem, poterat, vel facere miracula, vel aliter ſe occultare, & mortem vitare.

11 Quarta ſententia, quæ eſt Ioan. à S. Thom. diſp. 17. ar. 4. & citat pro ſe Bannes, & alios, eſt etiam Gonet diſp. 21. ar. 3. hæc docet, quod cum per præceptum, nec læſa fuerit libertas, nec immutatus fuerit modus operandi liberi arbitrij, cum propoſita fuerit Chriſto mors cum indifferentia obiectiua, nempe cum cognitione bonorum, quæ ex tali morte oriri debebant, & horroris mortis, & cruciatuũ; ex hac indifferentia obiectiua orta fuit in volũtate indifferẽtia formalis, & ideo liberè ſe determinauit ad mortem ſubeundam. Sed contra poſita indifferentia formali in voluntate: vel illa poteſt poſtea non velle mori; & ſic poteſt peccare; vel non poteſt non mori, & ſic non erit libera: hæc conſequentia patet, quia illa voluntas eſt libera, quæ poſitis omnibus antecedenter prærequiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere: ſed poſita vnione, quæ antecedenter per hos Doctores prærequiritur ad operandum, & poſito præcepto non poteſt Chriſtus non velle acceptacepta-

Digitized by Google

ceptare tale præceptum, aut non velle mori, ſecus ſi poſſet velle non mori poſſet peccare; ergo poſita vnione, & præcepto voluntas Chriſti non eſt libera.

12 Dices cum Ioanne à S. Thom.& Gonet locis citatis; quod licèt non potuerit Chriſtus velle non mori in ſenſu compoſito, hoc eſt velle coniungere negationem mortis cum præcepto obligante ad mortem, bene tamen in ſenſu diuiſo, ideſt velle negationem mortis, vt abſtractam à præcepto. Hæc de Verbo ad Verbum Gonet. Sed contra; quia hæc reſponſio nullo modo eſt ad rem: nam hic quærimus quomodo cum impeccabilitate Chriſti Verbo vniti, & præcepto de ſubeunda morte ſtet libertas in exequtione præcepti, quæ eſſentialiter requirit, vt poſſit Chriſtus non exequi præceptum: ſed poſita vnione cum impeccabilitate Chriſtus non poteſt non exequi tale præceptum: ergo liber non eſt: ſi verò dicas eſſe liberum in sẽſu diuiſo, hoc eſt abſtrahendo à præcepto; de hoc non fit quæſtio; & ex alia parte poſſemus dicere, quod amentes, & beati in ſenſu diuiſo ſint liberi; nã ablata amentia, & viſione beata tollitur determinatio ad vnum, & primi non erunt amentes, ſed liberi, & ſecundi non erunt beati, ſed poterunt amare, & non amare Deum, & tamen certum eſt in omnium ſententia, nec amentes, nec beatos circa viſionem habere libertatẽ: ergo vt ſaluetur libertas Chriſti aliter eſt reſpondendum.

13 Quinta ſententia eſt Suarez diſp. 37. ſect. 2. Molinæ 1. part. quæſt. 14. diſput. 18. num. 64. Tanneri diſput. 1. q. 6. dub. 4. hæc dicit ideo Chriſtum liberè mortuum fuiſſe, quia vult impeccabilitatem eius prouenire ab extrinſeca Dei prouidentia, qua tenebatur Deus Chriſto auxilia illa dare, quæ per ſcientiam mediam præuidebat efficacia, vnde deducit, quod ſolum ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ fuerit impeccabilis; hæc autem impeccabilitas, ſeu neceſſitas non peccandi non tollit libertatem, quia deſumitur ex futuritione libera operationis Chriſti; eo modo, quo electo ad gloriam tenetur Deus dare in fine vitæ auxilia efficacia: quæ tamen auxilia non lædunt libertatem. Sed contra: quia falſum eſt, quod Chriſtus tantùm ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ fuerit impeccabilis; nam fuit impeccabilis per vnionem, vt ſupra probatum fuit; hæc autem ſupponitur antecedenter ante ſcientiam mediam, nam ſupponitur vnio ante omnes operationes Chriſti tum in re exercendas; tum ſub conditione in ſcientia media; vnde quando præuiſus fuit Chriſtus per ſolam ſcientiam mediam, præuiſus fuit ſemper impeccabilis; quare eadem difficultas, quæ eſt de facto, eſt etiam in ſcientia media; etenim ſi ſupponamus Deum ſic noſtro modo concipiendi, ratiocinari; ſi ego ponerem Chriſtum à parte rei, & imponerẽ præceptum acceptandi mortem liberè ne acceptaret hoc præceptum, vel non? vidiſſet etiam non potuiſse non acceptare; quia ſi potuiſſet non acceptare, potuiſset peccare; implicat autem, quod Chriſtus potuerit peccare, cum eius ſuppoſitum eſſet Deus. Quare manifeſta eſt diſparitas de prædefinitionibus, & auxilijs efficacibus, ac de vnione; nam prædefinitiones, & auxilia efficacia dantur tantùm in horum Doctorum sẽtentia poſt ſcientiam mediam, & ideo non lædunt libertatem; at vnio eſt ante ſcientiam mediam, & reddit Chriſtum impeccabilem, quomodo ergo potuit imponi Chriſto impeccabili præceptum liberè obſeruandum, ſi eo ipſo, quod poſitum erat non poterat illud non obſeruare?

14 Sexta ſententia eſt Valentiæ hic quæſt. 19. pun. 2. Vaſquez diſput. 74. c. 5. Leſſij, Moncæi, & aliorum, hæc conciliat libertatẽ Chriſti cum impeccabilitate, quia licèt Chriſtus determinatus ſit ad moriendum, fuit tamen liber, & indifferens ad moriendum ex hoc, vel illo motiuo, hoc vel illo loco, hoc vel illo genere mortis. Sed contra: licèt hæc reſponſio non poſſit ita facilè confutari, videtur tamen contra ſcripturas; nam ex his videtur præcepta mors eo modo, quo euenit; nam de genere mortis dicitur ad Philip. *Factus obediens vſque ad mortem mortem autem crucis*; quod aliæ circumſtantiæ fuerint decretæ, conſtat ex Actibus Apoſt. cap. 4. *Conuenerunt in Ciuitate iſta aduerſus puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt.* De tempore Io. 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* & Lucæ 22. *Filius hominus ſecundùm, quod definitum eſt vadit.* Vnde Leo Papa ſer. 7. de Paſs. Domini. *Nulla poterat ratione turbari, quod ante æterna ſæcula, & miſericorditer erat diſpoſitum, & incommutabiliter præfinitum.* Ergo ex ſcripturis clarè deducitur mortem Chriſti ita fuiſse decretam, ſicuti euenit; ſi ergo ita decreta fuit, quomodo meruit, aut fuit liber?

15 Secundò impugnatur ratione. Chriſtus per ipſam acceptationem mortis verè meruit: ſed ſi non fuiſſet liber circa ſubſtantiam mortis, non meruiſſet per ipſam, ſed tantùm quo ad circumſtantias; ergo vt ſaluamus perfectam

libertatem Chriſti, aliter reſpõdendũ eſt.

Sunt aliæ ſententiæ minoris momenti, quæ poſſent recenſeri, verùm cum facilè ſit omnes refutare, ſicuti difficilè eſt aliquam ſtabilire, illis omiſſis, ponam illam, quæ mihi probabilior videtur.

16 Septima ſententia ſaluat libertatē Chriſti in exequtione præcepti cum eius impeccabilitate hoc modo; nempe quod in inſtanti conceptionis Chriſti Deus propoſuit illi ſuum decretum de ipſius morte ſubeunda, & intellectum Chriſti cognouiſſe in morte ſua tamquam in obiecto indifferenti, & rationem boni, ſcilicet humanæ redemptionis, voluntatis diuinæ efficacis hoc volentis, ſatisfactionis æterni Patris, & exaltationis gloriæ ſuæ in toto mundo; & cognouiſſe horrorem mortis, & cruciatuum, hocq; totum illi propoſitum fuiſſe acceptandum pro eo tempore, quod magis ipſi placeret; Chriſtus autem indifferens, & liber ad acceptandam mortem tali, vel tali tempore, eam acceptauit pro eo tempore, loco, & circumſtantijs, quæ magis Deo placerent, remittendo ſe totum in voluntate diuina, vt Deus ipſe decerneret, quod genus mortis, & in quibus circumſtantiis, illam pati deberet. Hunc modum ſaluandi libertatem Chriſti cum ipſius impeccabilitate aliquo modo indicant Arriaga diſp. 42. ſec. 2. ſub ſec. 7. & Amicus diſp. 25. ſec. 3. num. 98. licet hi Doctores tantùm recurrant ad circumſtantiam temporis, quod tempus volunt fuiſſe à Chriſto electum, non autem à Deo prędefinitum.

17 Explicatur, & ſimul probatur reſponſio. Deus mihi reuelet: ſi in hac ætate tua quinquaginta ſeptem annorum non toleraueris martyrium, viues vſque ad annos ſeptuaginta; ſi mihi poſtea Deus hanc gratiam concederet, vt præberet occaſionem martyrii, & illud forti animo pro Deo ſubirem, vel Deo dicerem, ecce ego paratus ſum decerne de me, & de vita mea pro eo tempore, & hora, & de quocumq; genere martyrij malueris, libenter illud ſubibo, & de facto poſtea illud ſubirem eo modo, quo decreuiſſet Deus; certè ego liberè morerer, & ſubſtantia mortis mihi diceretur abſolutè meritoria; etiam ſi poſt tredecim annos deberem neceſſariò vitam finire; ergo etiam propoſito præcepto mortis Chriſto, & illi non indicato tempore, ſed relicta in Chriſti poteſtate electione temporis; ſi Chriſtus totus Dei voluntati conformis dixit, ecce paratus ſum libentiſſimè voluntatem tuam exequi, & ideò decerne tu Domine genus mortis, tempus, locum, & omnes alias circumſtantias; nam libenter mortem ſubibo, certè in hoc perfectiſſimè ſaluatur Chriſti libertas, ſicuti ſaluatur in martyribus, qui tolerant martyrium, ſaluatur præceptum cum Chriſti impeccabilitate, & ſaluatur omnia loca ſcripturæ, quæ dicunt ſubſtantiam mortis, & omnes circumſtantias eius fuiſſe à Deo decretas; igitur modus à nobis adductus ad conciliandam Chriſti libertatem cum præcepto moriendi ſufficiētiſſimus eſt, faciliſque, ideò tenendus.

18 Obijcies primò. Ex Lugo loco cit. num. 94. Si quis propter ſua crimina acciperet ſententiam mortis; ita tamen, vt deberet exequutioni mandari, quando ipſe vellet, etiam poſt multos annos, non diceretur humano modo damnatus ad mortem; ergo etiam in Chriſto, ſi ipſi liberum fuit differre mortem, quomodo volebat, non deberet dici habuiſſe mandatum moriendi, cum tamen ex ſcriptura contrarium habeamus.

Reſpondeo me poſſe concedere antecedens, & negare conſequentiam; nam res ita non ſe habuit in Chriſto; ſed mandatum illi fuit impoſitum moriendi præſcindendo à tempore, & hoc relinquendo in ipſius poteſtate; ipſe autem totus conformis diuinæ voluntati ſe remiſit, & acceptauit mortem eo loco, & tẽpore, & in ijs omnibus circumſtantijs, quæ Deus ipſe prædefiniuit; quia tamen etiam antecedens non ſubſiſtit.

Reſpondeo ſecundò, quod ſi eſſet in libero arbitrio condemnati, vt mors non mandetur exequutioni, niſi cum condemnatus voluerit, vtique hoc eſſet ſententiam eludere, & parum quis curaret de tali ſententia: at ſi quis haberet ſpem moralem viuendi triginta annos, & libertas eligendi mortem eſſet tantùm viginti annorum, vtique in rigore diceretur condemnatus, & ſi quis voluntariè poſtea anticiparet tempus mandandi exequutioni ſententiam certè ille diceretur liberè mortuus; quemadmodum martyres, licèt certi ſint, quod debeant mori, dum tamen pro Chriſto volunt anticipatè mori, liberè vitam profundunt; & multò magis hoc dicendum de Chriſto, qui totus diuinæ voluntati ſe commiſit, & periit vt ipſe Deus decerneret quidquid magis ipſi placeret.

19 Obijcies ſecundò, argumentum difficile, & commune, ratione cuius Doctores in tam varias abiere ſentẽtias. Chriſtus liberè impleuit præceptum; ergo potuit peccare, quamuis infallibiliter non eſſet peccaturus: probatur conſequentia; ſi liberè impleuit; ergo potuit

tuit non implere; ſed poſſe non implere eſt poſſe peccare; ergo ſi liber fuit, non fuit impeccabilis, ſed potuit peccare.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ad probationem, concedo antecedens, cum ſua conſequentiā, & diſtinguo ſubſumptum: poſſe non implere vrgente præcepto eſt poſſe peccare, concedo ſubſumptum: non vrgente præcepto, nego ſubſumptum; ergo &c. negatur conſequentia, etenim quando fuit intimatum Chriſto, & ab ipſo acceptatum, cum poſſet illud non acceptare, non vrgebat præceptum; nam illi fuit intimatum preſcindendo à tempore, & erat in poteſtate Chriſti eligere tempus, cum autem Chriſtus tale præceptum acceptauerit abſolutè iuxta beneplacitum Patris, hinc eſt, quod etiam liberè adimpleuit præceptum, & ſolùm neceſſariò ex ſuppoſitione, quod illud acceptauerit, illud adimpleuit, quæ neceſſitas eſt tantum ex ſuppoſitione, & conſequens, quę non tollit libertatem; vt patet in libertate Dei, ex eo quod ab æterno decreuerit creare mundum in tempore, debuit illum creare, at liberè creauit, quia liberè ad illum creādum ſe determinauit; cum potuerit non ſe determinare, ita & Chriſtus liberè mortuus eſt, quia liberè ſe ſubmiſit voluntati Patris, & mandatum acceptauit, quæ voluntas numquam fuit in ipſo mutata, & ideò etiam in tēpore liberè illud adimpleuit, & oblatus eſt, quia ipſe voluit, & liberè voluit.

ARTICVLVS VII.

An in Chriſto fuerit libertas cum viſione beatifica.

1 HAec quæſtio preſertim eſt de actu charitatis, an ſtante viſione beatifica potuerit eſſe liber, & meritorius; nam ex viſione beatifica, cum beati neceſſariò diligant Deum, & Chriſtus fuerit ab inſtanti ſuæ conceptionis beatus, videtur dicendum, quod in actibus charitatis erga Deum non fuerit liber, vnde propter hoc argumentum in varias abiere Doctores ſententias.

2 Vaſquez diſput. 74. cap. 3. citans Alexandrum, Antiſiod. Bonauent. Paludanum, Scotum, & alios negat Chriſtum fuiſſe liberum in actu dilectionis Dei, & conſequenter per hunc actum nullo modo meruiſſe.

Lorca diſpu. 72. concl. 2. & Cipullus 3. par. q. 19. ar. 3. dub. 2. duos actus charitatis in Chriſto ponunt regulatos à viſione beata, vnum quo bona Deo intrinſeca dilexit, & hunc volunt fuiſſe ſemper neceſſarium; alium, quo bona extrinſeca ipſi voluit, vt gloriam, honorem, obedientiam, & laudem, quæ illi à creaturis exhibentur, & hunc voluntatis ſuiſſe liberum, & per hunc meruiſſe, non per primum.

Soto lib. 3. de natura, & gratia cap. 7. Medina hic ar. 3. Suarez diſp. 39. ſect. 2. Orlandus diſp. 7. quæſt. 1. Ioan. à S. Tho. diſp. 17. ar. 3. nu. 13. & apud ipſum Zumel, Capreolus, Ferrarienſis, & alij, ponunt duos actus charitatis erga Deum in Chriſto, vnum regulatum à ſcientia infuſa, & dicunt eſſe liberum, alterum regulatum à beata, & dicunt eſſe neceſſarium, quam opinionem reputat probabilem Arriaga diſp. 41. ſec. 4. dummodo ſupponatur, quod ſcientia infuſa præcedat beatam.

Capreolus in 3. diſt. 18. ar. 3. Bannes 2. 2. q. 24. ar. 3. Gonet diſp. 21. ar. 2. & apud ipſum Aſturicenſis, Nazarius, Aluarez, Arauius, Lugo diſp. 27. ſec. 1. Arriaga loco cit. & alij volunt eumdem actum charitatis poſſe eſſe neceſſarium, & liberum, neceſſarium, quatenus terminatur ad eſſentiam diuinam, liberum vero, quatenus terminabatur ad bonitatem diuinam prout eadem erat ratio volendi redemptionem generis humani per ſuam mortem.

3 Concluſio prima. Etiam ſtante viſione in Chriſto fuit libertas circa aliquos actus; eſt communis inter Doctores, & clarè patebit infra quæſt. ſequenti, dum de merito Chriſti agemus; nam in Chriſto fuit propriiſſime meritum: ſed meritum eſſe non poteſt ſine libertate, vt probatum fuit in tractatu de gratia quæſtione de merito; ergo ſi in Chriſto fuit meritum, fuit etiam libertas circa aliquos actus. Confirmatur; quia Chriſtus non tantùm fuit comprehenſor, ſed etiam viator; ergo ſicuti in Beatis vltra actus neceſſarios, quibus diligunt Deum admittimus plures actus liberos, multò magis hoc dicendum eſt de Chriſto, qui non tantùm erat comprehenſor, ſed etiam viator.

4 Concluſio ſecunda. Etiam aliquos actus charitatis circa Deum liberè exercuit Chriſtus. Probatur: ſi non poteſt eſſe actus charitatis liber circa Deū, maximè quia poſita clara viſione Dei, in quo eſt ratio ſummi, & infiniti boni voluntas Chriſti debet neceſſariò ferri in ſummum bonum, & illud neceſſariò amare, eo modo, quo faciunt Beati, qui eo ipſo, quod clarè vident diuinam eſſentiam, neceſſariò etiam Deum amāt, & hoc à fortiori dicendum de Chriſto,

Digitized by Google

qui perfectiori modo in infinitum videt Deum, quam quilibet alius Beatus videat; ſed hæc ratio non tollit, quo minus non poſſit Chriſtus eumdem Deum amare, etiam per actum charitatis liberum; ergo, ſi eſt poſſibilis talis actus liber, eſt ponendus in Chriſto, vt in ipſo ſaluemus perfectam rationem meriti ab actu charitatis proceſſiſſe: maior patet: probatur minor: Chriſtus non tantùm fuit comprehenſor, ſed etiam viator; ergo ſicuti Chriſto comprehenſori repræſentabatur diuina eſſentia ſub ratione ſummi, & infiniti boni clarè, & ideò neceſſariò illam ſummam bonitatem amabat tamquam præſentem, & poſſeſſam, ita eidem vt viatori repræſentabatur eadem diuina eſſentia per ſcientiam infuſam, non tamen clarè ſub ratione ſummi boni, ſed vt acquiſibilis per mortem ſuam, & crucem; ergo vt liberè amabilis; probatur hæc vltima conſequentia: quia illud obiectum eſt liberè amabile, in cuius aſſequutione adeſt aliqua difficultas: ſed Chriſto vt viatori repræſentabatur diuina eſſentia non clarè, ſed vt acquiſibilis cum magna difficultate, nempe per crucem, & mortem ſuam; ergo diuina eſſentia ſic Chriſto viatori repræſentata erat liberè ab ipſo amabilis.

5. An verò Chriſtus amauerit neceſſariò, & liberè Deum per plures actus, quorum vnus fuerit liber, alter neceſſarius, vt docent Soto, Medina, Suarez, & alij ſupra citati, vel per vnicum charitatis actum, qui eſſet ſimul neceſſarius, & liber, prout dicunt Capreolus, & alij vltimo loco citati; exiſtimo probabiliter dici poſſe vtrumq; poteſt ſuſtineri primum, quia ſicuti in Chriſto eſt ſcientia beata, infuſa, & acquiſita; ad beatam ſequitur amor neceſſarius Dei, eo quia per illam repræſentatur Chriſto diuina eſſentia ſub ratione omnis, & infiniti boni: ad infuſam, & acquiſitam ſequitur amor liber, quia per has ſcientias cognoſcitur diuina eſſentia, non clarè, ſed vt acquiſibilis per obſeruantiam præceptorum, crucem, & mortem. Poteſt etiam dici ſecundum, quia ſicuti amor increatus eſt neceſſarius in Deo, vt terminatur ad ipſam diuinam eſſētiam, & ad omnes perfectiones intrinſecas, & neceſſarias Dei; eſt verò liber vt terminatur ad creaturas, & ad perfectiones extrinſecas Dei; ita idem actus amoris à Chriſto elicitus, vt terminatur ad diuinam bonitatem, & perfectiones intrinſecas Dei, eſt neceſſarius; vt verò terminatur ad ipſam diuinam eſſētiam, vt eſt ratio diligendi creaturas, & perfectiones extrinſecas Dei, eſt liber.

6 Obiicies primò. Chriſtus erat beatus, & neceſſariò, vt talis, amabat Deum; ergo etiam neceſſariò amabat media ab hunc finem: huiuſmodi autem ſunt omnes actus, quibus nos redemit.

Reſpondeo hoc argumentum nimis probare; etenim probaret Chriſtum nullo modo meruiſſe in redemptione noſtra; cum meritum eſſe non poſſit ſine libertate. Dico igitur, quòd Chriſtus non tantùm erat beatus, ſed etiam ex diuina diſpenſatione factum fuiſſe, vt ſimul eſſet viator; vnde quatenus beatus neceſſariò amabat Deum, nec non poterat amare media, quæ ipſi vt beato conueniebant ad hunc finem; quatenus verò erat viator, habuit diuerſam ſcientiam à beata, per hanc ipſi non repræſentabatur Deus clare, vt acquiſibilis ſub omni ratione boni; nam inter media erant dolores, cruciatus, & mors ipſius; & ideò hoc totum, ſcilicet Deus, vt acquiſibilis per hæc media, poterat liberè amari, & de facto ita contigit; vnde quemadmodum diuina diſpenſatione factum eſt, vt in eadem anima, & eſſet ſumma lætitia ex viſione beatifica, & ſumma mæſtitia ex morte; ita in ipſo, vt beato, fuit amor neceſſarius erga Deum, vt viatori verò, actus amoris liber.

7 Dices primò. Iſti duo actus amoris, vel diſtinguuntur numero, vel ſpecie; non ſpecie, quia verſantur circa idem obiectum; non numero, quia duo accidentia ſolo numero diuerſa non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; ergo non dantur iſti duo actus amoris in Chriſto. Sed contra reſpondeo, quod extrinſecè diſtinguuntur ſpecie, quia vnus eſt neceſſarius, alius liber; libertas autem, & neceſſitas non ſunt quid intrinſecum, ſed extrinſecum ipſi actui, vt dictum fuit in tractatu de actibus humanis: intrinſecè verò diſtinguuntur ſolo numero; falſum autem eſt eos non poſſe eſſe in eodem ſubiecto, etiam naturaliter, vt ſunt duæ ſpecies duorum ouorum, quæ ſunt in eadem indiuiſibili pupilla oculi; & hoc præcipuè verum eſt, quando ſunt in ordine ad diuerſa connotata, & non præbent omnino eumdem effectum formalem, vt ſunt hi duo amores in Chriſto. Duo accidētia ſolo numero diuerſa poſſūt eſſe in eodem ſubiecto.

8 Dices ſecundò ex Arriaga. Voluntas, quæ ex vehementiſſima cognitione obiecti ſummi boni eſt determinata ad amorem illius non redditur libera per hoc, quod ſequatur alia cognitio minus clara de eodem obiecto; ergo ſi volūtas Chriſti per ſcientiam beatam eſt determinata ad amorem Dei, per ſcientiam infuſam non poteſt eſſe libera. Sed contra, reſpondeo diſtinguendo ante-

antecedens, non redditur libera, ſi alia cognitio repræſentet idem obiectum minus claré, ſed eodem modo acquiſibile, concedo antecedens; ſi repræſentet minus claré, & vt acquiſibile per dolores, & mortem crucis, nego antecedens; hoc autem modò repræſentat Deum, vt acquiſibilem, ſcientia infuſa, & acquiſita, & cum in hoc totum tendat voluntas, non tendit neceſſariò, ſed liberè.

9 Obiicies ſecundò. Chriſtus ex beatifica viſione ſēper videbat omnia, quæ ſingulis momentis operari debebat; ergo ex hac viſione erat determinatus ad operandum, quia videbat ſe non poſſe reſiſtere illi cognitioni; ergo nulla fuit indifferentia in voluntate. Confirmatur, quia non ſolùm videbat anima Chriſti quid ſingulis momentis actura erat, ſed etiam hæc omnia fuiſſe à Deo prædefinita, & minimè poſſe, aut tali decreto repugnare, aut non conſentire; ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ſemper videbat &c. ita vt viſio eſſet cauſa futuritionis operum, quæ operari debebat Chriſtus, aut immutaret modum operandi ipſius voluntatis, nego antecedens: ita vt iam ſupponerentur futura, & liberé futura; concedo antecedens; ergo &c. negatur conſequentia; fateor enim vidiſſe omnia futura, ſed quia erant iam futura liberè, ideò non immutauit modum operandi. Quemadmodum Deus nunc videt quid ſit futurum craſtina die, & ego præuideo quid ſim facturus hodiè, & tamen hæc præuiſio Dei, & mea non tollit libertatem; ita & in Chriſto dicendum eſt. Ad confirmationem nil officit, quod Deus omnia prædefinierit; nam hoc factum fuit ſuppoſita ſcientia conditionata, vt dictũ fuit in tractatu de Deo, q. 6. & non immutauit modum operandi intrinſecum eius. Ideò &c.

10 Obiicies 3. quod idem actus non poſſit eſſe liber, & neceſſarius. Ille actus eſt vnus indiuiſibilis, prout terminatur ad bona intrinſeca, & extrinſeca; ergo vel totus eſt neceſſarius, vel totus liber.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: ille actus eſt vnus, & indiuiſibilis, & ſecundùm entitatem, & ſecundum terminationem, nego antecedens: ſecundùm entitatem, ſed non ſecundùm terminationem, concedo antecedens; ergo &c. negatur conſequentia; nam eadem entitas actus, vt terminata ad diuinam eſſentiam, & ad perfectiones intrinſecas eius, eſt neceſſaria, vt terminata ad bona Deo extrinſeca, eſt libera; vt patet de actu diuinæ voluntatis increato; fateor tamen clariorem eſſe reſponſionem, ſi dicamus fuiſſe duos actus, vt ſupra dictum eſt; & de hac difficultate ſatis.

11 Quæres, an Chriſtus debuerit ſemper eligere perfectiora?

De hac difficultate fusè tractant Lugus diſp. 19. ſect. 10. & Arriaga diſp. 43. Verum non videtur quæſtio tanti momenti, & quæ facilè non poſſit decidi ex dictis de voluntate Dei. Verum noto, quòd aliud eſt, an Chriſtus potuerit facere aliquam imperfectionem moralem, quæ tamen non ſit peccatum; aliud eſt, an Chriſtus potuerit eligere actum minus perfectum, hoc eſt, qui in ſe aliquam perfectionem moralem includat, ſed non tantam, quantam includit alius, v. g. actus humilitatis, caſtitatis, obedientiæ, &c. ſunt actus boni, ſed non ſunt ita boni, ac ſint actus charitatis; item actus charitatis vt octo eſt bonus, ſed non ita bonus, ac actus charitatis vt centum; actus autem continens imperfectionem moralem, quæ tamen non ſit peccatum, eſt actus, qui licèt non ſit contra præceptum diuinum, eſt tamen cõtra id, quod in vſu eſt apud homines benè morigeratos, v. g. ſi quis ab aliquo vrbanè ſalutetur, ſalutationem non reddere, & aliqui explicant exemplo tranſgreſſionis illarum regularum, quæ apud varias religiones neque obligant ad veniale.

12 Reſpondeo. Actus, qui licèt non ſint peccata, ex obiecto tamen apud homines ſapientes, & morigeratos cenſentur imperfecti, nõ potuiſſe efficere Chriſtũ, potuiſſe tamen efficere actus bonos, licèt non eſſent ita perfecti, ac alij tunc poſſibiles. Probatur prima pars; nam in Chriſto fuit ſumma ſanctitas; ergo tales actus imperfectos non potuit efficere: probatur conſequentia, ſecus non fuiſſet ſumma ſanctitas; nam potuiſſet excogitari alia, quæ haberet repugnantiam cum his actibus imperfectis, & hæc eſſet maior. Confirmatur: qui ſimiles actus imperfectos efficit, poteſt denominari imperfectus, ſic Religioſus, qui ſeruat vota, ſed non regulas imperfectus dicitur; ſic qui in ciuili conuerſatione inhumanè ſe gerit, licèt non peccet, imperfectus dicitur; quæ non poterant cõuenire Chriſto, tum ratione ſanctitatis increatę, tum ratione ſummæ ſuę ſapiẽtiæ, qua clariſſimè cognoſcebat in ſingulis occaſionibus quid agendum, quidue omittendum eſſet.

13 Secunda pars probatur: quia ſanctitas Chriſti non eſt maior, quam ſanctitas Dei, imò minor; nam Chriſtus fuit ſanctus per vnionem, Deus autem

per

Digitized by Google

per eſſentiam: ſed hoc non obſtante omnia attributa Dei ratione noſtra non ſunt æquè perfecta, ſic perfectior eſt ratione noſtra potentia producendi Angelum, quam potentia producendi lapidem, & tamen ambæ iſtæ potentiæ ſunt in Deo, & idem dicendum de attributis, & relationibus, imò quamplures volunt relationes formaliſſimè ſumptas nullam dicere perfectionem, & tamen ſunt formaliter in Deo; ergo etiam Chriſtus potuit elicere actus perfectos, v. g. humilitatis, patientiæ &c. omiſſis perfectioribus religionis, vel charitatis; ſuppono enim non habuiſſe pręceptum ſemper eliciendi actus perfectiſſimos, ſed liberum ei fuiſſe, eos elicere, vel omittere.

QVÆSTIO VIII.

De merito Chriſti.

DE his, quæ alibi tractata ſunt, & de conditionibus ad meritum requiſitis nihil hic dicemus, videantur, quæ iam dicta ſunt in tractatu de gratia, quæſt. de merito; ſolùm ergo quædam huius loci propria adiungemus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Chriſtus meruerit in primo inſtanti ſuæ conceptionis, & quando deſierit eius meritum.

1 SVppono ad meritum verum requiri, quod actus ſit liber, ſupernaturalis, procedat à perſona digna, & quæ ſit in via, vt explicatum fuit de merito in tractatu de gratia; cum igitur in Chriſto fuerit libertas, vt ſupra probatum fuit, actus fuerint ſupernaturales, fuerit perſona digna, & amica non ſolùm per gratiam ſanctificantem, ſed multò magis per vnionem, & licèt fuerit comprehenſor, nihilominus fuerit etiam viator; hinc eſt, quod in Chriſto fuit verum, & proprium meritum.

2 Dices. Meritum debet procedere ab anima, & voluntate: ſed Chriſti anima fuit beata ab inſtanti conceptionis, & Chriſtus erat viator tantùm ſecundum corpus; ergo in Chriſto non potuit eſſe meritum. Sed contrà, quia anima Chriſti dupliciter conſiderari poteſt, vel vt habebat eſſe independenter à corpore, & operabatur independenter ab ipſo, & ſub hac ratione fuit beata ab inſtanti conceptionis, vel vt informabat corpus paſſibile, & mortale, & ſub hac ratione Chriſtus erat viator, etiam ſecundùm animam; vnde ſub hac ratione anima eius fuit capax triſtitiæ, & cruciatuum, quare dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Et ſub hac ratione etiam fuit propriiſſimè capax meriti, non quidem ratione diuinæ naturæ, ſed ratione naturæ humanæ aſſumptæ, qua poterat ſe ſubijcere Deo, vt ſuperiori, & ab ipſo expectare præmium. Hoc poſito.

3 Prima ſententia negat, Chriſtum in inſtanti ſuæ conceptionis meruiſſe, ſic Alenſis 3. par. q. 17. memb. 2. ar. 1. Albertus Magnus in 3. diſt. 18. art. 6. Bonauentura ibidem art. 10. quæſt. 2. & Durand. qu. 2. inſuper Capreolus, Holcot, Henricus, & alij, quos citat Vaſquez diſp. 75. cap. 1.

Secunda communis affirmat Chriſtum in primo inſtanti ſuæ conceptionis meruiſſe, ſic expreſsè D. Thom. infra quæſt. 34. at. 3. omnes Thomiſtæ, Scotus in 3. diſt. 4. quæſt. vnica, §. *Eſt igitur*, Scotiſtæ communiter, Vaſquez diſp. 75. cap. vltimo, Suarez diſp. 39. ſec. 3 Lugus diſp. 27. ſect. 4. Amicus diſp. 26. ſect. 5. Arriaga, Eſparza, & communiter ceteri ſcholaſtici.

4 Concluſio prima. Chriſtus Dominus verè, & propriè in primo inſtanti ſuæ conceptionis meruit. Probatur ex illo ad Hebręos 10. vbi de Chriſto Apoſtolus habet: *Ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, &c. tunc dixi ecce venio; in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam;* & concludit Apoſtolus: *In qua voluntate ſanctificati ſumus.* Sed primus ingreſſus in mundum fuit per carnis aſſumptionem, iuxta illud Ioann. 16. *Exiui à Patre*, nempe per æternam proceſſionem, *Et veni in mundum*, per temporalem generationem, & talem locum ſic explicat D. Thom. ſuper cap. 10. ad Hebræos, & D. Anſelmus dicens: *Ingrediens mũdum ſine retardatione ſe obtulit Patri ſpontaneè, dum primò hanc hoſtiam ſolam ſibi placere conſiderauit.*

5 Probatur ratione, quia Chriſtus in primo inſtanti habuit omnia ad meritum requiſita; nam fuit liber, vt ſupra oſtenſum fuit, habuit vnionem, qua infinitè ſanctificabatur, habuit actum ſupernaturalem, & fuit voluntas per ſcientiam infuſam in eodem inſtanti expedita; ergo eliciẽdo actum liberum, & ſupernaturalem verè meruit.

6 Dices: Chriſtus in inſtanti conceptionis non habuit diſpoſitionem omnium organorum, vt poſſet operari; ergo nec mereri, cum meritum non poſſit eſſe ſine operatione. Sed contrà, quia Chriſtus habuit ſcientiam infuſam, qua poterat vti pro libito ſuo independen-

ter

ter à phantaſmatibus, vt ſupra diximus de ſcientia Chriſti.

7 Concluſio 2. Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis, & toto tempore vitæ ſuæ vſque ad inſtans mortis ſemper meruit: eſt communis, & colligitur clare ex Scripturis, & Patribus, quibus tamen omiſſis, cum ſit ex ſe clara. Probatur ratione, quia Chriſtus in merendo dependebat à ſcientia infuſa; vndè toto tempore vitæ ſuæ poterat ſemper operari, nec eius meritum debuit interrumpi per ſomnum, aut per infantiam, ſed totum tempus vitæ ſuæ durauit; hoc enim facit ad maiorem Chriſti perfectionem, & ad oſtendendam eximiam charitatem ſuam; vndè ſicuti Angelis concedimus meritum toto tempore viæ, ita multo magis id eſt concedendum Chriſto.

8 Obijcies 1. Chriſtus in primo inſtanti non potuit operari; ergo neque mereri: Probatur antecedens, quia operari ſequitur eſſe; ergo in primo inſtanti fuit eſſe, non operatio.

Reſpondeo negando antecedens; ad probationem dico, quod ſufficit ſi eſſe præcedat pro priori naturæ, nec eſt neceſſaria prioritas temporis, vt patet de ſole qui in eo inſtanti, in quo productus fuit, etiam mundum illuminauit.

9 Obijcies 2. Actus meritorius debet eſſe liber: ſed in primo inſtanti non potuit Chriſtus elicere actum liberum, nam hic requirit indifferentiam, & conſultationem mediorum cum diſcurſu, quæ omnia non potuerunt eſſe in primo inſtanti.

Reſpondeo ſufficere indifferentiam in priori naturæ, de reliquo Chriſtus habuit perfectiſſimam cognitionem per ſcientiam infuſam: vndè ei non fuerat opus conſultatione, & diſcurſu, ſed in eodem inſtanti ſe determinauit.

10 Dices cum Henrico: indifferentia eſt carentia, & negatio determinationis; ſed implicat, quod in eodem inſtanti temporis ſint ſimul carentia, & negatio determinationis cum ipſa determinatione; ergo implicat, quod in eodem inſtanti temporis ſit indifferentia ad determinationem, & determinatio, ſeu meritum.

Reſpondeo negando maiorem; nam hæc indifferentia in volũtate nihil aliud eſt niſi, quod intellectus cognoſcat in obiecto rationem boni, & mali, & quod tale obiectum proponat voluntati, quæ eo ipſo eſt indifferens, & poteſt ſe in eodem inſtanti determinare; vndè propriè nõ eſt carentia determinationis, niſi velimus eam dicere carentiam præciſiuam, non formalem, hoc eſt ſe tenentem ex parte noſtri modi concipiendi, non in re ipſa; nam in re ipſa nihil aliud eſt, quam clariſſima cognitio obiecti voluntati propoſiti, quæ poſtea potens eſt agere, & non agere; vndè hæc indifferentia eſt potẽtia actiua apta agere, & nõ agere, non negatio determinationis, niſi præciſiuè loquendo, potentia autem poteſt eſſe ſimul tempore cum ſuo actu, vt patet de libertate Dei, in quo concipitur indifferentia cum ſit liber, & tamen ſemper fuit in perfectiſſimo actu.

differen- non eſt ratia de- minatio.

11 Vtrum verò Chriſtus per inſtans mortis meruerit, dubium eſt: poteſt vtrũque dici; & quidem, quod meruerit videtur colligi ex ſcripturis; *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis*, & ſubiunxit. *Propter quod, & Deus exaltauit illum*. Quod ſi dicas, Chriſtum in illo inſtanti non fuiſſe viatorem, ſed in termino viæ poſſum reſpondere ſtatum viæ durare vſque ad terminum vitæ incluſiuè.

12 Dices: in inſtanti mortis anima non erat corpori vnita; ergo tunc non meruit. Poteſt negari antecedens dicendo, quod inſtans mortis fuit vltimũ ſui eſſe; & hanc opinionem docet Caietanus infra q. 50. art. 6. ad 1. quem ſequitur Hurtadus diſp 63. ſect. 10.

13 Probabilior tamen ſententia docet; Chriſtum meruiſſe in cauſa per voluntatem acceptandi mortem, non verò pro eo inſtanti, quo intelligitur mortuus; docent enim communiter Philoſophi, quorum principia ſequuntur Theologi, hominem mori per primum ſui non eſſe, & ita etiam Chriſtum mortuum eſſe, quo principio dato; cum verum ſit dicere, quod pro tali inſtanti anima non ſit vnita corpori, etiam verum erit dicere, pro tali inſtanti non poſſe eſſe meritum, & hanc ſequuntur communiter Thomiſtæ, Ioan. à S. Tho. & Gonet hic, Suarez, Vaſquez, & ferè omnes alij; quare quando ſcriptura dicit per mortem Chriſtum meruiſſe, loquitur de paſſionibus antecedentibus ad inſtans vltimum mortis.

14 Vtrum vulnus lanceæ inflictum corpori fuerit meritorium: Patres quos allegat Vaſquez diſp. 76. cap. 2. videntur ita ſentire, dum dicunt Sacramẽta nouæ legis è Chriſti latere manaſſe. Verùm in ſe non fuit meritorium, quia nec corpus examine, nec anima ſeparata erant capacia meriti; fuit tamen meritorium in cauſa, quatenus præuiſum fuit à Chriſto, ab ipſo libentiſſimè acceptatum, & æterno Patri oblatum.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Quid ſibi meruerit Christus.

1 Vnionem hypoſtaticam non ſibi meruiſſe conſtat ex dictis ſupra quæſt. 3. ar. 5. inſuper Chriſtum meruiſſe ſibi continuationem propriæ vnionis per totam æternitatem, extenſionem ipſius ad omnes partes, quæ aggenerabantur, & reparationem eiuſdem in reſurrectione, conſtat ex dictis eadem quæſtione art. 7. Nunc videndum eſt, an ſibi meruerit gloriam animæ eſſentialē, gratiam habitualem cum alijs habitibus ſupernaturalibus.

2 Prima ſententia dicit, Chriſtum non ſolum non meruiſſe gratiam habitualem, & gloriam eſſentialem, alioſque habitus ſupernaturales, ſed implicare contradictionem, quod potuerit iſta mereri. Ita Medina hic ar. 3. q. 5. concl. 4. Nazarius controu. vnica p. 7. concl. 2. Cabrera diſp. 7. §. 4. Ioan. à S. Thom. diſp. 18. art. 1. idem videntur ſentire, Scotus in 3. diſt. 18. q. vnica, §. hoc viſo, & plures Scotiſtæ, Gabriel, Henricus, & alij, quos citat, & ſequitur Vaſquez diſp. 78. cap. 3.

Secunda ſententia communior inter Theologos eſt, Chriſtum de facto gratiam, & gloriam non meruiſſe, non implicare tamen contradictionem, quod potuerit hæc dona mereri. Ita Suarez diſput. 40. ſect. 1. & 2. Albertus Magnus, Baſſolis, Maior, & alij apud ipſum, Cipullus hic art. 3. Gonet. diſp. 21. art. 5. & alij.

Tertia ſententia affirmat de facto, Chriſtum, gratiam, & gloriam promeruiſſe. Sic Altiſiodorenſis lib. 1. tract. 1. cap. 7. Maior. in 3. diſt. 18. qu. 2. Baſſolis, Theophylus Raynaudus apud Gonet loco cit. & cenſet probabilem Suarez loco cit. ſect. 2.

3 Concluſio 1. non implicat Chriſtum hæc omnia dona mereri potuiſſe per aliquod opus, quod prius natura antecederet illa, quamuis ſimul, & in eodem inſtanti darentur propter tale meritum. Probatur: quia non eſt neceſſe, quod meritum anteceedat tempore præmium, vt videre eſt in merito iuſtorum, & aliquo præmio illorum; etenim iuſtus meretur per opera bona augmentum gratiæ, & tamen in eodem inſtanti, in quo illud meretur, etiam illud recipit, vt communiter docent Theologi; ergo etiam in Chriſto idem potuit contingere, quod ſcilicet prius natura eliceret actum aliquem, quo hæc dona meruerit.

4 Solum reſtat, vt explicemus modum, quo ſe potuit diſponere Chriſtus, ſic autem explicatur. Nam ante omnia in inſtanti conceptionis potuit eleuari intellectus animæ Chriſti ad cognitionem aliquā abſtractiuam Dei per ſcientiam infuſam, & ſimiliter præberi auxilium voluntati, vt per liberum arbitrium ſe diſponeret ad ſuſceptionem gratiæ, & donorum eo modo, quo nunc eleuatur voluntas hominis in inſtanti iuſtificationis, quæ diſpoſitio natura præcedit infuſionem gratiæ; ita & in Chriſto hoc fieri potuit; cum hac tamen differentia, quod in hominibus hoc meritum non poteſt eſſe de condigno, quia ad hoc requiritur, quod ſint prius ſancti, quod fit per gratiam habitualem, in Chriſto autem, quia erat iam gratus per perſonalitatem, erat de condigno. Ex quo patet Chriſtum potuiſſe, & gratiam, & gloriam mereri, & omnes alios habitus ſupernaturales, exceptis tamen primo auxilio adiuuante, & prima cognitione, quæ non potuerunt cadere ſub meritū, quia ante primam cognitionem, & ante primum actum liberum ſupernaturalem impoſſibile eſt dari meritum; cum omne meritum in actu libero fundetur.

5 Concluſio 2. Probabile eſt de facto Chriſtum, & gratiam habitualem, & gloriam, & alios habitus ſupernaturales meruiſſe. Quo ad gratiam, & habitus ſupernaturales gratiam comitantes videtur aperta mens D. Thom. infra q. 34. art. 3. vbi probat Chriſtum fuiſſe ſanctificatum more adultorum per proprium motum liberi arbitrij in Deum: atqui talis actus fuit meritorius, cum haberet omnes conditiones ad meritum requiſitas; ergo ex mente D. Thom. Chriſtus de facto meruit ſuam gratiam habitualem, & idem dicendum de alijs habitibus gratiam comitantibus.

6 Dices cum aliquibus Thomiſtis per talem actum Chriſtum non meruiſſe, quia ſolum natura gratiam præceſſit; meritum autem tempore debet præcedere præmium. Secundò cum alijs: Chriſtum per talem actum non meruiſſe; quia talis actus non præceſſit gratiam, ſed tantùm fuit concomitans. Tertiò cū Medina: Ideo talem actū non meruiſſe, gratiam hbitualem; quia vt meritorius eſſet gratiam neceſſariò ſupponebat. Quartò cum Goneto, quia vt illi actus connaturaliter elicerentur ab anima Chriſti, debuerunt procedere à gratia habituali, vt à principio *quo*, & cum principium meriti non cadat ſub merito; hinc eſt quod Chriſtus non meruit. Sed contra: prima, & ſecunda reſponſio non ſubſiſtunt; nam augmentum gratiæ datur vt præmium, & tamen datur

datur in eodem inſtanti cum merito; ergo non eſt neceſse, quod meritum tempore præcedat prçmium, ſed ſufficit ſi natura præcedat; neque tertia reſponſio eſt ad rem, quia ideo in nobis gratia ſupponitur ad meritum, quia ſine gratia ſubiectum non eſt gratum, & amicum, at Chriſtus erat iam gratus per perſonalitatem. Neque quarta reſponſio ſubſiſtit, nam ſupponit ſemper gratiam habitualem eſse principium actus ſupernaturalis, quod tamen falſum eſt; nam ſufficit gratia adiuuans ad producendum actum ſupernaturalem, vt conſtat in illis, qui primò iuſtificantur: actus enim contritionis non elicitur à gratia habituali, ad quam diſponit, ſed à gratia actuali, vt dictum fuit in tractatu de gratia.

7 Probatur à quibuſdam concluſio ex varijs locis ſcripturæ: ſed verè hæc loca non probant intentum; nam facilè explicantur de gloria corporis, & de exaltatione nominis ſui.

8 Probatur ergo ratione. Non implicat Chriſtum hæc omnia meruiſse; vt vidimus in præcedenti concluſione; ergo de facto illa meruit: probatur conſequentia, quia perfectius eſt habere gratiam, & gloriam ex proprijs meritis, quam ſine illis; ergo cum Chriſto debeamus concedere omnem perfectionē poſſibilem, & omni modo perfectiori, quo poſſibilis eſt, debemus fateri Chriſtum hæc omnia meruiſse.

9 Dices 1. Modum habendi gratiā, & gloriam per meritum præiudicare maiori perfectioni, & dignitati Chriſti, nam debuiſset Chriſtus his perfectionibus aliquando carere: ſed aliquando carere his perfectionibus magis minueret dignitatem Chriſti, quam meritum illam augeret; ergo melius fuit Chriſto illas perfectiones habere ſine merito, quam cum merito. Sed contra, quia non eſt neceſse, vt meritum tempore antecedat præmium, ſed tantùm natura, vt patet in iuſto merente augmentum gratiæ; ergo non erat neceſſarium, vt Chriſtus aliquando careret his donis, vt ea promereri poſſet; & per conſequens Chriſti dignitas nullo modo minueretùr, ſed magis augeretur, ſi ea haberet per meritum.

10 Dices 2. cum Amico. Maiorem imperfectionem eſſe habere hæc dona per meritum, quam ea habere ſine merito; cum maior imperfectio ſit operari ex principio intrinſecè incompleto, quā ſit perfectio hæc dona habere ex merito. Sed contra, quia imperfectio eſſet, ſi Chriſtus aliquando caruiſſet his donis; at Chriſtus numquam his caruit, ſed ſemper habuit; & principium fuit ſufficienter completum in ordine ſupernaturali per gratiam adiuuantem, cum qua potuit elicere actum ſupernaturalem meritorium gratiæ, & gloriæ, vt hoc modo ſanctificaretur Chriſtus more adultorum, & gloriam duplici titulo haberet, & tanquam ſibi naturaliter debitam vi vnionis, & tamquam mercedem, & coronam; vt patet in filio Regis, cui iure naturali, & hæreditario debetur Regnum paternum, quod tamen, ſi cōparat victorijs ſuis, & armis, duplici titulo illud habebit, & quia ei debetur naturaliter, & quia illud promeruit, ex quo etiam maior illi gloria accreſcet; ita & in Chriſto dicendum eſt.

11 Obijcies primò contra primam. Impoſſibile eſt moueri ad terminum, & eſſe in termino: ſed anima Chriſti Domini per meritum moueretur ad gloriam tamquam ad terminum, & ex alia parte haberet beatitudinem, & eſſet in termino; ergo implicat animam Chriſti eſſe in primo inſtanti beatam, & beatitudinem mereri potuiſſe.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: impoſſibile eſt moueri ad terminum motu ſucceſſiuo, & eſſe in termino, concedo maiorem: mutatione inſtātanea, nego maiorem: ad minorē dico animam Chriſti per meritum moueri mutatione inſtantanea, non motu ſucceſſiuo, vnde negatur conſequentia.

12 Obijcies 2. Impoſſibile eſt eamdem gratiam eſſe perfectam, & imperfectam: ſed gratia, quæ eſt principium merendi gloriam eſt imperfecta, quæ verò eſt coniuncta cum gloria, eſt conſumata, & perfecta; ergo hoc implicat.

Reſpondeo conceſſa maiori: ad minorem dico, quod non eſt eadem gratia, quæ eſt principium meriti, & quæ datur vt prçmium, nam quæ eſt principium meriti influens, & dans ſupernaturalitatem eſt gratia actualis adiuuans, quæ dignificat eſt gratia perfectiſſima vnionis, quæ verò datur in præmium eſt gratia habitualis, & gloria; ideo argumentum nihil probat.

13 Obijcies 3. Non poteſt quis moueri per meritum ad beatitudinem, niſi mediante actu ſpei de præmio obtinendo: ſed implicat actus ſpei ſimul cum beatitudine in eodem inſtanti; ergo etiam implicat Chriſtum eſſe beatum, & moueri ad beatitudinem per meritum.

Reſpondeo negando maiorem: ſicuti enim ordinariè non datur actus tendens ad beatitudinem ſine fide; & tamen per abſolutam potentiam poteſt dari; ita etiam poteſt dari ſine ſpe, & de facto in

omnium ſententia Chriſtus meruit gloriam corporis, & tamen de hac gloria non habuit ſpem; ita &c.

14 Obijcies quartò. Beatitudo eſt paſſio vnionis hypoſtaticæ; ergo implicat mereri beatitudinem, niſi quis mereatur etiam vnionem hypoſtaticam: ſed implicat, quod Chriſtus meruerit vnionem hypoſtaticam, vt dictum eſt ſupra quæſt. 3. ergo etiam implicat, quod meruerit beatitudinem.

Reſpondeo propriè non eſſe paſſionem, cum ſit quid realiter diſtinctum, & ſeparabile, & poſſet Verbum vniri humanitati abſque eo, quod ipſam eleuaret ad viſionem beatam; eſt quidem quid naturaliter debitum, ſecundum quandam congruentiam, ſicuti poſita vnione erat debita gloria corporis, & tamen potuit Deus illam de facto ſuſpendere, ita & de gloria animæ dicendum, vnde nulla ſequitur implicantia.

15 Obiicies primò contra ſecundam. Quod eſt debitum tamquam proprietas naturalis nō cadit ſub meritum; ſed gratia, & gloria ſunt debitę Chriſto tamquam proprietates naturales vnionis; ergo de facto illas non meruit.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Quod eſt debitum tamquam proprietas naturalis metaphyſica, vel phyſica non poteſt cadere ſub meritum, tranſeat maior, quod eſt debitum ſecundum quandam congruentiam, & proportionem naturalem non poteſt cadere ſub meritum, nego maiorem; gratia autem, & viſio non debentur Chriſto, niſi ſecundo modo; vnde negatur conſequentia; vt patet in filio Regis, cui debetur Regnum, & tamen illud ſibi comparat armis, vt in concluſione dictum eſt.

16 Obijcies 2. Gloria debet proportionari merito; ergo ſi Chriſtus eam meruit, cum habuerit meritum infinitum, debuiſſet habere gloriam infinitam, quod videtur abſurdum.

Reſpondeo libenter me concedere totum argumētum; nullum enim eſt abſurdum dicere in Chriſto eſſe gloriam infinitam, cum etiam infinitam ſanctitatem habuerit. Dico 2. argumentum nullum eſſe, quia ſi quid probaret, etiam probaret de bonis, quę nobis promeruit, & de gloria corporis, quā omnes admittunt promeruiſſe; quod ſi aduerſarij dicant, nobis non promeruiſſe infinitam gratiam & gloriam, quia Chriſtus ſua merita obtulit tantùm pro finito præmio, id ego dicere poſſum de gloria eſſentiali animæ, vnde argumentum nullum eſt; etiamſi non admitteremus in Chriſto gratiam, & gloriam infinitam.

17 Obijcies 3. Omnes actus meritorius de condigno ſupponit naturaliter gratiam habitualem tamquam principium; ergo Chriſtus de facto non meruit gratiam habitualem: conſequentia patet cum principium meriti non poſſit cadere ſub merito: probatur antecedens: omnis actus meritorius, vt connaturaliter eliciatur, ſupponit principium intrinſecum completum; cum connaturalius ſit operari per principium intrinſecum, quam per extrinſecum: ſed anima Chriſti conſtituitur principium intrinſecum proportionatum actus ſupernaturalis per gratiam habitualem; ergo ipſam naturaliter operando non poteſt mereri; nam principium meriti caderet ſub meritum, quod implicat.

Reſpondeo antecedens eſſe verum in nobis, qui non poſſumus eſſe perſonę gratæ niſi per gratiam habitualem; at in Chriſto eſt falſum; cum ipſe eſſet infinitè ſanctus per vnionem; vnde negatur conſequentia: ad probationem antecedentibus, diſtinguo maiorem: omnis actus meritorius, vt connaturaliter eliciatur, ſupponit principium intrinſecum completum, vel per aliquid habituale, vel actuale, concedo maiorem completum per aliquid habituale ſemper, nego maiorem; vt patet in peccatore ſe conuertente, iſte elicit connaturali modo actum ſupernaturalem meritorium de congruo, & tamen principium huius actus non eſt gratia habitualis, ſed actualis; ita Chriſtus cum gratia potuit elicere actum ſupernaturalem, qui actus cum proficiſceretur à perſona infinitè ſancta per vnionem, erat etiam meritorius de condigno gratiæ habitualis, & gloriæ; vndę nego minorem, & conſequentiam.

18 Dices. Perfectior eſt modus operandi per principium intrinſecum habituale, quam per actuale tantùm: ſed Chriſto debemus tribuere modum operandi perfectiſſimū; ergo debuit ſemper habere in operando principium intrinſecum habituale, & non tantùm actuale.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; perfectior eſt modus operandi per principium intrinſecum habituale, quam per actuale tantùm, ſi operando per actuale tantùm nobiliori, & perfectiori modo non habeatur principium intrinſecum habituale, concedo maiorem: ſi operando per actuale tantùm nobiliori, & perfectiori modo quis conſequatur etiam principium intrinſecum habituale, nego maiorem: vnde propter hanc rationem Angeli per actus ſupernaturales ad habitualem gratiam ſe diſpoſuerunt, & adulti dum iuſtificantur per actus proprios ſe diſponunt; cum ergo Chriſtus in pri-

in primo inſtanti fuerit adultus, hunc modum nobiliorem ſanctificandi ſe illi concedere debemus, & licèt in Angelis, & hominibus ſe conuertentibus huiuſmodi actus non ſint meritorij de condigno, quia pro eo ſigno non ſunt amici; in Chriſto tamen erant de condigno meritorij, quia eius humanitas erat iam ſancta, & grata Deo infinitè per vnionem. Quare concedo minorem, & nego conſequentiam; nam perfectior modus operandi eſt, quando quis per meritum conſequitur principium habituale, cum hoc ſit proprium adultorum, & connaturalior modus operandi ipſorum.

19 Obijcies 4. Ex *Scoto* in beatitudine ſunt aliqui, q; habent gloriam ſine proprio merito, ſed alieno tantùm, vt infantes; alij proprio tantùm vt Angeli; alij proprio & alieno, nempe Chriſti, vt homines adulti; ergo decuit, vt daretur aliquis, qui illam haberet, & ſine proprio, & ſine alieno; hic autem eſt Chriſtus.

Reſpondeo hoc argumentum nihil concludere, fundatur enim tantùm in pura, & leui congruentia: at non ne fuit congruentius, vt in gloria nullus præter Deum, qui eſt fons beatitudinis, illam poſſideret ſine meritis? Non ne magis decuit omnes eſſe in gloria ex meritis Chriſti etiam loquendo de Angelis?

20 Obijcies 5. ex Vaſquez. Prima cognitio, quam habuit Chriſtus fuit beatifica; ergo non potuit beatitudinem mereri; quia deberet dari cognitio, & actus ante viſionem beatam.

Reſpõdeo & quæro vnde nam collegit Vaſquez viſionem beatam debere eſſe priorem? cur non poſſum dicere fuiſſe priorem ſcientiam infuſam? & licèt in eodem inſtanti reali fuerit etiam cognitio beata; potuit tamen à ſcientia infuſa pro priori naturæ regulari actus meritorius ratione cuius daretur gratia, & gloria.

21. Obijcies 6. *Si* Chriſtus meruiſſet ſuam gloriam eam non obtinuiſſet, niſi in fine vitæ, quia vſque ad talem terminum durauit eius meritum: ſed certum eſt ſtatim ab initio habuiſſe beatitudinem; ergo eam non habuit ex meritis.

Reſpõdeo negando ſequelam maioris; nam cum etiam eſſet filius naturalis, debuit ſtatim dari, & tamen carere gloria corporis, vt poſſet mereri, & conſumare redemptionem per mortem; quod ſi gloria illi debita fuiſſet tantùm vt merces, forſitan illi data tantùm fuiſſet poſt mortem.

22 His tamen non obſtantibus fateor tum propter argumenta adducta, & multò magis propter communiorem Theologorum contrariam eſſe probabilem, imò etiam probabiliorem.

23 Quæres primò, an Chriſtus gloriam corporis ſuiq; nominis exaltationem meruerit?

Reſpõdeo affirmatiuè. Eſt communis omnium Theologorum; eſt tamen contra Caluinum, qui lib. 2. inſt. cap. 17. §. 6. dixit, Chriſtum Dominum nihil ſibi meruiſſe, ſed omnia merita ſua ad nos ordinaſſe. Probatur tamen ex ſcripturis Lucæ 24. *Non nè oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Non in gloriam animæ eſſentialem, quia eam ab initio habuit; ergo in gloriam corporis. Ad Philipp. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, &c.* & plura alia loca ſcripturæ poſſunt afferri hanc veritatem probantia.

24 Probatur ratione, quia in Chriſto fuerunt omnes conditiones veri meriti in ordine ad gloriam ſui corporis, & exaltationem nominis ſui, & gloriam, & exaltationẽ non habuit Chriſtus à principio, ergo de facto hæc omnia meruit.

25 Hinc infertur Chriſtum ſuis meritis obtinuiſſe iudiciariam poteſtatem, Regiam, & Sacerdotalem dignitatem, & ſupremum rerum omnium dominiũ; ratio enim allata probat vniuerſaliter de his omnibus.

26 An verò dignitatem capitis Eccleſiæ ſibi promeruerit, negat Cypullus hic dub. 11. cui conſentit Gonet diſput. 21. ar. 6. §. 3. in fine, eo quod dignitas capitis competat Chriſto ratione gratiæ habitualis, quam hi Doctores ſupponunt Chriſtum non meruiſſe. Nos, qui contrarium tamquam probabile diximus, poſſumus conſequenter aſſerere etiam dignitatem capitis meruiſſe; nam etiamſi ab initio fuerit cõſtitutus Chriſtus caput morale Eccleſiæ; potuit tamen hanc dignitatem etiam ex meritis habere, ſicuti dictum eſt de gratia habituali, & gloria eſſentiali animæ.

Quæres ſecundò, quid nobis meruerit Chriſtus?

Reſpondeo. In primis meruiſſe nobis iuſtificationem, vt conſtat ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Secũdò remiſſionem pœnę æternæ, quæ eſt neceſſariò coniuncta cum remiſſione culpæ. Ita D. Thom. infra qu. 63. art. 3. Tertiò meruit nobis habitus infuſos tum theologicos, tum morales: ex eodem Trid. loco cit. Quartò auxilium, quo poſuimus iuſtè operari,

Digitized by Google

& perſeuerare; ex eodem Trid. cap. 16. Quintò augmentum gratiæ, can. 32. meruit inſuper nobis gloriam, & omnia dona, quibus ad Cœlum tendimus, omnes effectus prędeſtinationis noſtræ; imò & prædeſtinationem ipſam; nam Chriſti prædeſtinatio fuit cauſa noſtræ prædeſtinationis. Ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Vt diximus in tractatu de Deo vno, quæſt. 6. de Prædeſtinatione; vide quæ ibi dicta ſunt; & quod dicimus de hominibus fatemur de Angelis, cum hoc cedat in maiorem Chriſti gloriam.

QVÆSTIO IX.

De adoratione Chriſti, & communicatione idiomatum.

IN quæſtione 20. vſque ad 25. excluſiuè tractat D. Thom. de ſubiectione Chriſti ad Patrem, de eius oratione, Sacerdotio, & prædeſtinatione, & an poſſit dici filius adoptiuus; verùm hæc, vel alibi tractata ſunt, vel ex ſola textus lectione facilia ſunt; vnde his omiſſis pro complemēto tractatus quædam tantùm de eius adoratione, & de idiomatum communicatione dicemus.

ARTICVLVS I.

An humanitas Chriſti adoranda ſit adoratione latriæ.

1 ADoratio definitur à Damaſceno orat. 3. de imaginib. *Eſt animi cedentis, ſubmiſſi, atque humilis ſignificatio.* Seu ſic poteſt definiri. *Eſt actus, quo vnus alteri ſe ſubmittit ob eius excellentiam.* Varij autem requiruntur actus, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis ad veram adorationem; nam primò requiritur actus intellectus exiſtimans excellentiam illius, qui adorandus eſt. Hunc actum ſequitur actus voluntatis, quo vult ſe alteri ſubmittere propter illius excellentiam. Tertiò ſequitur actus intellectus practicus dictans eſſe bonum, & honeſtum ſe ſubmittere alteri propter illius excellentiam. Quintò eſt actualis illa ſubmiſſio, ſeu ſignificatio ſubmiſſionis, quæ fit per actum externum, vel etiam internum, de quo infra dicemus.

2 In quo autem actu ex iſtis conſiſtat adoratio, dico conſiſtere in vltimo actu voluntatis, quo voluntas ſe alteri ſubmittit propter illius excellentiam, licèt alij præſupponantur; neque enim poteſt conſiſtere in actibus intellectus, cum adoratio ſpectet ad virtutem religionis, quæ in voluntate conſiſtit; neque poteſt conſiſtere in actu voluntatis, quo quis ſe vult alteri ſubmittere, quia hic non eſt adhuc adoratio, ſed voluntas adorandi; relinquitur ergo, quod conſiſtat in vltimo actu enumerato, nempe in actuali illa ſubmiſſione, ſeu ſignificatione ſubmiſſionis, quæ dicitur ſubmiſſionis nota, ſeu ſignificatio, vt ſubeſt actui practico dictanti eſſe honeſtum ſe ſubmittere alteri propter illius excellentiam, & diſtinguitur actus adorationis ab actu humilitatis; nam hæc reſpicit ſubmiſſionem ex motiuo propriæ vilitatis; adoratio verò reſpicit ſubmiſſionem ex motiuo excellentiæ alterius, cui ſe ſubmittit.

3 Diuiditur primò adoratio in abſolutam, & reſpectiuam; abſoluta illa eſt, qua res adoratur propter excellentiam ipſius; ſic adoramus Deum propter infinitam excellentiam, quam in ſe habet: reſpectiua eſt, qua adoramus rem non propter excellentiam, quam in ſe habeat, ſed propter ſpecialem habitudinem, & ordinem, quem habet ad excellētiam alterius, ſic adoramus imagines non propter excellentiam, quam in ſe habeant, ſed per ordinem, quem dicunt ad excellentiam illius, quem repræſentant. Diuiditur 2. adoratio in latriam, duliam, & hyperduliam. Adoratio latriæ reſpicit ſemper increatam, & ſummam excellentiam, & per hanc proteſtamur ſummam noſtram ad Deum ſubiectionem. Dulia reſpicit excellentiam creatam naturæ rationalis ordinis ſupernaturalis, qualem habent omnes beati, ſuperantem omnem communem excellentiam ciuilem omnium ſuperiorum temporalium. Hyperdulia reſpicit ſingularem quandam excellentiā creaturæ rationalis non omnibus beatis communem, ſed aliquorum propriam, qualis eſt maternitas in Virgine Deipara, quæ ideò hyperdulia adoratur.

4 An verò ad adorationem requiratur ſemper actus externus, vt genuflexio, vel totius corporis ſubmiſſio, proteſtando excellentiam alterius, vel ſufficiat actus internus voluntatis, quo quis ſe alteri ſubmittat, proteſtando excellentiam, ſentio cum D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 2. in corpore, & ad 2. & Thomiſtis communiter, Suarez diſp. 31. Arriaga diſp. 50. ſec. 4. Lugo, & communi aliorum contra Vaſquez diſp. 103. ſufficere ad veram adorationem actum internum; & probatur, quia in Angelis datur vera adoratio Pſalm. 95. *Et adoret eum omnes Angeli eius*; & plura alia loca id probant; ſed in Angelis non poteſt eſſe ado-

adoratio per aliquod ſignum ſenſibile externum, cum corpore careant; ergo ad veram adorationem ſufficit actus internus. Confirmatur, quia adoratio eſt animi, cedentis humiliſq; ſignificatio; ſed poteſt quilibet Deo, & Sanctis per actum purè internum præbere animi cedentis, ſubmiſſi, humiliſq; ſignificationem; ergo per actum purè internum eos adorare.

5 Dices, adoratio eſt nota, & ſignificatio ſubmiſſionis; ſed actus internus non poteſt eſſe nota; ergo &c. Sed contrà; quia ad veram, & propriam adorationem ſufficit ſi ſit nota, & ſignificatio ſubmiſſionis Deo, & beatis; qui poſſunt actus internos verè cognoſcere. His breuiter ſuppoſitis de adoratione in communi, ad propoſitam difficultatem accedo.

6 **Prima ſententia negat humanitatem Chriſti vnitam eſſe adorandam adoratione latriæ, ſed vult debere adorari adoratione hyperduliæ. Sic Henricus quodlib. 10. quæſt. 6. Rubio in 3. diſt. 9. quæſt. 1. art. 2. & 3. Bacho in 4. diſt. 2. q. 4. ar. 4. Durandus verò in 3. diſt. 9. q. 2. & Maior voluit Chriſtum vt hominem ſolùm per accidens eſſe adorandum adoratione latriæ.

Secunda communis ſententia affirmat Chriſtum vt hominem eſſe adorãdum adoratione latriæ, ſic D. Thom. hic qu. 25. art. 1. & 2. Gaietanus, Medina, & communiter Thomiſtæ, Scotus in 3. diſt. 9. quæſt. vnic. §. de tertio, quem ſequuntur Scotiſtæ, Suarez diſp. 53. ſect. 2. Vaſquez diſp. 95. cap. 2. Lugo diſp. 34. ſec. 2. Amicus diſp. 32. ſec. 1. Arriaga diſp. 52. ſec. 1. Gabriel à S. Vincẽtio diſp. 25. dub. 2. & alij Theologi communiter.

7 Concluſio. Chriſtus quatenus homo ſpecificatiuè, ſeu humanitas Chriſti Verbo vnita adoratur eadem adoratione latriæ, qua adoratur eius diuinitas. Probatur ex Synodo V. Conſtantinop. coll. 8. cap. 9. vbi dicitur: *Si quis duabus naturis adorari dicit Chriſtum (ex quo duæ adorationes introducuntur, ſed non vna adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.* Idem colligitur ex pluribus alijs Concilijs Epheſ. in 3. p. anathem. 8. Alexandrino; & ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 5. & can. 6. vbi definit Sacramentum Euchariſtiæ latriæ cultu, qui vero Deo debetur eſſe adorandum. Idem tradunt clarè plures Sancti Patres, quos Theologi ad longum adducunt.

8 **Probatur ratione**: Eadem adoratione adorantur partes, qua adoratur ſuppoſitum: ſed ſuppoſitum Chriſti adoratur adoratione latriæ; ergo & humanitas, quæ eſt vnita Verbo, & conſtituit vnam perſonam, cum ipſo debet adorari adoratione latriæ; maior patet exemplis, quibus vtuntur Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 3. Auguſtinus ſer. 58. de Verbis Domini, & D. Thom. hic, etenim eadem adoratione adoramus Regem nudum, ac veſtitum; eadem, qua adoramus Regem, adoramus purpuram, & coronam, quibus indutus eſt: totus homo adoratur Dulia propter excellentiam, quæ ſolùm eſt in anima, & tamen ſimul coadoratur caro eius; adoratur enim tota illa perſona, in qua illa excellentia reperitur; ergo etiam adoratione latriæ adoratur totus Chriſtus quoad omnes ſuas partes propter excellentiam diuinitatis, quæ eſt in illa perſona; cum adoratio in totam illam perſonam feratur.

9 Obijcies primò. Angelus, qui adorauit Verbum ante incarnationem, poſt incarnationem, vel poſſet per eumdem actum adorare Chriſtum, vel non; ſi hoc ſecundum; ergo eſt neceſſaria alia adoratio, qua adoretur humanitas vnita Verbo diuerſa ab ea, qua adoratur Verbum; ſi primum; ergo per illum actum adorationis latriæ, quo adorauit Verbum non adorat humanitatem; cum idem actus non poſſit nunc habere diuerſum obiectum, ac antea haberet.

Reſpondeo debere eſſe diuerſum actum, & diuerſam numero adorationem; nam prima terminabatur tantùm ad Verbum, ſecunda terminatur etiam ad humanitatem vnitam Verbo; non ſequitur tamen eſse adorationem diuerſæ rationis, cum adoratio terminetur ad totum, nempe ad perſonam diuinam in natura humana ſubſiſtentem.

10 Obijcies ſecundò. Vbi ſunt diuerſa obiecta adoranda, ibi etiam debet dari adoratio diuerſæ rationis: ſed Verbum, & humanitas ſunt diuerſa obiecta adoranda; ergo & adoratio debet eſse diuerſæ rationis: Probatur maior: adoratio eſt propter excellentiam exiſtentem in ſubiecto adorando: ſed in Verbo eſt excellentia increata adoranda; in humanitate etiam vnita eſt tantùm excellentia creata; ergo adoratione diuerſæ rationis eſt adorandum Verbum, ac adoretur humanitas etiam Verbo vnita.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſi obiecta diuerſa adoranda ſint in diuerſa perſona, concedo maiorem: ſi ſint vnita in eadem perſona, nego maiorem: Verbum autem, & humanitas conſtituunt eandem perſonam; vnde negatur

con-

Digitized by Google

conſequentia: ad probationem dico, adorationem eſſe propter excellentiam in ſuppoſito adorando: quare humanitas vnita coadoratur non propter excellentiam creatam, ſed propter excellentiam increatam illi vnitam.

11 Obijcies tertiò. Damaſcenum orat. 3. de imaginibus, relatum à Vaſquez diſp. 95. nu. 19. vbi docet materiam Chriſti, hoc eſt eius carnem, non adorari vt Deum; ergo humanitas diuerſa adoratione adoratur, ac adoretur Diuinitas.

Reſpondeo, intentum Damaſceni eſſe, carnem Chriſti non adorandam, vt Deum, propter excellentiam creatam in ipſa exiſtentem; adorari tamen, vt Deum, propter diuinitatem illi vnitam; & clarior apparebit reſponſio ex dicendis articulo ſequenti.

12 Obijcies quartò. Cui conuenit adorare, & ipſe habet ſuperiorem, non conuenit adoratio latriæ: ſed Chriſto conuenit adorare, & ipſe habet ſuperiorem, ergo illi non conuenit adoratio latriæ.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: cui conuenit adorare, & habere ſuperiorem, non conuenit ſecundùm ſe latriæ cultus; concedo maiorem; vt vnito diuinitati, nego maiorem; concedo poſtea minorem, & nego conſequentiam; & hæc reſponſio deducitur ex Concilio Epheſ. part. 3. cap. 27. vbi de Chriſto habet: *Adorauit vobiſcum, adeſt etiam adorandus, flectitur enim ipſi omne genu; hoc quoque ſecundum aliud, & aliud: Adorat enim, quia naturam aſſumpſit, quæ debeat adorare. Adoratur autem porro idem quaſi maior adorante natura, eo quod intelligitur Deus.*

13 Obijcies quintò. Qui adorat Chriſtum Dominum vult perſonalitati cultum propter illius excellentiam, & vult humanitati cultum propter excellentiã diuinitatis; ergo humanitatem non adorat adoratione abſoluta, ſed reſpectiua; ergo adoratione abſoluta tantùm adoratur adoratione duliæ, vel hyperduliæ; quod tamen eſt falſum; nam ſic humanitas Chriſti tantùm adoraretur eo modo, quo adoratur Crux Chriſti, quæ eſſet adoratio reſpectiua.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ad probationem; nego, quod adoratio humanitatis ſit adoratio reſpectiua; nam hæc tantùm eſt quando adoratur aliquid nõ propter excellẽtiam exiſtentem in proprio ſuppoſito, ſed tantùm in alieno: humanitas autem Chriſti adoratur propter excellentiam proprij ſuppoſiti; & ideò eſt adoratio latriæ abſoluta.

ARTICVLVS II.

An adoratio latriæ, qua adoratur humanitas Chriſti ſit omnino æqualis cum adoratione, qua adoratur diuinitas.

1 Licèt realiter ſit vna, & eadem adoratio latriæ, qua adoratur diuinitas, & humanitas Chriſti Verbo vnita; nihilominus in hac adoratione poſſumus concipere diuerſos reſpectus, quorum vnus terminatur ad diuinitatem, illamq; adoramus propter excellentiam increatam illi eſſentialem, & identificatam, alter terminatur ad humanitatem, illamq; adoramus propter excellẽtiam increatam illi vnitam; quærimus ergo; an hæc adoratio, ſeu potius, an hi reſpectus ſint æquales, vel vnus ſit alio perfectior. Hæc difficultas additur explicanda, vt clarius præcedens innoteſcat.

2 Communiter Doctores, quos ſecuti ſumus in præcedenti articulo ſupponunt eſſe vnam, & eamdem adorationem, neque diſtinguunt de his reſpectibus; aliqui tamen, inter quos Lugo dicunt eſſe diuerſitatem in modo adorandi; nam diuinitatem eſſentialiter adoramus propter excellentiam increatam, quam habet; humanitatem verò dependenter ab vnione cum Verbo, & proinde non eſſentialiter, eo quod potuit non eſſe vnita; ceterùm in ſubſtantia adorationis nullam eſſe diuerſitatem, eo quod ratio motiua adorandi ſit ſemper diuinitas.

3 Concluſio. Adoratio, qua adoratur diuinitas eſt perfectior adoratione, qua adoratur humanitas, ſeu clarius reſpectus adorationis ad diuinitatem eſt perfectior reſpectu adorationis ad humanitatem vnitam, licèt vterque reſpectus ſit latriæ. Sic Arriaga diſp. 52. ſec. 1. ſub ſec. 3. Probatur, quia in adoratione non ſolùm interuenit actus ille exterior genuflexionis, proſtrationis, depoſitionis pilei, & huiuſmodi, ſed etiam interueniunt actus intellectus iudicantis excellentiam adorandam, & dictantis illam excellentiam eſſe tamquam quid honeſtum, & debitum adorandam, & actum voluntatis, quo vult eam excellentiam adorare, & ei excellentiæ ſe ſubmittere: ſed iſti actus intellectus, & voluntatis perfectiori modo reſpiciunt ipſam diuinitatem, quam humanitatem vnitam; ergo ſaltem ex parte horum actuum adoratio diuinitatis eſt perfectior adoratione humanitatis: maior facilè probatur: nam illi actus eſſentialiter requiruntur ad adorationem, ſine qui-

bus

Digitized by Google

bus per ſe primo nec eſſe, nec concipi poteſt adoratio: ſed niſi ponantur prædicti actus cum actu exteriori, vel ſaltem cum interiori, qui ſit ſignificationis nota, & quo dicat actu me ſubmitto alteri propter eius excellentiam, non intelligitur adoratio; ergo omnes illi actus eſſentialiter requiruntur ad conſtituendam adorationem; maior ex ſe patet ex metaphyſica, & ex alibi dictis; etenim quia non poteſt eſſe, nec concipi compoſitum ſine materia, & forma, dicimus materiam, & formam eſſe de eſſentia compoſiti, quia non poteſt concipi homo, quin ſit animal rationale, vtrumq; prędicatum eſt de eſſentia hominis, quia non poteſt eſſe fides vera ſine pia affectione voluntatis, vtrumq; actum dicimus eſſentialiter requiri ad fidem: ergo etiam, cum non poſſit eſſe, nec concipi vera adoratio ſine enumeratis actibus omnibus, omnes prædicti actus eſſentialiter requiruntur ad cōſtituendam adorationem: Probatur modo minor principalis argumenti; nam in primis exterior adoratio ſecundum ſe ſumpta, non magis eſt dulia, quam hyperdulia, vel latria, aut adoratio ciuilis; nam eadem genuflexio, depoſitio pilei, eleuatio manuum, & huiuſmodi, quæ fiunt coram Deo, fiunt coram Beata Virgine, & Sanctis; imò etiam coram Principibus, maximè quando miſeri miſericordiam implorant; ergo in tantùm eſt adoratio latriæ, vel duliæ, vel hyperduliæ, in quantùm eſt ſignum ſubmiſſionis interioris, non dico illius actus, quo quis vult deponere pileum, genuflectere, &c. hanc enim voluntatem habent omnes etiam illi, qui genuflectendo volunt alium adorare, ſed illius actus practici intellectus erit ſignum, quo iudicauit honeſtum eſſe ſe ſubmittere excellentiæ alterius, & illius actus voluntatis, quo propter talem excellentiam vult ſe ſubmittere.

4 Ex his ſtatutis clarè deduco, ſi ad veram adorationem non tantùm requiritur actus externus, ſeu internus, qui ſit nota ſignificationis, & ſubmiſſionis, ſed etiam requiritur actus intellectus dictās eſſe honeſtum ſe ſubmittere tali excellentiæ, & actus voluntatis, quo vult ſe ſubmittere tali excellentiæ, quæ illi propoſita fuit, & eo modo, quo illi propoſita fuit ab intellectu: cum talis actus intellectus non iudicet tam excellentem eſſe humanitatem vnitam, ac ſit Verbum; ſi hoc enim iudicaret, iudicium eſſet hæreticum, cum excellentia Verbi ſit increata per eſſentiam, excellentia autem humanitatis vnitæ non ſit talis per eſſentiam, ſed per vnionem, quæ potuit poni, & non poni à Deo; & actus voluntatis, quo vult ſe ſubmittere eo modo ſe ſubmittat, vel excellentiæ maiori, vel minori, quo modo illi propoſita fuit ab intellectu; ſequi apertè, quod in adoratione, qua adoratur humanitas, & Verbum, reſpectus adorationis ad Verbum ſit perfectior, quam ſit reſpectus adorationis ad humanitatem; licèt ſi præciſè attendamus ad actum exteriorem, verum ſit id, quod diximus articulo præcedenti, nempe, quod eadem adoratione adoretur humanitas vnita, ac adoretur diuinitas, nam actus fit *toti* obiecto, & ſuppoſito, vnde ſi per genuflexionem denotaretur cultus latriæ, genuflexio tam deberetur Verbo, quam Chriſto, & proinde etiam ipſi humanitati deberetur.

5 Quod verò illi reſpectus licet inæquales, ſint tamen latriæ probatur; nam cultus latriæ eſt, qui exhibetur alicui propter excellentiam increatam: ſed tam cultus, qui debetur Verbo, quam qui humanitati vnitæ eſt propter excellentiam increatam, nempè in Verbo propter excellentiam increatam illi eſſentialem, & ab eo indiſtinctam; in humanitate verè propter excellentiam increatā illi vnitam; ergo illi reſpectus ambo ſunt cultus latriæ.

6 Dices: forma dum communicatur ſubiecto capaci illi tribuit omnem effectum formalem; ſic calor vt octo, ſi ponatur in ſubiecto, ipſum conſtituit calidum vt octo; ergo etiam cum diuinitas ponitur in humanitate capaci excellentiæ, & ſanctitatis, tam excellentem, & ſanctam conſtituet humanitatem, ac ſit in ſe excellens; ergo ſi tantam excellentiam habet humanitas vnita Verbo, ac habeat Verbum, & diuinitas, eadem adoratione latriæ æquali, etiam ſecundùm reſpectus adorabitur. Sed contra: quia etſi tota diuinitas ſit humanitati vnita, nihilominus ſemper eſt diſtincta ab illa, & inferior diuinitate, & Deus poteſt huic humanitati vnitæ præcipere, & hæc tenetur obedire, & eſt ſancta tantùm per vnionem diſtinctam: diuinitas verò eſt à ſe, & per eſſentiam ſancta, quare adhuc infinitè diſtat ſanctitas humanitatis á ſanctitate per eſſentiam; ergo non eadem adoratione latriæ æquali etiam ſecundùm reſpectus adoratur humanitas, ac adoretur diuinitas.

7 Obijcies 1. Adoratio latriæ eſt ſoli Deo debita: ſed ex dictis humanitas etiam poſita vnione eſt inferior Deo; ergo non adoratur adoratione latriæ.

Reſpondeo, quod adoratio latriæ eſt debita, vel Deo per eſſentiam, vel Deo

per

Digitized by Google

per vnionem: humanitas verò, licèt non ſit Deus per eſſentiam, habet tamen diuinitatem vnitam, & talis homo eſt Deus, vndè verè adoratio latriæ illi debetur.

8 Obijcies 2. Si adoratur adoratione latriæ, maximè quia adoratio illa externa tendit in totum ſuppoſitum: ſed hoc eſt falſum; ergo, & vndè ſequitur: probatur minor: Si in aliqua tabula ſit depictus ChriſtusCrucifixus cum carnificibus ipſum torquentibus, vel D.Bernardus cum alligato dœmone, qui adorat illam picturam adorat Chriſtum, non carnifices, D.Bernardum, non diabolū, & tamen illa tabula vnicum obiectum eſt; ergo etiam licet humanitas, & perſona Verbi conſtituant vnum ſuppoſitum, & obiectum, nihilominus adoratio ipſa poterit tendere in Verbum per adorationem latriæ, in humanitatem per adorationem duliæ, vel hyperduliæ.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem dico ex hoc probari noſtram concluſionem poſitam, quod diuerſo reſpectu adoretur diuinitas, ac humanitas vnita, vtraque tamen adoratio eſt latriæ, quia vel adoratur Deus, vel adoratur humanitas propter diuinitatem illi vnitam; vndè motiuum adorandi ſemper eſt diuinitas, cui debetur latria. Ex alia tamen parte exempla adducta non ſunt ad rem, quia carnifices, licet ſint in eadem tabula depicti cum Chriſto, & dœmon cum D.Bernardo, nihilominus, neque carnifices faciunt vnū ſuppoſitum cum Chriſto, nec diabolus cum D.Bernardo, vndè ſicuti in aula regia, in qua eſt Rex cum varijs militibus, dum reuerentiam præſto Regi, illam non præſto militibus, ita & in propoſito dicendum eſt.

9 Quæres vtrum Chriſto, vt homini poſſit offerri ſacrificium.

Reſpondeo affirmatiuè. Ita Suarez diſp.54.ſect.2.Lugus diſp.34.ſect.2.Amicus diſp.32.ſect.1.Arriaga diſp.52.ſect.2. Probatur ſi non poteſt Chriſto, vt homini, offerri ſacrificium, maxime quia ſacrificium debet offerri tantùm Domino vitæ, & necis; ſed verè Chriſtus ratione perſonalitatis diuinæ eſt Dominus vitæ, & necis: ergo humanitati vnitæ Verbo poteſt offerri ſacrificium: etenim licèt humanitas per vnionem non fiat Deus; nihilominus, quia habet vnitam diuinitatem eam adoramus adoratione latriæ, quæ eſt propria ſolius Dei; ita licet per vnionem humanitas non fiat domina vitæ, & necis, quia tamen habet vnitam diuinitatem, quæ eſt domina vitæ, & necis, ei poſſumus offerre ſacrificium.

10 Dices. Auguſt. 10. de Ciuit. c. 20. habet. *Cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo, & vnus Deus eſt, tamen in forma ſerui ſacrificium eſſe maluit, quā ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creatura;* ergo per Auguſtinum ſacrificium Chriſto, vt homini, offerre non poſſumus. Sed contra, nam Auguſtinus ſtat pro hac noſtra ſententia, nam dixit. *Maluit eſſe ſacrificium, quam ſumere;* ergo erat in poteſtate Chriſti etiam ſumere, & Chriſtus elegit potius eſſe ſacrificium, quam illud ſumere; Quare probatur, quod ſolùm de facto ei non offeratur ſacrificium, quia de facto nullum apud Chriſti fideles datur ſacrificium, niſi altaris, in quo ipſe Chriſtus eſt victima, & principalis offerens: Non poteſt autem in hoc ſacrificio Chriſtus eſſe victima, & principalis offerens, & id cui offertur: at ſi daretur aliud ſacrificium, quod à Sacerdotibus ſolùm offeretur; certè illud poſſet offerri Chriſto, ſicut poteſt adorari adoratione latriæ. Addit etiam Arriaga, quod ſacerdotes etiam de facto, licèt vt miniſtri Chriſti non poſſint hoc ſacrificium Chriſto offerre, quia nullus ſibi ipſi ſacrificat, aut eſt victima ſui ipſius, poſſent tamen dici, quod vt priuatæ perſonæ ſacrificent idem ſacrificiū Chriſto, approbando id, quod Chriſtus voluit ſuo nomine fieri: Sed verè hæc approbatio non eſt offerre ſacrificium corporis Chriſti; nam ad hoc requiritur mutatio victimæ, quæ fit per conſecrationem, vt dicetur infra de ſacrificio miſſæ: conſecratio autem non poteſt fieri, niſi à perſona conſecrata habente caracterem ſacerdotalem, & quæ quando conſecrat induit perſonam Chriſti.

ARTICVLVS III.

An humanitas conſiderata præciſiuè à Verbo poſſit adorari adoratione diſtincta à latria.

1 QVæſtio præſens conſiſtit in hoc, an ſi humanitas, quæ de facto eſt vnita Verbo, non apprehendatur vt vnita Verbo, ſed tantùm vt habens cetera dona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ, poſſit adorari dulia, vel hyperdulia.

2 Prima ſententia eſt Vaſq. diſp. 96. cap. 4. & Valentiæ quæſt. 24. diſput. 1. p. 1. hæc negat poſſe Chriſti humanitatem adorari alia adoratione, niſi latriæ.

Secunda ſententia docet, quod phyſicè loquendo non repugnat talis modus adorationis, & quod phyſicè nos poſſumus adorare Chriſti humanitatem alia adora-

Digitized by Google

adoratione à latria; at moraliter loquendo, nos non poſſe decenter, & honeſtè adorare Chriſti humanitatem, niſi adoratione latriæ. Sic Lugo diſp. 35. ſect. 3. Orlandus diſp. vlt. q. 3. n. 23. vbi citat Bonauenturam, Granadum, & Raguſam; quare hi Doctores in re acceptant Vaſquez opinionem, licet recedant, ſeu reijciant primam rationem, qua ipſe probat concluſionem, & ſolum acceptent ſecundam.

Tertia ſententia eſt D. Tho. hic qu. 25. art. 1. & 2. Caietani, & Medinæ ibidem, & Thomiſtarum communiter, Suarez diſp. 53. ſect. 3. Amici diſp. 32. ſect. 2. Arriagæ diſput. 53. per totam, Gabrielis à S. Vincentio diſp. 25. dub. 2. à num. 66. & aliorum, hæc docet humanitatem Chriſti apprehenſam, non vt vnitam Verbo, ſed vt habentem cetera dona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ poſſe adorari hyperdulia.

3 Concluſio noſtra eſt cum hac vltima ſententia. Probatur ex Damaſceno quem refert D. Tho. hic art. 2. ad 1. vbi habet. *Sed quia ſi diuidas, vt Damaſcenus dicit, ſubtilius intelligentijs, quod videtur ab eo, quod intelligitur, cogitationeque humanitatem à diuinitate præſcindas, inadorabilis eſt, vt creatura, ſcilicet adoratione latriæ, & tunc ſic intellectæ vt ſeparatæ à Dei Verbo, deberetur ſibi adoratio duliæ, non cuiuſcumque (puta, quæ communiter exhibetur alijs creaturis) ſed cuiuſdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.*

4 Probatur 1. ratione. Non implicat, quod humanitas Chriſti apprehendatur ſecundùm ſe, vt eſt ornata donis gratiæ, & gloriæ, abſque eo quod apprehendatur vt vnita Verbo: ſed apprehenſa ſecundùm ſe, vt ornata nobiliſſimis donis gratiæ, & gloriæ, in excellentiſſimo gradu eſt amabiliſſima, & digna honore, & adoratione, non latriæ, nam hæc debetur tantùm Deo, & diuinitati, vt ſic autem apprehenſa humanitas non includit diuinitatem; ergo erit digna honore duliæ, ſeu hyperduliæ.

5 Dices ex Vaſquez implicare, quod nos concipiamus humanitatem Verbi, quin concipiamus ipſum Verbum, quia numquam ſcimus extitiſſe illam humanitatem, quin extiterit vnita Verbo. Sed contra, quia licet numquam ſciuerimus extitiſſe talem humanitatem, niſi ſemper Verbo vnitam, nihilominus in illa humanitate poſſum conſiderare dona creata, & illam laudare propter huiuſmodi dona, vt concedit ipſe Vaſquez loco cit. num. 60. non laudata diuinitate; poſſumus enim dicere. *Laudo te, ô ſanctiſſima humanitas propter excellentiſſimam gratiam habitualem tuam, propter lumen gloriæ, & viſionem beatam, quibus decorata es, & amabiliſſima es*; ergo etiam poſſum dicere, *adoro te propter hæc dona*; quo caſu quomodo includitur diuinitas ex parte prædicati? Certè nullo modo; Si ergo poſſumus præſcindere, quia *abſtrahentium nullum eſt mendacium*, etiam poſſumus humanitatem ſic præciſam adorare; non adoratione latriæ, quia in obiecto non concipimus diuinitatem, ſed tantùm dona creata; ergo adoratione tantùm hyperduliæ.

6 Probatur 2. Adoratio eſt nota, & ſignificatio iudicij practici, quod habemus de excellentia alterius: ſed poſſumus licitè, & honeſtè exhibere hanc notam, & ſignificationem iudicij noſtri practici, quod habemus de excellentia humanitatis propter ingentia dona creata gratiæ, & gloriæ illi collata; ergo etiã licitè, & honeſtè eidem exhibere adorationem propter excellentiam, quam habet ex donis creatis: hæc autem adoratio non eſſet latriæ, ſed hyperduliæ.

7 Dices ex Lugo; & eſt ſecundum argumentum, quo Vaſquez probat ſuã concluſionem. Adorare aliquem, & non ob ſummam dignitatem, quam habet, eſt indecens, & iniurioſum ipſi adorato; quemadmodum, ſi quis eſſet Rex, & Comes, iniurioſè quis ſe gereret erga ipſum, ſi coleret ipſum vt Comitem, non vt Regem. Confirmatur, quia adoratio eſt ſignum diſtantiæ inter nos, & rem adoratam, & quo maior eſt adoratio, eo maior eſt diſtantia; ergo ſi non adoramus ipſum omni adoratione debita, facimus ipſum minus diſtantem, & quodammodo volumus nos ipſi æquare, quod indignum, & inhoneſtum eſt; tum quia ſi ſufficerent hæ præciſiones, poſſemus ab humanitate præſcindere omnia dona gratiæ, & gloriæ; & ſic concepta illi dicere verba contumelioſa, & ei exprobare vilitatem ſuam: tum quia, ſi iſtæ præciſiones ſufficerent poſſem in concreto adorare totum Chriſtum, non conſiderando vnionem, quæ in Chriſto eſt; hoc autem eſſet exhibere Deo cultum non debitum; igitur nullo modo honeſtum, & licitum eſt adorationem hyperduliæ humanitati Chriſti dare. Sed contra falſum eſt primum antecedens: nam aliud eſt, quod aliquis velit negare Chriſto adorationem debitam latriæ, aliud eſt, quod conſiderando humanitatem cum donis creatis indignum ſit ei dare adorationem hyperduliæ: primum eſt indecens, non ſecundum: nam tali præciſione facta alius cultus, niſi hyperduliæ nõ debetur ei, & quemadmodum ſi quis ſit Rex, Marchio, & Comes alicuius *Marchionatus*,

vel Comitatus, nulla iniuria afficitur, imò pro maximo honore habet, ſi poſt titulum Regium illi tributum nominem etiam ipſum Marchionem, & Comitem; Sic Rex Hiſpaniarum nominat ſe Regem Hiſpaniarum Ducem Mediolani, Comitem Burgundiæ &c. ita & in adoratione humanitatis dicendum eſt; etenim per præciſiones illas non negamus Chriſti humanitati adorationem latriæ, ſed dicimus illi ratione vnionis cum Verbo deberi adorationem latriæ, ratione verò donorum gratiæ, & gloriæ adorationem hyperduliæ. Ex quo patet ad primam confirmationem: nam per talem præciſionem nõ negamus diſtantiam illam ſummam, quæ eſt inter nos, & rem adoratam, ſed præſcindimus à ſumma, & conſideramus ſolùm diſtantiam, quæ eſt inter nos, qui adoramus, & humanitatem donis gratiæ, & gloriæ decoratam; ſicuti, dum Regem Hiſpaniarum vocamus Ducem Mediolani, non negamus ipſum eſſe Regem, ſed conſideramus ipſum, vt Mediolani Ducem, & vt vtar exemplo Lugi: Rex Hiſpaniarum iure antiquo eſt Canonicus Legionenſis, quod ſi caſu illac pergat, ſedet in choro ordine ſuo inter Canonicos, & nulla fit ei iniuria, ſi vt Canonicus tantùm honoretur. Quod ſi dicat Lugus, quod in eo caſu Regis auctoritas ſuſpenditur, quia ipſe Rex ſpontè renunciat ſuæ auctoritati; ita in noſtro caſu, non attenditur, nec conſideratur, ac proinde ſe habet, ac ſi ſuſpenderetur. Ex quo patet ad ſecundam confirmationem; nam nos non negamus vnionem, & alia dona humanitati; nam ſi negaremus iudicium eſſet hæreticum, ſed ſolum præſcindimus; quid ergo poteſt quis eidem exprobrare? licet ab omnibus donis præſcindat? certè nihil mali; nam licet ab omnibus donis præſcindat, re tamen vera omnia ea dona habere quiſquis fidelis fateri debet.

Ad tertiam confirmationem negamus, quod toti Chriſto poſſit conuenire cultus hyperduliæ; nam ſic concipimus diuinitatem: quare ſi hæc eſt ratio adorandi, ei conuenit latria; ſi autem hæc ratione noſtra præſcindatur, & conſideretur tantũm humanitas, cum donis creatis, concedimus, quod ei conueniat cultus hyperduliæ; hoc enim eſt, quod hucuſque intendimus.

8 Cuiuſmodi autem debeat eſſe adoratio debita humanitati Chriſti conſideratæ ſecundùm dona eminentiſſima, quæ habet gratiæ, & gloriæ, dico debere eſſe adorationem hyperduliæ; nam adoratio hyperduliæ eſt, quæ reſpicit ſingularem quandam excellentiam creaturæ rationalis non omnibus beatis communem, ſed aliquorum propriam, qualis eſt maternitas in Virgine matre: ſed dona gratiæ, & gloriæ in Chriſti humanitate ſunt ſingularia; in ipſo enim ſunt in eminentiſſimo, & infinito gradu tamquam in capite, & fronte, à quo omnis gratia, & gloria deriuatur in alios ſanctos, & beatos; ergo humanitas his donis decorata hyperdulia adoranda eſt.

Hyperdulia quomodo humanitati Chriſti cõueniat.

9 Obijcies 1. Cyrillum Alexandrinum, qui in Epiſtol. 10. quæ eſt Concilij Alexandrini, & fuit approbata in Epheſino: hæc habet. *Recuſamus autem & hoc, vt de Chriſto quiſquam dicat. Propter eum, qui hominem induit, eum, qui indutus eſt, veneror; propter inuiſibilem adoro viſibilem*, & in eadem epiſtola Anathematiſmo 8. ita dicitur. *Si quis audet dicere aſſumptum hominem vna cum Deo Verbo adorandum, & glorificandum, & Deum tamquam alterum cum altero appellandum eſſe (quod illa particula, cum, videtur ſignificare) & non magis vna adoratione Emanuelem honorat, & vnam illi glorificationem, ſicut Verbum caro factum eſt, adaptat: anathema ſit.* Item in Concilio Conſtantinop. V. collat. 8. can. 9. dicitur. *Si quis in duabus naturis dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducit ſeparatim Deo Verbo, & ſeparatim homini: vel ſi quis ad interemptionem, vel ad confuſionem deitatis, & humanitatis vnam naturam, ſiue ſubſtantiam eorum, quæ conuenerunt, introducens ſic Chriſtum adorat, ſed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria eius carne adorat ſicut ab initio Eccleſiæ traditum eſt. Anathema ſit.*

Reſpondeo: Hæc omnia loca definire contra Neſtorium; qui dicebat in Chriſto præter diuinam eſſe etiam humanam perſonam, quas volebat eſſe diuerſis adorationibus adorandas. Et Concilium Conſtantinopolitanũ etiam definit contra Eutichetem, qui diuinitatem cum humanitate in Chriſto confundebat; Nec Patres illi ſolliciti erant de his noſtris præciſionibus intellectus, quæ ad fidem non pertinent; ceterum vt vidimus ex Damaſceno, & D. Tho. ſupra adductis in probatione concluſionis, ſi præſcindatur vnio ab humanitate, hæc non eſt adorabilis adoratione latriæ, & tamen D. Damaſcenus, & D. Thomas teſtimonia adducta clariſſimè conſiderarunt; & nihilominus de ipſis non curarunt, eo quod ad præſentem quęſtionem non facerent, ſed ſolùm eſſent contra Neſtorium, Eutychetem, & alios hæreticos: vndè nihil hæ auctoritates, & aliæ ſimiles, quæ à Vaſquez adducuntur probant, vt fatetur etiam ipſe Lugus, licèt hic Vaſquij ſententiam ſequatur.

10 Obijcies 2. ex Lugo. De facto humanitas

manitas Chriſti eſt ſemper vnita cum illa excellentia increata diuinitatis; ergo numquam nobis licet vti illa præciſione dignitatis in ordine ad cultum ei exhibẽdum: probatur conſequentia, quia non licet vmquam tractare perſonam aliquã minus decenter, & aliter, quam ipſa tractari debeat: ſed humanitati vnitæ debetur cultus latriæ; ergo ſi alius cultus minor ei tribuatur, minus decenter tractatur, quam tractari deberet.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ad probationem, concedo, quod non liceat vmquam tractare minus decẽter perſonam aliqnam, quam ipſa tractari debeat: at cum hoc ſtat, quod ſi in eadem perſona ſunt variæ excellentiæ, & vna ſit maior alia, & mihi liberum ſit laudare vnã, vel aliam, poſſum laudare vnam etiam minorem præſcindendo ab alia, vt ſi in filio Regis laudarem dexteritatem in equitando, ſaltando, ludendo, &c. non per hoc indecenter, ſed decenter ipſum tractarem; ita cum fides doceat in Chriſto eſſe vnionem hypoſtaticam, & eſſe etiam alia excellentiſſima dona creata, ſicut poſsum ipſum laudare ob vnionẽ hypoſtaticam, quam habet vnitam, & propter dona gratiæ, & gloriæ, quibus eius humanitas decoratur; ita poſſum etiam ipſum Chriſtum adorare latria, & eius humanitatem cum donis creatis hyperdulia; non quod negem ei debitam latriam propter vnionem, quam habet; ſed quia, quando ei tribuo adorationem hyperduliæ, ab ea præſcindo. Monet tamen Caietanus loco citato art.2. in fine. Adorationem duliæ Chriſto debitam ratione humanæ naturæ, Eccleſiam in mente retinere non in vſu ad euitandos errores, vnde Eccleſia dicit *Domine non ſum dignus, & Domine miſerere mei*, non *ora pro nobis &c.*

ARTICVLVS IV.

An imagines Chriſti, & Sanctorum ſint adorandæ, & quo cultu.

1 Certùm eſt de fide, imagines Chriſti, & Sanctorum eſſe adorandas. Sic definitum eſt in pluribus Concilijs, ſic in Synodo Nicena II. in Florent. & Trid. ſeſſ. 25. quid quid blatrent Hæretici, & de hac re poſſunt videri Bellar. lib. 2. de Imaginibus, & alij controuerſias tractantes; nunc ſolùm à nobis videndum eſt breuiter, quomodo a Catholicis licitè poſſint, & debeant adorari.

2 Suppono diuerſam eſſe adorationem imaginum, & idolorum; nam idolum, vt conſtat ex Auguſtino lib. 20. contra Fauſtum: eſt omne id, quod colitur vt Deus, cum re vera non ſit Deus. Sic, qui colebant imaginem Iouis, quem exiſtimabant habere diuinitatem, cum tamen eam non haberet, vel qui colebant ſolem, quem eſtimabant Deum, adorabant ſimulacra ficta tamquam repræſentantia Deum, cum tamen nec Iuppiter, nec Sol, nec ceteri, quos exiſtimabant Deos, eſſent Deus, ſed erant dij ficti, & falſi; vnde Idolum eſt ſimilitudo ficta, & ſimulata diuinitatis: Imagines autem Chriſti, & Sanctorum repræſentant exemplaria ſua vera, in quibus, vel ineſt vera diuinitas, vt in imaginibus, quibus exprimimus Deum, eo modo, quo aliquando viris ſanctis apparuit; vel Chriſtum, in quo vnita eſt vera diuinitas; vel ſi in exemplaribus non eſt diuinitas, vt in Sanctis, in ipſis tamen eſt vera excellentia gloriæ, & gratiæ, ratione cuius cultum aliquem eis tribuere debemus. Ex quo patet cur catholici adorãdo imagines non committant Idololatriam, vt perperam contendunt hæretici. Nunc videamus modum, quo debeant adorari. *Cur adoratio imaginum nõ ſit Idololatria.*

3. Durandus in 3 diſt. 9. quæſt. 2. num. 10. cui videntur adhærere Holcot & quidam alij dicunt, quod pro tanto dicitur imago ſub ratione imaginis adorari eadem adoratione cum re, cuius eſt imago, quia ad præſentiam imaginis, ſeu ſigni ſit rememoratio rei, quam rememoratam adoramus eadem adoratione, ac ſi præſens eſſet in ſe; hæc Durandus; vnde videtur docere imagines eſſe tantùm conditiones adorandi exemplar, ipſas verò non ad orari: quare iſta opinio à Medina 3. p. quæſt. 25. art. 3. notatur, vt periculoſa, temeraria, & hæreſim ſapiens; & à Victoria ibidem vt hæretica; quid quid ſit tamen de cenſuris huius opinionis.

Secunda ſententia eſt Alfonſi à Caſtro Verbo Adoratio, & aliorum, quos citat, & ſequitur Vaſquez diſp. 108. hæc docet imagines quidem verè, & propriè adorari, ita tamen, vt circa imagines nullus alius cultus verſetur, quam voluntas ſimplex faciendi actionem externam genuflexionis, & huiuſmodi, de reliquo, quod tota mens verſatur circa cultum exemplaris.

Tertia, & communis ſententia D. Th. hic quæſt. 25 art. 3. Caiet. Medinæ, & Thomiſtarum, Suarez diſp. 50. ſect. 4. & 5. Bellar. lib. 2. de imaginibus cap. 21. 22. & 23. Lugi diſp. 36. ſect. 3. Amici diſp. 32. ſect. 3. Arriagæ diſp. 56. ad longum per plures ſect. Gabrielis à S. Vincentio diſp. 25. dub. 5. S. 3. & aliorum,

Digitized by Google

hæc vult imagines ſimul adorari cum prototypo, ſeu exemplari non ſolùm per actum externum, ſed etiam internum; ita vt actus internus ſubmiſſionis feratur etiam in imaginem, qua imago eſt.

4 Concluſio prima. Reijciuntur duæ priores opiniones, & quidem illa Durandi ſic reijcitur. Et primò Concilium II. Nicenum act. I. approbauit Verba D. Baſilij dicentis *Honorificè veneror venerandas imagines ſuſcipio, & amplector.* & act. 2. referuntur verba Adriani Papæ. *Ex animi deſiderio eas veneror*, & Tharaſius ibidem. *Has deſiderio noſtro adoramus, vt in nomine Deiparæ, Chriſti, & Sanctorum factas.* Et Trid. ſeſſ. 25 in decre. de inuocat. Sanctorum habet. *Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, ac retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam*: ex quibus locis & alijs, quæ poſſent adduci ſic argumentor. Per Concilia imaginibus ſacris debetur vera adoratio: ſed ſi imago eſſet tantùm id, ad cuius præſentiam recordamur exemplaris, quod adoramus, ac ſi præſens eſſet, non adoraremus imagines, ſed tantùm exemplar; ergo hæc opinio non ſaluat, quod determinant Concilia: probatur minor; quia quando per imagines ſit rememoratio Chriſti v.g. quem adoramus, vel etiam adoramus imagines ipſas Chriſti, vel non; ſi hoc ſecundùm dicatur, eſt apertè contra Concilia adducta, ſi primum; ergo non ſunt tantùm rememorationes, ſed etiam ſunt obiectum, in quod fertur adoratio. Confirmatur, quia in eodem Concilio act. 6. damnantur ab Epiphanio diacono illi, qui imaginum vſum ſolùm ad rememorationem, non verò ad ſalutationem, ſeu venerationem admittunt: at quis non videat quomodo ab hac opinione non differat, niſi ſolis puris verbis opinio Durandi?

5 Dices ex Vaſquez, imagines quidem adorari, quia adeſt voluntas faciendi illis illam reuerentiam exteriorem v.g. genuflexionem, & huiuſmodi, quę tendit in ipſam imaginem, de cetero mentem totam tendere in exemplar. Sed contra, nam in VII. Synodo in definitione fidei hæc habĕtur. *Imaginis honor in prototypum reſultat, & qui adorat imaginem, in ea quoque adorat deſcriptum argumentum.* Ex quo loco ſic argumentor. Quod reſultat ex imagine, debet eſſe in imagine: ſed honor ex imagine reſultat in prototypum ex Concilio; ergo etiam debet eſſe in imagine: atqui honor, qui reſultat in prototypo, non eſt tantùm voluntas faciendi illam genuflexionem exteriorem, ſed verus honor, & vera adoratio, hoc eſt includit iudicium dictans honeſtum eſſe ſe ſubmittere hic, & nunc ſuperiori excellentiæ; ergo hic honor, qui exemplari tribuitur, etiam tribuitur imagini, vt imago eſt; quod clarè indicant illa verba *In ea quoque adorat deſcriptum argumentum*. ergo ſi in imagine adoratur quoque exemplar; certè etiam imago verè adoratur.

6 Secundò impugnatur ex Leontio in Concilio II. Niceno act. 4. vbi habet *Imaginem Chriſti adorans, non lignorum, aut colorum materiam adorabat, ſed inanimatum characterem Chriſti.* Ex quo ſic arguo, qui Chriſti, & Sanctorum imagines adorat, non debet adorare lignum, argentum, aurum, aut colorum materiam &c. ſed debet adorare imagines, vt imagines Chriſti ſunt, & Sanctorum: ſed ipſa exterior adoratio ſecundū ſe ſūpta ſine actu interiori non minus fertur in materiam ipſam argenti, auri &c. quā in ipſas imagines, vt imagines ſunt; imo in imagines vt imagines ſunt nullo modo fertur per ipſum Vaſquez adoratio per actum ſubmiſſionis interiorem; cum per ipſum ſtultum ſit vllam oſtendere ſubmiſſionem rebus inanimatis; ergo per hanc ſententiam nulla eſt differentia in hoc, quod quis magis adoret imagines, quam materiam, ex quibus confectæ ſunt, quod eſt apertè contra dictum Leontij in Concilio adducto; & ex alia parte nullam veram adorationem tribuit imagini, vt imago eſt; quæ omnia ſunt contra dicta Conciliorum, & Patrum; igitur hæc ſententia nullo modo admittēda. Confirmatur, quia ſi cum aliqua imagine alicuius Sancti ſit depictus Diabolus, certè Diabolo nullus Catholicus vult dare adorationem vllam: ſed hoc non poteſt prouenire ab adoratione illa externa, quia genuflexio, proſtratio ante imaginem æquè fertur in figuram Diaboli, ac imaginem Sancti; ergo vt ſaluetur quomodo quis imaginem Sanctorum adoret non Diaboli debet dici hoc prouenire ex eo, quod per actum internum judicat ſubmiſſionem eſſe tribuendam imagini Sanctorum non figuræ Diaboli; pluribus reijcitur hæc opinio à Suarez, Arriaga, & alijs, verùm dicta ſufficiant.

7 Concluſio ſecunda. Imagines adorantur, quia vno, & eodem actu ſimul adorantur cum prototypo. Probatur primò ratione allata à D. Th. hic q. 25. a. 3. Idem eſt motus in imaginem, vt imago eſt, & in rem repræſentatam per imaginem: ſed adoratio eſt motus quidam animi in imaginem; ergo etiam ſimul

eſt in

Digitized by Google

eſt in exemplar per imaginem repræſentatum: maior eſt Ariſt. in lib. de memoria, & reminiſcentia; & inſuper ſic probatur, quia imago dupliciter poteſt conſiderari: primò vt res quædam eſt conſtans ex ligno, auro, argento, coloribus &c. & hoc modo conſideratur materialiter, & ſub hac ratione ei nulla reuerentia exhibetur: ſecundo vt imago formaliter eſt Chriſti, Virginis, vel Sanctorum, & hoc modo eſt ſumere imaginem, vt imago eſt formaliter, & ſub hac ratione adoratur: ſed ſub hac ratione non poteſt adorari imago, niſi eodem actu adoretur exemplar; ergo eodem actu, quo adorantur imagines, adorantur etiam exemplaria: probatur minor: quia dum amamus media, vt media, amatur etiam finis, ſic qui amat medicinam, vt medicinam, amat illam propter ſanitatem; & qui amat obiectum materiale, amat etiam formale, quia ex materiali, & formali fit vnum obiectum totale amoris: ſed exemplar eſt ratio formalis adorandi imaginem, quæ eſt veluti obiectum materiale, & eſt finis adorandi, cum imago ſit medium; ergo eodem actu, quo quis adorat imaginem etiam adorat exemplar. Confirmatur ibi eſt vna adoratio, vbi & vna formalis ratio adorationis: ſed in imagine, & exemplari eſt vna, & eadem ratio formalis adorationis; nam imago non adoratur propter excellentiam ipſius, ſed propter excellentiam prototypi; ergo cum hæc ſit vna, & eadem ratio formalis adorationis erit vna, & eadem formalis adoratio.

8 Dices primò ex Lugo. Poſſum velle oſculari imaginem, aut illam ponere in altiori loco, abſque quod velim oſculari exemplar, aut illud ponere in altiori loco; ergo non eſt neceſſe, quod eodem actu, quo adoro imaginem, etiã adorem in recto exemplar. Sed contra, quia aliud eſt, quod ego poſſim oſculari imaginem, non cogitando in recto, vel in obliquo de oſculo exemplaris, imò etiam ſi exemplar eſſet præſens, forſan non auderem pro reuerentia illud oſculari, & hoc verum eſt; aliud eſt, quod illud ſignum honoris, quod per oſculum do imagini, non tranſeat in exemplar, & hoc falſum eſt; ſicuti etiam dum pono imaginem in loco altiori, aut ipſam purgo à puluere, non pono in altiori loco exemplar, aut ipſum purgo à puluere; ſed tamen honorẽ, quem tribuo per tales actus imagini, ſemper tranſit in exemplar; & ratio eſt, quia tales actiones non tranſeunt in exemplar ſecundum materiale oſculi &c. ſed ſecundum formale honoris; imò ex hoc confirmo meam concluſionem; nam ſicuti non poſſum tribuere illi imagini huiuſmodi honorem, vt res materialis eſt, quia ſic non eſt digna honore, ſed hunc honorem illi tribuo propter excellentiam exemplaris, ita ſequitur, quod honorando, vel adorando imaginem, ſemper honoretur, & adoretur exemplar.

9 Dices ſecundò ex Suarez. Poteſt quis apprehendere aliquem, vt honorabilem propter alium, licèt non cogitet, an ille alius ſit honorabilis; ergo etiã poteſt quis apprehendere imaginem eſſe adorandam propter exemplar, etiam ſi non apprehendat exemplar eſſe honorandum. Sed contra: implicat aliquem eſſe dignum honore propter alium, & illum alium non eſſe dignum honore; nam in hoc valet illa regula logicorum: *Propter vnumquodque tale, & illud magis*; ſicuti enim à contrario ſi aliquis non eſt dignus vllo honore, nec eius imago erit digna; ſic quia diabolus non eſt dignus honore, nec eius imago erit digna, ita ſi aliqua imago eſt digna honore, & exemplar erit dignum.

10 Obiicies primò pro ſententia Vaſquez plura loca; & in primis Leontius in VII.Synodo art. 1. habet: *Quemadmodum Iacob accipiens à filijs ſuis veſtem ſanguine conſperſam Ioſeph cum lacrymis oſculatus eſt, non ipſam veſtem diligendo, aut honorando hoc fecit, ſed per eam arbitratus eſt ſe Ioſeph oſculari, & in manibus habere; ſic etiam Chriſtiani omnes imagines Chriſti, aut Apoſtoli, aut Martyris tenentes, noſtraq; carne oſculantes animo videmur nobis ipſum Chriſtum, aut Martyrem amplecti.* 2. Concilium Mogontinum celebratum anno 1549. cap. 41. in expoſitione primi præcepti, dicit: *Non adorari imaginem, ſed ad hoc poni vt exemplaris recordemur*, & plura alia ſimilia loca adducit ad ſuam formandam concluſionem.

Reſpondeo hæc omnia loca debere etiam à Vaſquez explicari, qui ponit adorationem externam imaginum; dico ergo intentum Conciliorum, & Patrum eſſe, quod non adorantur imagines propter ſe; ſed propter excellentiam prototypi, ratione cuius adorantur, & adoratio ipſorum eſt reſpectiua ad exemplar non abſoluta; ceterum ipſas debere adorari, conſtat ex definitionibus Conciliorum ſupra allatis.

11 Obijcies ſecundò. Nulla res irrationalis, & inanimata capax eſt ſubmiſſionis, cultus, & honoris: ſed imago, etiam vt imago conſiderata, eſt res irrationalis, & inanimata; ergo non eſt capax cultus, & ſubmiſſionis: maior probatur, quia adoratio eſt nota ſubmiſſionis,

Digitized by Google

nis,& animi cedentis;ſed homo non poteſt prudēter,& honeſtè ſe ſubmittere rei inanimatæ;ſemper enim,quandocumq; conſideretur, eſt inferior homine; ergo non poteſt prudenter, & honeſtè illam adorare.

Reſpondeo hoc argumēto nimis probari; probat enim, quod nulla adoratio debeatur imagini; vnde debet ab aduerſarijs ſolui, nè contrarium tenentes in errorem incidant Iconoclaſticorum.

Dico igitur, quod nulla res inanimata, & irrationalis eſt capax ſecundùm ſe cultus, & adorationis; eſt tamen capax ſi conſideretur, vt habet connexionem cum excellentia ſuperiori; vt patet in purpura Regis, quæ ſecundùm ſe non eſt capax honoris, at vt eſt veſtis Regis ſimul cum Rege purpuram veneramur: concedo poſtea minorem, & diſtinguo conſequens; ergo non eſt capax cultus, & adorationis ſecundùm ſe, concedo conſequentiam, vt habet connexionem cum exemplari, quod repręſentat, nego conſequentiam; ſic enim honeſtum eſt tali imagini ſe ſubmittere, & illam adorare propter excellentiam exemplaris,quod repræſentat.

12 Obijcies tertiò. Adoratio eſt pars poteſtatiua iuſtitiæ: ſed iuſtitia non poteſt eſſe ad imaginem, quæ non eſt capax iuſtitiæ, aut æqualitatis; ergo adoratio interna non poteſt eſſe ad imaginem.

Reſpondeo etiam huic argumento debere ab aduerſarijs reſponderi, cum admittant imagines adorari adoratione externa; nam ſi talis adoratio eſt actus iuſtitiæ poteſtatiuæ, non poteſt exerceri cum re inanimata. Dico ergo actum adorationis imaginum eſſe verè actum iuſtitiæ, quia per talem adorationem redditur ius, quod habet exemplar, vt adoretur, non ſolùm in ſe, ſed etiam in ſua imagine.

13 Obijcies quartò. Imago non eſt capax iniuriæ; ergo neque honoris contrariorum enim eadem eſt ratio.

Reſpondeo eodem modo, quod ſecundùm ſe non eſt capax iniuriæ; eſt tamen capax,vt habet connexionem cum exemplari, & illud repræſentat; quia iniuria, quæ infertur imagini reſultat in exemplar; ſic Principes tamquam ſibi factam iniuriam, & contumeliam iudicant illam, quæ fit imagini propriæ.

14 Obijcies 1. contra ſecundam. In quo eſt diuerſa ratio formalis adorationis,illud non poteſt adorari vnico actu: ſed in imagine, & exemplari eſt diuerſa ratio formalis adorationis; ergo imago, & exemplar non poſſunt adorari vnico actu: probatur minor; nam excellentia, quæ eſt ratio formalis adorādi in exemplari eſt abſoluta, in imagine eſt reſpectiua, & in eſſe repræſentatiuo tantùm.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, dico eſſe eamdem excellentiam, tam in exemplari, quàm in imagine, licèt in imagine ſit diuerſo modo, ac in exemplari, cum in imagine ſit in eſſe repræſentatiuo, & reſpectiuè ad exemplar, in hoc abſoluta, quod tamen non tollit, quin poſſit eodem actu adorari; imò ſic debet neceſſariò adorari; cum idem ſit motus in imaginem,& in exemplar,vt docet Ariſtoteles citatus à D. Th. hic.

15 Obijcies ſecundò. In Concilio Niceno 2. act. 7. in confeſſione fidei habetur: *Chriſto quidem deberi latriam, ac eius imaginem non eſſe adorandam latria, ſed quadam tantùm honorifica veneratione*, ergo non eſt idem actus.

Reſpondeo. Patres ſolùm velle,quod Chriſtus Dominus debeat adorari latria abſoluta, imago verò eius reſpectiua, & hanc vocant honorificam venerationem.

16 Obijcies tertiò. Eodem modo ſe habet intellectus in aſſentiendo concluſioni propter præmiſſas,ac ſe habeat homo in adoratione imaginis propter exēplar: ſed intellectus diuerſo actu aſſentitur concluſioni,ac præmiſſis; ergo etiā diuerſo actu adoratur imago, ac adoretur exemplar.

Reſpondeo data maiori, diſtinguendo minorem: diuerſo actu aſſentitur concluſioni,vt deductæ ex præmiſſis, ac præmiſſis ipſis, nego minorem; quando diſtinctè aſſentitur præmiſſis ante concluſionem,concedo minorem; ergo &c. negatur conſequentia; imò ex hoc quod ſit idem actus, quo aſſentimur concluſioni propter præmiſſas, & quo amo media propter finem, ſequitur, quod ſit idem actus, quo adoro imaginem propter excellentiam prototypi.

17 Obijcies quartò. Qui colit Sanctos propter gratiam, & gloriam,quam habent, non eſt neceſſe, quod per illum actum colat Deum; ergo etiam,qui colit imaginem propter excellentiam exēplaris, non eſt neceſſe, quod per illum actum adoret exemplar.

Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia ratio adorandi Sanctos dulia eſt gratia,& gloria, quæ in ipſis eſt, non excellentia increata Dei; ratio verò adorandi imagines non eſt excellentia in ipſis exiſtens, ſed excellentia prototypi. Ideò &c.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

In quo varia dubia de adoratione ſoluuntur.

1 DIXIMVS articulo ſuperiori imagines eſſe adorandas, non explicuimus tamen, qua ſpecie adorationis adorari debeant, an latria, dulia, vel hyperdulia. Inſuper imagines vel ſunt Chriſti, vel Beatæ Virginis, vel Sanctorum, quocumq; modo poſtea factæ ſint, vel ex auro, vel argento, vel ligno, vel ſint depictæ, de materia enim imaginum in ordine ad adorationem, non eſt curandum, cum non adoretur materia imaginum, ſed adorentur imagines, vt repræſentant ſua exemplaria; & hoc modo etiam Cruces adorantur tamquam imagines Chriſti Crucifixi. Circa Crucem autē poteſt eſſe quæſtio, quomodo adoretur vera Crux, in qua Chriſtus mortuus eſt, vel quomodo adorentur aliæ Cruces, quæ dicuntur Chriſti imagines.

2 Quæres primò, quomodo Crux Chriſti vera, in qua ipſe pependit ſit adoranda?

Crux Chriſti vera quomodo adoranda.

Reſpondeo, Crucem Chriſti veram adorandam eſſe adoratione latriæ reſpectiuè duplici titulo, & quia per contactum, & ſanguinem Chriſti fuit conſecrata, & quia repræſentat Chriſtum crucifixum. Quod ſit adoranda, patet ex VII. Synodo generali act.7. vbi dicitur; *Honorem, & adorationem deferendam eſſe typo venerandæ, & viuificantis Crucis Chriſti.* Quod hæc adoratio debeat eſſe latriæ, Probatur, quia talis eſt adoratio, qualis eſt excellētia, ratione cuius aliquid adoratur: ſed excellentia, ratione cuius adoratur Crux, eſt excellētia increata Chriſti, cui debetur latria: ergo adoratio Crucis eſt latriæ, non quidem abſolutæ, ſed reſpectiuæ in ordine ad excellentiam Chriſti: Crux autem Chriſti vera duplici titulo meretur hanc adorationem, & quia per contactum, & ſanguinem Chriſti fuit conſecrata, quo titulo etiam lanceæ, clauis, coronæ ſpineæ, & alijs inſtrumentis paſſionis eius debetur adoratio latriæ; ſicuti alijs rebus, quas Chriſtus tetigit, & quæ conſeruantur, cuiuſmodi ſunt cunabula Chriſti Domini, quæ hic Romæ in Templo S. Mariæ Maioris adorantur, veſtes eius, & plura alia. Adoratur ſecundò Chriſti Crux, quia eſt imago Chriſti, & hac ratione omnes Cruces merentur adorationem latriæ reſpectiuæ.

3 Dices. Videtur indecorum adorare patibulum, in quo Chriſtus paſſus eſt; nullus enim filius adorat patibulum eius Patris. Sed contrà, quia licèt ſit indecens adorare patibulum mortis ignominioſæ; nihilominus, ſi mors glorioſa eſt, vt fuit illa Chriſti, qui ſua morte de morte, & diabolo triumphans mundum redemit, glorioſum eſt tale patibulum adorare; ſic adorantur etiam inſtrumenta, quibus Martyres moriendo de Tyrannis triumpharunt.

4 Quæres ſecundò, quo cultu adoranda ſit Beata Virgo?

B.V. adoratur hyperdulia.

Reſpondeo cum D. Tho. hic art.5. & communi Theologorum, B.V. adorandā eſſe hyperdulia. Probatur hyperdulia cōuenit puræ creaturæ, ratione alicuius eximiæ, & ſingularis excellentiæ, quæ illi ſoli conueniat: ſed Virgo B. ratione plenitudinis gratiæ, & gloriæ excedit omnes ſanctos, & ratione maternitatis ſuper omnes eminet; ergo adoranda eſt adoratione hyperduliæ.

5 Quæres tertiò. Quo cultu adorari debeant alij Sancti?

Reſpondeo, adorandos eſſe dulia. Eſt communis. Ratio eſt, quia adoratio duliæ debetur illis, qui habēt excellentiam gratiæ, & gloriæ: ſed omnes Beati hanc habent; ergo eis tribuenda eſt duliæ adoratio.

6 Ex quo collige, quo cultu adorandæ ſint imagines B.V. & Sanctorum, ſunt enim eodem cultu adorandæ, quo adorantur eorum prototypi, nempe imagines Beatæ Virginis ſunt adorandæ hyperdulia, aliorum verò Sanctorum dulia: ſolum eſt diſparitas in adoratione imaginum, & exemplarium, quod imagines adorantur propter excellentiam exemplaris; vnde earum adoratio eſt reſpectiua: adoratio verò exemplarium eſt abſoluta.

7 Quæres quartò. An reliquię Sanctorum ſint adorandæ, & quo cultu?

Reſpondeo affirmatiuè, & adorandæ ſunt cultu reſpectiuo, vel latriæ, vel hyperduliæ, vel duliæ. Eſt D. Tho. hic q. 25. art.6. & communis. Ratio D. Thom. Qui habet affectum erga aliquem veneratur etiam ea, quæ de ipſo poſt mortem relinquuntur, non ſolùm corpus, aut partes corporis, ſed etiam aliqua exteriora, puta veſtes, anulos, & huiuſmodi; vt dicit Auguſtinus lib.1. cap.13. de Ciuit. Dei, vbi habet: *Si paterna veſtis, & anulus, ac ſi quid eſt huiuſmodi tantò carius eſt poſteris, quantò erga parentes eſt maior affectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vbique multò familiariùs, atque coniunctiùs, quam qualibet indumenta geſtamus*: ſed Sanctos Dei omnes in veneratione habere debemus tamquam membra Chriſti, Dei filios, & amicos, ac noſtros interceſſores; ergo eorum reliquias quali-

lei-

leſcumq; congruo honore venerari debemus; & præſertim eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & quæ debent glorioſè ſurgere, & cum Chriſto regnare.

8 Dices. Sanctorum reliquiæ ſunt res inſenſibiles; ergo non debent adorari. Reſpondeo, quòd Sãctorum reliquias non adoramus propter ſe, ſed propter Dominũ, cuius illi fuerunt ſerui, & corpora ipſorum propter excellentiam animæ gratia, & gloria decoratæ, quæ fuit eis vnita.

9 Quo verò cultu adorandæ ſint: dico reliquias Chriſti, vt Crux, Claui, Veſtes, & huiuſmodi eſſe adorandas latria reſpectiua, vt ſupra dictum eſt debere adorari Crucem, reliquias B. V. hyperdulia, aliorum Sanctorum dulia reſpectiua adorare debemus.

ARTICVLVS VI.

De communicatione idiomatum, & modo loquendi in myſterio Incarnationis.

1 DE idiomatum communicatione tractat Angelicus in hac 3. par. per totam quæſtionem 16. examinando varios dicendi modos, qui de Chriſto eſſe poſſunt; nos breuiter, quæ D. Thom. & Scholaſtici ad longum diſputant, quaſi per quaſdam regulas generales explicabimus oſtendendo, quomodo hæc idiomatum communicatio locum habeat in Chriſto.

2 Communicatio idiomatum vox eſt à Græcis Patribus deſumpta, quæ latinè idem ſignificat, quod proprietatũ, ſeu attributorum diuinorum, & humanorum inter Deum, & hominem mutua prędicatio. Etenim, cum in Chriſto natura humana, & diuina vna, eademq; ſubſiſtant perſona; hinc effectum eſt, vt diuina de homine, & humana de Deo prædicentur.

3 Prima ergo regula generalis. De omnibus nominibus poſitis pro perſona Chriſti poſſunt prædicari in concreto omnia nomina, quæ aut naturam diuinam, vel humanam, aut attributa alicuius naturæ ſignificant, ſi eorum quidem nominum ſpectamus ſignificationem: traditur hæc regula à D. Thom. hic art. 5. Ratio eſt, quia nomina in concreto ſignificant illud, quod habet formam ſignificatam per ipſa: ſed poſito Incarnationis myſterio diuinum ſuppoſitũ ſubſiſtẽs in vtraq; natura habet vtramq; naturam, & vtriuſq; naturæ attributa; ergo omnes illæ propoſitiones erunt veræ, in quibus prædicantur in concreto ea nomina, quæ ſignificant id, quod habet formam ſignificatam per ipſa.

4 Hinc deducitur primò, hanc propoſitionem: *Deus eſt homo*, non ſolùm eſſe veram, vt benè declarat D. Thom. ar. 1. ſed eſſe neceſſariã, & vniuocam, contra Scotum, & Durandum. Probatur, quia in ea propoſitione ſubiectum ſignificat hypoſtaſim diuini Verbi, quia ob naturam prædicati ſit, vt ibi ſubiectum ſupponat pro ſuppoſito Verbi diuini, non abſolutè, & nudè, ſed vt ſuſtentat naturam humanam, ac proindè vt eſt ſuppoſitũ humanũ: ſed ſuppoſitum humanum neceſſariò, & per ſe eſt homo, quia de eſſentia ſuppoſiti humani eſt, vt ſit homo; ergo hæc propoſitio: Deus eſt homo, erit neceſſaria: eſt etiam vniuoca cum ceteris propoſitionibus, in quibus homo dicitur de qualibet ſua hypoſtaſi; non erit tamen vniuoca ratione modi conueniendi, vel ratione conditionum indiuidualium, ſed ratione rei conuenientis, quia vtrobique eſt eadem humanitas, & eiuſdem rationis, Vnde quamuis ipſæ ſubſiſtentiæ differant, nec ſint vniuocæ, parum refert; non enim conditiones indiuiduantes auferunt cõuenientiam ſecundùm conceptum ſpecificum. Plura Caietanus ar. 1.

5 Deducitur ſecundò hanc propoſitionem eſſe veram: *Homo eſt Deus, omnipotens, creator &c.* vt habet D. Tho. art. 2. Ratio autem eſt, quia quælibet naturæ, eiuſq; proprietates prædicantur in concreto de ſuppoſito talis naturæ, ſicuti propria, vera, neceſſaria, & vniuoca prædicatione dicimus de Petro, quod ſit homo, animal, rationalis, & ſenſibilis: at nomina concreta ſubſtantiua licèt ſignificent diſtinctè aliquam formam; attamen in confuſo ſtant ſæpius, & materialiter pro ſuppoſito, & conſequenter cum in Chriſto ſit vna tantùm ſubſiſtentia in duplici natura, tam nomen *Homo*, quàm nomen *Deus* ex parte ſubiecti ſtabit pro ſuppoſito Verbi materialiter; ideoq; tam nomini *homo*, quàm nomini *Deus* poterunt attribui prædicata alterius naturæ propria, & vera prædicatione.

6 Deducitur tertiò, perſonam Chriſti, ſeu Verbi poſt hoc Myſterium verè dici poſſe perſonam humanam; tum quia vox *Perſona humana* eſt nomen concretum ſignificans ſuppoſitum habens hypoſtaticè naturam humanam, quod quidem de perſona Chriſti veriſſimè dicitur; tum quia perſona Verbi diuini eſt hypoſtaſis naturæ humanæ, vt docet paſſim in hac quæſt. 16. D. Thom. quod planè eſt eſſe perſonam humanam; nec obſtat, quod non ſit perſona creata,

quia

Digitized by Google

quia eſſe creatum non eſt de intrinſeco conceptu perſonæ humanæ, ſed de eius conceptu eſt ſolùm, vt ſit ſubſiſtentia incommunicabilis in humana natura ſubſiſtens, quod veriſſimè poſt hoc myſterium conuenit perſonæ Chriſti, ſeu Verbi. Neque inferas ex eo, quod Verbum diuinum ſit ſuppoſitum humanū etiam poſſit dici ſuppoſitum creatum; quia nomē *Creatum* adiectiuum ex modo ſuo ſignificandi, ſignificat eſſe creatum ſecundùm ſe, quod non conuenit perſonæ Verbi, ſeu Chriſti.

7 Addidi in fine talis regulæ ſi eorum quidem nominum ſignificationem ſpectemus, quia licèt ſint plures propoſitiones, in quibus de perſona Chriſti, ſeu de diuino Verbo aliquid humanum prædicatur, quæ ſpectando ſolum ſignificatum vocabulorum veræ ſunt; nihilominus ab earum vſu ob tres cauſas abſtinendum eſt. Prima eſt abuſus hæreticorum earumdem loquutionum. Secunda modus ſignificandi non ita appoſitus. Tertia connotatio alicuius indecentis ex prima apprehenſione vocabuli. Propter primam monet D.Thom. art.8.& 10. hanc non eſſe admittendam, *Chriſtus eſt creatura*; quia ea propoſitione abuſi ſunt Ariani ad diuinitatem Verbi oppugnandam; cum hæreticis autem nec verbis quidem conuenire debemus, quoad fieri poteſt, ne eorum errori fauere videamur; alioquin tamen huiuſmodi propoſitio vera eſt, & vſurpata à Patribus à D.Leone ſerm.3. Pentecoſtes, à D.Auguſtino epiſt.54. vbi habet. *Quod attinet ad hominem creatura eſt Chriſtus factus ex ſemine Dauid*. Similis ratio eſt harum propoſitionum. *Chriſtus eſt ſubiectus Deo, eſt ſeruus Dei, eſt minor Patre*, quæ propter controuerſias de illis Catholicorum cum hæreticis non ſunt ſimpliciter vſurpandæ, ſed ſolùm illis vti debemus cum reduplicatione humanitatis, v.g. *Chriſtus ſecundum humanitatem eſt ſubiectus Deo, eſt ſeruus Dei, eſt minor Patre.*

8 Propter ſecundam rationem. D. Thom.art.9.reijcit iſtam propoſitionem *Chriſtus incepit eſſe*, quia hic dicendi modus propriè ſignificat ante non fuiſſe ſuppoſitum, de quo eſt ſermo, quia *eſſe* conuenit propriè ſuppoſito; falſum autem eſt ſuppoſitum Chriſti ante non fuiſſe ſimpliciter; ergo non eſt vſurpanda talis propoſitio, niſi cum addito dicendo. *Chriſtus vt homo incepit eſſe*, *vel incepit eſſe ſecundum humanitatem.*

9 Propter tertiam rationem D.Tho. art.3.reijcit hanc aliam. *Chriſtus eſt homo Dominicus*; nam licèt ea ſit vſurpata à Patribus citatis à Suarez in eumdem articulum, & tripliciter vſurpari poſſit, primò quatenus *Dominicus* idem eſt, ac Dominum habens, & verè Chriſtus, quatenus homo Dominum habet: Secundò quia hæc denominatio importat habitudinem ad Patrem; nam ſicuti Chriſtus dicitur filius Dei propter habitudinem ad Patrem; ita etiam Verbū, ſeu Filius poteſt dici Domini; ergo ratione huius habitudinis poteſt dici Verbum Dominicū, & Filius Dominicus, & per communicationem idiomatum homo Dominicus. Tertiò ipſa humanitas cum diſtinguatur à ſuppoſito poteſt dici, & eſt Dominica. Nihilominus retractauit Auguſtinus hanc propoſitionem *Chriſtus eſt homo Dominicus*; nec eſt admittenda, quia ex communi vſu *Dominicus* dicitur denominatiuè à Domino, & cum Chriſtus ſit ipſe Dominus, non poteſt verè dici Dominicus; hoc enim nomen *Dominicus* importat diſtinctionem realem illius, de quo dicitur à Domino; ex quo ſit, vt humanitas Chriſti poſſit quidem, & verè dici Dominica, quia diſtincta eſt realiter à ſuppoſito, quod eſt Dominus; at vero homo Chriſtus, cum non diſtinguatur à ſuppoſito, ſed illud includat, & ſuppoſitum ſit Dominus, non poteſt appellari Dominicus, præſertim cum indicetur error Neſtorianus, & diſtinctio ſuppoſitorum.

10 Secunda Regula. De nullo nomine ſignificante in abſtracto alteram Chriſti naturam, vel attributa prædicari poſsūt in abſtracto nomina alterius naturæ; de nominibus tamē poſitis pro perſona Chriſti prædicari poſſunt in abſtracto nomina ſpectantia ad naturam diuinam, non humanam: Prima pars patet; nam ex D.Thom.hic art.5. falſa eſt iſta: *Humanitas eſt diuinitas, immenſa &c. vel diuinitas eſt humanitas, paſſibilis, mortua &c.* ratio autem eſt, quia omnis affirmatio, qua dicitur *hoc eſt hoc* ſignificat identitatem inter prædicatum, & ſubiectum, cum autem duplex ſit identitas, vna ratione ſui, altera in vno tertio, quoties nomen ponitur in abſtracto, cum nullum tertiū importetur, ſignificatur in propoſitione affirmatiua identitas ratione ſui inter prædicatum, & ſubiectum; & cum falſum ſit, vel naturam humanam eſſe identificatam cum diuina ratione ſui, vel cum quocumque alio attributo, vel è contra, falſæ erunt omnes illæ propoſitiones, in quibus in abſtracto vna natura prædicatur de altera, vel de eius attributis. Secunda pars regulæ probatur, nam Ioan.4.dixit de ſe Chriſtus. *Ego ſum via, veritas, & vita*, & 1.ad Cor.1. dicitur Dei virtus, & Dei ſapientia: ratio ve-

Digitized by Google

rò diſparitatis, cur nomina diuina tantùm, non humana de Chriſto dici poſſint in abſtracto eſt, quia Chriſtus ſupponens pro ſuppoſito Verbi eſt Deus, idem autem eſt Deus, ac Deitas, quia in diuinis idem eſt vt *quo*, & vt *quod*, non in creatis.

11 Aduertendum autem eſt hanc propoſitionem *Chriſtus eſt Deitas*, & ſimiles non eſſe proprias, & formales, ideoque non eſſe ita accipiendas, ſed admitti tantùm poſſe in ſenſu identico.

12 Hinc ferri poteſt iudicium de propoſitione illa, *Chriſtus vt homo eſt Deus*, quàm meritò negat D.Tho. art. 11. quia propriè reduplicat naturam humanam; ſecundum hanc autem Chriſtus non eſt Deus. Ceterum in propoſitionibus cum reduplicationis nota poſſunt prædicari proprietates omnes, quæ conueniunt vtrique naturæ, dummodò cum prædicantur proprietates vnius naturæ reduplicetur ex parte ſubiecti illa natura; Quare veriſſimè dicitur, *Chriſtus ſecundùm quod Deus creauit mundum*, item *Verbum ſecundùm quod homo natum eſt, paſſum, crucifixum, &c.* In hac tamen propoſitione. *ſecundum quod homo eſt perſona*, in qua propriè reduplicatur natura humana docet D.Thom. art. 12. diſtinguendum eſſe; nam ſi ſenſus ſit humanam naturam Chriſti poſſe eſſe perſonam, eſt propoſitio falſa, & Neſtoriana; ſi autem dicat naturam humanam Chriſti ſubſiſtere in perſona diuina, vera eſt propoſitio.

13 Tertia regula. In propoſitionibus. quæ ſignificant factam eſſe vnionem hypoſtaticam vtriuſque naturæ non poſſunt in concreto indifferentèr habere locum ſubiecti nomina diuina, & humana; Vndè quamuis veriſſima ſit iſta *Deus factus eſt homo*, vt docet D.Tho. ar. 6. & habetur Ioan. 1. non tamen ex omni parte vera eſt iſta: *homo factus eſt Deus*, vt docet idem D.Tho. art. 7. ratio eſt, quia in iſtis propoſitionibus ſignificatur propriè ſubiectum tranſire ad prædicatum accipiendum, ac proinde quodammodo præextitiſſe ipſi prædicato; licèt ergo Deus præextiterit humanitati, quam aſſumpſit; non tamen præextitit homo aſſumptus antequam aſſumeretur, & ideo veriſſima eſt hæc *Deus factus eſt homo* non tamen hæc, ſi propriè loquamur, *homo factus eſt Deus*; in ſenſu tamen improprio, de quo D.Thom. art. 7. vera eſſe poſſet. Plura de his poſſunt videri apud alios auctores Ioan. à S.Thom. Suarez, Vaſquez, Amicum, Arriagam, & alios; verum dicta ſufficiant, & finis etiam ſit totius tractatus de hoc Sacratiſſimo Incarnationis Myſterio. Vtinam Chriſtus Saluator, qui nos redemit pretioſiſſimo ſanguine ſuo, me in numerum eorum miſericorditer includere dignetur, qui è fontibus Saluatoris aquas gratiæ vberrimas hauriunt, vt ipſum in perpetuum merear cum ſanctis eius in gloria laudare, venerari, & adorare,

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS.

DE SACRAMENTIS IN COMMVNI.

IN hac tertia parte poſtquam Angelicus præceptor de Chriſto Seruatore, eiuſque myſterio Incarnationis diſſeruit, in quæſtione ſexageſima incipit agere de Sacramentis, quæ ex meritis Chriſti Domini efficaciam habent: hæc ſunt fontes illi, de quibus Iſaias prædixerat. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, cap. 12. & verè fontes ſunt, è quibus dulciſſimæ gratiarum aquæ ſalientes in vitam æternam nobis promanant; hæc ſunt ſeptem illæ columnæ, quas diuina excidit ſapientia, vt ſuper eas Eccleſiæ ſuæ ſanctæ domum ædificaret; hæc ſunt ſeptem planetæ, quibus omnis gratiæ cæleſtis irroratio in animas noſtras deſcendit: hæc ſunt inſtrumenta gratiæ, eximia diuini amoris ſigna, & pignora æternæ beatitatis, magnum denique artificium infinitæ ſapientiæ, vt hominem perditum, & terrenis deditum per terrena, & ſenſibilia ſigna ad cæleſtia regna reuocaret.

Tractat Angelicus Doctor de Sacramentis in communi à quæſt. 60. vſque ad 66. Nos ipſum ſequentes totum hunc tractatum quinque quæſtionibus concludemus; Quarum prima erit de natura & eſſentia Sacramentorum: Secunda de neceſſitate Sacramentorum: Tertia de principali eorum effectu, qui eſt gratia: Quarta de charactere: Quinta denique de Sacramentorum cauſis, & numero, ſicque exactam de Sacramentis cognitionem habebimus.

QVÆSTIO I.

De Sacramenti eſſentia.

SAcramenta dari ſuppono ex fide, & hæc fuere, tum in lege veteri, tum in noua, prætermiſſo igitur, an ſit, ſtatim eorum eſſentiam inueſtigabimus: primò metaphyſicam, ſcilicet eorum genus, & differentiam, mox phyſicam, nempè eorum materiam, & formam.

Multipliciter ſumitur hæc vox Sacramentum; nam primò apud veteres ſignificabat pecuniam quandam, quæ in loco ſacro à litigantibus reponebatur ea lege, vt qui cauſam vinceret, integram eam reciperet, qui verò cauſam amitteret, etiam pecuniam deperderet in ſacros vſus vertendam: Secundò ſumitur pro iuramento, vel pro re firmata iuramento, iuramentum enim nonniſi per aliquam rem ſacram fieri poteſt; & hæc acceptio in iure valdè eſt vſitata: Tertiò ſacramentum ſignificat rem aliquam diuinam hominibus occultam, eorumque cognitionem ſuperantem, quo ſenſu ſacramentum idem ſignificat, ac ſacrum ſecretum, ſic Sap. 2. dicitur. *Neſcierunt Sacramenta Dei*; & ſic idem eſt latinè Sacramentum, ac Græcè myſteriũ. Quartò ſumitur pro ſecretis Regum Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Tandem vox *Sacramentum* nunc communiter limitata eſt ad ſignificanda quędam ſigna ſenſibilia ſpiritualem gratiam continentia ad cultum Dei, & ſanctificationem hominum ordinata, & in hoc ſenſu hic accipitur.

ARTICVLVS I.

An eſſe ſignum ſacrum ſit de ratione generica Sacramenti, vt ſic.

1 VT explicare poſſimus eſſentiam Sacramenti metaphyſicam, debemus prius inquirere, quodnam ſit genus Sacramenti, vt ſic: dixi, vt ſic, quia cum non ſolùm in lege gratiæ ſint Sacramenta, ſed etiam fuerint in lege naturæ, & ſcripta. Hic inquirimus quodnam ſit proprium genus Sacramēti, prout Sacramentum præſcindit à Sacramentis noſtris, & Sacramentis antiquis legis naturæ, vel ſcriptæ.

2 Prima ſententia tribuitur D. Tho. in 4. diſt. 1. qu. 1. art. 1. Capreolo ibidem concl. 1. Palat. diſp. 1. §. Ego verò, & Stephano Bauni tract. 1. q. 4. hæc vult genus Sacramenti eſſe cauſam non ſignum.

Secunda ſententia communis inter Thomiſtas docet Sacramentum eſſentialiter eſſe ſub genere ſigni. Sic D. Th. hic qu. 60. art. 1. & 2. Caietanus, Nugnus, Syluius, Cabrera, Arauius, Serra, Ioan. a S. Thom. diſp. 22. art. 1. dub. 1. & plures Thomiſtæ; præterea Vaſquez, Valentia hic quæſt. 60. & plures alij antiqui Scholaſtici.

Tertia ſententia docet Sacramentum eſſentialiter eſſe ſub genere ſigni, & cauſæ. Sic Magiſter in 4. diſt. 1. cap. 1. Albertus, & Aureolus ibidem, Suarez hic diſp. 1. ſect. 2. Lugo diſp. 1. ſect. 2. concl. 2. Auerſa ſect. 3. Amicus diſp. 1. ſect. 2. Gonet diſp. 1. art. 1. & plures alij, & Arriaga

in re conuenit hic diſp. 1. ſect. 5. licèt noluit Sacramentum appellare cauſam, ſed ſolùm pignus, ſeù arrham gratiæ.

3 Concluſio 1. De ratione Sacramenti eſt, vt ſit ſigum ſacrum. Probatur primò ex ſcriptura Geneſ. 17. Circumciſio dicitur ſignum fœderis, ad Rom. 6. Baptiſmus appellatur ſignum ſepulturæ, & Reſurrectionis Chriſti; & 1. ad Corinth. 11. Euchariſtia dicitur ſignum paſſionis, & mortis Chriſti, & ex pluribus alijs locis hæc veritas poteſt colligi. Addo id eſſe communem conſenſum Patrum, & Theologorum, qui Sacramenta appellant ſacra ſigna, & ſacra ſignacula. Eadem veritas colligitur ex Florent. in Decreto vnionis, & Trid. ſeſs. 7. can. 6. vbi Sacramenta in communi vocantur ſigna gratiæ, antiqua enim ſignificabant gratiam dandam per Chriſtum, noſtra verò ſignificant gratiam, quam cauſant.

4 Probatur ratione. Sacramenta inſtituta ſunt ad ſananda vulnera, in quæ homo per peccatum primi parentis inciderat, quare non ſolùm ordinata fuere ad ſanandum homines à peccatis, ſed etiam ad erudiendos ipſos, & inſtruendos de rebus diuinis: Sed non poſſent naturali modo erudiri de rebus diuinis, niſi per ſenſibilia ſigna, hoc enim eſt connaturale homini, vt per ſenſibilia deducatur in cognitionem rerum diuinarum, & ſupernaturalium; ergo cum Deus Sacramenta ad hunc finem inſtituerit, debent eſſe ſigna ducentia in cognitionem gratiæ, & myſteriorum ſupernaturalium: cum ſignum communiter definiatur; *Illud, quod præter ſui ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, in alterius etiam rei cognitionem venire facit.*

5 Concluſio 2. De ratione ſacramenti, vt ſic, eſt vt conferendo aliquam ſanctitatem, ſignificet veram ſanctitatem animæ. Explicatur concluſio: dixi Sacramentum vt ſic, quia hoc non conuenit ſolum noſtris Sacramentis, ſed etiam antiquis; dixi veram ſanctitatem animæ; quia duplex eſt ſanctitas, alia perfecta, & interna, quæ fit per internam gratiæ ſanctificantis infuſionem, qua realiter homo ſanctificatur: alia externa, & legalis, quæ fit per quaſdam exteriores cæremonias, per quas homo moraliter deputatur in cultum Dei, & dicitur ſanctitas ſecundùm quid, & legalis, & conuenire poteſt, non ſolùm hominibus, ſed etiam alijs rebus inanimatis. Sic explicata concluſio eſt contra Canum relectione de Sacramentis p. 1. qui vult ſufficere, quod tantùm Sacramenta ſignificent ſanctitatem legalem, & hoc propter Sacramenta antiquæ legis, nos autem cum communi dicimus omnia Sacramenta non ſolùm ſignificare legalem, ſed etiam veram ſanctitatem ſanctificantem.

6 Probatur ergo 1. concluſio, & quidem de noſtris patet; nam id ſignificant quod efficiunt, vt docent Florent. & Tridènt. loco ſupra ditato: Sed efficiunt veram ſanctitatem; ergo & illam ſignificant. Quoad Sacramenta verò antiqua idem etiam oſtenditur, & quidem de Circumciſione, & remedio legis naturæ nulla eſt difficultas: de ceteris verò Sacramentis veteribus in vniuerſum probatur ex Florentino in litteris vnionis, vbi vetera Sacramenta vocat ſimpliciter Sacramenta, quia licèt gratiam non conferrent, ſignificabant tamen gratiam per Chriſtum dandam: ſed gratia danda per Chriſtum eſt vera gratia ſanctificans; ergo etiam vetera Sacramenta veram gratiam ſanctificantem ſignificabant.

7 Probatur ſecundò: In hac difficultate de Sacramentis debemus aſſignare aliquam rationem cur in lege noua multæ cæremoniæ ſacræ non ſint Sacramenta, cuiuſmodi ſunt prima tonſura, per quam homo cultui Dei incipit dicari, abſolutio ab excommunicatione, aqua luſtralis, quæ remittit venialia, & profeſſio in religione, per quam ſingulari quadam ratione homo cultui Dei dicatur; ſed hanc non poſſumus aſſignare, niſi dicamus Sacramenta debere ſignificare ſanctitatem veram, quam prædicta enumerata non ſignificant; ergo fatendum eſt omnia Sacramenta veram ſanctitatem ſignificare, Sacramenta quidem noua ſignificant ſanctitatem, quam efficiunt; antiqua verò ſanctitatem verã per Chriſtum dandam.

8 Obijcies primò. Signum eſt illud, quod præter ſui ſpeciem, quam ingerit ſenſibus in alterius etiam rei cognitionem venire facit: ſed Sacramenta non ducunt nos in cognitionem gratiæ ſanctificantis; ergo non poſſunt eſſe ſignum gratiæ ſanctificantis: maior patet: probatur minor, quia etiam poſitis, & cognitis Sacramentis, nec dum vllo modo cognoſcimus gratiam ſanctificantem.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, nego antecedens; nam aliud eſt, quod non cognoſcamus actu gratiam ſanctificantem fuiſſe poſitam, aliud eſt, quod cognitis Sacramentis, vt ſigna ſunt, & eorum ſignificatione non cognoſcamus gratiam debere poni, vel actu, ſi Sacramenta ſint nouæ legis, vel gratiam eſſe dandam intuitu meritorum Chriſti, ſi ſint Sacramenta antiqua; primum eſt verum, ſecundum falſum: ſufficit autem, vt quantùm eſt de ſe, Sa-

cramen-

Digitized by Google

cramentum ſit ſignificatiuum gratiæ, vt actu ſit ſignum.

9 Obijcies ſecundò. Si Sacramenta ſunt ſigna ſacra, vel ſunt ſigna naturalia, vel ad placitum: ſed nullo modo ſunt ſigna, ſiue ad placitum, ſiue naturalia; ergo neque ſigna ſunt: probatur minor: ſi ſunt ſigna naturalia, deberent eſſe à natura, & apud omnes nationes, quod tamen eſt falſum; neque ſunt ad placitum, quia cum voluntas ſit mutabilis, etiam Sacramentũ mutabile eſſet, quod dici nequit: tum quia ſignum ad placitum formaliter eſt ens rationis: ſed Sacramentum formaliter non poteſt eſſe ens rationis; ergo neque ſignum ad placitum: maior probatur, quia ſignum naturale formaliter eſt relatio realis tranſcendentalis ad rem ſignificatam; ergo ſignum ad placitum; cum non poſſit eſſe relatio realis tranſcendentalis, erit relatio rationis.

Reſpondeo negando minorem: ad primam probationem dico, eſſe ſigna ad placitum ex inſtitutione diuina immutabili, vnde & ipſum Sacramentum immutabile eſt: ad ſecundam probationem, nego ſignum ad placitum eſſe ens rationis; eſt enim complexum morale ex rebus ſenſibilibus, & re ſignificata, ſicuti ſignum naturale eſt complexum naturale; ſeu ſignum naturale eſt denominatio extrinſeca realis, ſignum verò ad placitum eſt denominatio extrinſeca moralis.

10 Obijcies tertiò. Si Sacramenta eſſent ſignum ſacrum omnia ſigna rei ſacræ eſſent etiam Sacramentum: ſed hoc eſt falſum; ergo Sacramenta non ſunt ſignum ſacrum, aut ſigna rei ſacrę: probatur minor: nam tranſitus maris rubri ſignificabat veram ſanctitatem per baptiſmum dandam, vt colligitur ex 1. ad Cor. 10. & manna ſignificabat ſanctitatem dandam per Euchariſtiam, & tamen non erant Sacramenta; ergo non omne ſignum rei ſacræ eſt Sacramentum.

Reſpondeo, quòd ad rationem Sacramenti non ſolùm requiritur, quod ſit ſignum vt ſic, rei ſacræ, ſed inſuper debet eſſe ſignum practicum ſanctitatis, vt in ſequenti videbimus, in quo ſenſu nec tranſitus maris rubri, nec manna ſignificabãt ſanctitatem, ſed tantùm eam quodammodo ſpeculatiuo modo ſignificabant, non practicè.

11 Obijcies quartò. Si Sacramenta debent ſignificare veram ſanctitatem, maximè quia ſecus non poſſemus reddere rationem, cur aqua benedicta, prima tonſura, & huiuſmodi non ſint Sacramenta: ſed hanc poſſumus aſſignare, licèt non ſignificent veram ſanctitatem; ergo non eſt neceſſe aſſerere, quod ſit de ratione Sacramenti ſignificatio ſanctitatis: maior eſt probatio noſtræ concluſionis: probatur minor: nam poſſumus dicere cum D. Thom. hęc omnia eſſe tantùm diſpoſitiones ad ſanctificationem, & fuiſſe inſtituta ab Eccleſia; ad rationem verò Sacramẽti requiri, quod inſtituantur à Deo.

Reſpondeo hanc non eſſe præcisè adæquatam rationem noſtræ concluſionis, ſed præcipuum fundamentum noſtrum deſumi ex auctoritate Florentini, vt dictum fuit in concluſione: nihilominus admiſſa maiori: negatur minor: ad probationem dico, quòd etiam vetera Sacramenta erant diſpoſitiones ad gratiam, & ideò diſtingui debent, quod vetera ſignificabant gratiam dandam, quam non ſignificant aqua benedicta, prima tonſura, & huiuſmodi. Quod verò hęc inſtituta ſint ab Eccleſia facit pro noſtra ſecunda concluſione, nam ideò non poteſt Eccleſia inſtituere Sacramẽta, quia ſolus Deus poteſt eſſe auctor gratiæ conferendæ; de reliquo res ſunt tales ex propria entitate, non ex auctore, vnde ſi aqua luſtralis haberet omnia, quæ habent Sacramenta, etiam Sacramentum eſſe deberet.

ARTICVLVS II.

An Sacramenta non ſolùm ſint ſigna ſanctitatis, ſed etiam cauſæ.

1 HÆC quæſtio ſub alijs terminis etiam ſolet proponi, nempe, an Sacramenta ſint ſigna practica ſanctitatis: hæc difficultas eſt omnino connexa cum præcedenti, claritatis tamen gratia de ipſa peculiarem articulum inſtituo. Quæ ſint Doctorum placita in principio præcedentis articuli diximus.

2 Notandum primò. Ad euidentiam, quod Sacramenta omnia, quæ de facto dantur ſunt ſigna ſenſibilia; dixi, quæ de facto dantur; nam, an poſſit Deus inſtituere Sacramenta, quæ non ſint ſigna ſenſibilia, in ſequenti dicemus; ex eo igitur, quod ſint ſigna ſenſibilia, etiam debent habere aliquam ſimilitudinem cum re ſignificata; etenim cum ad perfectam rationem ſigni, vt traditur in logica, ſpectet, vt habeat aliquam ſimilitudinem cum re ſignificata; hinc ad diuinam ſapientiam ſpectauit ea ſigna eligere, quæ aliqualem ſimilitudinem cum re ſignificata haberent; vnde in Sacramentis noſtris hæc

analo-

Digitized by Google

Sacramēta aliquā ſimilitudinem cum re ſignificata habere debent.

analoga proportio reperitur; ſic Baptiſmus, quia eſt per modū regenerationis; ſicuti prima productio hominis facta fuit ex luto; ſcil. ex terra, & aqua; ſic regeneratio fit ex aqua tangente corpus terreū, & quia lauat animā à ſordibus peccati, in aqua conſtitutus eſt, quæ ſordes abluit: Confirmatio, quæ dat vires ad reſiſtendum tentationibus, & profitēdum fidem, in Chriſmate conſtituta eſt, quod corpus corroborat: Euchariſtia, quæ reficit animam, in pane, & vino conſtituta eſt, quæ reficiunt corpus, & ſic de aliis dicendum eſt. Vnde Auguſtinus epiſt. 119. ad Ianuarium habet: *Ad rem ſacratè ſignificandam ſimilitudines aptas religioſiſſima deuotione ſuſcipimus &c.* Hoc itē cernere poſſumus in Sacramentis antiquæ legis, licèt non habeant tam claram ſignificationem; neque enim tam clarè ſignificabant gratiam. Hoc autem factum eſt, non quod non poſſet Deus quodcumque eligere tamquam inſtrumentum ad ſignificandam, & producendam gratiam, potuit enim, & ſicut de facto Ioann. 9. vſus eſt luto ad illuminandum cæcum natum, cum tamen lutum potius ſit aptum cauſare cæcitatem, quam illuminationem; ita potuit quodcumq; eligere ad cauſandam gratiam; de facto tamen ſuauis, & diuina prouidentia tantùm elegit ea ſigna, quæ aliquam ſimilitudinem haberent.

3 Notandum ſecundò. Duplicem poſſe dari cauſam gratiæ, & ſanctitatis; vnam ſtrictam, & efficientem, qualis eſt ſola cauſa phyſica efficiens, aliam latam, qualis eſt cauſa moralis, ad cuius intuitum cauſa efficiens operatur, & inquirimus, an de ratione Sacramenti, vt ſic, ſit eſſe cauſam gratiæ, prout ly *cauſa* abſtrahit à cauſa efficienti phyſica, & morali; quia tamen nomine cauſæ non ſolùm venit cauſa efficiens, ſed etiam formalis, licèt Sacramentis, vt ſic, non conueniret ratio cauſæ efficientis, nec phyſicæ, nec moralis, poteſt quæſtio fieri, an eis conueniat ratio cauſæ formalis ſanctitatis, non quidem internæ, & ſanctificantis, nam ipſa gratia ſanctificans eſt forma, & non poteſt dari forma formæ; ſed ſanctitatis externæ, & legalis, & in vtroque ſenſu poteſt agitari quæſtio, licèt communiter à Theologis in primo ſenſu tantùm agitetur, ab alijs verò confundatur accipiendo nomen cauſæ, prout abſtrahit ab efficiente, & formali. Inſuper ſignum aliquod ſacrum poteſt dici ſignum practicum ſanctitatis tripliciter: primò, quia tamquam cauſa inſtrumentalis phyſica producat ſanctitatem: ſecundò, quod producat ſanctitatem tamquam vera cauſa moralis, non phyſicè: tertiò, quod nec phyſicè, nec moraliter efficiat, ſed tantùm ſit conditio, ſiue qua Deus gratiam non conferret; ſi loquamur de ſigno practico primo modo, clarum eſt de ratione Sacamenti vt ſic non eſſe ſignum practicum; hoc enim ſolùm conuenit noſtris Sacramentis: ſi verò in ſecundò ſenſu, & tertio eſt diſputatio inter Theologos.

Senſus quæſtionis.

4 Concluſio prima. De ratione Sacramenti, vt ſic, non eſt eſſe cauſam moralem efficientem ſanctitatis internæ, ſed tantùm externæ, & legalis, cuius etiam ſunt cauſæ formales. Prima pars eſt contra Martinez à Prado hic dub. 1. Gonet diſp. 1. ar. 1. §. 1. & alios, eſt tamen communis inter Doctores, & diſcrepantia videtur eſſe tantùm de voce, de qua parum curandum eſſet. Probatur tamen noſtra concluſio. Cauſa efficiens moralis debet eſſe talis, vt per aliquid ſui intrinſecum moueat cauſam efficientem phyſicam ad operandum, ſic merita noſtra ſupernaturalia mouent Deum ad dandum augmentum gratiæ, & gloriam, labores in vinea facti mouent Dominum vineæ ad dandam mercedem, ſingrapha capſuarij aſſerentis ſe Romæ percepiſſe centum à Petro mouet correſpondentem ſuum Mediolani ad dandum centum Petro: atqui Sacramenta omnia per aliquid ſui intrinſecum non mouent Deum ad dandam gratiam ſanctificantem; ergo omnia Sacramenta non ſunt cauſæ morales gratiæ ſanctificantis.

5 Dices cum Gonet. Vt aliquid ſit cauſa moralis lato modo alicuius rei ſufficit, ſi in ipſo ſit vis excitatiua moraliter cauſæ phyſicæ ad dandum aliquid: ſed in omnibus Sacramētis, etiam veteris legis erat vis excitatiua, qua Deus mouebatur ad gratiam conferendam; ergo etiam vetera Sacramenta erant cauſæ morales gratiæ. Sed contra debemus aſſignare aliquam diſparitatem inter cauſam moralem, & conditionem moraliter requiſitam ad aliquē effectum: ſed hanc non poſſumus aſſignare, niſi dicamus, cauſam continere moraliter vim inſtrumentalem, vel principalem productiuam effectus, quam non continet pura conditio; ergo cum Sacramenta antiqua non continerent vim inſtrumentalem productiuam gratiæ, neque erant cauſæ morales gratiæ.

6 Secunda pars eſt expreſsè D. Tho. 1. 2. quæſt. 101. ar. 4. vbi habet: *Ex parte autem colentium duo poſſunt conſiderari, ſcilicet eorum inſtitutio ad cultum diuinum, quod fit per quandam conſecrationem, vel populi, vel miniſtrorum, & ad hoc pertinent Sacramenta.*

Et

Digitized by Google

Et quæſt. 102. ar. 5 habet: *Reſpondeo dicendum, quòd Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam conſecrationem, per quam ſcilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei.*

7 Probatur ratione Sacramenta antiqua erant vera Sacramenta, vt colligitur ex Florentino, & communi Scholaſticorum: ergo aliquam ſanctitatem, ſaltem legalem, in ſuſcipientibus cauſare debebant; probatur conſequentia, quia Sacramenta in vtilitatem recipientium ſunt ordinata: ſed in ea ſuſcipientibus non cauſabant gratiam internam ſanctificantem, vnde ab Apoſtolo vocabãtur vacua, & egena elementa, & cauſare gratiam ſanctificantem inſtrumentaliter tantùm conuenit noſtris Sacramentis; ergo ſaltem externam, & legalem ſanctitatem cauſabant, & hãc potuerunt cauſare, tum in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis moralis, tum in genere cauſæ formalis; vſus enim illorum Sacramentorum erat quædam conſecratio, per quam, qui illa ſuſcipiebant quodammodo ad cultum Dei deputabantur.

8 Concluſio ſecunda. De ratione Sacramenti, vt ſic, eſt eſſe ſignum practicum ſanctitatis internæ tertio modo explicato in ſecundo notabili. Probatur concluſio inductione in omnibus Sacramentis; & quidem ſi loquamur de Sacramentis nouæ legis eſt de fide, in iſtis enim non ſolùm ad eorum præſentiam confertur gratia, ſed etiam illam cauſant, vt inferiùs ex Conciliis probabimus. De Circumciſione etiam, & remedio originalis in lege naturæ fatentur aduerſarij: probatur quo ad alia Sacramenta: Nam Leuitic. cap. 6. 7. & 8. præcipiuntur plura ſacrificia offerenda pro peccatis, ſine quorum oblatione, vel in re, vel in voto non remittebantur peccata; illa enim ſacrificia erant veluti cõditio, ſine qua non: ſed peccata non remittuntur, niſi per collationem gratiæ; ergo cum ſacrificia illa eſſent vera Sacramenta, vt docet D.Th. 1. 2. q. 102. ar. 5. etiam erant vera ſigna practica veræ ſanctitatis internæ.

9 Probatur ſecundò. Circumciſio in tantùm conferebat gratiam, & per illam remittebatur originale, in quantùm erat proteſtatio quædam fidei in Chriſtum venturum: ſed etiam omnia alia Sacramenta erant proteſtationes quædam fidei in Chriſtum venturum; ergo etiam omnia alia Sacramenta conferebant gratiam. Quare Sacramenta vetera à noſtris differunt primò, quod illa non cauſabant phyſicè, vel moraliter gratiam, ſed ad ſummum erant conditiones, ſine quibus gratia non dabatur, & ſub hac ratione dicuntur ſigna practica: noſtra verò, & phyſicè, & moraliter cauſant gratiam, quam ſignificant. Differunt ſecundò, quod noſtra habent efficaciam ex meritis Chriſti paſſi: illa verò erant ſigna gratiæ, quæ dabatur ex meritis Chriſti futuri.

10 Obijcies primò contra primam. Illud eſt cauſa ſaltem moralis gratiæ, quod mouet Deum ad dãdam gratiam: ſed Sacramenta antiqua in vſu poſita mouebant Deum, & ad dandam ſuſcipientibus gratiam, & ad dandam nobis gratiam per Chriſtum; ergo Sacramenta antiqua erant veræ cauſæ morales gratiæ internæ: maior patet: probatur minor; nam Sacramenta illa erant ſigna, & figuræ paſſionis Chriſti futuræ; ſed paſſio Chriſti futura mouebat Deum ad dandam gratiam, tum ſuſcipientibus, tum nobis; ergo illa Sacramenta, quia erãt figuræ, & ſigna paſſionis Chriſti futuræ, erant etiam veræ cauſæ morales gratiæ internæ. Sed contra retorqueo argumentum, & magis confirmatur noſtra concluſio. Si illa Sacramenta erant figuræ, & ſigna paſſionis Chriſti futuræ, & gratiæ dandæ nobis per Chriſtum; ergo ſupponebant iam Chriſtum futurum, & gratiam dandam nobis è meritis Chriſti, & merita Chriſti fuerunt cauſa inſtitutionis illorum Sacramentorum, ergo non potuerunt eſſe cauſæ Chriſti futuri, aut gratiæ dandæ nobis; quia iam Chriſtus, & gratia danda nobis ex meritis Chriſti prævidebantur habere ſuam propriam exiſtentiam, implicat autem, quod Chriſtus ſit cauſa moralis Sacramentum antiquæ legis, & quod Sacramenta illa fuerint cauſę morales Chriſti; cum implicet idem eſſe prius, & poſterius in eodem genere cauſæ, & idem dico de gratia danda nobis; nam ſi Deus independenter ab eis Sacramentis decreuit nobis dare gratiam; ergo iam gratia præuidebatur exiſtens antequam illa Sacramenta haberent futuritionem; ergo non poterant allicere Deum ad dandam gratiam, quam iam præuidebat independenter ab ipſis exiſtentem; & hæc ratio probat, quod illa Sacramenta, neque etiam potuerint eſſe cauſæ dandi libentiùs illam gratiam: nam cum gratia abſolutè danda prius præuiſa fuerit exiſtens independenter ab ipſis Sacramentis, hæc non potuerunt eſſe cauſa dandi libentius: nam etiam cauſa, quæ ſolùm impellit, vt libentius quid fiat, debet eſſe prior illa, quæ cauſat.

Sacramẽta antiqua cur nõ poſſint eſſe cauſæ morales.

11 Reſpondeo igitur directè ad argumentum: negando minorem: ad probatio-

bationem, iam patet reſponſio, quod non poterant mouere ad dandam gratiam nobis, quia iam ſupponebatur danda; illa ergo Sacramenta erant veluti pignus dandi Chriſtum, & gratiam, ſeu conditiones, ſine quibus non; poteſt enim quis abſolutè decernere dare aliquam rem, & abſolutè illam promittere, & proinde dare pignus, quod ſtabit promiſſis, vel promittere iterum, quod ſtabit promiſſis, ſi ponatur tale ſignum; vnde poſitio talis ſigni eſt conditio, ſine qua non. Ita in propoſito Deus primariò decreuit Chriſtum mittere, & præuidit eius exiſtentiam, & merita nobis applicanda per Sacramenta à Chriſto inſtituta, inde hoc reuelauit antiquis Patribus, & de hoc dedit eis quædam ſigna, ſeu pignora, hæc autem fuerunt antiqua Sacramenta, quæ erãt ſigna Chriſti futuri, gratiæ nobis dandæ, & gratiæ, quæ debetur ritè illa ſuſcipientibus.

12 Dices. Non minus conditio, ſine qua àliqua cauſa non cauſat debet eſſe prior effectu, quam cauſa ipſa ſit prior: ſed propter hanc prioritatem, quę debet eſſe in cauſa reſpectu effectus, Sacramenta antiqua non poſsunt eſſe cauſæ morales gratiæ nobis, aut antiquis dandæ, aut mittendi Chriſtum; ergo neque poterunt eſſe conditiones ſine quibus non, & idem dicẽdum, quod non poſſint eſſe pignora, nam pignus ſemper eſt prius.

Reſpondeo negando vniuerſaliter maiorem eſſe veram: & diſparitas eſt, quia effectus non poteſt præuideri exiſtens ſine ſua cauſa efficiente, poteſt tamen præuideri exiſtens independenter à conditione extrinſeca, & quæ ex libera voluntate ponatur: hinc potuit Chriſtus abſolutè præuideri exiſtens cum ſuis meritis, ex quibus inſtituta fuere Sacramenta antiqua, quæ potuerunt eſſe pignus, ſeu ſigna practica Chriſti futuri, & gratię dandæ, tum nobis, tum antiquis; & in hoc nullum eſt abſurdum, imò ordinariè loquendo pignora, vel huiuſmodi ſigna ſemper ſunt poſt voluntatem efficacem dandi aliquam rem.

13 Obijcies ſecundò. Si de ratione Sacramenti non eſt, quod ſit cauſa, ſaltem moralis gratiæ, ſequitur, quod ſacrificium ſit Sacramentum; ſed hoc eſt falſum; ergo Sacramenta debent eſſe cauſæ ſaltem morales gratiæ: probatur ſequela maioris; nam ſacrificium eſt cęremonia ſacra, ſignum ſacrum, confert ſanctitatem legalem ſacrificanti, eſt ſignum Chriſti, & paſſionis eius, & gratię dandæ nobis per Chriſtum; ergo eſſet verè Sacramentum.

Reſpondeo negando, quòd ſacrificium, quà ſacrificium ſit Sacramentum: ad probationem concedo, quod ſacrificium, & Sacramentum in hoc cõueniant, quod ſint cæremoniæ ſacræ, & ſignum ſacrum, & quod ſignificent paſſionem Chriſti, & quod conferant ſanctitatem legalem: differunt tamen in modo ſignificandi, nam ſacrificium immediatè ordinatur ad cultum Dei ſupremum, & ſi ſignificat paſſionem, illam ſignificat, vt fuit oblatio placans Deum, eique ſummum honorem tribuens; vnde potius eſt loquela, qua creatura loquitur Deo, ei ſe ſubijciens, eiuſq; agnoſcens poteſtatem, quam promiſſio, aut ſignum practicum, quo ipſe Deus nobis ſignificet gratiam à ſe dandam, vel pignus gratiæ nobis dandę: at Sacramentum ordinatur ad cultores Dei, eoſq; ſanctificat, & paſſionem ſignificat, vt applicatur nobis per gratiã, vnde eſt diuerſa ratio, vt de ſe patet; hinc oritur etiam alia differentia, quod ſacrificiũ poteſt pro multis offerri, eiſq; prodeſſe, Sacramentum autem ſolùm prodeſt illud recipienti.

Sacrificiũ ordinatur ad cultum Dei Sacramẽtum ad noſtrã ſanctificationem.

14 Obijcies tertiò. Si de ratione Sacramenti eſt eſſe ſignum practicum ſanctitatis, ſeu eſt, quod ſit veluti conditio, ſine qua non ſanctitatis internæ, ſequitur, quod aliquando actu ſint Sacramenta, & non ſint, quod implicat: probatur ſequela: Sacramentum dum actu ſuſcipitur in peccato eſt verum, & proprium Sacramentum, vt omnes fatentur: inſuper tunc non eſſet Sacramentum per nos: quod ſic probatur, quia de ratione Sacramenti eſt, quod ſit ſignum practicum ſanctitatis internæ: ſed ſuſcipiens Sacramentum cum peccato, nõ ſuſcepit ſignum practicum ſanctitatis internæ, cum hæc ſanctitas non detur; ergo ſuſciperet Sacramentum, & non ſuſciperet, quod implicat.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem, concedo, quod quando actu ſuſcipitur Sacramentum cum obice peccati ſit verum, & proprium Sacramentum, nego autem tunc non eſſe ſignum practicum ſanctitatis internæ; etenim etiam tũc eſt ſignum practicum ſanctitatis internæ dandæ per ſimilia Sacramenta illis, qui non poſuerunt obicem: & ratio huius eſt, quia non ſunt ſigna naturalia practica ſanctitatis, quæ debeat neceſſariò poni, dum ipſa ponuntur, ſed ſunt ſigna practica ad placitum voluntatis diuinæ, & ſic Deus ſtatuit, quod ſint ſigna practica ſanctitatis dandæ ſuſcipienti, ſi non ponatur obex; vel ſint ſigna practica ſanctitatis dandæ per ſimilia Sacramenta; vnde aliud eſt,

quod

Digitized by Google

quod non ſint ſigna practica ſanctitatis dandæ cum obice peccati; aliud quod ſtante obice non ſint ſigna practica ſanctitatis dandæ: primum eſt verum, ſecundum falſum.

15 Dices: Si eſſent ſigna practica ſanctitatis internæ, ita vt eſsent veluti conditiones, ſine quibus non, ſicuti poſita conditione, ponitur ſemper effectus, ita poſitis Sacramentis, ſemper deberet poni gratia: ſed ponuntur Sacramenta, & non ponitur gratia, vt patet in Sacramentis validis, ſed informibus; ergo non poſsunt eſse per modum conditionis gratiæ dandæ. Sed contra etiam approximatio ignis ad paſsum eſt conditio ponendi calorem in paſſo, & tamen poteſt eſse approximatio ignis ad paſsum, & quod non ponatur calor in paſso, vt patet de tribus pueris in fornace Babylonis; & ex hoc non ſequitur, quod illa approximatio non fuerit actu vera conditio, ita in propoſito: & ratio huius eſt, quia ſunt ſigna practica, & conditiones ponendi gratiam, ſed ad placitum diuinum, qui ſtatuit quidem ea ſemper eſse ſigna practica ſanctitatis dandæ per ſimilia ſigna, niſi adſit obex peccati; quod ſi peccatum adſit, ſunt ſigna practica ſanctitatis dandæ per ſimilia ſigna; & hoc ſufficit.

16 Obijcies 4. Si ſacramentum eſt ſignum ſacrum, ſeu cæremonia ſacra practica ſanctitatis, ſequitur, quod martyrium ſit ſacramentum, nam eſt ſignum ſacrum practicum ſanctitatis, & ipſo poſito ponitur gratia: ſed martyrium verè non eſt ſacramentum; ergo ad rationem ſacramenti non ſufficit, quod ſit ſignum ſacrum, ſeu cæremonia ſacra practica ſanctitatis.

Rerſpondeo negando ſequelam: nam inprimis non eſt ſignum ſacrum inſtitutum à Deo ad dandum gratiam, ſed ipſe actus martyrij eſt meritorius de condigno gratiæ, ſacramentum autem debet eſſe inſtitutum á Deo tamquam ſignum dandi gratiam. Addo quod ſacramentum eſt inſtitutum à Deo tamquam cæremonia ſacra, quod perfici debet cum debita intentione miniſtri; martyrium autem non eſt huiuſmodi; nam ſi miniſter martyrij dicatur carnifex, iſte quidem non habet intentionem producendi gratiam in martyre, ſed tantùm ipſum occidendi, vel obediendi tyranno præcipienti, ſi miniſter dicatur martyr ipſe, neque in ipſo hæc intentio requiritur, nam etiamſi refugeret mortem nolens tamen negare fidem, & propter hoc occideretur, eſſet martyr, & in infanti, qui occiditur in odium fidei id clarius apparet, & tamen in ipſo non datur huiuſmodi intentio; vnde clarè apparet martyrium non eſſe vllo modo ſacramentum. Neque officit quod addit Arriaga, nempe, quod Deus potuerit inſtituere ſacramenta, quæ poſſent perfici ſine intentione; nam hoc fateor: verùm hinc ſequitur tantùm, quod alio modo potuerit Deus inſtituere ſacramenta, quam de facto inſtituerit, at de facto ad Sacramentum requiritur intentio miniſtri, vt infra magis patebit.

17 Obijcies 5. Apoſtolus 4. ad Galat. Sacramenta antiquæ legis vocet egena, & infirma; ergo nulla gratia ratione ipſorum conferebatur, ſecus non fuiſſent egena & 1. ad Cor. 10. vult ſacramenta vetera fuiſſe tantùm figuras noſtrorum ſacramentorum, dum dicit; *Omnia in figura contigebant* illis; ergo illa ſacramenta erant tantùm ſigna ſpeculatiua noſtrorum ſacramentorum, & gratiæ per ipſa tribuendæ.

Reſpondeo primò, Sacramenta antiqua dici egena, & infirma, eo quod non cauſarent gratiam, nec phyſicè, nec moraliter ſicuti noſtra; cum hoc tamen ſtat fuiſſe ſigna, & proteſtationes quaſdam fidei in Chriſtum ratione quarum conferebatur à Deo gratia ipſa recipientibus. Dicere etiam poſſum Apoſtolum vocare talia ſacramenta egena, & infirma non pro vt erant ante paſſionem Chriſti, ſed poſt; nam verè tunc nihil iuuare poterant, & hoc videtur colligi ex contextu, nam intendebat Apoſtolus reuocare iudeos à ſuperſtitioſo cultu, quo volebant cæremonias legis in Euangelio conſeruare: hoc autem redarguit Apoſtolus, eo quod per Chriſtum lex vetus ceſſauerit. Ad locum ad Cor. Dico ſacramenta illa & fuiſse figuras noſtrorum, & tamen eſſe vera ſacramenta, ſicuti ſacrificia erant figuræ noſtri ſacrificij, & nihilominus erant vera ſacrificia, non enim eſt contra rationem, quod aliquid ſit ſignum ſigni, ſicuti non implicat dari imaginem imaginis, quæ referatur ad prototypum. Quare non erāt ſacramenta, quia eſſent figuræ noſtrorum, ſed quia erant cæremoniæ ſacræ, & proteſtationes in Chriſtum venturum, vnde relata ad noſtra ſacramenta nonſe habebant ſicuti homo pictus, & verus, ſed ſicuti paruulus, & vir, vt habetur ad Gal. 4.

18 Obijcies 6. Si ſacramenta ſunt practica ſigna ſanctitatis, deberent poni potius in genere cauſæ, quam ſigni; ſicuti medicamentum corporis, quia cauſat ſanitatem ponitur in genere cauſæ; ergo etiam cum ſacramenta cauſent ſanitatem animę, nempe gra-

tiam, deberent poni in genere cauſæ.

Reſpondeo negando ſequelam, nam licèt omnia ſacramenta ſint cauſæ ſanctitatis legalis, vt diximus in concluſione, nihilominus ratio primaria cur ſint ſacramēta deducitur per ordinem ad veram ſanctitatem internam, & cum huius ſacramēta antiqua non ſint cauſæ; hinc ſacramentum ponitur ſub genere ſigni, non cauſæ. Secunda ratio eſt, quia ſacramenta fuerunt inſtituta ad diſtinguendum fideles ab infidelibus, & tamquam quid ad cultum Dei, & religionem ſpectans per Sacramenta autem fideles dignoſcebantur, & ab infidelibus diſcriminabantur; ideo primariò ſub genere ſigni ponuntur. Dixi primariò, nam ſecundariò, quatenus omnia cauſabant ſanctitatem legalem, poterāt poni etiam ſub genere cauſæ; non enim implicat, quod eadem res artificialis, ſeu quod idem compoſitum morale ex pluribus rebus coaleſcens ſub diuerſa ratione ponatur, & ſub genere ſigni, & cauſæ, vt de ſe patet.

19 Ad Patres, & Concilia, quæ in contrarium poſſunt adduci, dicendum, eſt negaſſe antiquis ſacramentis vim conferendi gratiam per modum cauſæ, eo modo, quo noſtra gratiam cauſant; cum hoc tamen ſtat fuiſſe ſigna gratiæ dandæ tunc ex meritis Chriſti futuri, quatenus erant proteſtationes quædam in ipſum.

20 Ex his colligas regulam cognoſcendi cæremonias, quæ olim fuerunt ſacramenta, ſi enim in vſu ipſarum probabiliter conſtabat conferri gratiam, illæ erant ſacramenta, aliæ non. Vnde Circumciſio remedium, originalis in lege naturæ, eſus agni paſchalis, eſus panum propoſitionis, ordinatio, & vnctio Sacerdotum, & omnia ſacrificia expiatoria pro peccatis probabile eſt fuiſſe ſacramenta, vt habet D. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 3. nam per hæc omnia probabile erat conferri gratiam, vel augmentum eius.

ARTICVLVS III.

An ſacramentum debeat eſſe ſignum ſenſibile, & cuius rei ſignum.

1 AB hoc ſecundo dubio incipiemus cum Angelico præceptore hic articulo 3. qui quærit cuius rei ſacramentum ſit ſignum, nempe, an ſit ſignum demonſtratiuum gratiæ præſentis, rememoratiuum paſſionis, & prognoſticum gloriæ.

2 Concluſio 1. De facto omnia ſacramenta ſunt ſigna demonſtratiua gratiæ, rememoratiua paſſionis, & prognoſtica, ſeu prænunciatiua gloriæ eſt communis omnium cum Angelico Doctore hic art. 3. Probatur breuiter, quia de facto conuenit eſſentialiter ſacramentis, vt ſupra, probatum fuit, eſſe ſigna ſanctificationis noſtræ, ſiue modo ſignificent ſanctitatem præſentem, vt nos diximus, omnia ſacramenta ſignificare, ſiue dandam per noſtra, vt de antiquis alij ſentiunt; ſed hæc ſanctitas oritur ex paſſione Chriſti, & ordinatur ad futuram gloriam; ergo ſi omnibus ſacramentis conuenit ſignificare ſanctitatem noſtram, eis etiam conuenit rememorare paſſionem, & prænunciare gloriam, & certè de Euchariſtia id colligitur ex Ioan. 6. & ex 1. ad Cor. 11. & Eccleſia canit *Recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Eadem autem eſt de omnibus aliis ſacramentis ratio; cum omnia ſignificent gratiam, hæc detur ex meritis Chriſti, & ſit pignus gloriæ. Et quod dicimus de noſtris ſacramentis, dicimus de antiquis, ſolùm differunt, quod noſtra, ſunt ſigna rememoratiua Chriſti, & paſſionis eius peractæ: antiqua erant ſigna rememoratiua Chriſti venturi, & paſſionis eius peragendæ, nec antiqua fuerunt ſigna tam clara, & perfecta gratiæ, gloriæ, & paſſionis eius, ſicuti ſunt noſtra.

3 Poſſet hic inquiri, quid principalius ſignificetur per ſacramenta. Nugnus hic art. 3. §. *Alia difficultas*, docet in ſacramento Euchariſtiæ principalius ſignificatum eſſe Chriſtum; & probat hoc, quia illud principalius ſignificatur quod expreſſius, & formalius ſignificatur ſed in ſacramento Euchariſtiæ expreſſius ſignificatur Chriſtus, vt conſtat ex verbis conſecrationis, quæ expreſsè ipſum Chriſtum ſignificant; ergo etiam principalius ſignificatum eſt Chriſtus.

4 Quid quid dicatur, res eſt parui momenti. Nihilominus dico principalius ſignificari gratiam. Probatur, quia id principalius ſignificatur, propter quod inſtituta ſunt; ſed ſacramenta omnia inſtituta ſunt propter noſtram iuſtificationem, & iuſtificatio immediatè fit per gratiam; ergo etiam principalius gratia ſignificatur. Quare etiam in ſacramento Euchariſtiæ ſignificatur quidem expreſsè Chriſtus, ſed non abſolutè, ſed per modum nutrimenti ſpiritualis, quod per gratiam fit; & ſic patet reſponſio ad fundamentum Nugni.

5 Secunda difficultas eſſe poteſt, an ſit de eſſentia ſacramenti, vt ſic, eſſe ſignum demonſtratiuum, rememoratiuum

Digitized by Google

tiuum, & prognoſticum. Et dicendum eſt negatiuè; etenim etiamſi Chriſtus non veniſſet potuerunt à Deo inſtitui ſacramenta, quo caſu non ſignificaſſent Chriſtum; ergo non eſt de ratione ſacramenti, vt ſic, hæc tria ſignificare. Et hæc de primò puncto propoſito. Quo ad ſecundum.

6 Ocham in 4. quæſt. 1. Aliac. q. 1. art. 3. Gabriel. diſt. 1. q. 1. art. 1. Arriaga hic diſp. 1. ſect. 4. ſubſec. 2. Gonet diſp. 1. art. 4. qui citat Sotum, Arauium, Serram, Martinez a Prado, Vaſquez & alios, hi omnes docent potuiſſe à Deò inſtitui ſacramenta, ex rebus inſenſibilibus.

D. Thom. hic art. 4. Magiſter in 4. diſt. 1. Cabrera hic diſp. 1. art. 4. Nugnus ibidem Ioan. à S. Thom. diſp. 22. art. 4. dub. vnico, Amicus diſp. 1. ſect. 2. & plures alij docent, noſtra ſacramenta ita eſſe ſenſibilia ſigna, vt nec diuinitus poſſint inſtitui ſacramenta humana, quæ non ſint ſenſibilia ſigna.

7 Concluſio 2. De facto omnia Sacramenta ſunt ſigna ſenſibilia. Eſt de fide; & conſtat ex ſcriptura, in qua quotieſcumque agit de ſacramentorum inſtitutione, ſemper ponuntur res ſenſibiles, vt conſtat inductione in omnibus ſacramentis, tum antiquæ, tum nouæ legis; & colligitur etiam ex Concilijs Florentino, & Trid. in doctrina de ſacramentis.

8 Probatur ratione D. Thom. Deus prouidit omnibus ſecundùm modum vnicuique conuenientem: ſed connaturale eſt homini deuenire in cognitionem rerum ſpiritualium per res corporeas, & ſenſibiles: vnde Dionyſius de cæleſti hierarchia cap. 1. habet *Impoſſibile eſt nobis aliter videre diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum*. Ergo cum per ſacramenta homo debeat venire in cognitionem rerum ſpiritualium, nempe gratiæ, & aliorum donorũ ſupernaturalium, quibus ſanctificatur, debuit hoc fieri per res corporeas, & ſenſibiles. Vnde Chriſoſt. Hom. 83. in Matt. ait. *Si enim incorporeus eſſes nuda, & incorporea tibi dediſſet: ſed quoniam anima corpori conſerta eſt in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet*.

9 Probatur 2. Ex fine, propter quem inſtituta fuere ſacramenta; etenim inſtituta fuere, vt homines in vnam religionem adunaret, & eam diſtingueret ab omnibus aliis ſectis falſis: ſed niſi eſsent ſigna ſenſibilia non poſset in vnã religionem fideles adunare, & illos ab alijs falſas ſectas profitentibus ſecernere; ergo ſenſibilia eſſe debuerunt. Vnde Aug. 19. contra Fauſtum cap. 11. ait. *In nullam religionis nomen homines adunantur, niſi aliquo ſignaculorum, aut Sacramentorum viſibilium conſortio*.

10 Concluſio 3. Implicat inſtitui ſacramentum pro omnibus hominibus, quod non ſit ſenſibile, licèt poſſit Deus pro peculiari homine aliquod Sacramentum verum inſenſibile inſtituere, quod verè ſit Sacramentum, & hoc modo videntur conciliari auctores primæ, & ſecundæ ſententiæ; nam qui negant Deum poſſe inſtituere Sacramentum, quod non ſit ſenſibile, loquuntur de Sacramẽto, quod debeat eſſe commune pluribus. Probatur igitur prima pars: quia Sacramenta, quæ pluribus hominibus debent inſeruire debent eſſe ſigna, quæ cognoſci poſſint ab hominibus: ſed homines non poſſunt deuenire in cognitionem immediatè rerum ſpiritualium, ſed tantùm mediantibus ſenſibus; ergo nec Deus poteſt inſtituere Sacramenta, quæ pluribus hominibus inſeruiant, niſi ſint ſenſibilia.

11 Dices: Non implicat, quod ſenſus immediatè attingat, & cognoſcat rem ſpiritualem; ergo ſi inſtitueret aliquod ſignum ſpirituale ad ſignificandam practicè gratiam, illud eſſet verum Sacramentum, & tamen non eſſet ſignum naturaliter ſenſibile. Sed contra falſum eſt, quod ſenſus poſſit immediatè cognoſcere ſpirituale, nulla enim potentia poteſt ferri extra proprium obiectum, vnde eſſet, & non eſſet potentia ſenſitiua: ſicuti enim implicat, quod viſus audiat; ita multo magis implicat, quod cognoſcat ſpirituale; addo, quod licèt per rationem non poſſemus aſſignare euidentem implicantiam, nihilominus ex fide, & auctoritate hanc adeſſe colligimus, vt dictum eſt de Deo vno quæſt. 3. art. 3.

12 Secunda pars probatur, quia Sacramentum eſt ſignum ad placitum ex inſtitutione diuina libera, practicum gratiæ ſanctificantis: ſed potuit Deus inſtituere actum internum v.g. orationis vel doloris tamquam ſignum practicum, imo tamquam cauſam efficientem inſtrumentalem gratiæ; ergo talis actus internus, & ſpiritualis eſſet Sacramentum: nihil enim ei actui deeſſet ad veram rationem Sacramenti.

13 Dices 1. De ratione Sacramenti noſtri eſt, quod ſit ſignum: ſed talis actus internus non poteſt eſſe ſignum; ergo nec Sacramentum: probatur minor: nam ſignum definitur ab Auguſtino 2. de doctrina chriſtiana *Signum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus in alterius etiam rei cognitionem venire facit*. Sed contra: quia allata definitio eſt tan-

Digitized by Google

tùm ſigni ſenſibilis,& materialis,non implicat autem dari ſignũ etiam ſpirituale, quodpręter cognitionem,quã ingerit intellectui, faciat deuenire in cognitionem alterius rei, quare ſicuti Angeli de facto fuerunt ſanctificati ſine ſacramentis, potuerunt etiam ſanctificari per ſacramenta, ſi Deus inſtituiſſet pro ipſis aliqua ſigna cauſantia gratiam; ergo,quod dicimus de Angelis poſſumus etiam dicere de hominibus.

14 Dices 2. Sacramentum, quod eſt pro omnibus, debet eſſe ſignum aptum pro ipſis: ſed ſigna ſpiritualia non ſunt apta pro hominibus, ſed tantùm pro Angelis, vnde licèt talia ſigna poſſent eſſe Sacramenta Angelica, non tamen eſſent pro hominibus, nec humano modo apta pro ipſis. Sed contra; ergo ſaltem habeo, quod de ratione Sacramenti vt ſic,non eſt quod ſit ſignum ſenſibile; nam poteſt dari Sacramentum pro Angelis, quod non ſit ſenſibile: probo nunc etiam tale ſignum poſſe eſſe Sacramentum verum pro aliquo homine. Ideo ſignum aliquod ſpirituale poteſt eſſe Sacramentum pro Angelis; quia ipſi ex cognitione illius ſigni poſſunt venire in cognitionem gratiæ, quæ per tale ſignum ipſis conferatur: ſed etiam ſi Deus inſtitueret v.g. orationem mentalem pro ſigno gratiæ dandæ alicui homini, iſte per orationem mentalem deueniret in cognitionem gratiæ, quę per tale ſignum ipſi conferretur; ergo reſpectu huius hominis talis oratio eſset Sacramentum.

15 Obijcies 1. Contra ſecundam. Contritio eſt pars, & materia Sacramenti pœnitentiæ; item corpus Chriſti in Euchariſtia eſt verum Sacramentum, ſicuti etiam character ſacramentalis; ſed iſta omnia non ſunt ſenſibilia; ergo non omne Sacramentum eſt ſignũ ſenſibile.

Reſpondeo,in Sacramentis tria adeſſe; primo res tantum; ſecundò Sacramentum tantum; tertiò res,& Sacramentum ſimul, & quidem, quod attinet ad rem Sacramenti, ipſa non debet eſſe ſenſibilis, ſic gratia, quæ tantùm ſignificatur, & non ſignificat non eſt ſenſibilis:quoad Sacramentum verò; cum hoc ſolum ſignificet, & non ſignificetur, debet eſse maximè ſenſibile: illud vero, quod eſt res, & Sacramentum ſimul, ſatis eſt, ſi ſecundum quid ſit ſenſibile,nempè quatenus eſt Sacramentum; nam quatenus eſt res ſignificata, non debet eſſe quid ſenſibile. Quare omnia, quæ in argumento adducuntur ſunt res, & Sacramentum ſimul, & ideò ſufficit, ſi ſecundùm quid ſint ſenſibilia. Vnde contritio non eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, niſi quatenus manifeſtatur per exteriorem pœnitentiam: corpus Chriſti, quatenus eſt ſub ſpeciebus conſecratis: character verò, quatenus producitur per res & verba.

16 Obijcies 2. Nicolaus Papa cauſa 27.q.2. cap. *Sufficiat*, & Alexander III. cap. *Cum apud de ſponſalibus* docent per ſolùm conſenſum contrahi matrimonium: ſed conſenſus non eſt res ſenſibilis; ergo non omne Sacramentum eſt ſenſibile.

Reſpondeo,Pontifices in illis locis intelligere cõſenſum aliquo ſenſibili ſigno expreſſum, vt ex eodem cap. *Cum apud de ſponſalibus*, & cap. *Licet de ſponſa duorum*,& ex Trid.ſeſs.24. colligitur, quare Pontifices per illam particulam, *ſolùm*, excludunt ea, quæ non ſunt de ſubſtantia matrimonij, vt ſunt parentum facultas, benedictio, & huiuſmodi.

17 Obijcies 1.contra 3. Poteſt Deus inſtituere actum internum orationis, vel alium actum purè internum, vt conferat gratiam tamquam verum Sacramentum pro aliquo peculiari homine; ergo etiã poteſt eumdem actũ inſtituere pro omnibus;Probatur conſequentia: tum quia non eſt maior ratio, cur poſſit illum actũ inſtituere tamquam verum Sacramentum potius pro vno, quam pro alijs:tum quia poteſt Deus reuelare, quod quotieſcumque quis faceret huiuſmodi actum ex opere operato quilibet conſequatur gratiam; ergo tunc talis actus internus erit verum Sacramentum pro omnibus.

Reſpondeo conceſso antecedente, diſtinguẽdo conſequens,in quo latet æquiuocatio; ergo etiam poteſt eumdem actum internum inſtituere tamquam Sacramentum pro omnibus, hoc eſt, quod talis actus internus, qui elicitur a Petro, v.g. ſit ſignum pro omnibus, itaut omnes cognoſcant Petrum conſecutum eſſe gratiam per talem actum, nego conſequentiam: hoc enim implicat; cum enim huiuſmodi actus ſit ſpiritualis, internus, & liber, non ſolum homines non poſsent illum cognoſcere, ſed nec Angeli, qui non cognoſcunt ſecreta cordium: poteſt eumdem actum internum inſtituere Sacramentum pro omnibus, hoc eſt poteſt reuelare, quod quilibet eliciendo ſimiles actus conſequetur gratiam: concedo conſequentiam; Verum tunc huiuſmodi actus non erit Sacramentum pro omnibus, ſed tantùm pro eo, qui illum actum cognoſceret, & cum nullus poſſit cognoſcere actum internum alterius, ſed tantum proprium, ideò talis actus erit Sacramentum pro aliquo homine, non pro omnibus: per quod patet ad probationes.

18 Di-

Digitized by Google

18 Dices. Ideò per nos implicat huiuſmodi actum eſſe Sacramentum pro omnibus, quia implicat, quod vnus homo poſſit per ſenſus cognoſcere actus internos alterius: Sed non implicat, quod per intellectum vnus cognoſcat actum internum alterius; nam ſi Deus ſtatuiſſet actum internum orationis pro Sacramento, potuiſſet etiam omnibus infundere ſpeciem de tali actu, & ſic omnes illum cognoſcerent eſſe ſignum gratiæ practicum; ergo in tali caſu eſſet Sacramentum pro omnibus.

Sed contra; quia hic nos inquirimus, an Deus poſſit inſtituere actum internũ, qui modo humano ſignũ ſit practicum alicui gratiæ dandæ per talem actum; & ideo cum quilibet poſſit naturaliter cognoſcere actum proprium, poteſt etiam pro illo talis actus eſſe ſignum, & Sacramentum; quod ſi Deus infunderet ſpeciem de tali actu omnibus alijs, in tali caſu poſſet concedi futurum Sacramentum pro omnibus: verùm non eſſet Sacramentum inſtitutum modo conueniẽti naturæ humanæ, ſed tantùm, ſi præcisè ſpectemus omnipotentiam Dei; in primo ſenſu nos loquimur, non in ſecundo.

19 Obijcies 2. Non magis eſt de eſſentia Sacramenti, quod ſit ſignum ad placitum, quam quod ſit ſignum ſenſibile; ſed quia eſt ſignum ad placitum nequit etiam de potentia abſoluta inſtitui aliquod ſignum naturale gratiæ dandæ, quod ſit Sacramentum; ergo etiam quia eſt ſignum ſenſibile nequit conſtitui in actu interno inſenſibili.

Reſpondent Vaſquez cap. 4. num. 47. Suarez hic ſect: 3. §. dico ſecundo, & Gonet loco cit. art. 4. in fine. Ideo non poſſe inſtitui aliquod ſignũ naturale, quod ſit Sacramentũ gratiæ dandæ, quia cũ nõ poſſit dari vlla creatura, quæ ſit cauſatiua gratiæ naturaliter, neque etiam poterit dari, quæ poſſit illam naturaliter ſignificare: at verò materia Sacramenti aſſumitur ad libitum inſtituentis; vnde ſicuti Deus aſſumpſit materiam ſenſibilem, ita potuit aſſumere actum purè internum, & ſpiritualem.

20 Lugus è contra hic num. 29. & Arriaga ſect. 7. admittunt poſſe dari ſignum naturale ſanctitatis, & per conſequens tale ſignum poſſe inſtitui, vt Sacramentum; Verum hæc reſponſio non caret difficultate; etenim, ſi datur aliquod materiale, quod ſit ſignum naturale ſanctitatis, vel eſt ſignum naturale ſanctitatis tamquam cauſa principalis, & hoc non, quia nulla res materialis continet in ſe gratiam tamquam cauſa principalis, nec continere poteſt, vt ex alibi dictis de Deo, & de gratia ſuppono probatum: vel tamquam cauſa inſtrumentalis naturalis; & neque hoc, quia nullũ datur ens materiale, quod ſecundùm ſuam potentiam naturalem ſit productiuum gratiæ, & per conſequẽns, vt inſtrumentum ſignificatiuum ipſius, ſed ſolùm poteſt dari huiuſmodi inſtrumentum per potentiam obedientialem, quæ cum dependeat à voluntate Dei, qui velit liberè talem rem aſſumere, vt inſtrumentum, nullo modo poteſt naturaliter ſignificare gratiam; vel eſt ſignum tamquam conditio ſine qua non; & neque ſic vlla res materialis poteſt eſſe ſignum naturale gratiæ; quia cum poſitio gratiæ dependeat ſolùm à libera voluntate Dei nulla res naturalis poteſt eſſe conditiò ſine qua non; vel eſt ſignum à poſteriori tamquam effectus iam gratiæ datæ, cuiuſmodi eſt ſerenitas, & pax conſcientiæ, quæ reperitur in viris iuſtis, & neque hoc dici poteſt; nam Sacramentum debet eſſe ſignum gratiæ dandæ, non iam datæ: neque tandem poteſt eſſe aliqua qualitas ſupernaturalis, vel gratia diuerſæ ſpeciei productiua gratiæ per modum cauſæ principalis, vt admittit Arriaga, & nos de iuſtificatione diximus eſſe dabilem; nam eſto ſit dabilis iſta qualitas, & hæc tamquam cauſa ſit ſignum gratiæ producendæ; nihilominus nullus homo poteſt naturaliter hanc qualitatem cognoſcere: ergo neque poterit cognoſcere humano modo hanc eſſe ſignum ſanctitatis. Dicendum igitur eſt poſſe Sacramentum inſtitui in aliquo actu interno, & ſpirituali, non tamen in ſigno naturali; quia nullum dari poteſt ſignũ naturale gratiæ, ſed omne ſignum debet eſſe ad placitum, quod non euenit de actu ſpirituali; nam hic ſaltem ab habẽte talem actum poteſt naturaliter cognoſci.

21 Inſtabis tamen ex Lugo. Vbicatio corporis Chriſti in Euchariſtia eſt materialis, & tamen dicit ordinem ad gratiam Sacramentalem; ergo aliquid materiale poteſt eſſe ſignum naturale gratiæ dandæ.

Reſpondeo tamen, dato, quod vbicatio corporis Chriſti ſit modus materialis, & ſupernaturalis; nego poſtea dicere ordinem ad gratiam ſacramentalem ex natura ſua, ſed tantùm hunc ordinem dicit ex beneplacito Dei; quod probatur, quia potuit Deus ponere ſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus eo modo, quo nunc eſt, etiamſi non inſtituiſſet Euchariſtiam in Sacramentum, quo caſu adeſſet eadem præſentia, ſeu vbicatio, ſicuti modo eſt, & tamen tunc non ſignificaret gratiam; ergo quod modo

do

Digitized by Google

do eam ſignificet, non eſt ex natura ſua, ſed ex beneplacito Chriſti Domini, qui Euchariſtiam inſtituit, vt verum Sacramentum.

ARTICVLVS IV.

In quo variæ difficultates explicantur.

1 PRima difficultas, quæ explicāda occurrit eſt, an ſit de ratione Sacramenti, quod ſit ſignum ſtabile. Affirmant Suarez hic ſect. 3. Cabrera hic q.60.ar.2.diſp.1. Amicus diſp.2.ſec.2. & alij. Dubitatur poſtea, quātum debeat durare aliquid, ad hoc vt ſit Sacramentum, & Arriaga diſp.1.ſect.4. docet hanc ſtabilitatem eſse ſecundùm prudentem hominum exiſtimationem menſurandā, & non eſse neceſse, quod tale Sacramentum duret toto tempore legis, in qua inſtituitur: imò docet num.37. poſse dari verum Sacramentum pro vna perſona, & pro vna vice determinatum: Idem videtur ſentire Lugo diſp.1. nu.48. dum ſoluit omnia argumenta contraria, licèt poſtea mentem ſuam non explicet.

2 Concluſio prima. Signum Sacramentale ordinariè loquendo eſt pro aliquo tempore fixum, & ſtabile. Probatur, quia Sacramentum non ſolùm eſt inſtitutum ad ſanctificandum, ſed etiam ad diſtinguendum populum fidelem ab alijs ſectis: ſed per Sacramenta non poteſt diſtingui ab alijs ſectis, niſi eſsent ſigna ſtabilia, & permanentia; ergo verè Sacramenta debent eſse ſigna ſtabilia, & permanentia.

Confirmatur: Eo modo Sacramenta ſunt ſigna ad placitum, ſicuti voces in humanis; ſed voces, vt verè ſignificent, debent eſse ſtabili, & firma lege determinatæ; ergo & Sacramenta ſtabilia eſse debent, & hoc patet inductione eſse verum in omnibus, tum nouæ legis, tum antiquæ, ſecus, ſi aliquo modo non eſſent ſtabilia, non poſsemus aſſignare rationem cur columba, quæ ſuper Chriſti caput deſcendit, igneæ linguæ, quæ in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos apparuerunt; & alia quędam non fuerint Sacramenta, & tamen ab omnibus ſupponitur communiter non fuiſse Sacramenta.

3 Dixi ordinariè loquendo, & de Sacramentis, quæ inſtituta ſunt, ad cultum peculiarem Dei pro fidelibus diſcernendis ab alijs ſectis; Nam ſi Deus inſtitueret aliquod ſignum practicum gratiæ, vel illius cauſatiuum pro peculiari homine, & quod tantùm pro vnica vice eſset in vſu ponendum, probabiliter iudico, quod poſset dici Sacramentum: poſset enim Deus omnibus manifeſtare tale eſse ſignum practicum gratię ſanctificantis, etiamſi tantùm pro vnica vice eſset ponendum in vſu, & pro determinata perſona; ſicuti enim mors Chriſti Domini vnica fuit, & nihilominus fuit verum ſacrificium; ita & aliquod verum Sacramentum pro determinata perſona, & ſemel in vſu ſolùm ponendum poſset inſtitui; cum hoc dependeat à pura, & libera voluntate Dei; vndè exiſtimo ſtabilitatem non eſse de ratione Sacramenti vt ſic. Quare nec etiam Sacramenta antiquitus inſtituta durarunt toto tempore, quo durauit ſtatus, pro quo fuerunt inſtituta, vt patet de Sacramento, quod in remedium originalis inſtitutum fuerat, quod ceſsauit pro maſculis in Abrahamo, qui vixit in lege naturæ quadringentis ferrè annis ante legem ſcriptam.

4 Ex hucuſque dictis patet, quomodo poſſit definiri Sacramentum; & quidem Magiſter in 3. diſt. 1. definit Sacramentum ſic. *Eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma eiuſdem gratiæ ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtens*. Et ſimilis eſt, quæ habetur in Cathechiſmo Romano; nempè. *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram iuſtificationem inſtitutum*. D.Th. hic definit Sacramentum vt ſic; *Signum rei ſacræ*. Omnes definitiones in re ſunt bonæ; Verùm prima Magiſtri videtur conuenire ſolùm noſtris Sacramentis, quæ ſunt cauſæ gratiæ, quam ſignificant: illa D.Thom. eſt optima, ſed clarior ex dictis colligitur, nempè. *Sacramentum eſt ſignum ſacrum practicum rei ſacræ ſanctificantis homines*. Hanc autem eſse bonam patet; nam traditur per genus, & differentiam, & explicat clarè totam eſſentiam metaphyſicam Sacramenti.

5 Secunda difficultas eſt, vtrum Sacramentum ſecundùm ſuum eſſe formale ſit ens reale, vel rationis. Thomiſtæ communiter ſuſtinent eſſe ens rationis. Sic Nugnus hic art.2. Ioan. à S.Thoma diſp.22. art.1.dub.2. Gonet ibidem art.1. Vaſquez diſp.128. num.43. Gaſpar Hurtado diſp. 1. diff.7. & plures alij. Suarez hic ſect.3. Amicus diſput.1. ſect.1. Lugo diſp.1.ſec.3. Arriaga hic diſp.1.ſec.4.ſubſec.3. & communis docet rationem ſigni eſſe denominationem extrinſecam.

6 Concluſio 2. Sacramentum pro formali non eſt ens rationis, ſed denominatio extrinſeca. Probatur, quia Sacramentum in ratione ſigni ad placitum tria includit; primò rem ſubiectam, quæ ad ſignificandum aſſumitur, vt eſt ablutio aquæ in baptiſmo, oleum in confirmatione &c. ſecundò actum Dei inſtituentis talem rem ad ſignificandum: ter-

tiò

Digitized by Google

tiò ipſam ſignificationem, quæ eſt veluti formale in Sacramentis: ſed nihil horum eſt ens rationis; ergo nihil datur in Sacramentis, quod ſit ens rationis. Quod res ſubiecta, quæ aſſumitur ad ſignificandum, & actus Dei inſtituentis nõ ſint entia rationis, ſed ſint entia realia ex ſe patet, & concedunt etiam aduerſarij; Probatur igitur minor, quod nec ſignificatio ſit ens rationis, quia illa ſignificatio nihil aliud eſt, quam res ipſa, vt ſubeſt actui diuino inſtituenti talem rem ad ſignificandum, & eodem modo ſe habet, ſicut paries, vt ſubeſt viſioni, à qua denominatur viſus: ſed quod paries denominetur viſus non eſt ens rationis, ſed denominatio vera realis extrinſeca: ergo etiam, quod aqua, vel oleum in Sacramentis aſſumantur vt ſigna, non eſt quid rationis, ſed denominatio extrinſeca ab actu Dei inſtituentis. Confirmatur idem formaliſſimè eſt Deum inſtituere talem rem ſenſibilem ad ſignificandum gratiam, & talem rem eſſe ſignũ à Deo inſtitutum ad gratiam ſignificandam: ſicuti idem omnino eſt, parietem eſſe viſum à me, & me videre parietem, & idem omninò eſt de omnibus alijs denominationibus extrinſecis; ſed me videre parietem, & Deum inſtituere talem rem ad ſignificandum ſunt entia realia, vt Vaſquez fatetur, & debent fateri etiã alij; ergo etiam debent fateri parietem eſſe viſum, & rem ſenſibilem eſſe inſtitutam ad ſignificandum, ſeu eſſe ſignũ, formaliter, & verè eſſe denominationem extrinſecam, & quid reale.

7 Dices, Significationem gratiæ in aqua baptiſmali, v.g. concipi à nobis inſtar relationis in ordine ad gratiam, cum tamen ibi non ſit: ſed concipere relationem in aliquo ſubiecto, in quo non eſt, eſt ens rationis; ergo ſignificatio formaliter eſt ens rationis. Sed contra: quia verè nos concipimus ſignificationem in baptiſmo in ordine ad gratiam abſque eo, quod concipiamus illam per modum formæ intrinſecæ, aut per modum relationis realis in baptiſmo exiſtentis, tamquam formæ, per hoc ſolùm, quod concipiamus baptiſmum, vt ſubeſt actui Dei inſtituentis, & certè Angeli clarè cognoſcunt ablutionem illam eſſe inſtitutam ad ſignificandam gratiam, abſque eo quod fingant vllum ens rationis; ergo verè ſignificatio in Sacramentis non eſt ens rationis, ſed pura extrinſeca denominatio realis, ſeu complexum reale ex baptiſmo, & actu Dei inſtituentis ipſum ad ſignificandam gratiam, ex quo reſultat denominatio realis ſigni, eo modo, quo paries à viſione denominatur viſus, & de alijs ſimilibus extrinſecis denominationibus dicimus; & in re clara hæc ſufficiant.

8 Tertia difficultas eſt, an detur aliqua ratio vniuoca omnibus Sacramentis. Prima ſententia eſt negatiua. Sic Magiſter in 4. diſt. 1. Scotus ibidem qu. 6. §. de potentia, Palatios diſp. 1. & alij. Secunda è contra affirmat omnia Sacramenta, non tantùm conuenire vniuocè in ratione ſigni, ſed etiam in ratione cauſæ, ſic Bellarm. lib. 1. de ſacram. cap. 12. Coninchus hic art. 4. Amicus diſput. 1. ſect. 3. Lugus diſp. 1. ſect. 3. num 47. & alij. Tertia communis Thomiſtarum eſt Io. à S. Tho. diſp. 22. art. 2. dub. 2. Gonet diſp. 1. art. 1. & 2. Suarez hic ſect. 2. Vaſq. cap. 5. Arriagæ diſp. 1. ſect. 7 à num 62. hæc aſſerit omnia Sacramenta vniuocari in ratione ſigni, non in ratione cauſæ.

9 Concluſio 3. omnia Sacramenta conueniunt vniuocè in ratione ſigni ſacri ſanctitatis, non in ratione cauſæ. Probatur prima pars: quia *vniuoca ſunt illa quorum nomen eſt commune, & ratio ſignificata per nomen eſt eadem*; ſed omnia Sacramenta habent commune nomen, verè enim omnia dicuntur ſigna ſacra ſanctitatis, inſuper id, quod ſignificatur, nempè *eſſe ſigna rei ſacræ ſanctificantis nos*, conuenit omnibus, tum veteris, tum noui teſtamenti; ergo verè omnia Sacramenta conueniunt in ratione ſigni rei ſacræ ſanctificantis hominis; omnia enim ſacramenta etiam antiqua, vt ſupra vidimus, fuerunt ſigna practica veræ ſanctitatis, vel gratiæ nobis dandæ, vel etiam, quæ dabatur tunc ex meritis Chriſti futuri, dependenter ab illis Sacramentis, tamquam à conditionibus, ſine quibus non.

10 Secunda pars probatur, nam vel eſt ſermo de ſanctitate vera, & interna, quæ eſt gratia ſanctificans, vel de ſanctitate vt ſic; ſed neutro modo conueniunt vniuocè Sacramenta in ratione cauſæ; ergo in ratione cauſæ non datur vniuocatio in Sacramentis; & quidem, quod non conueniant in ratione cauſæ ſanctitatis internæ patet; nam Sacramenta antiqua non erant cauſæ gratiæ, ſicuti ſunt noſtra; neque conueniunt vniuocè in ratione cauſæ ſanctitatis, vt ſic; quia in tantùm poſſunt conuenire in ratione cauſæ ſanctitatis, vt ſic vniuocè, in quantum in ipſa ſanctitate poteſt eſſe aliqua vniuocatio: ſed ſanctitati legali, & ſanctitati internæ, quæ fit per gratiã, nulla poteſt eſſe vniuocatio, ſicuti enim, qui producit hominem pictum, & producit hominem verum, conueniunt in conceptu vniuoco producentis, vterque enim eſt producens; at non conueniunt ambo in conceptu vniuoco producenti homi-

Digitized by Google

hominem, cum ipſi termini producti non conueniant in conceptu hominis; ita nec Sacramenta poſſunt conuenire vniuocè in ratione cauſæ ſanctitatis, cũ ſanctitas legalis, & gratia in ratione ſanctitatis non cõueniant, niſi ad ſummum analogicè.

11 Dices cum Lugo: Non poſſe dari conceptum communem vniuocũ, quem explicemus per nomen *ſanctitatis*; at poſſe dari conceptum vniuocum, quem explicemus nomine conſecrationis, vel dedicationis, & coniunctionis peculiaris cum Deo, ita vt omne Sacramentum ſit cæremonia ſacra in ſuo vſu conſecrans, dedicans, & coniungens ſubiectum peculiariter cum Deo. Sed cõtrà; quia ideò per Lugum Sacramenta non conueniunt vniuocè in ratione cauſæ ſanctitatis, quia ſanctitas legalis, & gratia in ratione ſanctitatis non conueniunt: ſed etiam conſecratio, dedicatio, & coniunctio legalis non conueniunt vniuocè cum conſecratione, dedicatione, & coniunctione interna, quæ fit per gratiam ſanctificantem; ergo ſi Sacramenta propter hanc rationem non conueniunt vniuocè in ratione cauſæ ſanctitatis, nec etiam poſſunt conuenire vniuocè in ratione cauſæ conſecrationis, dedicationis, & coniunctionis peculiaris cum Deo; nam gratia conſecrat, dedicat, & coniungit cum Deo per aliquid intrinſecum, & per affectum; nam ratione illius amatur à Deo, ſanctitas verò legalis tantũm extrinſecè conſecrat, dedicat, & coniungit, nec per affectum ſubiectum coniungit; quare ſicuti Lugus fatetur, quod homini picto, & vero non datur conceptus communis vniuocus; eo quod in ratione cauſæ hominis non poſſunt conuenire pingẽs hominem, & generans hominem; ita & in propoſito dicere debet, nam conſecratio, dedicatio, & coniunctio afferũt tantùm voces diuerſas, non conceptum communem diuerſum.

12 Poſſent nihilominus omnia Sacramenta conuenire vniuocè in ratione cauſæ ſanctitatis legalis; nam omnia Sacramenta in eorum vſu ſanctificant, & conſecrant legaliter ſubiecta; verum tamen eſt, quod de hac vniuocatione non tractant communiter Theologi, ſed præſens quæſtio agitatur in ſenſu, quem iam diſcuſſimus.

In aliquo ſenſu poſſunt Sacramenta vniuocè conuenire.

13 Obijcies primò contra primam partem concluſionis: Ea conueniunt vniuocè, quæ habent nomen commune, & eamdem rationem ſignificatam per nomen; ſed Sacramenta noua, & antiqua in ratione ſigni practici ſanctitatis non ſunt huiuſmodi; ergo in ratione ſigni practici ſanctitatis non conueniunt vniuocè: probatur minor, nam noſtra ſunt multò perfectiora antiquis.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: nec huius probatio habet vllam vim; etenim etiam homo eſt multò perfectior muſca, & tamen connenit vniuocè in ratione animalis; nec enim vniuocatio tollitur per inæqualitatem ſpecierum, cum omnes ſpecies ſint inæquales, & tamen habent conceptum communem.

13 Obijcies ſecundò. Figura, & res figurata non poſſunt conuenire vnicocè, vt patet de homine picto, & vero: ſed antiqua erant figuræ noſtrorum Sacramentorum; ergo non poſſunt vniuocè conuenire.

Reſpondeo, quòd antiqua Sacramenta non ſolùm erant figuræ noſtrorum, ſed etiam in ſe erant vera Sacramenta, & ſigna practica ſanctitatis; quà figuræ erant, non conueniebant vniuocè; at quatenus vera Sacramẽta erant, & ſigna practica ſanctitatis dandæ vniuocè conueniebant.

14 Obijcies tertiò contra ſecundam partem. Vbi eſt eadem virtus, ſeu ratio cauſandi ſanctitatem, ibi eſt vniuocatio: ſed in Sacramentis omnibus eſt eadem ratio, ſeu virtus cauſandi ſanctitatem; ergo in omnibus Sacramentis in ratione cauſandi ſanctitatem eſt vniuocatio: maior patet: probatur minor: ratio cauſandi ſanctitatem eſt honeſtas moralis fundata in actione humana ordinata ex inſtitutione diuina ad obiectum honeſtum mouens Deum ad ſanctitatem aliquam dandam: ſed eſt eadem in omnibus Sacramentis, tam antiquæ, quàm nouæ legis; ergo in ratione cauſandi ſanctitatem, ſeu in modo cauſandi in omnibus Sacramentis eſt vniuocatio.

Reſpondeo hoc argumentum premere aliquos, vt Gonetum, & alios, qui ſuſtinent Sacramẽta antiqua fuiſſe cauſas morales gratiæ, & poſtea hic negant vniuocè conuenire in ratione cauſandi, verum quomodo conſequenter loquãtur ipſi videant.

Reſpondeo igitur negãdo minorem: ad probationem dico, quod illa honeſtas moralis &c. non mouet Deum ad dandam ſanctitatem eodem modo: nam antiqua mouent ad dandam ſanctitatem legalem, noſtra ad dandam gratiam, quæ exigit affectum Dei erga ſubiectum, & illum intrinſecè ſanctificat; quare ſicuti omnino ſunt diuerſæ ſanctitates, ita vt nullum habeant conceptum communem ſanctitatis vt ſic, ita neque ratio, ſeu virtus cauſandi hu-

Digitized by Google

di huiuſmodi ſanctitates poteſt eſſe eadem.

ARTICVLVS V.

An omnia Sacramenta conſtent rebus, & verbis.

1 EGimus hucuſq; de partibus metaphyſicis Sacramentorum, nunc de partibus phyſicis ipſorum agendum eſt: ſicuti enim eſſentia phyſica hominis eſt, quod conſtet anima rationali, & corpore tamquam materia, & forma, & eſſentia metaphyſica eſt, quod ſit animal rationale; ita de eſſentia Sacramenti proportionaliter loquendū eſt, & cum hucuſque egerimus de genere, & differentia Sacramentorum, quæ ſunt partes metaphyſicæ, nunc de materia, & forma ipſorum, quæ ſunt partes phyſicæ agemus.

2 Ad eſſentiam Sacramenti in genere conſiderati non requiri res, & verba in confeſſo eſt apud omnes, & ratio à priori eſſe poteſt; quia de ratione Sacramenti eſt, quod ſit ſignum ſacrum ad noſtram iuſtificationem ordinatum; Sed potuit Deus aliquod Sacramentum inſtituere ordinatum ad noſtram iuſtificationem ſine verbis; ergo non eſt de eſſentia Sacramenti, vt ſic, quod conſtet rebus, & verbis; imò de Sacramentis antiquæ legis id affirmant communiter Theologis; nam Circumciſio erat verum Sacramentum, & tamen non conſtabat verbis, & idem de alijs Sacramentis antiquis: cur autem Deus inſtituerit Sacramenta antiqua, quæ non conſtaret rebus, & verbis; rationem affert D. Thom. hic ar. 6. ad 3. quia fides tunc erat obſcurior, & imperfecta, ſicuti etiam erat ille ſtatus, cui deſeruiebat, & ideò non oportuit, vt Sacramenta conſtarent verbis, & haberent tam expreſſam ſignificationem, ſicuti habent noſtra. Quare ſi aliqua verba interdum antiquis miſcebantur, ipſa non erant de eſſentia Sacramenti, ſed dicebantur deprecatoriè tantùm ad libitum Sacerdotis, ſic D. Th. loco ſupracitato. De noſtris igitur tantùm hic eſt difficultas.

3 Prima opinio eſt Durandi in 4. diſt. 2. quæſt. 3. vbi docet matrimonium, & pœnitentiam non conſtare rebus, & verbis, & Adrianus q. 2. de baptiſmo docet idem de matrimonio.

D. Thom. hic ar. 6. Magiſter in 4. diſt. 1. & communis omnium Scholaſticorum affirmant omnia Sacramenta nouæ legis conſtare rebus, & verbis.

4 Concluſio. Omnia Sacramenta nouæ legis conſtant rebus, & verbis. Hæc concluſio eſt ita certa, vt Nugnus appellet temerariam opinionem Durandi. Probatur ex Concilio Florentino in decreto vnionis Armenorum, vbi poſtquam enumeraſſet omnia ſeptem Sacramenta nouæ legis, ſubiungit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Et dari in omnibus Sacramentis res, & verba colligitur etiam ex ſcriptura, traditione, & communi conſenſu Patrum, & Scholaſticorum. Ratio huius eſt, ſola diuina voluntas, quæ ſic voluit illa inſtituere. Congruentiæ ſic aſſignantur à D. Tho. hic tum ex parte Verbi incarnati ſanctificantis, nam ſicuti Verbum vnitum eſt carni, ita verba adiunguntur rei ſenſibili: tum ex parte hominis, cui Sacramenta applicantur; nam Sacramenta ſunt medicamenta, hæc autem debent proportionari infirmo, qui conſtat anima, & corpore, ita & Sacramenta debent conſtare rebus, & verbis: tum ex parte ſignificationis; nam, cum verba in ſignificando principatum obtineant, congruum fuit illa addere rebus, quæ ex ſe confuſam, & indeterminatam ſignificationem habent, v.g. aqua poterat ſignificare humectationem, & ablutionem, ſi autem addantur verba baptiſmi, ſignificat determinatè ablutionem; & ſic de ceteris.

5 Obijcies primò. Sacramentum pœnitentiæ ſolis verbis perficitur: ergo non omnia conſtant rebus, & verbis: probatur antecedens; nam Sacramentum pœnitentiæ conficitur confeſſione peccatorū, & abſolutione: ſed hæc omnia ſunt tantùm verba; ergo non omnia conſtant rebus, & verbis; quod ſi dicas conſtare etiam ſatisfactione, adhuc non probatur, quod non conſtet ſolis verbis, nam poteſt imponi ſatisfactio, quæ in ſolis verbis conſiſtat, vt ſi pro ſatiſfactione iniungātur ſeptem Pſalmi pœnitentiales, vel precatoria corona, vel huiuſmodi.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem: dico non ſolùm requiri confeſſionem, ſed etiam requiri dolorem, nempe contritionem, vel attritionem, & inſuper requiruntur peccata, quæ ſunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ; Concilium enim Tridentinum aſſignat contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem tamquam partes materiales, nec nomine rerum debemus accipere ſemper res ſenſibiles; ſed nomine rerum veniunt ea omnia, etiam ſi verba ſint, quæ determinabilia ſunt,

Digitized by Google

ſicut nec nomine verborum accipimus verba propriè, prout diſtinguuntur à rebus, ſed accipiuntur ea omnia, quæ habent rationem determinatiui, ſiue ſint verba, ſiue nutus, ſiue quicquam aliud.

6 Dices: Materia Sacramentorum debent eſſe ſenſibilis: ſed in Sacramento pœnitentiæ nihil eſt ſenſibile, niſi verba; imò contritio ipſa fit ſenſibilis per verba; ergo ſolis verbis perficitur Sacramentum pœnitentiæ.

Reſpondeo ſufficere, quod materia Sacramentorum ſit ſenſibilis, vel per ſe, vel per aliud, & ſic contritio fit ſenſibilis per verba, eo autem ipſo, quo facta eſt ſenſibilis, eſt vera pars materialis Sacramenti pœnitentiæ cauſatiua gratiæ.

7 Obijcies ſecundò. Sacramentum matrimonij aliquando ſolis verbis conficitur, quibus conſenſus exprimitur; aliquando contrahi poteſt ſine verbis, vt per litteras, & nutus; ergo non eſt neceſſe, vt omnia Sacramenta nouæ legis conſtent rebus, & verbis.

Reſpondeo. Mirum eſſe, in quam varias abierint ſententias Doctores pro ſoluendo hoc argumento; non eſt tamen animus omnes reſponſiones examinare, videri poſſunt apud Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 37. Lugum hìc, & Arriagam; nego igitur Sacramentum matrimonij conſtare, aut ſolis verbis, aut ſolis rebus, ſed etiam in ipſo debemus aſſignare res, & verba: perficitur ergo Sacramentum matrimonij mutua traditione, & acceptatione corporum verbo, litteris, vel nutibus expreſſa: Eſt enim eſſentialiter contractus, qui inchoatur traditione materiæ, & perficitur acceptatione, quare traditio corporum, ſiue fiat verbis, ſiue litteris, ſiue nutibus, habet rationem rerum, ſeu materiæ, quia adhuc eſt indifferens, & determinabilis, vt acceptetur, vel non: acceptatio autem mutua poteſtatis in corpora, ſiue fiat verbis, ſiue litteris, ſiue nutibus, cum habeat rationem determinatiui, inducit rationem formæ, ſeu verborum; cur autem in hoc Sacramento, vti poſſimus litteris, ſeu nutibus loco verborum eſt, quia fundatur in contractu, qui omnibus hiſce modis poteſt celebrari.

Quæ materia, & quæ forma ſit in matrimonio.

8 Dices Eugenius Papa loco ſupra citato in Florentino diſtinguit intentionem faciendi Sacramentum à materia ipſius Sacramenti: ſed ſi traditio mutua corporum eſſet materia, non diſtingueretur ab intentione faciendi Sacramentum; ergo traditio non poteſt habere rationem materiæ, ſeu rei: probatur minor: quia traditio corporum eſt conſenſus contrahendi; ſed conſenſus contrahendi eſt intentio contrahendi, ergo traditio, quæ eſt materia, non diſtingueretur ab intentione.

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem: ad probationem dico, quod duplex adeſt intentio in eo, qui contrahit matrimonium, ſiue modo hæc duplex intentio ſit realiter diſtincta, ſiue tantùm virtualiter: prima eſt voluntas, & intentio contrahendi, quæ requiritur in omni contrahente etiam extra Eccleſiam; alia voluntas eſt propria Chriſti fidelium, quæ eſt volũtas faciendi, quod facit Eccleſia: prima non diſtinguitur à materia, & de hac procedit argumentum: at ſecunda diſtinguitur, vel realiter, vel ſaltem virtualiter, & de hac loquitur Pontifex.

9 Obijcies tertiò. Innocentius III in cap. cum Martha, de celebratione Miſſarum, definit Sacramentum Euchariſtiæ eſſe viſibilem formam panis, & vini; ergo non ſunt partes intrinſecæ huius Sacramenti.

Reſpondeo. Innocentium intelligere panẽ, & vinum nõ quomodocumq; ſed conſecrata, quo pacto ſi conſiderentur, ſemper inuoluuntur verba.

10 Dices: Communiter dicitur, Euchariſtiæ Sacramentum conſeruari, deferri, &c. ſed huiuſmodi prædicata non conueniunt verbis; cum verba non permaneant, nec deferantur; ergo non omne Sacramentum nouæ legis conſtat rebus, & verbis.

Reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; huiuſmodi prædicata non conueniũt verbis ſecundùm eſſe phyſicum conſideratis, concedo minorem: non conueniunt verbis in eſſe obiectiuo, & in effectu conſideratis, quatenus manet altera pars conſecrata, nego minorem; & hoc ſufficit, vt Sacramentum dicatur conſtare rebus, & verbis; vnde negatur conſequentia: ſufficit enim, ſi hoc Sacramentum conſtet rebus, & verbis phyſicè in actuali conſecratione, & quod poſtea remaneant verba in altera parte tamquam in effectu; neque enim debemus loqui de Sacramentis, ſicuti de compoſito phyſico reali; ſed ſufficit, quod ſit inſtar illius, & ſit compoſitum morale.

ARTICVLVS VI.

An omnia Sacramenta noua legis conſtent rebus, & verbis, vt materia, & forma.

1 VIdimus omnia Sacramenta nouæ legis conſtare rebus, & verbis, verùm nec dum deciſum eſt, an res, & verba ſint partes eſſentiales,

ita

Digitized by Google

ità vt res habeant rationem materiæ, verba rationem formæ. vel verba, & res ſpectent ad materiam Sacramentorum, ſignificatio verò ſit forma ipſorum Sacramentorum.

2 Cabrera hic ar.6. negat verba ſe habere tamquam formam alicuius Sacramenti, ſed formã cuiuſcumq; Sacramenti vult eſſe ſignificationem, prout originem habet à verbis, tribuitur etiam Soto in 4.diſt.3.ar.1. à Suarez, & Cabrera; Vaſquez tamen excipit Sotum ab hac opinione. Scotus etiam in 4. diſt. 3. q.1. & alibi videtur docere, quod Sacramentum pœnitentiæ conſiſtat ſolum in abſolutione, verùm cum dicat hanc abſolutionem debere eſſe applicatam, videtur potius facere quæſtionem de voce, quam de re.

Suarez diſput.2.ſec.2. & diſp.42. Vaſquez diſput.167. Coninch.qu.73. art.2. Amicus diſp.15. de Euch. Bellarminus, & alij docent quidem omnia Sacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, conſtare rebus, & verbis, negant autem hoc de Euchariſtia, quæ etiam præſcindendo ab vſu, eſt Sacramentum.

Thomiſtæ communiter, vt Nugnus hic art.6. Ioann. à S. Thoma hic diſp. 22.art.6. dub. 1. & 2. Gonet diſput. 1. art.7. Lugus hic diſp.2.ſec.3. & de Euchariſtia diſpu.1. ſec.4. Valentia de Euchariſtia q.6.par.1. Eſparza lib.10. quæſt. 3. & communiter Doctores, docent, omnia Sacramenta nouæ legis conſtare rebus, & verbis, tamquã materia, & forma.

Quale cõpoſitum ſit Sacramentum.

3 Noto tamen circa hoc poſſe eſſe diſſidium de nomine, an iſtud compoſitum, quod reſultat, & dicitur Sacramentum debeat vocari compoſitum, vel artificiale, vel morale. Dixi in hoc eſſe quæſtionem de nomine, nam omnes fatentur de re materiam Sacramentorum, & verba, quibus perficiuntur eſſe entia realia phyſica, & non per intellectum, & ſic poſſent dici compoſita phyſica; item fatentur, quod ex natura ſua non ſunt ordinata ad faciendum vnum totum, ſed ſolùm ex ordinatione diuina, vnde ſub hac ratione conſiderata poſſent vocari compoſita artificialia: tertiò fatentur, quod res, & verba non eſt neceſſe, quod phyſicè ſint ſimul, ſed ſufficit ſi ſint ſimul moraliter, vt patet in Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij; nam in pœnitentia confeſſio ponitur ante, & poſtea datur abſolutio, & in matrimonio etiam regulariter loquendo conſenſus vnius coniugis, ſeu traditio proprij corporis per conſenſum eſt prior, quàm acceptatio alterius; vnde ſub hac ratione ſunt tantùm compoſita moralia, & ſic communiter Doctores vocant Sacramenta compoſita realia moralia, à quo loquendi modo non eſt recedendum.

4 Concluſio omnia ſacramenta nouæ legis conſtat rebus, & verbis tamquam materia, & forma, & partibus conſtituentibus ſacramentum. Probatur ex Florent. in decreto vnionis, vbi enumeratis omnibus, ſacramentis nouæ legis ſubiungit. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conficientis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum*. Ex quo ſic argumentor: Verba Concilij debent intelligi in illa ſignificatione, ſecundùm quam ab omnibus vniformiter intelliguntur: ſed materia, & forma ex communi vſu omnium Doctorum ſignificant partes intrinſecè conſtitutiuas totius; ergo cum Concilium dicat omnia ſacramenta conſtitui ex rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, debemus ipſum intelligere, quod res, & verba ſint partes intinſecæ conſtituentes ſacramentum: quare Concilium non dixit perfici ſacramentum perſona miniſtri cum intentione tamquam materia, & forma, ſicuti dixit perfici rebus, & verbis, quia perſona miniſtri cum intentione concurrit, vt cauſa efficiens extrinſeca; igitur cum res & verba ſint tamquam materia, & forma, erunt tamquam partes intrinſecæ conſtituentes totum.

5 Probatur 2. Ratione D. Thom. Vbi vnum habet rationem determinatiui, & perficientis, aliud habet rationem determinabilis, & perfectibilis, ibi datur ratio materiæ, & formæ in ordine ad conſtituendum aliquod totum: ſed in omnibus ſacramentis nouæ legis res ſunt determinabiles, & perfectibiles per verba, verba verò habent rationem determinatiui, & perficientis; ergo in ſacramentis nouæ legis res habent rationem materiæ, verba autem habent rationem formæ in ordine ad conſtituendum vnum totum; minor patet: nam aqua in baptiſmo poteſt ſignificare humiditatem refrigerationem, & ablutionem, poſitis verò verbis determinatur ad ſignificandam ablutionem, & emundationem ſpiritualem, & idem de alijs materiis ceterorum ſacramentorum dici poteſt, vt diſcurrenti patet.

6 Dices idem Concilium dicit, loquendo de matrimonio. *Cauſa efficiens matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*; ergo ſi tantùm regulariter requiruntur verba in ſacramento matrimonij, ſequitur, quod

Digitized by Google

aliquando fieri poſſit ſiue illis, & ſic verba non erunt forma, quia ſine forma nullo modo poteſt fieri compoſitum. Sed contra, quia Concilium, nec debet nec poteſt ſibi ipſi contradicere, vt fateri debent omnes catholici, cum quibus diſputamus: ſed ſibi ipſi contradiceret, ſi hic diceret non requiri verba, cum ſuperius vniuerſaliter definierit omnia ſacramenta nouæ legis perfici rebus, & verbis tamquam materia, & forma; ergo cum non poſſit ſibi contradicere, debemus fateri, quod per verba intellexit id, quod habet rationem determinantis, & perficientis, & per res id, quod habet rationem determinabilis & perfectibilis, & ſic acceptis verbis, & rebus ſemper dantur in omnibus ſacramentis; & licèt non dentur verba propriè, & in rigore, vt in mutis cotrahentibus matrimonium, dantur tamen ſemper verba, & res æquiualenter, vt ſunt nutus, & huiuſmodi, qui nutus, vt habent rationem determinabilis, & perfectibilis habent rationem materiæ, vt verò habent rationem determinatiui, & perficientis habent rationem formæ.

7 Probatur 2. vniuerſaliter concluſio contra Cabreram, & alios. Quid quid eſſentialiter, & intrinſecè requiritur ad conſtituendum aliquod compoſitum eſt pars eſſentialis ipſius; vt patet inductione in omni compoſito; etenim in omni compoſito ſubſtantiali materia, & forma ſabſtantialis ſunt de eſſentia ipſius, in accidentali albedo, & corpus ſunt de eſſentia albi, in artificialibus lignum v.g. & talis figura ſunt de eſſentia cathedræ ligneæ, ita in compoſito morali quid quid eſſentialiter, & intrinſecè requiritur ad ipſum conſtituendum debet eſſe de eſſentia illius: ſed res, & verba prout habent rationem determinabilis, & determinatiui, perfectibilis, & perficientis eſſentialiter, & intrinſecè requiruntur ad conſtituendum Sacramentum; ergo res, & verba ſunt partes eſſentiales, & intrinſecæ conſtituentes compoſitum morale Sacramenti, maior remanet probata inductione: minor conſtat ex Florentino adducto: conſequentia verò ex ſe currit.

9 Obijcies primò pro Cabrera. Sacramentum eſt res artificioſa, & concretum quoddam accidentale; ſed in his concretis ſola materia eſt de eſſentia, & forma non eſt de eſſentia, ſed tantùm de perfectione rei; ergo Sacramentum non componitur ex rebus tamquam materia, & verbis tamquam eorum forma.

Reſpondeo Sacramentum propriè eſſe quoddam concretum morale, quod ſi diceretur ens artificioſum, adhuc nego abſolutè minorem, nam de eſſentia albi non ſolùm eſt ſubiectum, ſed etiam albedo, & de eſſentia cathedræ non ſolùm eſt materia, ſed etiam figura illa, quæ eſt forma artificialis; & ita de eſſentia Sacramenti, cum ſit compoſitum quoddam morale, ſunt res tamquam materia, & verba tamquam forma.

9 Obiicies 2. In omni ſigno artificiali materia eſt res inſtituta ad ſignificandum, forma verò conſtituens rem in eſſe ſigni eſt ipſa ſignificatio: ſed in Sacramentis res inſtituta ad ſignificandum eſt totum Sacramentum, ſiue hoc ſit res ipſa ſenſibilis, ſiue res, & verba ſimul; ergo verba nullo modo poſſunt habere rationem formæ: probatur conſequentia, quia ſecus daretur forma formæ, quia verba per nos ſunt forma, & ſignificatio eſſet forma verborum; ergo in Sacramentis daretur forma formæ.

Reſponedeo Sacramentum poſſe dupliciter conſiderari: primò per modum compoſiti phyſici, & hoc modo res habent rationem materiæ, verba rationem formæ: ſecundo ad inſtar compoſiti artificialis in ratione ſigni ad ſignificandum inſtituti à Chriſto Domino, & hoc pacto ſicuti in ſignis artificialibus tota ſubſtantia ſigni, v.g. ramus arboris habet rationem materiæ, ſignificatio verò vini venalis habet rationem formæ; ita in noſtris Sacramentis ſub hac ratione conſideratis res, & verba habent rationem materiæ, ſignificatio verò habet rationem formæ; quando igitur in concluſione diximus verba habere rationem formæ componentis moraliter Sacramentum, nos loquimur in primo ſenſu, vt compoſita moralia ſunt inſtar compoſiti phyſici. De reliquo nulla eſt implicantia, quod eadem res ſub diuerſa ratione conſiderata, prout perficit, & & determinat, habeat rationem formæ, prout alijs ſubeſt, ſicuti verba ſubſunt ſignificationi, habeat rationem materiæ; vt patet in anima rationali, quæ eſt vera forma corporis, & tamen comparata ad actus, quos in ſe recipit, habet rationem materiæ.

10 Contra concluſionem poſitam eſt argumentum ſumptum ex myſterio Euchariſtiæ, quod permanenter Sacramentum eſt, & tamen tunc non ſunt verba, quę deſierunt. Verum de hoc cõmodius dicemus ſuo loco de Euchariſtia; interim aliqualis reſponſiod ata eſt in præcedenti articulo, & ad ſaluandam veritatem concluſionis poſitæ ſufficit, ſi dicemus, quod, dum fit hoc Sacramentum, conſtat rebus, & verbis, vt

ſaluare

Digitized by Google

ſaluare poſſimus, quod omnia Sacramenta conſtent rebus, & verbis tamquam materia, & forma.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſignificatio à Chriſto impoſita Sacramentis ſit duplex, vel vna indiuiſibilis.

1 EX huius difficultatis explicatione magis explicata remanebit præcedens, videbimus enim, in quo ſenſu res, & verba habeant rationem materiæ, & formæ in Sacramentis. Suarez diſp. 2. ſect. 1. partiales agnoſcit ſignificationes taliter vt res v. g. aqua, vel oleum habeant partiales ſignificationes, & verba partialem, ex his autem partialibus ſignificationibus componatur integra ſignificatio, quam opinionem iudicat probabilem Lugo diſp. 2. ſect. 2. num. 44.

Caiet. hic art. 6. Ioan. à S. Th. diſp. 22. art. 6. dub. 1. Arriaga diſp. 2. ſect. 1. Amicus ibidem, & communiter Doctores docent ſignificationem à Chriſto Domino inſtitutam eſſe vnicam indiuiſibilem, quæ cadit ſuper res, & verba.

2 Concluſio. Significatio à Chriſto Domino inſtituta in Sacramentis eſt vnica, & indiuiſibilis, non duplex. Probatur: in tantùm datur ſignificatio inſtituta à Chriſto in Sacramentis; in quantum excitantur in nobis ſpecies rei, quam ex Chriſti Domini inſtitutione ſignificant; ſed poſitis tantùm rebus, aut verbis non excitantur in nobis ſpecies rei, quam Sacramenta ſignificant ex Chriſti Domini inſtitutione, ſed ſolùm excitantur poſitis rebus, & verbis; ergo ſignificatio inſtituta à Chriſto in Sacramentis non eſt duplex partialis, ſed vnica indiuiſibilis: maior patet: probatur minor: poſita ſola ablutione, aut poſitis ſolis verbis *Ego te baptizo &c.* ſine ablutione nullo modo intelligimus ſignum practicum gratiæ emundantis à peccato, ſed ſolùm intelligimus eſſe ſignum practicum ſanctitatis, ſeu gratiæ emundantis à peccato poſita ablutione ſimul cum verbis; ergo ſignificatio ſacramentalis inſtituta à Chriſto eſt vnica indiuiſibilis cadens ſupra rem, & verba.

3 Obijcies 1. In tantùm verba poſſunt habere rationem formæ in Sacramentis, in quantùm determinant ſignificationem rerum; ſed non poſſent determinare ſignificationem rerum, niſi etiam res aliquam ſignificationem habeant; nam, quod nullo modo ſignificationem habet, non eſt determinabile ad hanc potius ſignificationem, quam illam; ergo tam in rebus, quam in verbis eſt partialis ſignificatio, ex quibus conſurgit vna totalis ſignificatio in Sacramentis.

Reſpondeo quod in quolibet Sacramento eſt duplex ſignificatio, alia materialis, & ex hominum inſtitutione, alia ex inſtitutione diuina Chriſti Domini: prima ex inſtitutione hominum eſt compoſita, nam in baptiſmo v. g. aqua illa poteſt ſignificare humectationē refrigerium, & emundationem, ſeu ablutionem, dum adduntur poſtea verba, determinatur ad ſignificandum ablutionem, ſeu emundationem, nam expreſſius verba ſignificant ipſam ablutionem, quam aqua ipſa ſignificet, & ſub hac ratione, quia verba determinant illam ſignificationem rerum ex humana inſtitutione impoſitam, verba dicuntur; & ſunt formæ rerum in Sacramentis, alia poſtea eſt ſignificatio ex inſtitutione diuina, quæ fundatur in vtraque ſignificatione rerum, & verborum ſimul, quia nec ſola ablutio v. g. fundat hanc ſignificationem, neque enim ex eo, quod videam aliquem alium abluentem excitantur in me ſpecies, quod talis ablutio ſit ſignum practicum ſanctitatis à peccato emundantis; neque ex eo, quod quis dicat *Ego te baptizo &c.* ſi re vera non abluat, talia verba ſunt ſignum gratiæ, ſed ſolum intelligitur ſignificatio quando ſunt ſimul, & ablutio, & verba, & hæc ſignificatio eſt, quam dicimus indiuiſibilem, & quæ cadit indiuiſibiliter ſupra rem & verba. Vnde ad argumentum in forma diſtinguo maiorem: intantùm verba poſſunt habere rationem formæ, in quantùm determinant ſignificationem rerum ex hominum inſtitutione, concedo maiorem: ex inſtitutione diuina, nego maiorem: in hoc enim ſenſu accepta propoſitio eſt de ſubiecto non ſupponente; concedo poſtea minorem, & diſtinguo conſequens; ergo tam in rebus, quam in verbis eſt partialis ſignificatio, ex hominum inſtitutione, concedo conſequentiam; ex inſtitutione diuina, nego conſequentiam: etenim ſicuti in hac voce *Reſpublica* nec *res* ſola, nec vox *publica* ſola habent vllam ſignificationem ad excitandum in audiente ſpecies plurium ciuium in vnum corpus aggregatorum, at *Reſpublica* ſic, & totum hoc eſt ex hominum beneplacito; ita in Sacramentis, nec res tantùm, aut verba tantùm habent vim ſigni practici gratiæ ſed ſolùm hanc habent res, & verba ſimul, quia ſic inſtituit Chriſtus Dominus.

4 Obijcies 2. Significatio, quam res, & verba habent ex hominum inſtitutione non eſt conſtitutiua Sacramenti:

Digitized by Google

enti: ſed ratio materiæ, & formæ in rebus, & verbis eſt conſtitutiua Sacramenti; ergo ratio materiæ, & formæ in rebus, & verbis non poteſt prouenire ex ſignificatione, quam habent res, & verba ex hominum inſtitutione, ſed ex ſignificatione, quam habent ex inſtitutione Chriſti, & conſequenter res, & verba ex inſtitutione Chriſti haberent partialem ſignificationem gratiæ.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſignificatio, quam res, & verba habent ex hominum inſtitutione non eſt conſtitutiua Sacramenti pro materiali, ſupra quod cadat poſtea ſignificatio ex inſtitutione Chriſti, quæ ſignificatio eſt formale in Sacramentis, nego maiorem: non eſt conſtitutiua Sacramenti pro formali, concedo maiorem: deinde eodem modo diſtinguo minorem: ratio materiæ, & formæ in rebus, & verbis eſt conſtitutiua Sacramenti pro materiali, concedo minorem: pro formali, nego minorem: ergo &c. negatur conſequentia; etenim Sacramenta duo dicunt, vnum pro materiali, alterum pro formali, & vtrumque eſt Sacramentis noſtris eſſentiale, pro materiali dicunt res, & verba: pro formali verò ipſam ſignificationem ex Chriſti inſtitutione; quare cum maior, & minor ſignificatio, quam res, & verba dicunt, ſpectet ad partem eſſentialem Sacramenti, ſequitur, quod ſit illis eſſentialis, & eorum conſtitutiua, licèt non vltimatè, eo modo, quo lapides, ligna, cæmenta &c. ſunt conſtitutiua domus, licèt poſtea ſuper hæc omnia cadat forma artificialis domus.

ARTICVLVS VIII.

Quanta ſimultas inter materiam, & formam requiratur ad conſtituendum Sacramentum.

1 CVm ſupra dictum ſit Sacramenta eſſe quædam compoſita ex rebus tamquam ex materia, & ex verbis tamquam ex forma, & cum materia non componat cum forma, niſi ſit ſimul cum illa, ideo hic quærimus quanta debeat eſſe iſta ſimultas, vt Sacramentum conſtituatur.

2 Gloſſa c. *detrahe* cauſ. 1. quæſt. 1. videtur requirere mathematicam ſimultatem inter materiam, & vltimam prolationem formæ.

Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 26. §. *quoad* 2. Scotus in 4. diſt. 6. quæſt. 3. Rubio, Gabriel, & alij requirunt ſimultatem phyſicam, ſaltem inter aliquam partem prolationis formæ, & materiæ.

Communis ſententia docet ſufficere moralem ſimultatem. Sic D. Thom. hic quæſt. 6. art. 8. ad 3, Nugnus diſſ. 2. Ioan. à S. Thom. diſp. 22. art. 6. dub. 2. Gonet ibidem art. 7. Suarez diſp. 2. ſect. 2. Amicus diſp. 2. ſect. 3. Arriaga diſp. 3. ſect. 1. ſubſec. 3. & communiter ferè omnes alij Doctores tum Theologi, tum caſuiſtæ.

3 Concluſio. Non requiritur, quod iſtæ partes ſint ſimul duratione, & exiſtentia, ſed ſufficit ſimultas moralis etiam conſecutionis formæ poſt materiã, ita tamen, vt moraliter cenſeatur forma cadere ſuper materiam, & cum illa coniungi ad vnum integrum ſignum conſtituendum. Probatur prima pars; nam aliquando, dum ſunt res, non ſunt verba, imo in Sacramento pœnitentiæ ſemper verba ſupponunt res tranſiſſe, quia abſolutio datur iam peracta confeſſione, & qui heri confeſſus eſt, hodie poteſt abſolui. Confirmatur: quia ſi res & verba deberent eſſe ſimul duratione, & exiſtentia ſemper dubij eſſemus de veritate Sacramentorum; actiones enim morales non poſſunt mathematicè menſurari, neque expediebat, vt ſic à Chriſto inſtituerentur.

4 Secunda pars, quod debeant eſſe aliquo modo ſimul probatur; quia materia, & forma in Sacramentis debent facere vnum compoſitum morale, & vnum Sacramentum: atqui non poſſent facere vnum, niſi aliquo modo ſimul eſſent: ergo aliqua ſimultas requiritur; & ad hoc facit illud Auguſtini trac. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

5 Tertia denique pars, quod ſufficiat ſimultas moralis probatur: quia debemus aliquo modo definire, & certam regulam tradere ad cognoſcendũ quanta ſimultas requiratur, vt Sacramentum intelligatur factum: ſed non poteſt metaphyſicè, vel phyſicè definiri, quanta debeat eſse hæc propinquitas; ergo relinquitur, quod moraliter penſanda ſit: tum quia prudenter exiſtimamus Chriſtum ſic inſtituiſse, non verò cum tanto rigore phyſico, vel metaphyſico, hæc enim Sacramenta relinquebat hominibus peragenda; ergo ſufficit, quod humano modo peragantur: tum quia Sacramenta ſunt quædam compoſita moralia; ergo vt perficiantur, requirent ſolùm ſimultatem moralem.

6 Aduertendum tamen eſt, nè magna fiat interruptio, & quod ex modo, quo fit actio, & proferuntur verba iuxta communem, & humanum modum operandi intelligatur vnum alteri applicari, & vnum ab altero determinari:

vnde

Digitized by Google

vnde pro diuerſitate Sacramentorum, etiam diuerſa ſimultas erit neceſſaria, & propinquitas materiæ cum forma; nam maior requiritur, quando materia proxima eſt actio miniſtri, & indicatur per pronomen demonſtratiuum, aut per verbum indicatiui modi, vt in Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema vnctione.

Eadē ſimultas non requiritur in omnibus Sacramentis.

7 In Sacramento Ordinis communis praxis Eccleſiæ eſt, quod dum proferuntur verba ab Epiſcopo tangatur etiam materia, & Caiet.tom.1. opuſcul. tract. 26. cum alijs ita vult contactum materiæ debere eſſe ſimul cum prolatione verborum, vt ſi ſimul non ſint, nullum ſit Sacramentum: & ratio ipſius eſt, quia nulla oratio verificatur, aut adimpletur, niſi ſignificatum ponatur in tempore conſignificato: ſed ſi in tempore, quo proferuntur verba ab Epiſcopo ordinandi non tangerent materiam, quam Epiſcopus porrigit, verba non haberēt ſuum ſignificatum in tempore conſignificato; ergo nec verba verificarentur, nec Sacramentum perficeretur; minor patet; nam Epiſcopus dicit *Accipe hoc, vel illud*; ergo ſi ordinandus tunc non accipiat, quod per contactum fit, forma non verificaretur.

8 Verùm licèt tutiſſimum ſit, ſi fiat contactus, dum verba ab Epiſcopo proferuntur, nihilominus etiam in hoc Sacramento Ordinis ſufficit ſimultas moralis: conſequenter ſi prolatio verborum fiat ante, vel paulò poſt cōtactum, adhuc Sacramentum erit validum, vt obſeruat Marchinus de ordine, tract. 1. par.1. cap.16. à nu.13. allegans Sotum, Victoriam, Valentiam, & Henriquez; & hoc conſtat ex praxi illorum Epiſcoporum, qui in ordinatione plures initiaturi dicunt: *Accipite poteſtatem, &c.* aliquibus ſolum materiam contingentibus, deinde ceteris ſucceſſiuè, licèt aliquod temporis ſpatium intercedat inter prolationem verborum, & contactum eorum, qui vltimò tangunt eamdem materiam, talis tamen contactus cenſetur moraliter ſimul, quia continuatione quadam peragitur. Et hanc ordinationem eſſe validam Martinus Fornarius in addit.ad Tolet.de Sacram.Ord. cap.2. declaratum fuiſſe Romæ in quadam Congregatione teſtatur. Nec cōtrarium argumentum ſubſiſtit. Etenim illa propoſitio: *Accipe poteſtatem*, vel *Accipite poteſtatem*, adhuc ſecundùm moralem hominum exiſtimationem vera erit, etiamſi poſt aliquantulum temporis quis accipiat id, quod porrectum fuit, vt patet in communi hominum praxi.

9 In matrimonio tanta requiritur ſimultas inter mutuam traditionem, & acceptationem corporum, quanta neceſſaria eſt ad humanum contractum, quare minima ſimultas requiritur, & poteſt peragi etiam inter abſentes.

10 In pœnitentia verò, quia materia non eſt actio ipſa miniſtri, ſed pœnitentis, & perficitur per modum iuditij, tota materia per modum accuſationis ſupponitur ante formam, quæ in prolatione ſententiæ conſiſtit, & ea ſimultas ſufficit, quæ moraliter ſatis eſt, vt intelligatur iuditium peragi, & per ſententiam conſumari.

11 In Euchariſtia denique quo ad conſecrationem panis, & vini requiritur præſentia realis materiæ cum proferuntur verba formæ, & hoc indicatur per pronomen demonſtratiuum *hoc*, *& hic*; vt verò hoſtia conſecrata dicatur Sacramentum, ſufficit ſimultas verborum in eſſe obiectiuo, eo quod remaneant moraliter verba in effectu ſcilicet in materia conſecrata; ſed de hoc infra de Euchariſtia.

12 Obijcies primò. In eo inſtanti debent eſſe ſimul materia, & forma, in quo perficitur ſignificatio verborum: tunc enim perficitur Sacramentum: ſed ſi ſufficeret ſimultas moralis, materia, & forma non eſſent ſimul in eo inſtanti, in quo perficitur ſignificatio verborum; ergo ſimultas moralis non ſufficit.

Reſpondeo negando maiorem. Poteſt enim perfici ſignificatio verborum in tempore, quo materia iam præceſſerit, vt patet in pœnitentia, vel quod adhuc materia non ſit poſita, vt diximus eſſe probabile in ordine, & falſum eſt, quod tunc perfectum ſit Sacramētum, quo prolata ſunt verba, tunc enim erit perfecta ſignificatio verborum, non Sacramenti, quæ tunc tantùm eſt perfecta; quando completa eſt operatio, qua Sacramentum peragitur, & ſufficit, quod poſſit verificari veritas verborum, quæ verificari poteſt, etiam ſi ſit tantùm ſimultas moralis.

13 Obijcies ſecundò. Nulla propoſitio poteſt eſſe vera, niſi eius ſignificatum ponatur in tempore conſignificato; ſed tempus conſignificatum per formas Sacramentorum eſt ſemper præſens; ergo & materia ſemper debet eſſe præſens, ſecus non verificaretur forma.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: tempus conſignificatum per formas Sacramentorum eſt ſemper præſens phyſicè, nego minorem; moraliter concedo minorem; ergo &c. diſtinguo conſequens materia ſemper debet eſſe præſens, vel phyſicè, vel moraliter, concedo conſequentiam, phyſicè ſemper, nego

go

Digitized by Google

go conſequentiam: imò ordinariè, dum profertur verbum, non eſt perfectum ſignificatum, ſic quando dicitur: *Ego te baptizo*, necdum eſt perfecta ſignificatio, nec effectus Sacramenti, qui tantùm ponitur in vltimo inſtanti prolationis verborum; & patet in hoc verbo *ſileo*, quod non poteſt verificari in inſtanti, quo profertur, ſed tantùm pro tempore ſequenti; & ratio huius eſt, quia voces, & verba impoſita ſunt ad ſignificandas res, actiones, & paſſiones, ſed more humano; vnde ſimultas moralis ſemper ſufficit, nec requiritur phyſica.

14 Obijcies tertiò. Ex rebus, & verbis fit vnum compoſitum, vt ſupra dictum fuit: ſed compoſitum non poteſt fieri, niſi forma inſit immediatè materiæ; verba autem non tangunt materiam, cum maneant in aere, ergo vel dicendum eſt ex rebus, & verbis non fieri vnum compoſitum, vel ſi fiat, debēt verba immediatè vniri in eodem inſtanti rebus.

Reſpondet Nugnus, quod quando materia, & forma ſimul adſunt, Deus facit, vt verba perueniant vſque ad materiam, & tangant illam. Verùm hæc reſponſio nullo modo ſubſiſtit; etenim in matrimonio, qui poteſt fieri inter abſentes, quomodo conſenſus verbis expreſſus vnius coniugis poteſt tangere corpus alterius, qui ſupponitur abſens? deinde in Sacramento pœnitentiæ quomodo poteſt forma tangere materiam, quæ iam deſijt? Tertiò vnde Nugnus habuit, quod diuina virtute verba deferantur ad tangendam materiam?

Reſpondeo ergo, quod compoſitum, quod fit, eſt morale, & ideò ſufficit ſimultas moralis maior, vel minor, iuxta diuerſitatem Sacramenti, vt explicuimus in concluſione.

ARTICVLVS IX.

An verba in Sacramentis ſint conſecratoria, an verò ſolùm concionatoria.

1 HÆretici noſtri temporis, cū ad conficienda Sacramenta non poſſent conuinci ex Patribus, & ſcripturis abſolutè negare, verba eſſe neceſſaria, dixerunt requiri quidem in Sacramentis, verùm illa eſſe concionatoria ordinata ad populi inſtructionem, non ad materiam conſecrandam; & alij addunt eſſe ſpeciem quandam magiæ loqui cum materia conſecratorio modo. Hæc quæſtio potius ſpectat ad controuerſiſtas, qui de hac tractantes videri

Error hæreticorum.

poſſunt. Agunt etiam de eadem Lugus hic diſput. 2. ſec. 4. & Arriaga diſput. 5. ſec. 1.

2 Concluſio. Verba Sacramentorum ſunt conſecratoria, non concionatoria. Eſt de fide contra hæreticos noſtri temporis, quorum vnū ex falſis eorum fundamentis eſt, nos omnes iuſtificari tantùm per fidem, & ideò nullam certam formam requirunt in Sacramentis, quæ fit conſecratorio modo, ſed tantùm volunt omnia verba, quæ adhibentur in Sacramentis proferri à miniſtris concionatorio modo, quod eſt implicitè dicere ſine intentione faciendi, quod facit Eccleſia, ſed tantùm cum intentione inſtruendi populum. Probatur concluſio. Paruulis vſu rationis carentibus cōfertur verum baptiſma: ſed reſpectu ipſorum nihil dici poteſt cōcionatorium, cum non intelligant; ergo verba reſpectu ipſorum erunt tantùm conſecratoria; ergo & idem de alijs dicendum eſt; neque dicant hæretici, dum confertur Sacramentum baptiſmi paruulis, verba non eſſe concionatoria reſpectu paruuli, ſed reſpectu aliorum audientium, & præſentium. Cōtra enim eſt: nam paruulo confertur baptiſma, non aliis, & reſpectu paruuli verba non poſſunt eſſe concionatoria; ergo erunt conſecratoria: tum quia poteſt aliquis verè baptizare paruulum nullo alio præſente; ergo tunc nullo modo verba poſſunt eſſe concionatoria.

3 Probatur ſecundò. Si verba in Sacramentis dicerentur tantùm concionatorio modo, & non conſecratorio, hoc deberemus colligere ex ſcripturis, & Patribus: ſed ex ſcripturis, & Patribus colligitur ſumi conſecratorio modo. Nam poſtquam Chriſtus conſecrauit corpus ſuum illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, ſubiungit: *Hoc facite in meam commemorationem*, & de baptiſmo iuſſit omnes baptizari *In nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*. Et Concilium Florentinum in decreto vnionis aſſignat in omnibus Sacramentis ſuas peculiares formas; iſtæ autem ſunt conſecratoriæ non concionatoriæ, vt eas conſideranti patet: & 1. ad Cor. 10. habetur: *Calix benedictionis, cui benedicimus* (hoc eſt, quem conſecramus) *nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt*. Et plures Patres id docent; ſufficiat tamen adducere Auguſtinum lib. 20. cōtra Fauſtum cap. 13. vbi habet: *Noſter panis, & calix certa conſecratione myſticus fit nobis*. Et tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Confirmatur, officium baptizandi debet diſtingui ab officio concionandi. Ex 1. ad Corint. 1. vbi Apoſtolus habet: *Non miſit me*

Deus

Digitized by Google

Deus baptizare, ſed euangelizare. Et Petrus Actorum 8. poſtquam inſtruxit Cornelium per concionem, & explicationem myſteriorum fidei iuſſit ipſum baptizari: ſed ſi verba in Sacramentis dicerentur concionatorio modo, non diſtinguerentur iſta officia; nam etiam baptizando quis exerceret officium concionandi; ergo verè in Sacramentis verba dicuntur conſecratorio modo, non concionatorio.

4 Obijciunt hæretici primò. Loqui cum materia ipſa, intendendo ipſam mutare eſt magia quædam: ſed, ſi verba formæ Sacramenti diceretur conſecratorio modo, miniſter loqueretur cum materia intendendo ipſam mutare; ergo magia quædam eſset.

Reſpondeo, quod magia includit pactum explicitum, vel implicitum cum diabolo, non verò, quando intenditur fieri aliquid in virtute Dei; nec Chriſtus magiam exercuit, dum dixit: *Hoc eſt corpus meum*; nec ipſe, & Sancti magiam exercuerunt, dum tot miracula patrarunt.

5 Obijciunt ſecundò. Illud Matth. vltimo: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ergo ad Sacramenta requiruntur verba concionatoria.

Reſpondeo, Ibi ſermonem eſse de adultis, qui debebant conuerti ad fidem, quos Apoſtoli, & alij debebant prius inſtruere, & cathechizare antequam eos baptizarent, quod veriſſimum eſt; debent enim prius inſtrui de myſterijs fidei, & edoceri, quæ poſt baptiſmum ſeruare debeant, & poſtea baptizari; at ex hoc nullo modo probatur, quod forma baptiſmi ſit concionatoria, ſed contrarium, quod ſit conſecratoria; nam de actuali baptiſmo non dixit docentes, aut inſtruentes, ſed baptizantes, & vt vidimus ex Apoſtolo officium baptizandi eſt diuerſum ab officio concionandi.

6 Obijciunt tertiò. D. Hieronymum, qui illud ad Epheſios 5. *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*, intelligit de verbo doctrinæ.

Reſpondeo D. Hieronymum ſe explicare, quod non loquatur in ſenſu litterali, ſed myſtico, non de mundatione, quæ fit per baptiſmum, ſed de mundatione, quæ fit per prædicationem, dum per illam plures cõuertuntur ad fidem, & ad pœnitẽtiam; quare talis locus nullo modo fauet hæreticis.

7 Obijciunt quartò. Auguſtinum tract. 80. in Ioan. vbi dicit: *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur: nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei, quod prædicans, ait Apoſtolus: quia ſi in ore tuo confeſſus fueris, quia Dominus eſt Ieſus, & credideris in ore tuo, quia Deum illum ſuſcitauit à mortuis ſaluus eris.* Ergo per Auguſtinum eſt verbum, non quia dicitur, ſed quia creditur, & ſic verba erunt concionatoria, non conſecratoria.

Reſpondeo ad hunc locum varias à Bellarmino, Vaſquez, & alijs de controuerſijs agentes dari ſolutiones. Dico ergo Auguſtinum ibi loqui de baptiſmo adultorum, quo iuſtificantur: in quo ſẽſu omnia verba cohærent, & verè poteſt dicere: *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*; nam ſi adultus, qui recipit Sacramentum non haberet fidem, certè non iuſtificaretur; & verè poteſt ſubiungere: *Nam & in ipſo verbo, aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei, quod &c.* Nam verba Sacramentorum ſecundùm ſonũ tranſeunt, ſicut tranſit, & ipſum baptiſma, quod eſt Sacramentum in vſu, at virtus manet, quia manet gratia, quæ per Sacramentum producta fuit, & manet fides eadem, quæ in adulto erat requiſita, vt recipiendo baptiſmum iuſtificaretur, & ideò ſub hac ratione poteſt dicere: *Aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei, &c.* Sicq; explicatus hic locus nullo modo fauet hęreticis, ſęd verum ſenſum catholicum habet. Locus Auguſt. difficilis explicatur.

ARTICVLVS X.

An omnia Sacramenta nouæ legis habeant determinatas res, & verba.

1 MVlti fuere errores in Eccleſia circa materiam, & formam Sacramentorum; etenim Paulitiani cenſebant Sacramenta omnia conſiſtere in verbis, de materia verò nihil curabant; è contra hæretici noſtri temporis negant requiri verba determinata, & conſecratoria in Sacramentis, ſed ſed tantùm concionatoria ordinata ad inſtruendum populum. Cathafrigæ ex ſanguine infantis anniculi conficiebant panem Euchariſticum, & Aquarij aquã non vinum offerebant, ex Auguſtino lib. de hæreſibus, & plures alij fuere errores circa materiam, & formam Sacramentorum.

2 Conçluſio. Catholica veritas eſt materiã, & formam in Sacramẽtis nouæ legis fuiſſe determinatam à Chriſto. Hęc veritas remanet definita in Trid. ſeſs. 7. can. 1. vbi habetur: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, &c. anathema ſit,*

Ex quo loco ſic argumentor. Ad illum ſpectat materiam, & formam alicuius compoſiti determinare, qui tale compoſitum inſtituit: non poteſt enim inſtitui, & determinari totum, quin etiam partes eius determinentur; cum totum ex partibus conſtet: ſed Chriſtus Dominus fuit auctor, & inſtitutor omnium Sacramentorum nouæ legis, vt ex loco ſupradicto Trid. conſtat: ergo etiam Chriſtus fuit, qui materias, & formas Sacramentorum determinauit. Vnde ſeſſ. 21. cap. 2. dicit idem Concilium; *Præterea declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, &c.* ergo materiam, & formam Sacramentorum mutare non poteſt Eccleſia, quia tam materia, quàm forma ſpectant ad Sacramentorum ſubſtantiam.

3 Cur autem Chriſtus hæc omnia Sacramenta inſtituerit, & non dederit hanc poteſtatem Eccleſiæ eſt, quia ad illum ſolùm ſpectat inſtituere Sacramenta, qui poteſt eſſe auctor gratiæ, quæ per talia Sacramenta confertur; ſolus autem Chriſtus eſt auctor gratiæ; & ſic ſolus ille potuit inſtituere Sacramenta. Potuiſſet quidem Chriſtus delegare Eccleſiæ ſuæ poteſtatem determinandi aliqua Sacramenta, & determinandi materiam; & formam Sacramentorum, quibus poſitis ipſe poſtea efficaciam tribueret; nihilominus magis decuit, vt Chriſtus ipſe ea determinaret; tum vt ipſis Sacramentis maior auctoritas, & veneratio cōciliaretur tamquā inſtitutis à Chriſto; tum nè in re tanti momenti varietas oriretur in Eccleſia; cum ſint ſigna, quibus noſtra religio ab alijs falſis diſcernitur.

Contra hanc catholicam veritatem duæ extant difficultates, de quibus fusè Doctores tractant, prima tangit materiam Sacramenti Matrimonij: ſecunda eſt circa materiam, & formam Sacramenti Ordinis, nos ambas breuiter per modum obiectionum proponemus, & ſoluemus.

4 Obijcies primò. De facto Eccleſia mutauit materiam Sacramenti matrimonij; ergo materia huius Sacramenti non fuit determinata à Chriſto: probatur antecedens: ante Tridentinum materia matrimonij erat conſenſus etiā clandeſtinus, modò talis conſenſus non eſt ſufficiens; ergo materia huius Sacramenti mutata fuit.

Reſpondeo negando antecedens; etenim, quando Chriſtus Dominus inſtituit matrimonium, illud fundauit in contractu humano, quem voluit eſſe validum ſecundùm leges humanas, nec determinauit in particulari conditiones requiſitas, ſed ſolùm voluit contractum humanum validum fore materiam huius Sacramenti; hoc fixo permanente, poteſt Eccleſia has, vel illas conditiones apponere ad hoc, vt talis contractus ſit validus, nec aliter, aut alio modo factus ſit validus. Id igitur, quod determinauit Trid. non fuit mutare materiam matrimonij, ſed tantùm determinauit, quod talis contractus non eſſet validus, niſi factus fuiſſet coram proprio Parocho, & teſtibus. Et ſicut Princeps ſæcularis poteſt determinare, quod donatio inter viuos non ſit valida, niſi cum talibus conditionibus fiat, quod teſtamentum non ſit validum, niſi fiat coram Notario, & tot teſtibus, & huiuſmodi; ita ex hoc capite poſsēt etiam Principes ſæculares nouas aliquas conditiones apponere ad valorem matrimonij, niſi Eccleſia ob iuſtas rationes id eis prohibuiſſet, vt notat Sanchez de matrim. lib. 1. diſp. 3. Vnde apparet Tridentinum non mutaſſe materiam matrimonij, ſed tantùm addidiſſe conditionem, vt contractus eſſet validus. Addit Arriaga, & benè, quod hoc modo poſſent mutari omnes formæ Sacramētorum, etenim cum voces ſignificent ad placitum, poſſet Eccleſia mutare ſignificationem vocum, & ſic ſi vellet, quod illa verba *Ego te abſoluo* ſignificarent idem, quod *Ego te video*, talia verba non eſſent apta forma pro Sacramento pœnitentiæ, & ſic de ceteris; hoc autem non eſſet mutare formam Sacramenti, ſed quia illa verba non haberent ſignificatum inſtitutum à Chriſto, & deberent aſſumi verba, quæ redderent ſignificatum inſtitutum à Chriſto, vt fieret Sacramentum.

5 Obijcies ſecundò. Si materia fuit determinata à Chriſto pro omnibus Sacramentis, ſequeretur, quod vel Eccleſia Latina, vel Græca non rectè miniſtrarent Sacramentum Ordinis, nam cum ſint materiæ, & formę diuerſę, quibus vtitur Eccleſia Latina ab illis, quibus vtitur Græca, & materiæ, & formæ pro ordinibus ſint à Chriſto determinatæ, vtique deberemus dicere Græcam errare; quod tamen vllo modo dici non poteſt, cum Eccleſia Latina approbet ordinationes a Græcis factas; ergo dicendum eſt ſpectare ad Eccleſiam determinare materiam, & formam pro Sacramentis.

Quod verò materiæ, & formæ ſint diuerſæ patet. Nam materia Subdiaconatus in Latina eſt calix vacuus cum patena vacua, & liber epiſtolarum. Et forma eſt: *Accipe librum Epiſtolarum, & poteſtatem eas legendi in Eccleſia Dei tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Diaconatus verò

ma-

materia eſt liber Euangeliorum, & impoſitio manus dexteræ ſuper caput ordinandi. Forma verò: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Sacerdotis verò materia eſt duplex impoſitio vtriuſque manus ſuper caput Presbiteri, nempe ante, & poſt conſecrationem, nec non traditio calicis cum vino, & patenę cum hoſtia, & forma duplex: nempe: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, miſſaſq; celebrandi tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Et pro forma abſoluendi à peccatis ſunt illa verba Ioann. 20. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta ſunt.* In Græca verò ſolum adeſt manus impoſitio, & pro forma ſunt hæc verba: *Diuina gratia, quæ infirma ſanat promouet hunc Subdiaconum in Diaconum, in Preſbiterum.* Sed tam materia, quàm forma, vt ex ſe patet, ſunt diuerſæ; ergo ſignum eſt, quod Eccleſia habeat poteſtatem determinandi pro Sacramentis materiam, & formam.

Reſpondeo negando ſequelam, neque enim Chriſtus pro omnibus Sacramentis determinauit materiam, & formam in ſpecie, ſed pro aliquibus determinauit in ſpecie, vt pro Euchariſtia panem triticeum, & vinum de vite cum ſua forma, pro baptiſmo aquam naturalem cum ſua determinata forma. *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* at in Sacramento ordinis determinauit materiam, & formam tantùm in genere, quatenus determinauit ſignũ aliquod quod aliquo modo eſſet expreſſiuum poteſtatis ordinis, qui traditur, & verba aliqua, quæ eamdem poteſtatem exprimerent, & reliquit penes Eccleſiam poteſtatem, vt poſſet pro varijs temporibus, & Eccleſijs varia ſigna determinare expreſſiua eiuſdem poteſtatis. Quare antequam eſſent conſcripta Euangelia ordinabantur Diaconi per ſolam manuum impoſitionem: ſic per manuum impoſitionem D.Stephanum Diaconum ordinauerunt: Sic Paulum, & Barnabam Presbyteros creauerunt Act. 13. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos.* Sic 1.ad Timot.5.dicitur. *Manus cito nemini impoſueris,* & 2. cap. 1. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum,* & manuum impoſitionem ſeruat etiam nunc Eccleſia Latina in ordinatione Diaconi, & Presbiteri, ſed inſuper ad maiorem claritatem Diacono tradit librum Euãgeliorum, & Presbitero calicem cum vino, & patenam cum hoſtia, Græca verò ordinat per ſolam manuum impoſitionem, & per verba diuerſa; verum iſtæ materiæ, & formæ ſunt tantùm diuerſæ ſpecie, non genere, quomodo fuerunt determinatę à Chriſto; Ex quo cõſtat quomodo tam Græca, quàm Latina verè ordinent, & ſeruent materiam, & formam à Chriſto Domino determinatas.

6 Dices gratis aſſeritur Chriſtum Dominum determinaſſe materias, & formas aliquorum Sacramentorum tantùm ſecundùm rationem genericam, non enim hoc habemus ex Euangelio, aut ex aliqua alia Scriptura canonica, & reliquiſſe poſtea Eccleſiæ facultatem eas materias, & formas determinandi in ſpecie. Sed contra: nego gratis hoc aſſeri; nam vt traditur in cap. *Cum Marthæ &c. de celebratione miſſarum,* multa tradita ſunt ab Apoſtolis, tamquam à Chriſto Domino accepta, quæ in Euangelio non ſunt; & idem docet D. Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia, cap.1. Quarè rectè potuit Eccleſia determinare in particulari aliquas materias, & formas expreſſiuas poteſtatis, quæ traditur, vt de facto fecit, licet ſimul etiam approbet materias, & formas Græcorum; vnde ex hoc deſumitur validum argumentum ad probandum hanc poteſtatem in Eccleſia fuiſſe, & eſſe; cum de facto mutauerit aliquas materias, & formas in particulari, & ſemper approbauerit materiam, & formam, quibus Græci vtuntur; ergo cum Eccleſia vniuerſalis errare non poſſit in Sacramentorum adminiſtratione, fatendum eſt, *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret; vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Sic definit Trident. ſeſſ.21.cap.2.

7 Obijcies 3. Si in Sacramento ordinis Diaconatus materia eſt impoſitio manus Epiſcopi ſuper ordinandum, ſequitur, quod Eccleſia Latina conferat ordinem Diaconatus, dum Epiſcopus imponit manum, & dicit. *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus eius:* Sed hoc eſt contra Florent. quod docet conferri per traditionem libri Euangeliorum; ergo de facto manus impoſitio non eſt materia, nec illa verba ſunt forma, non ſolùm pro Latinis, ſed nec etiam pro Græcis, ſecus omnes deberent conficere Sacramentum.

Reſpondeo diuerſas poteſtates conferri in Diaconatu, ſicuti conferuntur in Presbiteratu, in hoc enim confertur poteſtas in Corpus Chriſti verum per traditionem calicis cum vino, & patena

Digitized by Google

cum hoſtia, & debita forma; & confertur poſtea poteſtas in corpus Chriſti myſticum in ordine ad abſoluēdum à peccatis per impoſitionem manuum Epiſcopi, & peculiarem formam. In Diaconatu verò eſt poteſtas diſpenſandi ſanguinem Chriſti fidelibus, & poteſtas legendi Euangelia; & ſicuti in Presbyteratu vna confertur poſt aliam; ita, & in Diaconatu. Cur autem Florent. aſſignauerit pro materia traditionem libri Euāgeliorum, & in Presbiteratu traditionē calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia fuit, quia intentum Concilij erat aſſignare certam aliquam materiam, quo vnus ordo diſtingueretur ab alio, cuiuſmodi non erat manus impoſitio, quæ communis eſt Presbiteratui, & Diaconatui, & inſuper volebat aſſignare rem aliquam ſubſiſtentem, qualis non erat manus impoſitio. De reliquo ſicuti nunc Eccleſia approbat ordinationes Græcorum, quæ fiunt per manus impoſitionem, ita potuiſſet perfici talis ordo etiam in Latina per ſolam manuum impoſitionem, aut per vtrumque ſimul etiam in Græca; quia hæc determinatio ſpecialis, & in particulari ad Eccleſiam ſpectat, & Chriſtus huius Sacramenti materiam, & formam ſolùm in genere determinauit.

8 Objicies 4. Si Eccleſia poteſt mutare in particulari in Sacramento ordinis materiam, & formam; ergo poterit eamdem mutare in Euchariſtia, & in Baptiſmo; imò hanc aliquando fuiſſe mutatam videtur colligi ex ſcriptura: nā Act. 2. & 8. habetur Apoſtolos baptizaſſe *in nomine Domini Ieſu*; & ſic non fuiſſet neceſſarium exprimere Trinitatis perſonas, quod nullus concedit.

Reſpondeo, quod materiæ, quæ fuerunt à Chriſto Domino determinatæ pro Sacramentis, vel ſunt tales phyſicè in ſpecie ſua, vel ſunt tantùm quid morale, quod tale eſt ex hominum deputatione, ſi primò modo, non poſſunt ab Eccleſia vllo modo mutari, & ſic cum Chriſtus in baptiſmo determinauerit aquam naturalem, in Euchariſtia panem triticeum, & vinum de vite, certè huiuſmodi materia non poteſt ab Eccleſia mutari; vbi verò ſunt tantùm quid morale; cum hoc, vt tale ſit, dependeat ab hominum deputatione, ſi habentes auctoritatem vellent illud mutare, itaut amplius non ſupponat pro re quam ſupponebat, certè in hoc ſenſu poteſt mutari materia ab Eccleſia, & ſic mutauit in matrimonio, quod prius conſtabat in in contractu etiam clandeſtino, modo determinat non eſſe validum, niſi fiat coram Parocho, & teſtibus, & ſic potuit mutare materiam in Sacramento ordinis, & hoc pacto poſſunt mutari omnes formæ Sacramentorum, nam cum voces ſint ad placitum, modo poſſunt aſſumi ad ſignificandum, quod antea non ſignificabant; vndè ſi tempore D. Petri in quo non erat in vſu lingua Italica, quis intendiſſet baptizare hoc modo, *Io ti battezzo nel nome del Padre, del Figlio, e dello Spirito Santo*, cum ſermo Italicus, tunc nihil ſignificaret, vt ſuppono, nec confeciſſet baptiſma, quod tamen nunc conficitur, quia modò talia verba habent ſenſum à Chriſto intentum, & quod dico de mutatione huius formæ, idem dico de omnibus alijs; at mutare formam, quæ ſenſum mutet à Chriſto ſtatutum, non poſſumus, neque Eccleſia vnquam hoc fecit. Quare, dum dicitur Apoſtolos baptizaſſe in nomine Domini Ieſu; ſenſus eſt, quod baptizauerint in fide, virtute, & auctoritate Chriſti; vndè licèt exprimerent nomen Chriſti, non per hoc tamen ſequitur, quod non expreſſerint perſonas Trinitatis: potuerunt enim Apoſtoli vti hac forma. *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti*, & hoc vt nomen Ieſu fieret fidelibus amabile: ceterum omnes Apoſtolos ſemper expreſſiſſe perſonas Trinitatis in baptiſmo colligitur ex illo Act. 19. vbi Paulus interrogauit quoſdam, ſi *Spiritum Sanctum* accepiſſent credentes, qui reſponderunt, ſe neſcire, an ſit Spiritus Sanctus; vndè Paulus ſubiunxit, *in quo ergo baptizati eſtis*; ex quo deducitur, Apoſtolos ſemper baptizaſse exprimendo tres perſonas Trinitatis, & ſic etiam explicatur illud Nicolai Papę de conſecrat. diſt. 5. cap. *A quodam Iudeo*; nempè, quod baptiſma collatum in nomine Chriſti ſit verum, dummodo expreſſæ fuerint perſonæ Trinitatis.

ARTICVLVS XI.

An mutatio materiæ, & formæ inualidet Sacramentum, & quomodo.

1 HAec quæſtio potius ſpectat ad caſuiſtas, quā ad Theologos, cum difficile ſit, regulam quandam generalem tradere, quæ in caſibus particularibus aliquas non patiatur difficultates: de hac tractant communiter Theologi cum D. Thom. hic art. 8. Thomiſtæ communiter ibidem vt Nugnus, Cabrera, Ioan. à S. Thom. diſp. 22. art. 8. dub. 1. & 2. Gonet art. 8. Suarez diſp. 2. ſect. 4. Vaſquez diſp. 129. Lugo diſput. 2. ſect 6. Arriaga diſp. 7. Amicus diſput. 2. ſect. 5. Herincx diſp. 2. q. 3. Eſparza lib. 10. q. 5.

Digitized by Google

q. 5. & communiter alij de caſibus conſcientiæ pertractantes.

2 Concluſio 1. mutatio ſubſtantialis tam materiæ, quam formæ inualidat Sacramentum; non autem accidentalis. Probatur prima pars; quia Sacramentum conſtat eſſentialiter, vt quoddam morale eſt, ex materia, & forma determinata; ſed mutatio ſubſtantialis materiæ, & formæ tollit ipſam materiam, & formam à Chriſto determinatam; ergo etiam tollet Sacramentum: etenim ſicuti in homine; quia eſt compoſitum phyſicum ex anima rationali, & corpore, ſi tollatur, vel materia, vel anima rationalis, tollitur homo; ita in Sacramentis, ſi mutetur ſubſtantialiter materia, vel forma, & compoſitum illud morale mutari neceſſè eſt.

3 Secunda pars probatur à ſimili; ſicuti enim in compoſitis phyſicis poteſt manere idem compoſitum cum variatione accidentali, idem enim compoſitum modo poteſt eſſe calidum, modo frigidum, album, vel nigrum, & tamen ſemper ſubſtantialiter, & eſſentialiter idē erit: Ita compoſitum morale Sacramēti poteſt admittere plures variationes accidentales, & tamen remanere quoad eſſentiam, & ſubſtantiam ſuam verum Sacramentum, & hoc clarè colligitur ex can. *Retulerunt de conſecrat. diſtinct.* 4. vbi Zaccharias Papa in Epiſt. ad Bonifacium definit baptiſmum collatum a quodam Presbytero ignaro linguæ Latinæ, qui baptizabat dicens. *In nomine Patria, Filia, & Spiritua Sancta* fuiſſe verum baptiſma, eò quod eſſet tantùm mutatio accidentalis.

4 Concluſio 2. Mutatio ſubſtantialis ex parte materiæ tunc eſt, quando iuxta communem vſum materia non conuenit nomine, & ratione cum materia, quam præſcripſit Chriſtus, & vtitur Eccleſia. Probatur ſimul, & explicatur concluſio. Nam materia Sacramentorum determinata eſt à Chriſto; ergo neceſſè eſt, vt ſub aliquo nomine, & ratione habeat determinationem; ergo è contra, vbi reperitur talis mutatio, quæ variat nomen, & rationem, erit mutatio eſſentialis; non quidem, quia per ſe nomen aliquid faciat, ſed quia amiſſo nomine, magnum eſt argumentum morale variationis ſubſtantiæ rei.

5 Ex hac concluſione poſſunt deduci varij caſus. Et primo, quod paſta non ſit materia Sacramenti Euchariſtię; etenim licèt fortè paſta non differat ſpecie à pane, differt tamen nomine, & moraliter, & re vera non habet vſum panis, nec nomine panis intelligitur paſta. E contra quodcumque vinum, ſiue album, ſiue rubrum, dummodò ſit de vite, etiamſi fortè hæc vina ſpecie phyſica differant, nihilominus ſunt materia ſufficiens Sacramenti Euchariſtiæ, quia tam album, quam rubrum habent vſum vini, & ſunt vinum. Secundò, quod panis ſiue azimus, ſiue fermentatus eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ, quia eſt verus panis, etiamſi fermentatus habeat admixtum fermentum. Tertiò, quod aqua naturalis, ſiue calida, ſiue frigida ſit materia Sacramenti baptiſmi, quia quod ſit calida, aut frigida eſt tantùm mutatio accidentalis. Quartò quod aqua roſacea, ex alijs floribus expreſſa non ſit certa materia, quia moraliter nō habet vſum aquæ, nec accipitur pro vera aqua, ſed pro artificiali; è contra verò ſi aqua per miraculum produceretur, aqua maris, fluminum, fontium, & pluuialis eſt vera aqua apta ad baptiſmum, & varij alii caſus deduci poſſunt.

6 Concluſio 3. Forma Sacramentorum tunc mutatur ſubſtantialiter, cum mutatur eſſentialiter ſenſus: Probatur, quia ſenſus eſt veluti anima verborum; ergo mutato eſſentialiter ſenſu, mutatur etiam ipſa forma; Si verò non mutatur ſenſus formæ; etiamſi fiat additio, vel ablatio verborum, vel alio modo mutetur forma eſt tantùm mutatio accidentalis, quę non inualidat Sacramentum. Hæc concluſio eſt certa apud omnes, ſolùm difficultas eſt in deducendis caſibus in particulari, nempè, quando nam hęc mutatio ſit ſubſtantialis, quando nam accidentalis?

7 Ex hac regula, & concluſione deducitur primò, quod mutatio idiomatis non eſt mutatio eſſentialis, ſed tantùm accidentalis, & hoc certiſſimum eſt, nam Chriſtus vel hebraicè, vel vt alij volunt ſyriacè loquebatur, Eccleſia autem Romana, nunc latine profert verba; ergo ſi mutatio idiomatum eſſet eſſentialis, Eccleſia Romana non conficeret vera Sacramenta, quod hæreticum eſt. Ratio huius eſt manifeſta, quia ſiue Hebraicè, ſiue Græcè, ſiue Latinè, ſiue Gallicè, aut Hiſpanicè proferantur verba, poteſt ſeruari idem ſenſus; imò ſi quis verbum Latinum, aliud Hiſpanicum, aliud Italicum proferret, dummodò vnita redderent eumdem ſenſum, eſt mutatio tantùm accidentalis, vt notant Caiet. & alij. Quidquid latrent hæretici noſtri temporis, qui volunt Sacramenta debere confici in lingua vulgari, eo quod teneant verba eſſe concionatoria tantùm, non conſecratoria, quod tamen ſupra refutauimus.

8 Deducitur ſecundò, quod quando in eodem idiomate ponuntur verba diuer-

diuerſa ab illis, quibus vtitur Eccleſia, ſi tamen idem ſignificent, vt ſunt nomina, vel verba ſynonima non fit mutatio eſſentialis, ſed tantùm accidentalis. Sic valet baptiſma ſi loco verbi *baptizo*, quis dicat *ego te abluo &c.* vel in Sacramento pœnitentiæ pro illo verbo *abſoluo* dicatur: *Fgo tibi remitto peccata tua.*

9 Si verò verba non ſint ſynonima, idem tamen ſignificent, ſed non ita diſtincta, & clara ſignificatione erit mutatio ſubſtantialis. Sic non eſt validum baptiſma, ſi quis dicat. *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, quia licèt per nomen *Trinitas* idem realiter ſignificetur, quod ſignificatur nominibus *Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, non ſignificatur tamen ſecundùm modum expreſsè determinatum à Chriſto; Similiter, ſi quis in Sacramento pœnitentiæ diceret. *Ego te lauo à peccatis tuis*, non conficeret Sacramentum, quia licèt his verbis ſignificari poſſet remiſſio peccatorum, & infuſio gratiæ, non tamen ſignificarentur per modum iudicialis ſententiæ, ſed per modum ablutionis; Quod ſi ſit dubium, an ſint voces æquiualenter ſignificantes, dubium eſſet Sacramentum: vt ſi in forma baptiſmi quis dicat. *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque*; Sic Lugus cum alijs loco cit. nu. 107. imò alij dicunt eſſe inualidum; quia licet hæc verba ſignificent expreſsè diuinas perſonas, eas tamen ſignificant ſecundùm rationem proceſſionum, non verò formaliter ſecundùm earum formale conſtitutiuum in ratione ſubſiſtentis, quod quidem conſtitutiuum eſt relatio, ſecundùm hanc enim determinauit Chriſtus principaliter ſignificari perſonas diuinas in forma baptiſmi per illa verba *Patris, Filij, & Spiritus Sancti.*

10 Addo cum alijs inualidam eſſe formam baptiſmi, ſi quis dicat. *Intendo te baptizare &c.* quia ex inſtitutione Chriſti actus baptizandi debet ſignificari, vt exercitus, non vt intentus; quo modo non ſignificatur, dum dicitur. *Ego intendo te baptizare &c.* nam iſta verba poſſent per menſem ante, imò & per annum dici in ſenſu vero antequam baptiſmus conferatur; Si enim quis hodie dicat. *Ego intendo, ſeu habeo veram intentionem te baptizandi &c.* & poſtea cras tantùm, vel poſt menſem infundat aquam, illa verba verificarentur; & nihilominus nullam eſſet baptiſma: ergo etiam ſi ſtatim aquam infundat; nam per talia verba non ſignificatur actus baptizandi, vt exercitus, ſed tantùm intentus.

11 Quod ſi verba ſint æquiuoca, & poſſunt habere hic, & nunc veram ſignificationem, quam habent ſacramentalia, mutatio erit tantùm accidentalis, & validum erit Sacramentum; Sic validè baptizat ſi quis dicat; *Ego baptizo Petrum in nomine &c.* nam licet ly vox *Petrus* ſit æquiuoca ad hunc, vel alium Petrum ſignificandum, ex ratione tamen miniſtri, & alijs adiunctis determinatur ad ſignificandam hanc numero perſonam. Idem dicendum, quando ex vſus accommodatione pro nomine ſingulari, *ego, vel tu*, æquiualent eadem pronomina in plurali, vt ſi Pontifex diceret, *nos te baptizamus &c. nos te abſoluimus &c.* vel abſoluendo, aut baptizando Principem, quis dicat: *Ego baptizo, vel abſoluo dominationem, vel ſerenitatem veſtram &c.*

12 Debent tamen hæc verba ſignificare ex vſu, & accommodatione communi; nam ſi quis priuata auctoritate imponeret nouas voces ad ſignificandū id, quod verba ſacramentalia ſignificant, etiamſi ijs vteretur animo conficiendi, non conficeret Sacramentum, vt ſi quis vellet, quod *blitri* ſignificet idem, quod *abſoluo*, vel *baptizo*: & diceret poſtea: *Ego te blitri in nomine &c.* nullo modo conficeret Sacramentum, quia ſignificatio vocis debet eſſe publica, & communi vſu recepta; & hac de cauſa, licèt verbum *baptizo* apud Latinos non ſit vſitatum, quia tamen ex vſu Eccleſiæ receptum eſt, & accommodatum ad ablutionem ſignificandam, optimè adhibetur in baptiſmo, ſiue dicendo *baptizo*, ſiue in lingua Italica *battezzo.*

13 Deducitur tertiò, quid dicendum, quando mutatio formæ fit per detractionem; nam tunc videndum eſt, an id, quod detrahitur mutet verum ſenſum, vel non; nam ſi mutat verum ſenſum, inualidat Sacramentum, & eſſet mutatio ſubſtantialis: Si non mutat verum ſenſum, erit tantùm accidentalis, & validum erit Sacramentum: hæc autem mutatio per detractionem poteſt fieri dupliciter, vel primò, quia aliqua ſyllaba detrahatur à verbis formæ, vt ſi quis loco dicendi *hoc eſt corpus meum*, dicat *hoc es corpus meum*; & tunc adhuc eſt validū Sacramenium, quia in ijs circumſtantijs illa verba ſic prolata ſufficienter indicant verum ſenſum, licèt barbarè fuerint prolata, & de hoc habetur decretum Zaccharię Papæ in can. *Retulerunt de conſecrat. diſt. 4.* de illo, qui baptizabat. *In nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta.* vbi Pontifex declarat huiuſmodi baptiſmum per verba ſic barbarè prolata collatum fuiſſe verum baptiſmum, nec debere reiterari. Vel ſecundò quia detrahatur aliquod verbum formæ, & hoc pacto, ſi remanet verus ſenſus formæ, adhuc eſt validum Sacramentum, ſi non rema-

Digitized by Google

remanet, non erit validum; Sic validum eſt baptiſma ſi quis dicat: *baptizo te nomine Patris, Filij, Spiritus Sancti*, quia ſeruatur idem ſenſus. Sic Amicus hic nu.98. & alij; item eſt validum, ſi quis in conſecratione hoſtiæ omittat particulam *enim*; quia à Chriſto Domino non intenditur principaliter ſenſus cauſalis, quē particula *enim* efficit, ſed intenditur abſoluta ſignificatio ſuæ realis præſentiæ, quæ adhuc remanet. E contra verò eſſet inualidum baptiſmum, ſi quis omitteret particulam *te* dicendo, *ego baptizo in nomine Patris &c.* idem ſi omitteret, vel *baptizo*, vel *nomine*, vel vnam perſonam Trinitatis; & hoc quia non ſeruatur idē ſenſus, & idem dicendum de alijs Sacramentis.

14 Deducitur quartò, quid ſentiendum ſit, quàndo mutatio formæ fit per additionem aliquorum verborum: nam ſi tollitur verus ſenſus formæ inualidatur Sacramentum, ſecus ſi non tollitur verus ſenſus: quare, ſi verba, quæ adduntur ſunt falſa, & modificant principale ſignificatum formæ, inualidant Sacramentum: ſic inualidum eſt baptiſma, ſi quis dicat. *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filij minoris &c.* quia tunc deſtruitur æqualitas perſonarum; item ſi quis diceret. *Ego te baptizo in nomine Patris, Beatæ Virginis, Filij, & Spiritus Sancti*; quia ly *Beatæ Virginis* modificat ly *in nomine*, & ſenſus eſset, quod non tantùm in virtute Dei, ſed etiam Virginis baptiſma conferretur, quod eſt falſum: Item ſi quis diceret. *Hoc eſt corpus meum aereum* nam ly *aereum* modificat corpus, quale non fuit corpus Chriſti.

15 Notandum tamen, quod ſi verba, quæ adduntur ſunt falſa ex priuato errore, non inualidant Sacramentum, dummodò miniſter habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Sic validū eſt baptiſma collatum his verbis. *Ego baptizo te in nomine Patris, quem ego exiſtimo maiorem, filij, quem minorem, &c.* nam cum hac additione ſtat verus ſenſus, & vera intentio Eccleſiæ; Item ſi quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quos ego non credo*, eſt validum baptiſma; nam priuatus error non tollit ſenſum verborum, nec intentionē faciendi, quod facit Eccleſia. Si verò verba, quæ adduntur non ſunt falſa, & adhuc retineatur principale ſignificatum formæ, Sacramentum eſt validum: ſic validum eſt baptiſma collatum. *In nomine Patris omnipotentis, filij vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti*. Item ſi poſt verba formæ baptiſmi addatur, *Et Beata Virgo te adiuuet*; nam ſic adhuc manet principale ſignificatum formæ.

16 Deducitur quintò, quid dicendum ſit, quando tranſponuntur verba; nam, ſi verum ſenſum adhuc retineant, validum eſt Sacramentum, ſecus, ſi è contra. Sic validum eſt baptiſma, ſi quis dicat. *Ego in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizo te*; & in Euchariſtia dicendo. *Hoc eſt meum corpus*: Inualidum verò erit baptiſma, ſi quis dic. *Ego te Patris, & Filij baptizo in nomine Spiritus Sancti*. Et in Euchariſtia ſi dicatur. *Meum enim eſt hoc corpus*; quia, vt de ſe conſtat, non retinent verba idem principale ſignificatum formæ.

17 Deducitur ſextò, quid dicendum quando conſtructio actiua mutatur in paſſiuam, & in hac certum eſt, quod retineatur idem ſenſus, & quod ſit mutatio tantùm accidentalis: Sic validum eſt baptiſma collatum à Græcis dum dicunt. *Baptizatur ſeruus Chriſti in nomine Patris &c.* ſic etiam docent communiter Doctores.

18 Deducitur ſeptimò, quid dicendum quando in prolatione formæ adeſt interpollatio inter vnum verbū, & aliud. Nam ſi interpollatio eſt tanta, vt tollat ſenſum verborum, tunc inualidatur Sacramentum: Si verò non tollat ſenſum verborum, erit tantùm mutatio accidētalis, & validum erit Sacramentum. Quanta autem poſſit eſſe huiuſmodi interpollatio, ſtandum eſt prudenti hominum exiſtimationi, omnibus circumſtantijs conſideratis.

19 Deducitur octauò. Mutationem verborum formæ in ſigna, nutus &c. in Sacramento matrimonij eſse accidentalem; quia cum ſit fundatum in contractu, hic poteſt perfici non ſolùm verbis, ſed nutibus, & ſignis: in alijs autem Sacramentis ſemper eſt mutatio ſubſtantialis.

ARTICVLVS XII.

An error miniſtri poſſit inducere mutationem ſubſtantialem in Sacramentis.

1 MIniſter in adminiſtratione Sacramentorum poteſt mutare materiam, vel formam, vel ex ignorantia, vel ex negligentia, vel ex induſtria, vel ex particulari errore, quem velit introducere contra particularem Eccleſiam, aut contra Eccleſiam vniuerſalem, & veram.

2 Prima opinio docet, quod ſi miniſter mutet materiam, vel formam animo introducendi nouum ritum in Eccleſiam, non conficitur Sacramentum, citatur pro hac opinione D. Thom. ſed verè quænam ſit mens D. Thom. infra

videbi-

Digitized by Google

videbimus; eſt tamen Bonauent. in 4. diſt.3.art.2. Richard. art.2. q.4. Marſilij quæſt.3. art.4. D.Anton. 3. par. tract.14. cap.13.Soti, & aliorum.

Secunda opinio communis docet, quod dum manet eſsentialiter materia, & forma, & miniſter intendit ſaltem facere id; quod facit vera Eccleſia, etiamſi intendat introducere nouum ritum, aut errorem in Eccleſiam, quem putet eſſentialem, verum conficit Sacramentum Sic Nugnus hic quæſt. 60. art. 8. Ioan.à S.Tho.diſp.22.art.8.dub.1.Gonet diſp.1. art.9.num.133. Bellarm.lib.1.de ſacram. cap.21. Suarez hic diſput.2.ſect.5.Lugus diſp.2.ſect.6.num.119. Arriaga diſput.7. ſect. 2. Amicus diſput.2.ſect.5. & plures alij.

3 Concluſio 1. Eſt cum hac ſecunda ſententia. Probatur tunc manet verum Sacramentum, quando manent materia, & forma eſſentialiter, & intentio faciendi, quod facit Eccleſia; ſed de facto poſſunt manere materia, & forma eſſentialiter cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, etiãſi aliquis intendat introducere nouum ritum in Eccleſiam, aut errorem, quam putet eſſentialem; ergo etiam de facto poteſt eſſe verum Sacramentum, etiamſi miniſter intendat introducere nouum ritum, vel errorem in Eccleſiam, quem putet eſſentialem: maior de ſe patet: probatur minor, & quidem, quod materia, & forma non varientur eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter ſupponitur; quod verò poſſit manere intentio generalis faciendi, quod facit Eccleſia, ſeu, quod fecit Chriſtus Dominus probatur exemplo illorum Græcorum, qui putant neceſſariò eſſe conſecrandum in fermentato, & in baptiſmo debere omnes vti illa forma: *Baptizatur ſeruus Chriſti, &c.* iſti verè conficiunt Sacramẽtum, & habent animum introducendi hunc ritum in Eccleſiam; ergo poteſt ſtare mutatio accidentalis materiæ, vel formę cum animo introducendi hunc ritum in Eccleſiam tamquam eſſentialem, qui tamen ritus erroneus ſit, & falſus; fateor tamen, quod, cum voluntas faciendi, quod facit Eccleſia, & voluntas introducendi nouum ritum erroneum in Eccleſiam ſint contraria, non poſſunt ſimul cohærere, niſi ſit ignorantia in miniſtro; qua poſita certè poſſunt cohærere, vt patet exemplo adducto ab Arriaga. Si quis enim videat à longè filium, quem putet feram, quia exiſtimat feram, vult occidere, & tamen idem obiectum, cum filius ſit, vult viuere; certè in eo caſu in tali homine circa idem obiectum ſunt duæ voluntates contrariæ vitæ, & mortis; ergo etiam, ſi miniſter Sacramentorum habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia vera, quæcumq; illa ſit, & ex alia parte putet aliquem ritum eſſe eſſentialem, qui tamen non ſit, & illum intendat introducere in Eccleſiam, adhuc poſſunt illæ duæ voluntates ſtare ſimul; & ſi ſtant ſimul, cum ibi ſint materia, & forma eſſentialiter requiſitæ, & ſit intentio faciendi, quod facit Eccleſia certè conficitur Sacramentum.

4 Concluſio ſecunda. Quando per mutationẽ formæ redditur ſenſus æquiuocus, tunc pendet ex intentione miniſtri, quod fiat validum Sacramentum. Explicatur concluſio, quando dico *Pendet ex intentione &c.* per intentionem miniſtri nõ eſt ſermo de intentione, quam quilibet debet habere conficiendi Sacramentum; nam hanc requiri definitum fuit in Florentino, & Trid. ſed ſuppoſito, quod quis habeat intentionem conficiendi Sacramentum, & faciendi, quod facit Eccleſia, ſermo eſt de intentione, quam debet habere circa ſignificationem illius verbi æquiuoci; nam ſi intendat verum ſenſum intentum ab Eccleſia, validum fit Sacramentum, ſi verò intendat falſum, fit inualidum: & ratio huius eſt clara, quia ſi miniſter in verbo æquiuoco intendit ſenſum non intentum ab Eccleſia, tunc tollitur veritas formalis formæ, & vera ſignificatio, quæ eſt anima vocis: ablata autem vera ſignificatione in forma nullum eſt Sacramentum, vt de ſe patet. Hinc patet, quod ſi quis in conſecutione calicis ſumeret ly *Hic*, vt aduerbium locale, & non vt pronomen; cum ly *Hic* ſit æquiuocum ad vtrumq; ſi conſecrando intendat illud ſumere aduerbialiter, nullum conficit Sacramentum; ſicuti enim, ſi quis diceret: *In hoc calice eſt ſanguis meus*, non conficeret Sacramentum; ita nec dicendo *Hic* aduerbialiter: & in hoc ſenſu intelligitur illud Zachariæ Papæ in *Can. Retulerunt*, vbi dicit, validum fuiſſe baptiſmum collatum ab illo Sacerdote ignaro linguæ latinæ dicendo; *In nomine Patria, Filia, & Spiritua Sancta*, niſi is, qui baptizauit intenderit introducere nouum ritum in Eccleſiam; nam ſi dicendo Patria, Filia, &c intendiſſet perſonas Trinitatis eſſe fœminas, tolleretur vera Trinitas, & nullum fuiſſet Sacramentum, & ſic etiam explicatur D.Thom. dum hic ar.8. videtur docere, mutationem eſſe ſubſtantialem, quando miniſter intendit introducere nouum errorem. Et ratio huius eſt, quam ſupra adduximus, quia tunc tolleretur vera ſignificatio; nam in verbis æquiuocis,

quod

Digitized by Google

quod habeant hunc, vel illum ſenſum determinatè pendet ex animo loquentis; vnde, ſi intendit falſum, nullum ſemper eſt Sacramentum.

5 Nec eſt neceſse, quod quando propoſitio eſt æquiuoca, vt fiat inualidum Sacramentum, debeat addi aliquid exterius, quo determinetur potius ad hunc, quam ad illum ſenſum; ſufficit enim ſola loquentis determinatio: vt patet in caſu, quo quis Sacerdos habeat ante ſe duas hoſtias, quæ poſſint demonſtrari per pronomen *Hoc*, quo caſu ly *Hoc* eſt æquiuocum, poteſt enim ſignificare tum hoſtiam dexteram, tum ſiniſtram, & nihilominus, ſi miniſter nullo ſigno exterius addito per hoc ſolùm, quod intendat conſecrare dexteram nõ ſiniſtram, verè illam conſecrat, non ſiniſtram; ergo non eſt neceſſe, quod addatur aliquid exterius, quo determinetur ad hoc potius, quam ad illud, ſed ſufficit interna loquentis determinatio, quando verba ſunt æquiuoca: vt patet clarè in conſecratione calicis; etenim ly *Hic*, eſt æquiuocum ad ſignificandum aduerbium, vel pronomen, vnde, ſi eſſet neceſse addere aliquid exterius ad determinandum illud ſumi, vt pronomen, non vt aduerbium, numquam fieret conſecratio, quia ordinariè Sacerdotes, dũ conſecrant nihil exterius addunt ad denotãdum illud ſumi, vt pronomen.

6 Non negauerim tamen, quod ſi quis in confectione Sacramentorum verba formæ corruptè proferret, vel aliquid exterius adderet, & præſertim, ſi ex induſtria, aut certa ſcientia id faceret, hoc non ſit ſufficiens morale argumentum, talem miniſtrum non habere intentionem conficiendi Sacramentum, ſed ſolùm per iocum, & contemptum illa proferre; quare in dubio Sacramentum eſset reiterandum ſub conditione; verum vt dixi, hoc non eſt neceſsarium, ſed ſufficit, dum verba ſunt æquiuoca, determinatio loquentis.

7 Obijcies primò contra 1. In can. ſupracitato *Retulerunt, de conſecrat.* diſt. 4. habetur, quòd ille, qui baptizauit *In nomine Patria &c.* verè baptizauit, dummodo non intenderet nouum errorem in Eccleſiam introducere; ergo ſentit Pontifex, quod ſi intendebat nouum ritum, & errorem introducere, nullum erat Sacramentum; & D.Th. hic art. 8. dicit, quod ſi miniſter per additionem, vel diminutionem verborum errorem intendit, non videtur perficere Sacramentum; ergo quotieſcumq; quis in confectione Sacramentorum intendit nouum ritum, & errorem introducere Sacramenta non perficit.

Reſpondeo iam conſtare ex concluſione noſtra ſecunda, quomodo debeat intelligi mens Pontificis; vult enim Papa, quod ſi ille baptizans *In nomine Patria &c.* intendebat vti illis verbis, vt deſtructiuis Trinitatis, eo quod putaſſet perſonas Trinitatis eſſe fœminas, vtique non erat baptiſmus, quia deeſt ſignificatio eſſentialis formæ: ceterum ſi ipſe intendebat facere, quod facit Eccleſia, ex eo quod eſſet ignarus linguæ latinæ, adhuc conficitur Sacramentum, etiamſi intendat introducere nouum ritum, quem putet eſſentialem, dummodo hoc fiat ex ignorantia, nam tunc intentio ipſa falſa corrigitur per intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Ad D.Tho. dico, ipſum non aſſerere non confici Sacramentũ, ſed poſſe dubitari, an ſit factum Sacramẽtum; nam ſi miniſter immutet verba ab Eccleſia determinata, ſignum morale eſt, quod non habuerit intentionem veram.

8 Obijcies ſecundò. Miniſter debet habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum: ſed, qui intendit nouum ritum, & errorem introducere, non habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ſed habet intentionem contrariam Eccleſiæ; ergo non conficit Sacramentum.

Reſpondeo negando minorem, nempe, quod qui ex ignorantia intendit introducere nouum ritum, non habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia: nam non habet volũtatem contrariam Eccleſiæ, niſi materialiter, non formaliter; cum qua voluntate materialiter contraria, ſtat volũtas faciendi, quod facit Eccleſia, vt ſupra in concluſione explicatum fuit.

9 Dices tamen: Miniſter, qui vult introducere nouum errorem, verè habet voluntatem propriam contrariam Eccleſiæ; ergo non poteſt habere voluntatem faciendi, quod facit Eccleſia.

Reſpondeo, hanc voluntatem eſſe tantùm conditionatam, quia cum in ipſo ſit voluntas faciendi, quod facit Eccleſia, propria intendens errorem eſt tãtùm conditionata, ſi hæc ſit voluntas Eccleſiæ, quæ conditio, cum non verificetur reſpectu erroris, nihil ponit in eſſe, et ſic remanet alia voluntas faciendi, quod facit Eccleſia, quæ ſufficiens eſt. Quod ſi quis abſolutè cognoſceret ſuum errorem, & vellet illum introducere, iam non poſſet habere voluntatem faciendi, quod facit Eccleſia, & ſic nullum eſſet Sacramentum.

10 Obijcies tertiò. Si quis baptizaret ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine*

Digitized by Google

mine Patris, Filij, Spiritus Sancti, & Beatiſſimæ Virginis, intendens, quod Beata Virgo ſit de eſſentia formæ non baptizaret validè: ſed qui intendit nouum ritum, & errorem introducere etiam ſentit talem ritum, & errorem eſſe de eſſentia; ergo numquam intendens nouum ritum, & errorem introducere, validè conficit Sacramentum.

Reſpondeo, quòd baptiſma collatum ſub tali forma poteſt eſſe inualidum, primò ſi intendatur æqualitas Beatæ Virginis cum tribus perſonis, quia tunc deſtruitur ſubſtantialiter forma: ſecundò erit inualidum, etiam ſi quis ſentiat Beatam Virginem non eſſe æqualem tribus perſonis, nihilominus intelligat, quod ly *in nomine* ita conueniat perſonis diuinis, ac Virgini, & idem ſit, ac ſi in virtute B.V. & trium perſonarum conferatur baptiſma; nam etiam ſic deſtruitur eſſentialiter forma: ſi verò per ly *in nomine*, cum ſit æquiuocum, & poſſit ſignificare non ſolùm auctoritatem, & virtutem, ſed etiam interceſſionem ſolam, vt conſtat ex Eccleſia, quæ in commendatione animæ dicit: *Egredere &c, in nomine Trinitatis*, & poſtea ſubiungit: *In nomine Angelorum &c.* diſcurrendo per omnes ordines Sanctorum; tunc dico, quòd ſi miniſter, dum dicit *in nomine*, intendat in virtute, & auctoritate Trinitatis; relatũ verò ly *in nomine*, ad B.V. velit tantùm ſignificare interceſſionem ipſius, vel decreuiſſet addere, & B. V. poſt adhibitam iam materiam, & prolata verba eſsentialia, cum debita intentione, tunc dico cum Arriaga hic diſput.7.ſec.2. eſse validum: vnde negatur conſequentia; nam etiam ſi quis intendat nouum ritum tamquam eſsentialem, ſi nihilominus non mutet materiam, vel formam eſsentialiter, & habeat veram intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, verum conficit Sacramentum: quod confirmatur in caſu, quo quis exiſtimaret particulam *enim* in conſecratione corporis Chriſti eſse de eſſentia formæ, & non eſse ſolùm de præcepto; nihilominus conſecrando cum debita materia, & intentione faciendi, quod facit Eccleſia, verè conſecrat, quia quidquid ipſe intendat cum particula *enim* non facit ſenſum æquiuocum, ſemper remanet verum ſignificatum formæ.

11 Obijcies primò contra ſecũdam ex Lugo diſp.2.num.122.qui vult, quòd ſi quis vtatur verbis æquiuocis, & intendat ſenſum æquiuocum, dummodo ſimul intendat facere, quod facit Eccleſia, adhuc conficiat Sacramentum. Poteſt ſtare error priuatus circa ſignificationem vocis cum voluntate generali ſignificandi id, quod intendit ſignificare Eccleſia; ergo tunc validum fiet Sacramentum; conſequentia patet: quia vt validum ſit Sacramentum, ſufficit, ſi ponatur materia, & forma cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, & ſignificandi per verba id, quod ſignificat Eccleſia: ſed cum priuato errore circa ſignificationẽ vocis poteſt ſtare id, quod ſignificat Eccleſia: ergo tunc verum erit Sacramentum: primum antecedens probatur: quia voluntas priuata ſignificandi, cum ſit minus efficax, non poteſt præualere contra voluntatem generalem ſignificandi, quod ſignificat Eccleſia; nam hæc cum ſit magis efficax, præualet; ergo validum fiet Sacramentum.

Reſpondeo, quòd dupliciter poteſt ſe habere miniſter circa ſignificationem alicuius verbi æquiuoci, v. g. ly *Hic* in conſecratione calicis: vel enim primò ita dicit: Ego volo per ly *Hic* ſignificare aduerbium locale, quia hunc puto eſſe ſenſum huius propoſitionis, ſi tamen Eccleſia aliud ſignificatum eidem tribuit, & idem ſignificatum ego intendo: & ſic concedo fieri validum Sacramentum, & in hoc ſenſu debemus loqui, ac locuti ſumus in concluſione præcedenti; nam voluntas priuata eſt tantùm conditionata, quæ corrigitur per voluntatem volendi ſignificare, quod ſignificatur ab Eccleſia. Vel ſecũdò habet quidem miniſter voluntatem conficiendi Sacramentum, ſed nihilominus in electione medij errat, & putat ly *Hic* tantùm ſumi aduerbialiter, & hoc pacto illud ſumit, quia in hoc ſenſu illud ſumendo putat vſurpari ab Eccleſia, & hoc modo cum ſignificatio depẽdeat à volũtate proferentis, qui illud ſumit in ſenſu falſo, & in ſenſu, qui falſam reddit ſignificationem formæ, ſemper inualidum fit Sacramentum, quemadmodum enim, ſi quis intenderet verè conficere Sacramentum eo modo, quo conficit Eccleſia, & poſtea vſurparet, vel materiam diuerſam, & non aptam, vel formam ſubſtantialiter diuerſam, vt ſi in baptiſmo diceret: *Ego te baptizo in nomine Matris, Filii &c.* non conficeret Sacramentum in omnium ſententia; quia mutatio ſubſtantialis materiæ, vel formæ inualidat Sacramentum; ita cum accipiendo ly *Hic* aduerbialiter varietur ſubſtantialiter forma, inualidum erit Sacramentum: ex quo patet ad probationem antecedentis, nam ſi voluntas priuata ſit tantùm conditionata, concedo, quod corrigatur per voluntatem abſolutam faciendi, & ſignificandi,

Digitized by Google

di, quod facit, & ſignificat Eccleſia: at ſi ſit abſoluta, eo quod putet ly *Hic* ſumi tantùm aduerbialiter ab Eccleſia, ſic reddit ſenſum falſum, nec corrigitur per voluntatem generalem.

12 Obijcies ſecundò. Qui profert formam v. g. *Hic* in ſenſu æquiuoco, & aduerbialiter, ita illud profert, vt ſi ſciret Chriſtum, vel veram Eccleſiam illud proferre in alio ſenſu, illud ſic proferret: ſed hoc ſufficit, vt ſignificet illud, quod intendit ſignificare Eccleſia; ergo conficiet Sacramentum.

Reſpondeo data maiori: nego minorem; nam quilibet etiam hæreticus intendit conficere Sacramentum, & facere, quod fecit Chriſtus, aut quod facit vera Eccleſia, & nihilominus, ſi vtatur materia, vel forma ſubſtantialiter diuerſa Sacramentum non conficit; ita cum ſumendo aduerbialiter ly *Hic* mutetur ſubſtantialiter ſignificatio formæ, numquam fiet Sacramentum; nec enim ſufficit ad Sacramentum conficiendum, quod quis ſit habitualiter diſpoſitus, vt ſi ſciret hanc materiam, vel ſignificationem non eſſe illam, quam intendit Chriſtus, eamdem non aſſumeret, ſed aliam, & veram; nam debet aſſumere veram, non falſam, ſecus nihil efficiet.

13 Obijcies tertiò. Si Sacerdos in oblatione voluit conſecrare nō tantùm hoſtiam, ſed etiam particulas, quæ ſunt in pyxide; etiam ſi tempore conſecrationis obliuiſcatur particularum, & ſolùm dirigat intentionem ad conſecrandam hoſtiam, nihilominus particulæ ſunt conſecratæ vi præcedentis intentionis; ergo etiam ſufficiet illa prior intentio generalis ſignificandi, quod voluit Chriſtus, licèt hic, & nunc dirigat ſuam intentionem ad ſignificatum contrarium.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia in tali Sacerdote conſecrante adeſt intentio virtualis, quæ non retractatur, & ipſe vtitur vera materia, & forma: at in propoſito caſu mutatur eſſentialiter ſignificatio, & conſequenter forma ſubſtantialiter, & ideò nil mirum, ſi non conficiat. Addo, quod non obſtante illa intentione generali conſecrandi, etiam particulas, ſi Sacerdos illius oblitus diceret: *Nolo conſecrare, niſi hanc hoſtiã*, vel *volo conſecrare hanc ſolam*, vtique non conſecraret, niſi illam, & hæc intentio eſſet retractatiua prioris; ergo etiã in noſtro caſu licèt habuerit intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & ſignificãdi, quod ſignificat Eccleſia, ſi de facto dat ſignificationem omnino cõtrariam ſenſui intento ab Eccleſia, & per hanc mutetur eſſentialiter ſignificatio formæ, Sacramentum non conficiet.

14 Obijcies quartò. Si quis ignoraret omnino ſignificationem verborum, & baptizaret cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, verè baptizaret, ſi rectè proferret verba, & veram materiam adhiberet; ergo etiam in noſtro caſu id dicendum eſt.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt: quia in priori caſu, miniſter ille nullam tribuit ſignificationem verbis, & cum habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, conſequenter retinent ſignificationem Eccleſiæ veram: at in noſtro caſu miniſter dat formæ ſignificationem contrariam, & illam mutat ſubſtantialiter, & ideò nihil efficit; ſumus enim in caſu, quod miniſter iudicet ſignificationem illius vocis *Hic*, eſſe aduerbialiter, & quod nullam aliam habeat, aut ſi putat eam habere illam reijciat. Nam ſi diceret ego puto ſignificationem illius vocis *Hic* ſumi aduerbialiter, & ideò illam ſic ſumo, ceterum ſi ab Eccleſia non ſumatur aduerbialiter, ſed vt pronomen, & ego eam ſic ſumere volo, in tali caſu, fateor non fieri mutationem eſſentialem formæ, ſed hanc priuatam, & conditionatam voluntatem corrigi per abſolutam, & ſic fieri Sacramentum: ſed talis non eſt noſter caſus, ſed in noſtro ſupponitur, quod miniſter ſupponat, quod ly *Hic* nullam aliã habeat ſignificationem, niſi aduerbialem, & quod ſic etiam ſumatur ab Eccleſia, quo caſu certè mutatur eſſentialiter ſignificatio formæ, vt patet.

ARTICVLVS XIII.

An intentio miniſtri ſit pars intrinſeca componens Sacramentum.

1 VT Sacramenta validè conferantur requiri in miniſtro intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia de fide eſt definitum in Florentino in decreto Eugenij, vbi dicitur, Sacramentum tribus perfici, nempè materia, forma, & intentione miniſtri, & ex Trid. varijs in locis, ſed præſertum ſeſs. 7. de Sacramentis in genere can. 11. definitur requiri intentionem miniſtri, & ſic omnes Catholici ſentiunt ad veram effectionem Sacramentorum iſta tria requiri, nempè materiam, formam, & intentionem miniſtri. Quare quod modo in dubium vertitur eſt, quomodo intentio miniſtri requiratur, ſcilicet, an requiratur tamquam pars intrinſeca Sacramentum conſtituens, an vero ſolùm tamquã cau-

Digitized by Google

cauſa efficiens Sacramentorum.

1 Antiqui Scholaſtici ex profeſſo hanc quæſtionem non tractarunt, ſed nihilominus ferè omnes ſupponunt requiri quidē intentionē ad cōſtituendum Sacramentum, ſed non tamquam partem intrinſecam, ſed ſolùm tamquam cauſam extrinſecam, & efficientem, ſic ſupſupponere videntur Suarez, diſput. 42. ſect. 2. & Vaſquez diſput. 129. cap. 3. cum alijs.

Lugus diſp. 2. ſec. 7. Arriaga diſp. 3. ſec. 2. & Eſparza lib. 10. q. 6. docent intentionem miniſtri eſſe partem intrinſecam conſtitutiuam Sacramenti.

Euchariſtia eſt ſacramētum etiam extra vſum non alia.

3 Aduerte, quod omnia Sacramenta, Euchariſtia excepta, in tantùm ſunt Sacramenta, in quantùm fiunt, ceterum eo ipſo, quod facta ſunt, deſinunt eſſe ſacramenta, quia conſiſtunt tantùm in vſu; Euchariſtia verò etiam eſt Sacramentum permanens in facto eſſe extra vſum ipſius, quod non conuenit alijs Sacramentis, quamuis tamen Sacramenta conſiſtant in vſu, ſeu in actione illa, qua fiunt, nihilominus poſſumus in ipſis cōſiderare, & fieri ipſorum, vt formaliter fieri, ſeu actio eſt, & factum eſſe, licèt hoc factum eſſe, eo ipſo, quod eſt, deſinat eſſe, eò modo, quo poſſumus conſiderare generationem ignis, vt formaliter generatio eſt, & ignis ipſe vt genitus, licèt in eo inſtanti, in quo haberet eſſe in facto, etiam periret.

4 Concluſio 1. Si Sacramenta in fieri conſiderentur, intentio miniſtri eſt de intrinſeca ratione ipſorum. Probatur concluſio. Illud eſt de intrinſeca ratione alicuius, quo poſito ſimul cum alijs requiſitis id intelligitur, & quo ablato; & poſitis omnibus alijs id non intelligitur: ſed poſita intentione miniſtri vnientis materiam cum forma intelligitur fieri Sacramentorum, ſola intentione ablata, & poſitis omnibus alijs fieri Sacramentorum non intelligitur; ergo materia, forma, & intentio miniſtri ſunt de intrinſeca ratione Sacramentorum in fieri: maior videtur nota lumine naturæ, & conſtat ex ijs, quæ alibi diximus de complexis, & præſertim de complexo actionis; nam actio cum ſit complexum dependentiæ agentis, & termini, de intrinſeca ratione actionis eſt agens, & terminus, & ſic de alijs complexis vniuerſaliter alibi diximus: minor conſtat ex Florentino in decreto vnionis, quod poſtquam enumerauit omnia Sacramenta nouæ legis, hoc pacto definit. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum*, vbi noto, quod Concilium non dicit, *tribus perfecta ſunt*, quæ verba denotarent Sacramentum in facto eſſe, *ſed tribus perficiuntur*, quæ denotant Sacramentum in fieri, & ſecundùm quod actio quædam humana eſt. Confirmatur: quia Concilium vniuerſaliter definit omnia Sacramenta tribus perfici: ſed, ſi loqueretur de Sacramentis in facto eſſe, non poſſet vniuerſaliter intelligi; nam Sacramentū Euchariſtiæ etiam præſcindendo ab vſu, & ab eius fieri, eſt verum Sacramentum in facto eſſe, & tamen in facto eſſe non conſtat intentione, nec perſona miniſtri, nam poſtquam miniſter conſecrauit, poteſt deficere, & mori, vel poteſt retractare intentionem, & nihilominus adhuc Sacramentum ibi erit, ergo in facto eſſe Sacramentum non conſtat tamquam intrinſecis conſtitutiuis materia, forma, intentione, & perſona miniſtri.

5 Concluſio 2. Sacramentum in facto eſſe conſideratum non includit tamquam partem intrinſecam ſui conſtitutiuam perſonam, aut intentionem miniſtri, ſed perſona miniſtri, & intentio habent rationem cauſæ efficientis. Hæc concluſio colligitur clarè ex Florentino ſupracitato, vbi habet Sacramenta perfici *rebus tamquam materia, verbis tamquam quam forma, & perſona miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione &c.* ergo ſi per Concilium perſona miniſtri cum intentione ſe habet per modum perficientis Sacramentum, perſona cum intentione non erit cauſa intrinſeca, ſed extrinſeca, & efficiens Sacramenti.

6 Probatur ratione: Eo modo debemus loqui, & explicare eſſentiam Sacramentorum, quo explicamns eſſentias rerum naturalium, & rerum artificialium, & moralium: Sed in facto eſſe, neque res naturales, neque artificiales, & morales in earum eſſentia includunt cauſas eorum productiuas, ſed iſtæ ſemper ſunt eorum eſſentiæ extrinſecæ; ergo & in Sacramentis idem dicendum eſt: maior patet: nam etiam Sacramenta ſunt quædam compoſita moralia artificialia à Deo inſtituta: probatur nunc minor, quia licet generatio ignis eſſentialiter includat, & ignem generantem, & materiam, & formam genitam, quia ſine his omnibus non poteſt generatio nec eſſe nec cōcipi, nihilominus ignis ſtatim ac eſt productus, etiamſi in inſtanti immediatè ſequenti deberet deſinere, non includit in ſua eſſentia generantem, etſi quis ædificet domum, licèt ædificatio includat ædificantem, nihilominus poſtquam ædificata eſt, ædificans non

eſt

Digitized by Google

eſt de illius eſſentia, ſed quid extrinſecum & hoc veriſſimum eſt, licèt in inſtanti immediatè ſequenti deberet domus deſtrui, & idem apparet in alijs quibuſuis compoſitis; ergo etiam de Sacramentis idem dicendum eſt.

7 Dices. Sacramenta omnia, Euchariſtia excepta, ſunt tantùm Sacramenta in vſu: ſed in vſu conſiderata non poſſunt eſſe ſignum, & cauſa gratiæ Sacramentalis, niſi includant miniſtrum cum debita intentione operantem tamquam inſtrumentum, & miniſtrum Chriſti; ergo ſaltem de eſſentia horum Sacramẽtorum, quæ conſiſtunt in vſu eſt miniſter cum debita intentione tamquam parte Sacramenti intrinſecè conſtitutiua. Sed contra: quia quamuis ſex Sacramenta conſiſtant tantùm in vſu, vt fides docet, nihilominus in ipſis poſſumus, imò debemus diſtinguere fieri, & factum eſſe, ſeu actionem, qua fiunt, & ipſa, vt facta, & perfecta ſunt; ſed in omnibus alijs compoſitis ſiue phyſicis, ſiue moralibus, & artificialibus, imò & in ipſo Sacramento Euchariſtiæ, licèt in fieri includant agens, nihilominus in facto eſſe, agens eſt ſemper quid extrinſecum, & ad hoc eſſe comparatur tantùm, vt cauſa efficiens; ergo etiam in Sacramentis idem dicendum eſt.

8 Nec ſufficit, quod Sacramenta Euchariſtia excepta non permaneant; nam licèt ignis productus, nec per ſecundum inſtans deberet permanere, & domus ſtatim ac fuit perfecta, deberet deſtrui; nihilominus in omnibus iſtis, & ſimilibus compoſitis datur fieri, & factum eſſe, & licèt in fieri includant agens, in facto eſſe tamen illud non includunt, ſed ad hoc eſſe comparatur vt efficiens; ergo & in Sacramentis idem dicendum eſt, cum ſit par omninò ratio.

9 Obijcies 1. Contra primam. Si intentio miniſtri eſt de intrinſeca ratione Sacramenti in fieri, maximè propter rationem allatam pro probatione noſtræ concluſionis: ſed hæc ratio nimis probat, ergo nihil probat: minor probatur: nam hinc ſequeretur, quod vnum Sacramentum ſit pars alterius, & ſic Sacramentum ordinis includeret eſſentialiter, Sacramentum baptiſmi, & Sacramentũ ordinis miniſtri conferentis, & Sacramentum baptiſmi ordinati, nam altero eorum deficiente non conficitur Sacramentum.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, nego ſequelam; nam ſequitur tantùm, quod Sacramentum ordinis, dum fit, ſupponat caracterem baptiſmalem in eo, qui debet recipere ordinem, vt ſubiectum fiat aptum, & poteſtatem in conferente, quæ diuinitus poteſt eſſe in ipſo, etiamſi non eſſet ordinatus, vt de facto fuit ſemper in Chriſto, & tamen in ipſo nullum erat ordinis Sacramentum, ideo ſolùm à nobis enumerata ſufficiunt ad Sacramentum conficiendum; & idem dicendum de alijs Sacramentis, quorum vnum ſupponit aliud.

10 Obijcies 2. Poteſtas v.g. abſoluendi à peccatis nihil aliud eſt, quam præcedens ordo, nihil enim aliud aſſignari poteſt: ſed hæc poteſtas requiritur ad abſoluendum à peccatis in Sacramento pœnitentiæ; ergo Sacramentum pœnitentiæ conſtituetur intrinſecè ex Sacramento ordinis, quod falſum eſt.

Reſpondeo negando maiorem, quod ſit præcedens ordo; fundatur enim in charactere ab ordine cauſato, vt tamen non repugnet, quod quis poſſit abſoluere, quamuis non habeat huiuſmodi characterem, vt patet de Chriſto, qui poterat abſoluere, licèt non haberet ordinem; ita potuiſſet Deus dare hanc poteſtatem alteri non habenti ordinem, ſicuti de facto contulit poteſtatem baptizandi omnibus.

11 Obijcies 3. Ideo per nos ordinis Sacramentum non eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ in fieri, quia potuit à Deo tribui poteſtas abſoluendi ſine ordine: ſed etiam potuit decernere, quod fieret Sacramentum ſine intentione per hoc, quod ſolùm miniſter adhiberet materiam, & formam etiam ſine intentione faciendi, quod facit Eccleſia; ergo neque intentio eſſet de eſſentia.

Reſpondeo: quod vtique potuiſſet Chriſtus ſic Sacramenta inſtituere: at de facto inſtituit, vt ea fierent cum debita intentione, & humano modo, vt conſtat ex Concilio Florentino, quod definit Sacramenta perfici materia, forma, & intentione miniſtri, quo modo non loquitur de alijs, quare tria hæc eſſentialiter requiruntur ad conficienda Sacramenta, non alia.

12 Obijcies 4. Si intentio miniſtri eſt intrinſeca Sacramento; ergo etiam intentio recipientis: probatur conſequẽtia; nam non minus requiritur intentio in recipiente, quam in dante: ſed huius intentio eſt eſſentialis; ergo & intentio ſuſcipientis.

Reſpondeo negando conſequentiã vniuerſaliter loquendo; nam poteſt adminiſtrari Sacramentum paruulis ſine ipſorum intentione; ceterum fateor etiã intentionem recipientis in adultis requiri. Florentinum autem enumerauit tantùm intentionem miniſtri, quia hæc vniuerſaliter requiritur in omnibus Sacra-

Digitized by Google

mentis conficiendis. Addo, quod quãdo conficitur Sacramentum Euchariſtiæ non requiritur intentio recipientis, quia hoc eſt Sacramentum verum extra ipſius vſum:

15 Obijcies 5. Si confici non poteſt Sacramentum ſine intentione, ſequitur quod aliquando peccatum ſit quid conſtitutiuum Sacramenti in fieri: hoc videtur abſurdum; ergo & vndè ſequitur, ſequela probatur. Nam improbi miniſtri multoties habent intentionem malam in conficiendis Sacramentis, vt dum Sacerdos conſecrat hoſtiam, vt ea malè vtatur,

Reſpondeo, quod Lugus concedit ſequelam: ſed melius eſt illam negare: ad probationem dico, quod intentio miniſtri improbi poteſt dupliciter conſiderari, vel vt eſt intentio inſtrumenti Chriſti ea vtentis ad conficiendum Sacramentum, ſeu quatenus habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & ſic eſt ſemper bona, & ſub hac ratione conficitur Sacramentum, vel vt procedit à cauſa principali ipſius miniſtri ob malum finem, & ſic non ingreditur eſſentiam Sacramenti, ſed eſt mala, & complexum diuerſum realiter ſaltem inadæquatè, & hoc modo non ingreditur eſſentiam Sacramenti, & explicatur hoc exemplo in ſeruo, qui ex fine malo dat eleemoſynam iuſſu Domini; vt talis eleemoſyna eſt iuſſu Domini, eſt bona, & meritoria, mala verò, vt à tali ſeruo fit ex fine malo. Ita à pari &c.

14 Obijcies 1. Contra ſecundam. Si de eſſentia Sacramenti in facto eſse non eſt intentio miniſtri; maximè quia miniſter requiritur, vt cauſa efficiens ex Florent. Sed licèt, dum conficit, ſit cauſa efficiens, adhuc poteſt eſse compars Sacramenti in facto eſse; ergo verè ita eſt; probatur minor; nam anima eſt cauſa efficiens nutritionis hominis, & tamen eſt etiam cauſa formalis, & pars hominis nutriti; ergo etiam miniſtri intentio poteſt eſse cauſa efficiens Sacramenti, & nihilominus compars ipſius in facto eſse.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem: concedo antecedens, & nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia non implicat, quod eadem forma phyſica, & habeat rationem cauſæ efficientis, & ſimul poſtea etiam componat, quia eſt eadem forma, quæ agit, quæ iam ſupponitur intrinſeca: at ſi loquamur de efficiente extrinſeco, vt de generante, licèt generans ſit de intrinſeca ratione actionis generatiuæ; quia non poteſt concipi generatio, niſi concipiatur generans, & genitum: nihilominus generans numquam poteſt eſse de intrinſeca ratione geniti, ſicuti nec ædificator poteſt eſse de intrinſeca ratione ædificij: cum ergo miniſter cum intentione ſit agens omnino extrinſecum reſpectu Sacramenti in facto eſse, quod ad ipſum comparatur, vt effectus, numquam poterit eſse pars intrinſeca, & conſtitutiua.

15 Obijcies 2. In Sacramento matrimonij intentio eſt conſtitutiua Sacramenti matrimonij in facto eſſe; ergo idem dicendum de alijs Sacramentis: Probatur antecedens: in tantùm intelligitur in facto eſſe Sacramentum matrimonij, in quantùm intelligitur perfectus contractus contrahentium: ſed non poteſt intelligi contractus perfectus contrahentium ſine intentione contrahendi; ergo nec poteſt intelligi Sacramentum matrimonij in facto eſſe, & perfectum ſine intentione contrahendi.

Reſpondeo, quod in Sacramento matrimonij conſenſus, ſeu intentio contrahentium, ſi ſub diuerſa ratione conſideretur, & habet rationem materiæ, & formæ, & cauſæ efficientis inſtrumentalis: habet rationem materiæ, prout eſt voluntaria traditio corporum, habet rationem formæ, prout eſt voluntaria acceptatio corporum, habet poſtea rationem cauſæ efficientis inſtrumẽtalis prout contrahentes volunt facere, quod intendit Chriſtus, & Eccleſia; quare intercedunt tres actus, quorum vnus eſt, traditio poteſtatis corporis alteri coniugi, & habet rationem materiæ: ſecundus eſt acceptatio poteſtatis in corpus alterius coniugis, & habet rationem formæ: tertius eſt intentio faciendi, quod facit Eccleſia, & habet rationem efficientis: primi duo actus habentes rationem formæ, & materiæ remanent in Sacramento in facto eſſe, non hic tertius, qui habet rationem cauſæ efficientis. Vnde ad argumentum in forma intentio, ſeu conſenſus eſt de intrinſeca ratione matrimonij in facto eſſe, prout intentio, ſeu conſenſus importat actus traditionis proprii corporis, & acceptationis alterius, concedo antecedens; prout importat actum faciendi, quod facit Eccleſia, & intendit Chriſtus, nego antecedens; ergo &c. negatur conſequentia: nec probatio officit; cum ad celebrandum contractum ſufficiant actus, quibus coniuges tradant, & acceptent mutuam poteſtatem in corpora; & actum intendendi, quod intendit Eccleſia, vel Chriſtus, eſſe diuerſum ab alijs, quibus celebratur contractus matrimonii, patet: nam antequam Chriſtus inſtituiſſet hoc Sacramen-

Digitized by Google

cramentum, dabatur verus contractus matrimonij, & tamen non dabatur in eſſe Sacramenti, nec erat neceſſe, quod contrahentes intenderent facere, quod facit Eccleſia, ergo intentio faciendi, quod facit Eccleſia eſt actus diuerſus ab alijs, qui ſe habent tamquam materia, & forma.

ARTICVLVS XIV.

Quid ſit in Sacramentis res tantùm, Sacramentum tantùm, & res & Sacramentum.

1 ADmittunt communiter Theologi in omnibus Sacramentis res tantùm, Sacramentum tantùm, & res, & Sacramentum, & id deſumitur ex Cap. cum Marthæ de celebratione Miſſarum, vbi Innocentius III. in Sacramento Euchariſtiæ hæc tria diſtinguit, & videtur fundamẽtum ex Patribus ha bere, qui hęc tria in omnibus Sacramentis aliquo modo diſtinguũt, & proinde omnes Theologi illã admittũt diſtinctionẽ.

2. Omnes conueniunt in hoc, quod in Sacramentis id, quod ſignificat, & non ſignificatur ſit Sacramentum tantùm, quod ſignificatur, & non ſignificat, ſit res tantùm, quod ſignificat & ſignificatur ſit res, & Sacramentum ſimul. Nota tamen ad tollendam confuſionem, quæ poſſet oriri, quod hoc nomen *Sacramentum* hic non accipitur pro eo ſolùm, quod eſt ſignum practicum gratiæ, ſed accipitur in latiori ſignificatione pro ſigno pertinente ad Sacramentum, licèt non ſit materia, vel forma Sacramenti, ſed ſolum effectus, cuiuſmodi eſt character, qui tamen communiter dicitur res, & Sacramentum. In hoc omnes conueniunt. Solùm ergo difficultas eſt in aſſignando in omnibus Sacramentis hæc tria enumerata; res eſt tamen parui momenti, & ſolùm poteſt eſſe pura quæſtio de nomine. Quare breuiter, & non diſputatiuo modo hęc tria in omnibus Sacramentis aſſignabimus ſecundum probabiliores, & clariores opiniones; cum non ſit neceſſe in hac quæſtione, quæ eſt tantũ m de pura voce tempus conterrere.

3. Et quidem in Sacramentis imprimentibus characterem facilè eſt hæc tria aſſignare; nam materia, & forma horũ Sacramentorum, quia ſignificant, & non ſignificantur dicuntur res tantùm, character, quia ſignificatur, & ſignificat gratiam, dicitur res, & Sacramentum ſimul.

4. Dixi gratiam eſſe rem tantùm: per gratiam autem hic intelligo gratiam ſanctificantem; nam ſi ſermo ſit de auxilijs actualibus, quæ dantur per Sacramẽta, quia ſignificantur per materiam, & formam, & ſignificant gratiam habitualem, non video cur non poſſint dici res, & Sacramentum ſimul.

5. In Sacramento Euchariſtiæ hæc tria facillimè aſſignantur, nam ſpecies Sacramentales cum ſignificent gratiam, & Chriſtum præſentem, & non ſignificentur ſunt Sacramentum tantùm; gratia cum ſignificetur, & non ſignificet, eſt res tantum: corpus Chriſti, cum ſignificet gratiam, & ſignificetur per ſpecies ſacramentales, eſt res, & Sacramentum ſimul.

6. In matrimonio etiam materia, & forma, ſeu verba contrahentium ſunt Sacramentum tantùm, gratia producta eſt res tantùm, vinculum verò indiſſolubile, quod ſpecialiter habet matrimonium Fidelium, eo quia Sacramentum eſt, & ſignificat vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, & gratiam, eſt res, & Sacramentum ſimul, nam ſignificatur per materiam, & formam, & ſignificat gratiam, & coniunctionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia.

7. In Sacramento extremæ vnctionis, materia, & forma ſunt Sacramentum tantùm, gratia eſt res tantùm; res verò, & Sacramentum ſimul, alij volunt eſſe confortationem mentis, & hilaritatem, ſeu vnctionem quandam internam dantem hilaritatem mentis, & confortantem animam ad maiorem laborum, & dolorum ſuſtinentiam, quæ eſt res, quatenus ſignificatur per materiam, & formam, eſt verò Sacramentum, quatènus ſignificat gratiam præſentem: alij volunt in hoc Sacramento ſanitatem corporalem eſſe rem, & Sacramentum ſimul; eſt res, quatenus ſignificatur per materiam, & formam; eſt Sacramentum, quatenus ſignificat animæ ſanitatem; licèt enim ſanitas corporalis non ſemper obtineatur, ſufficit tamen, quod ſemper per materiam, & formam ſignificetur. Sic plures Doctores, ſed prior opinio, quod in hoc Sacramento res, & Sacramentum ſimul ſit hilaritas, & confortatio mentis, ſeu vnctio quædam ſpiritualis, eſt communior, & clarior.

8. Circa Sacramentum pœnitentiæ: confeſſio, & abſolutio ſunt Sacramentum tantùm, gratia eſt res tantùm. Quid autem in hoc Sacramento ſit res, & Sacramentum ſimul diuerſiſſimi ſunt Doctores. Cardinalis de Lugo ponit ſex modos explicandi, & omnes reijcit, & poſtea ipſe ponit pro re, & Sacramento ſimul ſerenitatem, & pacem conſcientiæ, quæ iuxta Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. cauſatur à ſuſcipientibus Sacramentum pœnitentiæ, quæ eſt res, quatenus ſignifica-

gnificatur; & cauſatur per materiam, & formam; eſt verò Sacramentum, quatenus ſignificat gratiam: hæc opinio eſt probabilis, ſed non video cur etiam dici non poſſit cum Thomiſtis, Suarez, Vaſquez, & communi, quod dolor de peccatis ſit res, & Sacramentum ſimul, res quatenus ſignificatur per confeſſionem, Sacramentum verò, quatenus ſignificat gratiam, non enim eſt neceſſe vt cauſetur per confeſſionem, ſed ſolùm vt ſignificetur, quare licèt confeſſio ſit effectus contritionis, & doloris, nihilominus confeſſio poteſt eſſe ſignum doloris, imo, & cauſa cognoſcendi dolorem; cum omnis effectus ſit ſignum cognoſcendi cauſam. Et hæc in hac quæſtione de voce, & de tota prima quæſtione de Sacramentis.

QVÆSTIO II.

De neceſſitate Sacramentorum.

Sacramenta abſolutè non fuiſſe neceſſaria homini certum eſt; eorumdem enim inſtitutio dependet à pura, & libera voluntate Dei, qui ſicuti illa inſtituit, ita potuit non inſtituere, quare non accipitur hìc neceſſitas, niſi in ordine ad naturam, & conditionē hominis, an .ſ. ſtante natura, & conditione hominis fuerit neceſſarium, ſeu potius fuerit cōgruū, quod Deus inſtitueret Sacramenta: potuerunt autem eſſe hoc modo neceſſaria Sacramenta, vel in ſtatu innocentiæ, vel in lege naturæ, & ſcripta, vel deniq; in lege noua gratiæ, & de omnibus his ſtatibus poteſt eſſe difficultas.

ARTICVLVS I.

An in ſtatu Innocentiæ debuerint eſſe Sacramenta.

1 Homini ſecundum ſe conſiderato fuiſſe conſentanea Sacramenta probat D.Thom. hic q. 61. art. 1. Eo quod ſanctificatio hominis per Sacramenta conformis eſt naturæ humanæ, tum ſecundùm partes eſſentiales, tum ſecundùm intellectum, & voluntatem: ſecundum partes eſſentiales, quia cum homo ſit compoſitus ex anima, & corpore, conueniens fuit, vt eius vita ſpiritualis haberetur per ſenſibilia ſigna, & cauſalitatem ſpiritualem: fuit conueniens quo ad intellectum, quia intellectus humanus deuenit naturaliter in cognitionem ſpiritualium per ſenſibilia: fuit etiam conueniens, quo ad voluntatem, quia cum hæc ſit propenſa ad res materiales fuit valde conueniens, vt per res materiales ad cæleſtia duceretur. Nec eſt indecens, quod homo ſubdatur ſenſibilibus, quæ in Sacramentis adhibentur, nam eſſet quidem indecens, ſi homo ſubderetur ſenſibilibus eis inhærendo, aut cultum eis deferendo, non verò vtendo ipſis ad propriam ſanctificationem ex Dei ordinatione. Quod ſi ad Rom. 5. paſſio Chriſti dicitur ſufficiēs cauſa noſtræ iuſtificationis; debet tamen applicari per Sacramenta. Suppoſito igitur, quod Sacramenta ſint conuenientia homini ſecundùm ſe conſiderato præſcindendo à quocumque ſtatu ipſius, nunc in particulari vidennum eſt de ſtatu innocentiæ.

2 Durandus in 4. diſt. 1. quæſt. 2. Alanus de Sacramentis cap. 7. Alenſis 3. part. q. 1. mem. 2. art. 1. aſſerunt de facto fuiſſe à Deo inſtituta aliqua Sacramenta etiam pro illo breuiſſimo tempore, quo durauit ſtatus innocentię, & idem ſentiūt plures alij, qui docent matrimonium Adami cum Heua fuiſſe Sacramentum.

Suarez diſputat. 3. ſect. 3. & Coninchus hic fatentur quidem, quod pro illo breui tempore, quo durauit ſtatus innocentiæ nulla fuerunt Sacramenta; nihilominus, ſi ſtatus duraſſet, & Chriſtus Incarnatus fuiſſet aliquod futurum fore Sacramentum, præſertim Euchariſtiam, & ordinem, vt Euchariſtia poſſet ritè adminiſtrari. Nugnus verò quæſt. 61. art. 2. docet, quod ſi ſtatus duraſſet, & poſteri Adam de facto peccaſſent, pro ipſis eſſent inſtituta Sacramenta, idem docet Serra ibidem.

Caietanus, & Syluius hic, Ioann. à S. Thom. diſp. 23. ar. 2. dub. 2. Gonet. diſp. 2. ar. 2. Vaſquez diſp. 130. cap. 2. Valent. diſput. 3. qu. 2. puncto 2. Lugus de Sacram. diſp. 3. ſect. 1. Amicus ibidem, & alij negant futura fuiſſe Sacramenta, & Arriaga diſp. 8. ſect. 2. docet fuiſſe poſſibilia, nec repugnare illi ſtatui; ſect. verò 3. docet incertum omnino eſſe, quid tunc facturus eſſet Deus.

3 Concluſio prima. Durante ſtatu innocentiæ poterat Deus congruenter aliqua inſtituere Sacramenta. Probatur concluſio, quia ſi Deus inſtituiſset Sacramenta in ſtatu innocentiæ non feciſſet contra debitum, & ordinem illius ſtatus; è contra verò potuit habere plures congruentias, & rationes illa inſtituendi: potuit enim ea inſtituere ad oſtēdendam ſuam miſericordiā, & ad oſtendendum amorem erga ſuas creaturas, & præſertim, ſi eo ſtatu durante plures peccaſsent, congruum videbatur ſi apparaſset medicinas, quibus ſalutem conſequerētur; ergo durante ſtatu innocentię poterat Deus congruenter aliqua inſtituere Sacramenta: antecedens proba-

tur,

tur, quia Sacramenta, vel poſsunt conſiderari, vt ſigna ſunt, vel vt cauſatiua gratiæ: ſed nullo modo eſſent contra ordinem illius ſtatus, & ex alia parte poterat Deus habere varias congruentes rationes illa inſtituendi; ergo congruenter poterat illa inſtituere: probatur minor quo ad primam partem; nam vt ſigna ſunt poterant eſſe vtilia ad profitendam exterius interiorem fidem, ſecundò ad excitandam memoriam ſupernaturalium, & ad facilius cognoſcenda ſupernaturalia; nam etiam in tali ſtatu homo naturaliter operatus fuiſſet, & per ſenſibilia deueniſſet in cognitionem ſupernaturalium; ergo vt ſigna ſenſibilia poterant eſſe conuenientia. Probatur modò, quo ad ſecundam partem eadem minor, quod etiam vt cauſatiua gratiæ fuerint conuenientia; nam poſſent homines illis vti ob maximam gratiæ vtilitatem, & ad demonſtrãdam ſubiectionem, & obedientiam ad Deum; & maximè hoc verum eſſet de Sacramento Euchariſtiæ, data ſententia, quod Chriſtus veniſſet, etiam ſi originale non fuiſſet, propter ſola actualia; etenim cum ſecundùm corporalem præſentiam non eſſet futurus omnibus præſens, potuiſſet inſtituere hoc Sacramentum, vt arctius vniretur cum hominibus per amorem, & intimam vnionem.

4 Dices ex Soto, homines tunc debuiſſe vti ſenſibilibus ſignis ad cognoſcendas res naturales, non verò ſupernaturales, quia ſupernaturalium cognitiones cum gratia, & iuſtitia originali infundebantur. Sed contrà, quia fateor quidem, quod durante illo ſtatu debuiſſent infundi gratia, & iuſtitia originalis; at falſum eſt, quod debuiſſent infundi ſpecies, & cognitiones rerum ſupernaturalium, quæ infuſæ fuerunt Adamo, etenim iſtæ debuiſſent acquiri; nam tũc non debuiſſet fieri hominibus immediata reuelatio omnium credendorum, ſed iſta debebant doceri filij à parentibus, & per ſenſibilia ſigna, nam hic eſt connaturalis modus operandi, & addiſcendi naturæ humanæ ex corpore, & animæ conſtitutæ.

5 Concluſio ſecunda. In ſtatu innocentiæ de facto nulla fuerunt Sacramenta. Probatur, tum quia nulla ſcriptura de illis meminit, nullam de illis habemus traditionem, quod fuerint inſtituta, neque ex Concilijs, aut Patribus vllum firmum fundamentum habemus aſſerendi Sacramenta in illo ſtatu fuiſſe: tum quia ſtatus ille fuit præuiſus breuiſſimus, ita vt nec tempus adeſſet vtendi huiuſmodi Sacramentis: tum quia Sacramenta inſtituuntur præſertim ad inſtruendum in gratia, & ſcientia homines; in illo autem breuiſſimo tempore Adam, & Heua erant in gratia, iuſtitia originali, & ſcientijs inſtructiſſimi. Quare nec matrimonium Adami cum Heua, nec lignum vitæ fuere Sacramenta, licèt enim fuiſſent ſigna rei ſacræ, nempe coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, & lignum vitæ fuerit ſignum Euchariſtiæ, non erant tamen vllo modo ſigna practica ſanctitatis; ſed matrimonium erat tantùm inſtitutum in remedium naturæ, non vt Sacramentum, & lignum vitæ fuit tantùm ſignum ſpeculatiuum Euchariſtiæ, non practicum ſanctitatis.

6 Concluſio tertia. Durante ſtatu innocentiæ incertum omnino eſt, an eſſent futura Sacramenta. Probatur, nam de decretis diuinis nos non poſſumus loqui, niſi in quantum nobis innoteſcunt ex ſcriptura, & reuelatione: ſed nulla extat reuelatio, vel ſcriptura, quæ dicat nobis, quid eſſet facturus Deus circa Sacramentorum inſtitutionem Adamo non peccante; ergo neque nos quicquam certi ſtatuere poſſumus circa Sacramentorum inſtitutionem ſi Adam non peccaſſet. Poſſumus quidem adducere varias congruentias, quod futura non fuiſſent Sacramenta, quales ſunt illæ, quas adducit D. Thom. nempe prima, quia Sacramenta dantur, vel ad ſanctificandos homines, vel ad eos inſtruẽdos de ſpiritualibus: ſed in tali ſtatu fuiſſent creati in ſanctitate, & iuſtitia originali, & ab initio habuiſſent omnes habitus ſupernaturales infuſos; ergo non erant vllo modo neceſſaria Sacramenta. Verùm hæc ratio eſt tantùm congruentia quædam; poterant enim inſtitui ad pietatem, & charitatem diuinam oſtendendam, & ad profitendam exterius fidem. Secunda ratio: quia debemus loqui de Sacramentis ex vi præſentis decreti: ſed ex vi præſentis decreti omnia Sacramenta fuerunt inſtituta in remedium originalis, aut actualis ab originali prouenientis; ergo ſi originale non fuiſſet, & ſtatus innocentiæ perſeueraſſet; etiam ſi futura fuiſſent aliqua actualia, nulla fuiſſent inſtituta Sacramenta, quia ceſſante motiuo, etiam voluntas ceſſare debuiſſet. Verùm neque iſta ratio, niſi ſecundùm quandam congruentiam probat; etenim quis conſiliarius Dei fuit, vt poſſit aſſerere tantùm ex hoc motiuo peccati originalis delendi Deum inſtituiſſe omnia Sacramenta, quæ de facto ſunt? cur non poſſumus dicere motiuum inſtituendi aliqua Sacramenta fuiſſe eximium Chriſti amorem, vt homines per charitatem intimius Deo vnirentur? & licet nos di-

Digitized by Google

camus, quod ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet; ſequitur tantùm, quod in tali ſtatu non eſsent futura Sacramenta, quæ efficaciam haberent à paſſione Chriſti, & quæ eſſent ordinata ad hominum ſanctificationem eo modo, quo verè ſunt noſtra Sacramenta, quod vltra fateor: at non probat, quod ſi Adam non peccaſſet, etiam ceſsaſset quodcumq; motiuum, quod de facto habuit Deus in inſtitutione Sacramentorum; etenim quis neget ex præcipuis motiuis inſtituendi Sacramenta fuiſse eximiam Dei charitatem, & pietatem erga genus humanum, & vt facilius inſtruerentur de rebus diuinis, exteriuſq; homines per ſenſibilia ſigna profiterētur eamdem fidem? quare ſi hæc motiua fuerunt in inſtitutione noſtrorum,& potuerunt eſse in ſtatu innocentiæ, nullum habemus firmum fundamentum aſserendi in eo ſtatu nulla futura fuiſſe Sacramenta.

7 Obijcies primò contra primam. In ſtatu innocentiæ homo erat perfectè ordinatus,nam appetitus ſubdebatur rationi, corpus animæ, & totus homo Deo; ergo indecens erat ſubdi ſenſibilibus ſignis ad eorum ſanctificationem.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando cōſequentiam; etenim cum tali ordine in intelligendo homines dependiſsent à phātaſmatibus, & ſecundū naturalem curſum ad ſuſtentandam vitam corporalem debuiſsent vti cibis; ita ad proteſtandam fidem, & ad percipiendum cibum animæ,ſcilicet gratiam, poterant vti Sacramentis; in hoc enim, quæ inordinatio eſse poteſt?

8 Obijcies ſecundò. Si in illo ſtatu fuiſsent Sacramenta, maximè, vel ad tollenda peccata, vel ob cognitionem ſupernaturalium, vel ob proteſtationem fidei: ſed in illo ſtatu non fuiſsent peccata, & ſi fuiſsent potuiſsent deleri per contritionem, & ex alia parte ab initio habuiſsent cognitionem ſupernaturalium, & omnes cognoſcerentur vnius fidei; ergo nullo modo erant cōuenientia Sacramenta.

Reſpondeo, Sacramenta potuiſse inſtitui propter hæc omnia, & etiam propter peccata, quæ potuerunt eſse, ſicuti fuere in Adamo, quæ licèt potuiſsent tolli per contritionem, faciliùs tamen poterant tolli per Sacramenta;nego poſtea, quod ab initio omnes haberent cognitionem rerum ſupernaturalium, & probabile eſt aliquos potuiſſe deficere à fide, & ideò Sacramenta potuerunt eſse in proteſtationē fidei, licèt ſi nullus defeciſset, adhuc eſsent ordinata ad demonſtrādam ſubiectionem, & obedientiam erga Deum, & propter alias rationes, quas adduximus in concluſione.

9 Quæres, An in tali ſtatu colendus fuiſset Deus per ſacrificia?

Reſpondeo omnino conuenientem fuiſse ſacrificiorum inſtitutionem. Sic communiter Doctores contra Sotum in 4.diſt.1.q.2. & probatur ex D.Thom. qui 2.2.q.85.ar.1. dicit, quòd offerre ſacrificium eſt de lege naturæ, eo quod ratio naturalis dictat nos debere recognoſcere ipſum Deum, & per quædam ſenſibilia ſigna oſtendere noſtram ſubiectionem erga ipſum, vnde probabile eſt Adamum Deo obtuliſse ſacrificium, vt inquit D.Thom.ſecundò,quia à Deo nō tantùm accepimus animam, & corpus, ſed etiam omnia bona externa; ergo non tantùm debemus corpore, & animo Deum colere, ſed etiam ratio dictat nos ei debere offerre res externas, vt ipſum recognoſcamus omnium Dominum, iuxta illud Paralip. 29. *Tua ſunt omnia, & de his, quæ de manu tua accepimus reddimus tibi.* Quæ ratio militat pro omni ſtatu etiam innocentiæ, vt de ſe patet; ergo verè etiam in illo ſtatu fuit cōuenientiſſimum, quod Deus per ſacrificia coleretur: tum denique, quia naturale eſt reddere gratiàs ei, à quo beneficia accepimus; cum ergo in ſtatu innocentiæ homines plura beneficia à Deo accipiant, congruum omnino eſt ei gratias agere per ſacrificia.

ARTICVLVS II.

An in lege naturæ fuerit Sacramentum ad tollendum originale.

1 Status legis naturæ fuit totum illud tempus, quod durauit ab Adam poſt eius peccatum vſque ad Moyſen,qui legē, & cæremonias à Deo accepit; & dicitur ſtatus legis naturæ; quia tunc homines ſolo lumine naturali rationis ſuppoſita fide, & gratia dirigebantur ad ſalutem,nec aderant præcepta à Deo data, quæ deberent obſeruari, præter ea, quæ lumen naturæ dictabat eſse obſeruāda. Pro hoc ſtatu Deum prouidiſse remedium paruulis ad tollendum originale conſtans eſt Scholaſticorum opinio, vt paruuli ipſi poſsent ſaluari, quod remedium dicitur duraſse in lege ſcripta pro fœminis, quæ non circumcidebantur. Dubium, quod modo oritur eſt, an tale remedium fuerit aliquod verum Sacramentum, an verò ſolùm actus internus fidei ipſorum parentum.

Status legis naturæ quantum durauerit.

Senſus quæſtionis.

2 Sotus in 4.diſt.1. q.2.art.3. & diſt. 2.q.1.ar.4. Vaſquez hic diſp.165. præterea

Digitized by Google

rea Alenſis, Ricchardus, Martinus Ledeſma, Martinez de Prado, & alij negant in lege naturæ vllum fuiſse Sacramentum ad delẽdum originale, ſed pro remedio paruulorum fuiſse ſufficientem actum merè internum, elicitum tamen cum ordine ad ſalutem pueri.

D.Tho.hic art.3. Caietanus, Nugnus, & communiter Thomiſtæ ibidem, Ioa. à Tho.diſp.23.art.3.dub.1. Gonet.diſp. 2.art.2. Scotus in 4. diſt.1. quæſt.3. & 7. Durand. quæſt.2.& 8. Suarez diſp.4.ſec. 3.& 4. Lugo diſp.3.ſec.2. Amicus diſp. 3.ſec.2. Arriaga diſp.8.ſec.4 & alij communiter volunt remedium pro paruulis fuiſse verum Sacramentum, ſenſibile,& externum.

3 Concluſio. Remedium originalis pro paruulis in lege naturæ fuit verum Sacramentum. Probatur auctoritate clara D. Auguſtini lib. 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 21. vbi ſic habet: *Nec ideò tamen credendum eſt ante Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat mediatoris fides, nullo Sacramento eius opitulatos eſſe paruulis ſuis; quamuis, quod illud eſſet aliqua neceſſaria cauſa, ſacra ſcriptura tacere voluit.* Idem habent plures alij Sancti Patres, vt Bernardus, Beda, Gregorius, Vgo de S. Victore, qui videri poſſunt apud auctores citatos.

4 Probatur ratione. Dabatur aliquod remedium ad tollendum originale, vt fatentur communiter omnes Doctores: ſed tale remedium non poterat eſse actus merè internus parentum: ergo erat aliquod ſignum externum, & Sacramentum: probatur minor, quia tale remedium debebat prodeſse paruulis,& illis applicari in perſona Eccleſiæ: ſed actio merè interna non poteſt applicari nomine Eccleſiæ; ergo debebat eſse actio externa, & Sacramentum: probatur maior: nam actio vnius non prodeſt alteri, niſi vel per modum meriti, vel per modum ſuffragij, & impetrationis, vel per modum Sacramenti: ſed ſi talis actus debuiſset prodeſse paruulis per modum meriti, ſuffragii, vel impetrationis, multoties non profuiſset, cum ſæpè ſæpius talis actus poſset eſse informis, & ſine charitate, & gratia; ergo debuit prodeſſe per modum Sacramenti, & meriti Eccleſiæ; hoc autem requirit actionem ſenſibilem externam, quæ actio cum eſſet ſignum gratiæ in paruulis; nam ipſos emundabat ab originali, & iuſtificabat; vtique eſse debebat verum Sacramentum.

5 Dices cum pluribus: Hoc remedium originalis in paruulis fuiſse fidem parentum, quæ rectè poterat paruulis applicari per ſolum actum internum, & ſic ipſi poterant à peccato emundari, & iuſtificari. Sed contrà: ſi fides interna parentum potuit applicari paruulis, & illos iuſtificare; vel hoc conuenit actui fidei ex natura ſua, vel ex Dei inſtitutione: ſed neutro modo hoc conuenit actui fidei; ergo nullo modo; maior patet: nullus enim alius modus poteſt aſſignari, quomodo conueniat actui fidei iuſtificare paruulos, niſi hoc ei competat ex natura talis actus, vel ex ſpeciali inſtitutione Dei: probatur ergo minor, tùm quia actus fidei verus non poteſt producere gratiam in habente ipſum actum, ſecus omnes habentes fidem, haberent etiam gratiam; quod falſum eſt, cum ex Trid. maneat fides ſine gratia: tum quia fides in ſtatu legis naturæ non erat maioris efficaciæ, quam modo ſit poſt Chriſti aduentum: ſed nunc non ſufficit fides ad alicuius iuſtificationem, ſed ad iuſtificandos paruulos requiritur baptiſmus; ergo neque tùnc ſola fides interna ſufficiebat; & tamen, ſi ex natura ſua iuſtificare paruulos conueniret actui fidei, ſicuti tunc per aduerſarios iuſtificabantur paruuli, etiam nunc poſt Chriſti aduentum deberent per actus fidei parentum poſſe iuſtificari; cum natura actus fidei ſemper eadem fuerit; tum quia, ſi potuiſsent paruuli iuſtificari per actum internum fidei parentum, talis actus potuiſset prodeſse ipſis, tum in vtero matris, tum in quacumq; diſtantia, quod tamen nec aduerſarij admittunt, & meritò; ergo dicendum eſt ex natura ſua actum fidei internum nullo modo potuiſse iuſtificare paruulos. Neque talis actus fidei ex Dei inſtitutione habuit, quod poſset iuſtificare paruulos in lege naturæ; cum de hoc nulla habeatur reuelatio, & nullibi conſtet de hac Dei inſtitutione; Sequitur ergo, quod hoc remedium debuerit eſse aliquod ſignum externum ſenſibile, iuxta illud D. Pauli ad Rom.10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Quatenus parentes per actum fidei credentes, ſigno externo Deo offerebant puerum, quod ſignum externum, cum fuerit gratię ſignum, vtique fuit verum, & proprium Sacramentum.

6 Quod nam verò fuerit hoc ſignũ, non legitur in ſcriptura: probabile tamen eſt Deum docuiſse Adam de huiuſmodi remedio, eiq; ſignificaſse debere paruulos iuſtificari ex meritis futuri Redemptoris, vnde per oblationem quandam, quam parentes ipſius pueri faciebant Deo iuſtificabantur, quod etiã nunc Hebræi reſpectu fœminarum, falsò exiſtimantes Chriſtum necdum veniſse, faciunt; & hoc eſt, quod commu- *Quo ſenſu paruuli iuſtificarentur in fide parentum.*

Digitized by Google

niter dicitur paruulos iuſtificatos fuiſse in fide parentum, quia nimirum, dum offerebant puerum, exterius fidem Dei proteſtabantur, non verò quod per ſolos actus internos iuſtificarentur.

7 Obijcies primò. Sacramentum debet eſse ex diuina inſtitutione; ſed in ſtatu legis naturæ nulla fuit diuina inſtitutio Sacramentorum; de hac enim inſtitutione nullo modo conſtat ex ſcriptura; ergo hoc remedium originalis non fuit Sacramentum, ſed ſolus actus fidei. Confirmatur, quia ideò talis ſtatus fuit dictus ſtatus legis naturæ, quia proprio lumine intellectus regebantur homines; ſed ſi fuiſset inſtitutum aliquod Sacramentum, homines non fuiſsent directi à proprio lumine intellectus, ſed à Deo Sacramentum inſtituente; ergo nullum fuit inſtitutum Sacramentum, ſed remedium originalis erat per ſolos actus fidei.

Reſpondeo negando minorem; ad probationem, licèt non conſtet expreſsè ex ſcriptura, conſtat tamen implicitè ex ijs locis, ex quibus habetur Deum voluiſse omnes homines ſaluos fieri, & prouidiſse auxilia ſufficientia omnibus ad ſalutem, & expreſsè ex Auguſtino loco citato in concluſione, & ex communi Scholaſticorum volentium adfuiſse remedium originalis pro paruulis; & cum hoc remedium nō poſſit eſse actus internus, vt probatum fuit, ſequitur, quod fuerit aliqua actio externa, quæ cum fuerit ſignum practicum gratiæ, vtique fuit verum Sacramentum. Ad confirmationem dico, ſtatum illum non ita vocari, quia ei repugnet accipere aliquod Sacramentum, aut præceptum à Deo, ſed quia in eo ſtatu non habebant alia præcepta, præter ea, quæ conſequuntur lumen naturale illuſtratum per fidem, & hac ratione accepit Adam remedium originalis; lumen enim naturale lumine fidei illuſtratum dictat non ſolùm ſibi, ſed etiam ijs, qui ſe ipſos iuuare non poſſunt, amicitiam Dei poſt peccatum eſse procurandam.

8 Obijcies ſecundò. Plures Patres, qui docent ſolam fidem pueros iuſtificare; Auguſtinus enim lib. 2. de nuptijs, & concupiſcentijs habet: *Sed ſuperioribus temporibus omnino latuit Sacramentum iuſtificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis.* D. Gregor. lib. 4. moral. cap. 3. ver. 3. *Quod verò apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij.* Idem docent D. Bernard. epiſtol. 77. Vgo de S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 12. cap. 2. & D. Tho. infra quæſt. 70. ar. 3. ergo non datur Sacramentum pro remedio originalis.

Reſpondeo, Auguſtinum ſtare pro nobis, vt patet ex loco adducto in concluſione; neque locus, qui hic adducitur eſt contrarius; nam dicit: *Quòd fides mediatoris faciebat ſaluos iuſtos antiquos, puſillos cum magnis;* ergo ſupponit Auguſtinus, quòd per gratiam antiqui facti fuerint iuſti, & poſtea permanente in ipſis iuſtis fide mediatoris per hanc conſtituerentur in vera Eccleſia, & ſaluarentur: de reliquo ſola fides numquam iuſtificauit, vnde tot antiqui, qui erant fideles in vera Eccleſia, non per hoc ſaluati ſunt, niſi etiam eſsent iuſti; quare talis locus nobis potius fauet. Difficilior videtur locus D. Gregor. ſed verè, & ipſe explicatur, quòd fides applicata per Sacramenta cunctos ſaluos faciebat, ſicuti nunc aqua baptiſmatis, & idem dicendum ad alios Patres.

9 Obijcies tertiò. Sequitur ex concluſione noſtra, quod ſalus infantium facilior fuerit in ſtatu legis naturæ, quam nunc in ſtatu gratiæ; quod videtur abſurdum; ſequela probatur, quia tunc remedium originalis non fuit limitatum ad aliquod ſignum, ſed ad libitum hominum, noſtrorum autem determinatum eſt ad aquam naturalem, & ad certa verba.

Reſpondeo primò, quòd ſi ſufficiebat ſolus actus internus, idem ſequeretur. Dico ſecundò, tale remedium fuiſse ſecundùm quid facilius, & proinde etiam ſecundù quid faciliorem fuiſse ſalutē infantium in tali ſtatu; at ſimpliciter nequaquam, quia etiam noſtrum remedium facillimum eſt, inſtitutum in aqua naturali, quæ facilè haberi vbique poteſt, & vberiorem dat gratiam; & hoc etiam magis conueniebat, quia maiores nos debemus habere fidei expreſſionem.

ARTICVLVS III.

Soluuntur quædam dubia circa Sacramentum legis naturæ.

1 Dubitatur primò vtrum illud remedium non tantùm fuerit pro paruulis, ſed etiam pro adultis.

Cabrera hic quæſt. 61. art. 3. concluſ. 2. affirmat illud remedium fuiſse neceſſarium neceſſitate finis, & præcepti etiam adultis ad remittendum originale, idem docent Nugnus ibidem, lo. à S. Th. diſp. 22. art. 3. dub. 1. Gonet diſp. 2. art. 2. & alij.

Amicus diſpu. 3. ſect. 2. num. 106. Arriaga diſp. 8. ſect. 5. negant hoc remedium fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſe Sacramentum pro adultis neceſſarium ad delendum originale.

2 Reſpondeo tale remedium, quatenus Sacramentum erat, probabilius nō fuiſſe neceſſarium adultis pro remiſſione originalis. Probatur; quia in tantùm admittimus tale remedium fuiſſe Sacramentum neceſſarium paruulis, in quantùm communis auctoritas Patrum, & Scholaſticorum id ſuadet, & vt ſaluemus quomodo Deus prouiderit remedia ſufficientia ad ſalutem paruulis, qui cum non poſſent ex ſe per proprios actus iuſtificari, nec per meros actus internos fidei parentum, ideò debuit Deus eos iuſtificare per aliquod ſignum ſenſibile, & externum, quod cum fuerit verum ſignū gratiæ, vtique erat verum Sacramentum; ſed hæc ratio non militat de adultis; cum ipſi poſſint iuſtificari per proprios actus contritionis, & amoris Dei; ergo pro adultis non eſt neceſse ponere huiuſmodi Sacramentum. Loquor tamen de adultis rationis capacibus; nam ſi ſint perpetuo amentes tales vtique indigebunt huiuſmodi remedio ad iuſtificationem.

3 Dices. Adulti debebant iuſtificari proteſtando veram fidem iuxtà illud Apoſtoli ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; ergo non tam pro paruulis, ſed etiam pro adultis erat neceſſarium illud remedium quod erat Sacramentum. Sed contra quia eſto deberent exterius profiteri veram fidem; nego hanc proteſtationem in adultis fuiſſe Sacramentum, ſicuti enim nunc fideles proteſtantur ſæpè ſæpiùs fidem, & nihilominus hæ proteſtationes non ſunt Sacramentum, ita in lege naturæ poterat hoc accidere, præſertim, cum nullum de hoc fundamentum firmum habeamus; nec adulti poterant iuſtificari, niſi ſuppoſita fide eliciendo actus contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia.

4 Dubitatur ſecundò, an illa fides, quæ requirebatur in parentibus ad iuſtificationem paruulorum, debuerit eſse fides formata, vel ſufficeret informis, fueritque neceſsaria ſides explicita Chriſti Redemptoris, vel implicita ſufficeret. Vaſquez diſp. 165. cap. 4. exiſtimat probabilius requiri fidem formatam; Lugo vero diſp. 3. ſect. 2. num. 40. licèt non requirat fidem formatam, vult tamen requiri veram fidem actualem Chriſti venturi. Sotus in 4. diſt. 2. qu. 1. art. 4. & Paludanus volunt ſatis fuiſse actum, quo puer offerretur Deo, qui actus fuiſset tantùm implicita fides Chriſti venturi. Suarez diſp. 10. ſect. 1. & Amicus diſput. 3. ſect. 2. idem videntur ſentire, nam docent ſatis fuiſse fidem implicitam Chriſti venturi etiam informem, quatenus ille, qui puerum offerebat, habebat voluntatem faciendi, quod faciebat Eccleſia. Tandem Arriaga diſp. 8. ſect. 5. vult ſufficere quidem fidem Dei, non tamen voluntatem faciendi, quod facit Eccleſia. In tanta opinionum varietate, & re incerta

5 Concluſio. Probabilius eſt fuiſse requiſitam veram fidem Dei remittentis peccata, quocumque modo Deus eſset peccata remiſsurus, quæ fides erat implicitè Chriſti venturi, cum vniuerſale medium remittendi peccata fuerit Chriſtus. Probatur, quia in re incerta illam debemus ſequi ſententiam, quæ eſt conformior Sanctis Patribus, & Doctoribus: Sed Sancti Patres, quando agunt de remedio legis naturę explicitè dicunt fuiſſe fidem, & paruulos iuſtificari in fide parentum; ergo veram fidem fuiſse requiſitam aſserendum eſt: probatur minor: nam Auguſtinus lib. 2. de nuptiis, & concupiſcentijs cap. 11. habet. *Fides mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos puſillos cum magnis.* Greg. lib. 4. moral. cap. 3. *Quod apud nos valet aqua baptiſmatis hoc egit pro paruulis ſola fides.* Bernard. Epiſt. 21. *Paruulis ſolam fidem ſuffeciſſe credimus.* Et idem plures alij habent.

6 Ex quo patet non ſuffeciſse intentionem faciendi, quod faciebat Eccleſia; etenim intentio faciendi, quod facit Eccleſia poteſt ſtare ſine vera fide, vt patet in pagano baptizante, & intendente facere, quod facit Eccleſia, iſte habet veram intentionem ſufficientem ad baptiſmum, & tamen nullam fidem habet, cum ſit gentilis; ergo cum ex Patribus adductis conſtet pro remedio paruulorum in ſtatu legis naturæ fuiſse neceſsariam veram fidem in offerente puerum, ſequitur clarè non fuiſſe ſufficientem illam intentionem generalem faciendi, quod facit Eccleſia.

7 Quod verò ſufficeret fides Dei remittentis peccata quocumque medio Deus illa eſſet remiſsurus probatur, quia ſi adultus habuiſset veram fidem Dei, & ſperaſset Deum ſibi remiſsurum peccatum, & cum hac fide eliciuiſset actum ſupernaturalem contritionis, vel amoris Dei, ſuper omnia, etiamſi explicitè non credidiſſet in Chriſtum futurum mediatorem, eo quia tale obiectum non eſset illi ſufficienter propoſitum, ſed ſolùm implicitè in illum crederet, eo quod crederet Deum ſibi remiſsurum peccata per media ipſi Deo bene viſa; Certè iſte iuſtificatus fuiſset, & tamen non habuiſset, niſi fidem explicitam Dei remuneratoris, quæ eſt illa, quæ ex Apoſtolo ad hebræos 11. neceſsariò requiritur, dum dicit.

Digitized by Google

dicit. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit*, implicitam autem ſolum Chriſti futuri, & mediatoris; ergo etiam ſi aliquis huiuſmodi actum fidei elicuiſset, & ſimul poſtea Deo obtuliſset ſuum puerũ, cum talis actus ſit verus actus fidei, & implicitè ſit etiam Chriſti mediatoris, verè talis puer iuſtificatus fuiſset, cum Patres, & Scholaſtici communiter nihil aliud dicant fuiſſe remedium legis naturæ, quatenus erat verum Sacramentum, quam actus fidei, & oblatio externa pueri ſimul facta Deo à parentibus ſuis.

8 Hæc tamen aderat differentia inter iuſtificationem adultorum, & infantium, quod cum adulti non iuſtificarentur per Sacramentum, vt ſupra vidimus, vt remiſſionem peccati obtinerent, ipſa fides debebat formari gratia, & in pueris, cum iſti iuſtificarentur per Sacramentum, non erat neceſſè, quod actus fidei offerentis eſset formatus gratia, ſed ſufficiebat verus actus fidei, nam ille cum oblatione externa conſtituebat ſignum practicum gratiæ pro puero, qui per tale Sacramentum emundabatur à peccato, & iuſtificabatur.

9 Obijcies 1. ex Suarez. Auguſtinus contra Creſconium cap. 31. æquiparat Circumciſionem cum Baptiſmo in hoc, quod Circumciſio data etiam à miniſtro infedeli non eſt reiteranda, ſicut nec baptiſmus; ergo etiam idem dicendum de remedio legis naturæ: ſed Baptiſmus, & Circumciſio non requirunt veram fidem in miniſtro, ſed tantùm intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; ergo neque remedium legis naturæ fidem requirebat.

Reſpondeo concedendo, quod Circumciſio non ſit reiteranda, imò nec poſſet reiterari, vt ibi loquitur Auguſtinus, & eo ipſo quod facta eſt, iam ille puer adimpleuit legem Circumciſionis, & non ſequitur quòd talis puer ab infedeli circumciſus fuerit iuſtificatus, ſed deberet vt iuſtificaretur recipere remedium legis naturæ, hoc autem à tali puero non eſſe recipiendum non dicit Auguſtinus; Baptiſmus autem non eſt reiterandus, quia ex Concilijs habemus, quod quando confertur cum intentione faciendi, quod facit Ecclesſi, à quocumque conferatur, validum ſit; De remedio autem legis naturæ Patres, & Scholaſtici, qui ſunt vnicum firmum fundamentum illud admittendi, dum de eo loquuntur, dicunt requiri fidem in parentibus puerum offerentibus; quare ſi puer ab aliquo ſine fide oblatus fuiſſet, vtique eſſet de nouo offerendus.

10 Dices ſicuti Patres dicunt paruulos in lege naturæ iuſtificatos fuiſſe in fide parentum, ita etiam Iuſtinus martyr quæſt. 36. ad orthodox. dicit in lege gratiæ paruulos iuſtificari: ſed hoc non obſtante, ſufficit in lege gratiæ ad verum baptiſma, quod miniſter intendat facere, quod facit Eccleſia, etiamſi fidem non habeat; ergo & pro remedio legis naturæ eadem intentio generalis ſufficit.

Reſpondeo D. Iuſtinum non requirere fidem ad valorem baptiſmi; ſed dicit *Digni autem habentur ijs bonis, quæ affert baptiſmus eorum fide, qui illos baptiſmo offerunt*, vndè vt de ſe patet non requirit fidẽ parentum, vt dantem valorem baptiſmo; ſed intendit, quod cauſa meritoria de cõgruo cur pueri conſequãtur baptiſmũ, & alia bona gratiæ, & gloriæ ſit fides, quia poterat inquiri, cur hi digni fuerũt baptiſmo, & nõ alij, & dicit eſſe regulariter fidẽ & ſolicitudinem parentum pro procurando baptiſmo paruulis; cum in ipſis paruulis nullum ſit meritum, & ex hoc nihil ſequitur, quod fides requiratur ad valorem baptiſmi, & ſic explicatur etiam Auguſtinus, vel ſecundò fidem exigere ad baptiſmum, eo quod dum pueri baptizantur exigitur à ſuſcipientibus ipſos, ſi credant; at numquam docuit Auguſtinus, vel alius Sanctus, pueros in lege gratiæ iuſtificari fide parentum.

11 Obijcies 2. Si requirebatur fides in offerente puerum, ſequitur, quod fuiſset valdè dubium tale Sacramentũ, & ſæpè ſæpius fuiſset iterandum; hoc dici nequit; ergo fatendum eſt fuiſſe ſufficientem intentionem faciendi, quod facit Eccleſia.

Reſpondeo retorquendo argumentum, ſi requiritur intentio faciendi, quod facit Eccleſia, cum non fuerint certi, an miniſtri habuerint eam intentionem, ſequitur, quod tale Sacramentum foret dubium, & ſæpè iterandum. Quare abſolutè dico, ſicuti nos non iteramus baptiſmum, etiamſi ad eius validitatem requiratur intentio faciendi, quod facit Eccleſia; niſi aliundè conſtet miniſtrum hanc intentionem non habuiſſe; ita nec fuiſset reiterandum illud remedium, niſi conſtaſset miniſtrum non elicuiſſe actum fidei.

12 Obijcies 3. vel illa fides debebat eſſe formata, & ſupernaturalis, vel ſuffeciſset informis: Si formata, fuiſset nimis difficile tale remedium, ſi informis, nullo modo potuiſset mereri ipſis infantibus; ergo dicendum eſt ſuffeciſſe intentionem faciendi, quod faciebat Eccleſia.

Reſpondeo Patres exigere fidem, cuiuſmodi autem deberet eſſe illa fides nõ expli-

explicare, puto probabilius fuiſſe ſufficientem fidem, qua parentes credebant Deum remiſſurum peccatum originale parvulis per media illi bene viſa, quomodocumque poſtea eſſet hæc fides, ſive formata, ſive informis, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis; non enim requirebatur per modum meriti, ſed per modum conditionis ad conficiendum illud Sacramentum, quod poſtea erat ſignum practicum gratiæ.

13 Dubitatur 3. an illud remedium originalis debuerit fieri à ſolis parentibus, vel à quocumque etiam inuitis parentibus licitè fieri potuerit, Vaſquez diſp.163. docet omnes potuiſſe illud remedium applicare paruulis, Suarez loco cit.ſect.2.Lugo diſp.3. ſect.2. à num. 35. Arriaga diſp.8.ſec.5.n.38.cenſent validè potuiſſe omnes illis infantibus remediū applicare,ſed licitè tantùm à parentibus, vel de eorum conſenſu.

Reſpondeo cum hac ſententia; Etenim, licèt incertum hoc ſit, & potuerit Deus aliter ordinare; nihilominus ſuadetur à pari de Baptiſmo; Ideo enim nunc non licèt inuitis parentibus aliquē infidelem baptizare, quia ſi baptizaretur, & poſtea relinqueretur ſub poteſtate paterna, relinqueretur in periculo proximo peruerſionis, & irreuerentiæ veræ religionis, quod non licet: ſed eadem ratio eſſet de illo, cui applicatum fuiſſet remedium originalis; ergo &c. Hoc tamen debet intelligi extra caſum neceſſitatis, quia ſicuti in caſu neceſſitatis, quod aliquis paruulus infidelis eſſet moriturus, poteſt licitè à quolibet baptizari; quia moriendo non eſſet amplius in proximo periculo peruerſionis, & irreuerentiæ veræ religionis: ita & de remedio originalis dicendum eſt.

14 Dices. Remedium originalis nō erat niſi oblatio pueri facta Deo: ſed oblatio pueri Deo, à quocumque fiat eſt honeſta; ergo etiam eſſet licita.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: oblatio pueri facta Deo eſt honeſta, ſi ex ſe conſideretur, vt actio quædam eſt; concedo minorem: ſi conſideretur vt Sacramentum, quo deſtinatur puer ad veram religionem à quocumque fiat eſt honeſta, nego minorem, nam ſi fiat inuitis parentibus, & poſtea relinquatur ſub patria poteſtate, à qua nonniſi cum iniuria Patris poteſt extrahi, relinqueretur in periculo proximo peruerſionis, & irreuerentiæ veræ religionis, quod illicitum eſt, vt de ſe patet.

15 Dubitatur 4. An in lege naturæ fuerint alia Sacramenta.

Reſpondeo: id ex ſcriptura non poſſe certò colligi: certum quidem eſt ſemper extitiſſe ſacrificia; nam Cain, Abel, Noe, Melchiſedech, Abraham, Iacob,& Iob in lege naturæ oblationes, & ſacrificia offerebant: an verò aliquod ex enumeratis eſſet etiam Sacramentum, præſertim illud Melchiſedech: Suarez, & alij exiſtimant probabile; ſed verè cum hoc ex ſcriptura nullo modo conſtet, nihil certi definire poſſumus.

ARTICVLVS IV.

An in lege ſcripta, & gratiæ debuerint eſſe Sacramenta.

1 IN lege veteri varia fuiſſe Sacramenta certum ſupponitur ab omnibus Theologis, & clarè deducitur ex Florentino in decreto vnionis, & in Trid. ſeſſ. 7. can.2. vbi habet. *Si quis dixerit ea ipſa noua legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia caremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi: anathema ſit*: ex quo loco patet in antiqua lege ſupponere Concilium plura fuiſſe Sacramenta. Difficultas aliqua eſt in aſſignando quænam fuerint Sacramenta antiquæ legis.

2 Concluſio. Sacramenta veteris legis erant plura, quam noſtra. Probatur ex D.Auguſtino lib.19. contra Fauſtum cap.13. vbi ſic habet. *Sacramenta veteris legis ablata ſunt, quia impleta, & alia ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora.*

3 Quænam verò fuerint ex ſcripturis deducitur aliqua fuiſſe, quæ correſpōdebant noſtris,vtCircumciſio Baptiſmo, Eſus agni Euchariſtiæ,conſecratio ſacerdotum Ordini, expiationes pro peccatis Pœnitentiæ; Confirmationi autem,quę eſt Sacramentum plenitudinis gratię nullum reſpondebat Sacramentum, quia nondum aduenerat tempus plenitudinis gratiæ; neque etiam extremæ vnctioni vllum correſpondebat Sacramentum, quia extrema vnctio eſt præparatio ad introitum gloriæ, cuius aditus non patebat in lege veteri:Matrimonium etiam non erat Sacramentum, ſed erat tantùm conceſſum in bonum naturæ; de cetero plura alia dabantur Sacramenta præſertim ad expianda peccata,& plura numero erant, quam ſint noſtra.

4 Quærit poſtea Angelicus; an in lege Euangelica ſint Sacramenta, & an ſint futura in ſtatu gloriæ. Verum dari ſeptem nouæ legis Sacramenta de fide tenemus ad ſalutem neceſſaria,non quidem omnia omnibus, ſed omnibus abſolutè eſt neceſſarius Baptiſmus, poſt Baptiſmum, lapſis eſt neceſſaria Pœnitentia, & Sacerdotibus Ordo, an verò

Eucha-

Digitized by Google

Euchariſtia ſit neceſsaria, & quomodo infra dicemus ſuo loco. Hæc noſtra Sacramenta ſunt antiquis in quantùm ad gratiam, quàm efficiunt præſtantiora, & quoad ſignificationem expreſſiora. Demum in futura gloria opus non erit Sacramentis, etenim ibi nudè,& apertè omnibus veritas apparebit.

QVAESTIO III.

De Principali Sacramentorum effectu, qui eſt gratia.

HAec quæſtio communiter tractatur de noſtris Sacramentis inquirendo, an noſtra Sacramenta cauſent gratiam, & quomodo; Verùm, vt clarior appareat efficacia noſtrorum Sacramentorum, & maior quam fuerit illa antiquæ legis: in hac quæſtione primò inquiremus, an Sacramenta veteris legis eſſent cauſæ gratiæ, & poſtea de noſtris agemus: ſic enim clariùs apparebit, quomodo noſtra in virtute, & efficacia antiqua ſuperent.

ARTICVLVS I.

An aliqua Sacramenta antiquæ legis cauſarent gratiam.

1 DIfficultas præcipua eſt de Sacramento Circumciſionis, an per illud remitteretur peccatum originale, & daretur gratia ſuſcipientibus ipſum, an verò ſolùm eſſet inſtitutum, vt ſignum diſtinctiuum populi Iudaici ab alijs nationibus, quæ tamen verum Deum confitebantur.

2 Prima ſententia negat per Circumciſionem datam fuiſse vllam gratiam. Sic Vaſquez diſp.184.cap.3.qui citat Capreolum, Ferrarienſem, Canum, Ledeſmam, & alios, eam tenent Bellarminus to.2. lib.2.de Sacramentis à cap.14. Coninchus hic q.62. art.6. & plures alij recentiores.

Secunda ſententia docet per Circumciſionem datam fuiſſe gratiam. Sic Nugnus q.70.ar.4.dub.2.Cabrera q.62.ar.6. Ioann.à S.Thoma diſp.22. art.1.dub.5.& diſp.23.ar.3.dub.2.Gonet diſp 5.a.1.& 2. Suarez hic diſp.5.ſect.1.& diſp.10.ſect.1. & 2.Valentia q.70.p.11. Arriaga diſp.9. ex antiquis vero Bonauent. Durand.Palud. Maior. & alii, quos refert Vaſquez loco citato. Cardinalis verò de Lugo docet Circumciſionem non fuiſſe inſtitutam ad dandam gratiam; ſed quia regulariter Iudæi per Circumciſionem ſatisfaciebant etiam præcepto remedij legis naturæ, dicit in tali caſu conferre gratiam. Diuerſi ſunt etiam in explicando modum, quo per Circumciſionem dabatur gratia: nam alii volebant per Circumciſionem dari gratiam tamquam per cauſam moralem, alij ſolùm tamquam per conditionem ſine qua non, hanc docet Amicus diſp.4. ſect.1.

3 Concluſio. Circumciſio erat verum Sacramentum in lege veteri ordinatum non tantùm ad ſegregandum populum Iudæorum, ſed etiam ad delendum originale in paruulis per gratiam ſanctificantem, quæ tunc dabatur per ipſum, non quidem tamquam per cauſam phyſicam, aut moralem ipſius gratiæ, ſed tamquam per conditionem ſine qua non.

4 Prima pars, quod Circumciſio fuerit verum Sacramentum docent communiter Doctores, imò Suarez loco citato vult eſſe de fide. Quod colligitur ex illo ad Rom.4. *Et ſignum accepit Circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei*; Si ergo erat ſignum, cum eſſet cæremonia ſacra, & eſſet ſignaculum iuſtitiæ, vtique erat Sacramentum; quia, cui conuenit definitio, conuenit, & definitum.

5 Secunda pars, quod Circumciſio fuerit ordinata ad ſegregandum populũ deſcendentem ab Abraham à reliquis fidelibus patet, tum quia tantùm deſcendentes ab Abraham obligabat, cum ad Abraham ſolum, & ad poſteros eius factum fuerit præceptum Circumciſionis, vt patet ex Gen. 17. vbi dicitur. *Signum fœderis*, & Apoſt ad Rom.3.habet. *Quæ vtilitas Circumciſionis, multum inquit per omnem modum: primum quidem, quia credita ſunt eis eloquia Dei*. En quod Apoſtolus docet Circumciſionem datam fuiſſe in ſignum, ratione cuius Deus credidit tali populo ſcripturas ſacras,& quia ex huiuſmodi populo debebat deſcendere Chriſtus; data igitur fuit Circumciſio ad ſegregandum populum Iudaicum ab alijs, quod clarè patet ex eo, quod in deſerto non fuit circumciſus populus, eo quod eſſet ſufficienter ab omnibus alijs ſegregatus.

6 Tertia pars, quod etiam data fuerit ad tollendum originale in paruulis per gratiam ſanctificantem, quę in Circumciſione dabatur. Probatur ex Scriptura Gen. 17. *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit delebitur anima illius de populo ſuo*; vbi Sept.legunt. *Maſculus, cuius præputii caro octauo die circumciſa &c.* Ex quo conſtat talem locum intelligi de paruulis, qui octauo die debebant circumcidi, quibus Deus comminatur pœnam, niſi circumcidantur; Sed hæc pœna non poterat infligi paruulis propter peccatum actuale, quod in paruulis

dari

Digitized by Google

dari non poterat; ergo propter originale, & propter pactum initum cum Adamo, quod pactum omnes poſteri irritum fecerunt in Adamo peccando.

7 Dices cum Lugo, talem locum poſſe intelligi de pacto inito cum Abrahamo, quod irritum facerent, niſi circumciderentur, & proinde mererentur pœnam ſeparationis à populo. Sed contra, quia in paruulis non poterat eſſe peccatum actuale, ratione cuius mererentur talem pœnam; tum quia hoc apertè repugnat Innoc. III. in cap. maiores, vbi poſtquam dixiſſet. *Quod baptiſmus Circumciſioni ſucceſſit*, adducit locum adductum Geneſis; deinde habet. *Quoniam etſi originalis culpa remittebatur per circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur*. Sed culpa non remittitur, niſi per gratiam ſanctificantem; ergo per Circumciſionem dabatur gratia ſanctificans. Idem docet pluribus in locis D. Auguſtinus, & præſertim lib. 4. de baptiſmo cap. 24. vbi habet. *Ex circumciſione carnis, quam prior populus accepit, conijcere nos poſſe, quid valeat in paruulis baptiſmi Sacramentum*, & lib. 3. contra Iulianum c. 18. *Reſponde ſi potes, cur ipſe Iſaac, niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus octauo die fuiſſet, perijſſet anima eius de populo ſuo? Explica ſi potes, cur merito tanta pœna plecteretur, niſi ab hoc tanto Sacramento liberaretur?* Et D. Gregor. 4. moral. cap. 2. *Quod autem apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificii, vel pro iis, qui de ſtirpe Abrahæ prodierunt myſterium Circumciſionis*. D. Bernardus ſerm. 2. de Aſſumptione. *In Baptiſmo ſola gratia lauat hanc maculam, quã olim raſit petra circumciſionis*. Idem docent Beda. Hom. de Circumciſione, & plures alij Sancti Patres.

8 Quarta denique pars, quod Circumciſio non eſſet cauſa, nec phyſica, nec moralis gratiæ, probatur ex Concilio Florent. in decreto vnionis, vbi habetur. *Nouæ legis Sacramenta multum differunt à Sacramentis antiquæ legis; hæc enim non cauſabant gratiam, ſed ſolum per paſſionem Chriſti dandam figurabant; noſtra verò Sacramenta, & continent gratiam, & dignè ſuſcipientibus eam conferunt*, & Trid. ſeſs. 7. can. 2. ſupra adducto in princ. & ad Gal. 4. vocantur Sacramenta antiquæ legis *egena, & vacua*, eo quod non cauſarent gratiam.

9 Dices noſtra Sacramenta, ab antiquis differre, quia noſtra cauſant gratiã phyſicè, antiqua verò tantùm moraliter. Sed contra: tum quia non eſt certum noſtra Sacramenta cauſare gratiam phyſicè, & certè, dum reuiuiſcunt, non poſſunt cauſare phyſicè, quia non exiſtunt; ergo non per hoc tantùm, quod cauſent phyſicè differunt à Sacramentis antiquæ legis: tum quia abſolutè Concilium dicit Sacramenta antiquæ legis non cauſare gratiam; ergo non poſſunt dici cauſæ morales, quia cauſa moralis eſt vera cauſa: tum quia Concilium dicit antiqua ſolùm figuraſse gratiam dandam per Chriſtum; ergo ſi ſolùm erant figuræ gratiæ dandæ per Chriſtum, nullo modo gratiam cauſabant.

10 Ex dictis deducitur, quod ſi in Circumciſione dabatur gratia, & tollebatur peccatum originale, & hoc non poterat à Circumciſione cauſari, nec phyſicè, nec moraliter, cum ex alia parte, quotieſcumque infantes Circumciſionẽ accipiebant, etiam reciperent gratiam, deducitur inquam, quod Circumciſio ſaltem fuerit conditio, ſine qua non dabatur gratia, nec remittebatur originale, quod probatur: quia illa eſt ſaltem conditio, qua poſita infallibiliter ſequitur effectus: ſed poſita Circumciſione in paruulis infallibiliter eis remittebatur peccatum originale, & infundebatur gratia; ergo Circumciſio erat ſaltem conditio ſine qua non dabatur gratia, nec remittebatur peccatum.

11 Dices Circumciſionem, quà talem nullo modo conferre gratiam, ſed eſse vacuam, & inanem, ſed ſolùm conferre, quatenus in eo applicabatur remedium originalis, & eodem modo ſe habere, quo ſe haberet muſica, ſi quis proferret verba baptiſmi in muſico cantu, talis muſica eſset vtilis ad effectum baptiſmi, ſed non quà muſica, ſed quatenus quis in muſica proferret verba baptiſmi. Sed contra, quia ideo muſica, vt talis nõ eſt vtilis in baptiſmo ad ſalutem, quia eſt accidens reſpectu vocis, & vt accidens ab omnibus apprehenditur: at Circumciſio non ita ſe habet, ſed in indiuiduo eſt ſignum proteſtatiuum fidei diſtinctũ à remedio legis naturæ, & vt tale eſt vtile ad ſalutem; ergo diſpar omninò eſt ratio, & eodem modo ſe habet aqua, vel vinum ad extinguendam ſitim, panis, vel caſeus ad expellendam famem, ſicuti remedium legis naturæ, vel Circumciſio ad tollendum originale: ſed ſi quis expellat ſitim per aquam, aut famem per panem, non ſequitur, quod ad expellendam ſitim etiam non ſit vtile vinum, & ad expellendam famem non conducat caſeus; ergo etiã licèt per remedium legis naturæ tollatur originale, & infundatur gratia, etiam per Circumciſionem tollitur, & datur gratia; vt expreſsè docent Patres ſupracitati, & D. Tho q. 70. ar. 4. & alibi.

12 Objicies 1. ad Rom. 3. habetur.

Quid ergo amplius Iudeo eſt, aut quæ vtilitas Circumciſionis? Multum quidem per omnem modum. Primum, quia credita ſunt eis eloquia Dei. Ergo ſi primum fuit eſſe ſignum, propter quod credita ſunt Iudeis eloquia Dei, certè non fuit gratia expellens originale, quia hic effectus cum ſit nobilior, deberet eſſe primus, & tamen de eo numquam loquitur Paulus; imò 1. ad Corint. 2. habet: *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt.* Et ad Galat. 4. *Quomodo iterũ conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus iterum ſeruire vultis.* Et alibi idem docet Apoſtolus. Accedunt plures Sancti Patres, vt Iuſtinus Dialog. cum Triphone, Irenæus lib. 4. cap. 30. Epiphanius hæreſi 30. Ambroſius in epiſt. ad Roman. 4. Chryſoſt. Hom. 27. in Gen. qui omnes dicunt fuiſſe tantùm ſignum, nec cauſaſse gratiam.

Reſpondeo, Apoſtolum feciſse comparationem inter Iudeos, & alios, qui non circumcidebantur, & docet, quod in ordine ad remittendum originale nihil ampliùs eſt Iudeo, quam alii, cum omnes haberent remedium remittendi originale, & quod fiebat per Circumciſionem in Iudeis, hoc idem fiebat per remedium originalis in alijs, vnde quo ad hoc non aderat, in quo gloriarentur Iudei ſuper alios; ſed tantùm poterant gloriari, quod per Circumciſionem credita ſunt Iudeis eloquia Dei; & quo ad hanc vanam gloriationem dicit Apoſtolus, quod Circumciſio nihil eſt, vacua, & egena eſt. Loca etiam ad Corin. & ad Gal. poſsunt intelligi de Circumciſione poſt aduentum Chriſti, vt conſideranti patet. Ad Patres dico eos loqui vel in ſenſu Apoſtoli explicato, vel de Circumciſione Abrahæ, & adultorum, qui iam ante erant iuſtificati antequam reciperent Circumciſionem; quod ſi aliqui difficulter hanc explicationem admittant, dico in hoc magis ſtandum eſſe Innocentio III. Auguſtino, & alijs Patribus à nobis adductis, qui clariſſimè tenent per Circumciſionem peccatum originale remitti, & gratiam dari, vt expreſsè idem docet D. Thom. hic quæſt. 62. ar. 6. ad 3. vbi habet: *Et ideò in Circũciſione conferebatur gratia in quãtùm erat ſignũ paſſionis Chriſti futuræ*; quod infra repetit quæſt. 70. ar. 4.

13 Obijcies ſecundò. Concilium Florentinum, quod dicit Sacramenta antiqua ſolùm figuraſſe gratiam dandã per noſtra Sacramenta; ergo nullo modo eam conferebant.

Reſpondeo iam nos aſſignare diſcrimen inter noſtra, & antiqua, quia hæc non cõtinebant, nec cauſabant gratiam, quam ſignificabant, ſed tantùm erant conditiones: noſtra verò cauſant gratiam, quam continent; inſuper gratia, quæ dabatur in Sacramentis antiquis nõ aperiebat eis Regnum Cœlorum, quod tãtùm per Chriſti mortem apertum eſt, & per noſtra Sacramenta datur gratia, qua iuſtus habet ſtatim ius ad Regnum Cœlorum; & hanc reſponſionem, vt bonam debent admittere omnes alij, qui fatentur per remedium legis naturę collatam fuiſse gratiam, quod tamen erat vnum ex Sacramentis, quod perſeuerabat in lege ſcripta pro fœminis, & pro paruulis maſculis, qui erant in periculo mortis ante octauum diem; nam ipſis non poterat applicari Circumciſio; ergo debebant iuſtificari per hoc remedium; ſi ergo omnes debent fateri; quod per hoc Sacramentum dabatur infallibiliter gratia; fatendum eſt, quod dum Concilium ponit differentiam inter antiqua, & noſtra, hæc differentia nulla alia ſit, niſi quod noſtra cauſant gratiam, vel phyſicè, vel moraliter, de quo infra, antiqua verò erant tantùm conditiones, ſine quibus non dabatur gratia.

14 Obijcies tertiò. Si per Circumciſionem dabatur gratia, & remittebatur originale, ſequitur primò, quòd debuiſſet dari omnibus, tam maſculis, quã fœminis, ſecus peioris conditionis fuiſſent fœminæ in ordine ad ſalutem, quam fuerunt maſculi; ſequitur ſecundò, quod omnes maſculi non poſſent iuſtificari ſine circumciſione, quod tamen falſum eſt; nam ante octauum diem non poterat dari, & qui non erant ex ſtirpe Abrahæ illam non recipiebant.

Reſpondeo negando ſequelam; nam cum hoc purè dependeat à voluntate Dei, potuit Deus obligare maſculos, nõ fœminas; nec ſequitur peioris conditionis fuiſſe fœminas in ordine ad ſalutem, quia eadem gratia, quæ dabatur maſculis per Circumciſionem, dabatur fœminis per remedium legis naturæ: neque ſecunda ſequela officit, ſequitur enim tantùm, quod non potuerint iuſtificari ſine voto Circumciſionis, ſicuti nunc nullus poteſt iuſtificari ſine voto Baptiſmi, & hoc verum eſt de poſteris Abrahæ; nam alios non afficiebat præceptum Circumciſionis, & poterant iuſtificari per remedium legis naturæ, ſicuti etiam paruuli ante octauum diem, ſi eſſent in periculo mortis, & huius rei cauſa eſt voluntas Dei ſic inſtituentis, quæ voluntas ex auctoritate innoteſcit.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

An Sacramenta noua legis ſint cauſæ gratiæ.

1 PLures hæretici negant noſtris Sacramẽtis vim cauſatiuam gratiæ ſanctificantis, ſic Meſſaliani, de quibus Auguſtinus hæreſi 57. ſic ſenſere etiam quidam Armeni ex Guido Carmelita in ſua ſumma, eumdem errorem ſuſcitauit Lutherus ex Roffenſi ar. 1. ad Leonem X. quem ſequuti ſunt poſtea hęretici noſtri temporis, vt Caluinus lib. 4. inſtitutionum c. 14. §. 16. Melancton, & alij.

2 Concluſio. Catholica veritas eſt, omnia Sacramenta nouæ legis gratiam cauſare, quam ſignificant in omnibus non ponentibus obicem. Sic definitum fuit in Trid. ſeſſ. 7. can. 6. vbi habetur: *Si quis dixerit Sacramenta noue legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantùm externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel iuſtitiæ; & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernũtur fideles ab infidelibus; anathema ſit.* Idẽ definitur in Concilio Florentino in decreto vnionis, vbi docetur noſtra Sacramenta differrẽ ab antiquis, quia noſtra verè conferunt gratiam, quam antiqua non cauſabant. Eadem veritas remanet definita in Symbolo Niceno, vbi dicitur: *Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*, in Concilijs Mileuitano c. 2. Arauſicano 2. cap. 25. & pluribus alijs Concilijs.

3 Ratio huius veritatis fuit ſola Dei, & Chriſti Domini voluntas ſic Sacramenta inſtituentis; talem autem fuiſſe Chriſti Domini voluntatem collegit Eccleſia ex ſcripturis clarè talem cauſalitatem ſignificantibus; vt de Baptiſmo Io: 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu &c.* Vbi Auguſtinus: *Aqua regenerat hominem in Chriſto.* Et epiſt. 23. inquit. *Non enim ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Quibus verbis figmentum hæreticorum noſtri temporis iugulat, qui volũt ſolam fidem ſufficere, & eam ſolam iuſtificare. De Confirmatione Act. 8. *Cum vidiſſet, quod per impoſitionem manuum daretur Spiritus Sanctus.* De Euchariſtia Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me; Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* De Pœnitentia: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* De Ordine 2. ad Tit. 1. *Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* De extrema Vnctione Iacobi 5. *Oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis eſt, dimittuntur ei.* De Matrimonio, licèt non ita habeatur expreſsè in ſcriptura, id tamen ſemper tenuit Eccleſiæ vniuerſalis traditio, & Concilia docuerunt; & Trident. definiuit ſeſſ. 23. dicens: *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe verè, & propriè vnum ex ſeptem nouæ legis Sacramentis, neque gratiam conferre; anathema ſit.* Ex quibus auctoritatibus adductis notandæ ſunt illæ particulæ *Ex, propter, per*, & modum dicendi abſolutum; huiuſmodi enim phraſes ſemper denotant cauſalitatem aliquam, & præſertim, dum ſcriptura vtitur ablatiuo inſtrumentali, vt de Baptiſmo ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, ibi enim clarè denotatur cauſalitas inſtrumentalis, ac quando quis dicit: *Scribo calamo.*

4 Obijcies primò, illud ad Epheſ. 5. *Mundans eam* (nempe Eccleſiam) *in verbo vitæ.* Sed verbum vitę eſt ex fide, & operatur excitando fidem; ergo Baptiſmus mundat ſolum excitando fidem, non producendo gratiam.

Reſpondeo. Per verbum *Vitæ* intelligere Apoſtolum verba formæ Baptiſmi, quibus conſecratur baptiſma, iuxta illud Auguſtini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Vnde verba ſunt conſecratoria, non concionatoria, & habent excitare fidem, & producere gratiam, qua mundatur Eccleſia, & quęlibet anima.

5 Obijcies ſecundò. Indecens eſt auertere mentes à Deo, & eas conuertere ad vilia elementa: ſed ſi aqua, oleũ, & ſimilia cauſarent gratiam, qua ſanctificaremur, deberemus mentes noſtras conuertere ad illa, & ſic auerterentur à Deo; ergo hoc eſſet indecens.

Reſpondeo negando minorem, cum enim Sacramenta ſint inſtrumenta gratiæ, & ſigna ſenſibilia, illis vtimur, vt magis conuertamus in Deum, & per ea mentes noſtras erigamus ad Deum, ipſiq; magis vniamur tamquã auctori, & cauſa principali gratiæ.

6 Obijcies primò. Petri 3. dicitur: *Vos nunc ſimilis forma ſaluos facit baptiſma; non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* Et Auguſtinus tract. 80. in Ioan. *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur;* ergo per Auguſtinum in tantùm Baptiſma ſanctificat, in quantùm quis credit.

Reſpondeo. D. Petrum nullo modo fauere hæreticis, ſolum enim vult, quod effectus Baptiſmi non eſt mundatio ſordium carnis, quod veriſſimum eſt, ſed

Ii 2 ſan-

Digitized by Google

ſanctificatio per gratiam, quam vocat conſcientiæ interrogationem in Deum, quod eſt à poſteriori cognoſcere, an ſimus iuſti nec nè; quod tunc fit, quando interrogando, & examinando conſcientiam noſtram, nullum cognoſcimus habere peccatum, licèt enim per hoc non ſimul iuſti, iuxta illud Apoſtoli: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non per hoc iuſtificatus ſum*; nihilominus quando quis non eſt conſcius vllius peccati, poteſt aliquo modo ſperare ſe eſse in gratia, ſaltem coniecturaliter. Ad Auguſtinum reſpõdet D. Thomas hic quæſt. 60. art. 7. ad 1. *Quod verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, ideſt, non ſecundùm exteriorem ſonum vocis; ſed quia creditur, ideſt, ſecundùm ſenſum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem ſenſus eſt idem apud omnes, licèt non eadẽ voces ſint, quantùm ad ſonum.* Aliam explicationem Auguſtini vide ſupra quæſt. 1. ar. 9. in fine.

ARTICVLVS III.

An Sacramenta nouæ legis ſint cauſæ morales gratiæ, & in quo conſiſtat hæc cauſalitas moralis.

1 SACRAMENTA noſtra cauſare gratiam ſanctificantem in nobis vidimus art. præcedenti; illamq; cauſare ex opere operato eſt de fide, quidquid latrent hæretici noſtri temporis; ſic enim definitum fuit in Trid. ſeſſ. 7. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit per ipſa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam &c. anathema ſit.* Solum igitur eſt explicandum, quid ſit conferri gratiam ex opere operato, & conferri gratiam ex opere operantis. Res in ſe non eſt magni momenti, tunc ergo confertur gratia ex opere operantis, quando à Deo iuxta proportionem operis, & meriti ipſius, qui operatur, vt ſi quis eliciat actum amoris ſupernaturalem, vt ſex, dum Deus intuitu illius meriti dat gratiam vt ſex, dat illam ex opere operantis: In Sacramentis verò res non ita ſe habet: nam aliquando qui recipit gratiam nullum opus bonum exercet, nec meritum vllum habet, vt ſi infans baptizetur, & tamen Deus per Sacramentum dat gratiam: aliquando actũ aliquem exercet de ſe inſufficientẽ ad merendam gratiam, vt ſi quis accedat ad Sacramentum pœnitentiæ cum ſola attritione ſupernaturali, nihilominus cum Sacramento iuſtificatur, & gratia cum detur vltra meritum operantis & ratione meritorum Chriſti, dicitur dari ex opere operato: aliquãdo quis eſt in gratia, & cũ diſpoſitione vt quatuor accedit ad aliquod Sacramentũ, v. g. Euchariſtiam; tũc recipiens Sacramentum non tantùm recipit gratiam correſpondentem diſpoſitioni vt quatuor, ſed vltra hanc recipit gratiam, quam ex inſtitutione diuina cauſat Sacramentum, & hæc dicitur dari ex opere operato. Quare breuiter illud datur ex opere operato, quod datur ſupra totum meritum operantis, ſiue illud meritum ſit de condigno, ſiue tantùm de congruo, & datur ſolùm ex meriti Chriſti paſſi.

2 Dices. Sequitur ex hoc, quod ego ſatisfacerem ex opere operato, ſi quis mihi applicaret eleemoſynam factam pauperi, vel aliud pium opus, ſicuti quãdo lucror indulgentiam acquiro eam ex opere operato. Reſpondeo hanc eſse quæſtionem de pura voce; nam aliqui non volunt poſſe dici ex opere operato; ſed tantùm ex opere operantis tunc quempiam ſatisfacere, quia talis ſatisfactio applicatur alteri ratione boni operis, quod eſt vltima ratio ſatisfaciendi, quod non cõtingit in Sacramentis; nam etiamſi à miniſtro conficiatur cũ peccato, adhuc producit gratiã, & eſt optima, & probabiliſſima reſponſio; alij dicunt poſse dici, hominem cui applicatur eleemoſyna ſatisfacere ex opere operato alterius; verùm hæc eſt quæſtio de pura voce, & in hoc ſtandum communi Scholaſticorum, qui intelligunt tunc ſolùm aliquem acquirere gratiam, vel ſatisfacere ex opere operato, quando gratiam acquirit, vel ſatisfacit ex meritis Chriſti.

3 Difficultas modò celebris eſt inter Theologos, quomodo Sacramenta ſint cauſa gratiæ, an morales tantùm, vel phyſicæ, & in quo conſiſtat propriè hęc cauſalitas moralis, quæ ſit diuerſa in noſtris Sacramentis, ac fuerit in Sacramentis veteris legis. In hoc articulo agemus de cauſalitate morali, in ſequenti, an etiam ſint cauſæ phyſicæ inſtrumentales gratiæ.

4 Cauſalitatem moralem conuenire omnibus Sacramentis nouæ legis docent communiter omnes Scholaſtici, diuerſi ſunt tamen in explicando hanc moralem cauſalitatem, taliter, vt Arriaga hic diſput. 10. ſec. 3. duodecim modos explicandi hanc cauſalitatem ponat; non eſt tamen animus omnes enumerare, ſed ſolum principaliores ponam.

Durandus in 4. diſt. 1. quæſt. 4. vult noſtra Sacramenta eſſe cauſas, ſine quibus non conferret Deus gratiam. Eandem opinionem ſequitur Ocham quæſt. 1. Aliacen. quæſt. 1. art. 1. Gabriel, & Marſilius.

Ca-

Digitized by Google

Canus releſt. de Sacramentis in gene. re par.4. Coninch. quæſt. 62. art. 4. & alij volunt eſſe cauſas morales, quia ſunt veluti burſæ plenæ meritis Chriſti, ex cuius meritis mouetur Deus ad dãdam gratiam in Sacramentis noſtris, quod Sacramentis antiquis conuenire non poterat.

Vaſquez hic diſp. 132. cap. 5. & 134. cap. 4. docet noſtra Sacramenta eſſe cauſas morales gratiæ, quia ſunt impetratoria gratiæ ex pacto, & promiſſione Dei, & ideò vult actiones Sacramentales eſſe honeſtas. Sic etiam docet Amicus diſp.4. ſec.9. n.213.

Alij explicant, quod noſtra Sacramẽta ſunt veluti moneta, quæ ex Principis voluntate tantùm valet in communibus contractibus, ita Chriſtum obſignaſſe Sacramenta, vt eſſent veluti moneta, qua poſita daretur gratia.

Cardinalis de Lugo diſp. 4. Arriaga diſp. 10. ſec. 3. ſubſec. 2. docent noſtra Sacramenta eſſe cauſas morales gratiæ, quia exercentur nomine Chriſti, & à delegatis eius miniſtris, & actiones miniſtrorum cenſentur actiones delegantis, quæ ratio cum non militet de miniſtris antiquæ legis; ideò illa Sacramenta non poterant eſſe cauſæ morales gratiæ.

5 Concluſio prima, ſententiæ Durandi, & Vaſquez reijciuntur. Et quidẽ illa Durandi communiter ab omnibus reijcitur, & ex profeſſo eam reijcit D. Thom. in 4. diſt. 1. quæſt. 1. ar. 4. & hic art. 1. Sic autem reijcitur. Per Durandum eo modo Sacramẽta noſtra ſunt cauſæ gratiæ, quomodo denarius plumbeus facta Regis ordinatione eſt cauſa, quod ipſum habenti dentur centum libræ auri, v. g. ſed denarius plumbeus non eſt vera cauſa, quod dentur centum libræ auri, ſed merum, & purum ſignum; ergo etiam Sacramenta noſtra eſſent huiuſmodi: hoc autem eſt apertè falſum, & contra Concilia Florentinum, & Tridentinum, vt ſupra vidimus; hæc enim Concilia definiunt noſtra Sacramenta verè eſſe cauſas gratiæ, quod non conueniebat antiquis: ſed antiqua aliqua, vt remedium originalis, & Circumciſio erant conditiones, ſine quibus non gratiæ, vt concedit etiam ipſe Durandus; ergo ſi per Concilia noſtra Sacramenta diuerſo modo cauſant gratiam, quam cauſarent antiqua non poſſunt eſſe cauſæ, ſine quibus non, vel tantùm puræ conditiones.

6 Dices cum Durando. D. Bernardus in ſerm. de Cœna Domini, inquit: Sicut Canonicus inueſtitur per librum Abbas per baculum, *Epiſcopus* per baculum, & anulum ſimul, ſic diuerſæ gratiæ diuerſis ſunt traditæ Sacramentis: ſed liber, baculus, & anulus ſunt tantùm ſigna, & conditiones, ſine quibus non; ergo & Sacramenta. Sed contra, quia vt docet D. Thom. hic q. 62. ar. 1. in corpore liber, baculus, & anulus ſunt tantum ſigna, per quæ conſtituitur aliquis Canonicus, vel Abbas, non cauſæ poteſtatis: ſed noſtra Sacramenta debent eſſe cauſæ gratiæ; ergo non poſſunt ſe habere eo modo, quo ſe habet baculus ad Abbatem, vel anulus, & baculus ad Epiſcopum, quare D. Bernardus illis verbis comparat Sacramenta baculo, anulo, &c. quoad ſignificationem præcisè, non quoad cauſalitatem; nam de cauſalitate antea dixerat, dum dixit Sacramenta operari gratiam.

7 Eodem modo reijcitur, quod alij dicunt, noſtra Sacramenta eſſe veluti chirographum, quo oſtenſo, Deus dat gratiã; etenim hoc nõ tranſcendit rationem puri ſigni de debito cõtracto, vnde ſi debitum aliter cõſtaret, non eſſet opus Chirographo ad hoc vt debitum ſolueretur; cum ergo noſtra Sacramenta ſint cauſæ, nullo modo poſſunt ſe habere ſolum vt Chirographum.

8 Neque Vaſquez ſententia ſuſtineri poteſt; nam debet aſſignare diuerſum modum conferendi gratiam in noſtris Sacramentis, quam conueniat Circũciſioni, & remedio legis naturæ: ſed ſi noſtra Sacramẽta dicerentur cauſæ morales gratiæ: quia ſunt impetratoria gratiæ ex pacto, & promiſſione Dei, licèt nullã habeant condignitatem cũ gratia, nõ cauſarẽt diuerſo modo gratiã, quam facerent Sacramenta legis naturæ, & Circumciſionis; nam etiam in illis ex pacto, & promiſſione Dei dabatur gratia; ergo neque iſta Vaſquii opinio ſuſtinenda eſt. Confirmatur, quia eſſe id, quo poſito ex pacto Dei conceditur gratia, ſi illud non habeat condignitatem ad mouendum Deum, non excedit puram rationem cõditionis; & eodem modo ſe haberet, ac denarius plumbeus, quem qui afferret Regi, promiſit Rex ſe daturum aureum: ſed verè in hoc caſu, qui afferret denarium plumbeum, afferret tantùm conditionem, & ſignum dandi aureum; ergo & Sacramenta eſſent ſolùm huiuſmodi, quod dici nequit; cum Concilia dicant noſtra Sacramenta eſſe veras cauſas.

9 Concluſio ſecunda. Noſtra Sacramenta ſunt cauſæ morales gratiæ, quia in eorum vſu applicantur merita Chriſti ſuſcipientibus ipſa, quæ mouent Deum ad dandam gratiam. Probatur primò ex Concilio Trident. ſeſſ. 7. can. 6.

vbi

vbi habetur: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant &c. anathema ſit.* Ex quo loco ſic argumentor: Sacramenta nouæ legis continent gratiam, quam ſignificant, & eam conferunt ſuſcipientibus ipſa, vt docet idem Concilium ibidem: ſed non poſſunt eam continere, & conferre, niſi ſaltem ſint cauſæ morales applicatiuæ meritorum Chriſti ſuſcipientibus ipſa; ergo verè ſunt cauſæ morales gratiæ, quia in eorum vſu applicātur ipſa merita Chriſti ſuſcipientibus ipſa: maior patet: probatur minor: quia aqua, & forma baptiſmi, ſi ſecundùm ſe cōſiderentur, & idem dic de alijs materijs, & formis Sacramētorum, nec continent gratiam, nec illam habent conferre, vnde, ſi quis baptizaſſet antequam Chriſtus inſtituiſſet Sacramentum Baptiſmi, & vſus fuiſſet aqua naturali, eadem forma, & intentione faciendi, quod facturus eſſet Chriſtus, & Eccleſia poſt inſtitutum baptiſma, nihilominus gratiam nullo modo contuliſſet; ergo, quod contineat, & conferat gratiam, habet ex inſtitutione Chriſti: ſed Chriſtus inſtituit, vt Sacramenta per miniſtros, tamquam per ſui miniſtros, & diſpenſatores conficerentur, vt patet ex illo Pauli 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; vndè miniſter Sacramenti ſemper Sacramenta conficit in perſona Chriſti; vt conſtat præſertim in conſecratione Euchariſtiæ; nam ſi Sacerdos non proferret in perſona Chriſti, falſum diceret; & idem eſt de alijs Sacramentis; ergo ſi Sacramenta per miniſtros Chriſti, & in perſona Chriſti operantes, & tamquam per diſpenſatores myſteriorū Dei conficiuntur, ſequitur, quod in Sacramētorum vſu ſemper merita Chriſti fidelibus applicētur, ad quæ reſpiciens Deus moraliter determinatur ad dandam gratiam: Et hoc eſt, quod aliqui dicunt, quod Sacramenta ſunt burſæ plenæ, quæ continent valorem meritorum Chriſti, quod ſunt nummi aurei, qui dantur fidelibus, vt ipſis emant gratiam. In quo ſenſu Sacramenta antiqua dicuntur vacua, & egena; nam licèt in illis aliquando daretur gratia intuitu meritorum Chriſti, nihilominus ipſa Sacramenta non poterant confici in perſona Chriſti, neque actu continebant merita Chriſti, quæ per eius miniſtros in perſona ſua applicarentur; quia cum actu nō extitiſſet Chriſtus, neque poterat haberet miniſtros, qui nomine ipſius operarentur, neque poterant applicari merita, quia nondum extabant, ſed tantùm à Deo præuidebantur futura: vndè talia Sacramenta erant tantùm conditiones ponendi gratiam, non cauſæ morales.

10 Obijcies 1. in tantùm Sacramenta noſtra ſunt cauſæ morales gratiæ, in quantùm applicantur nobis merita Chriſti per miniſtros eius: ſed etiam in lege veteri poterant applicari merita Chriſti, per miniſtros eius; ergo etiam Sacramenta antiqua erant hoc modo cauſæ morales gratiæ: probatur minor, quia de facto Chriſtus meruit antiquis Patribus prædeſtinationem, & gratiam, vt diximus de Deo vno de prædeſtinatione, & in tractatu de Incarnatione; ergo etiam potuit determinare, vt miniſtri Sacramentorum antiquæ legis ſuo nomine miniſtrarent, & conferrent gratiam.

Reſpondeo negando minorem; nam cum nondum extitiſſet Chriſtus, nec eſſent in rerum natura eius merita, non poterant per Sacramenta, tamquam per inſtrumenta applicari fidelibus: nam inſtrumentum non agit, niſi prius ſupponatur cauſa principalis in ſe; diuerſa autem eſt ratio de gratia data Patribus; nam Deus erat, qui reſpiciebat ad merita, quæ præuidebat futura; at Sacramentum non poterat continere in ſe, quod actu non erat in rerum natura, & ideò potuit Deus dare gratiam intuitu meritorum Chriſti futurorum; non autem Sacramenta poterant cauſare gratiam ex meritis Chriſti futuris.

11 Dices cauſa moralis non eſt neceſſe, vt actu exiſtat, ſed ſufficit, vt præuideatur futura pro aliqua tēporis differentia, & ſic moueat operans ad aliquid efficiendum; ergo etiam merita Chriſti non eſt neceſſe, quod exiſterent, vt Deus per ea moueretur ad dandam gratiam in Sacramentis antiquis, ſed ſufficiebat, quod à Deo præuiderentur. Sed contra aliud eſt, quod Deus potuerit moueri ad dandam gratiam antiquis ex præuiſione meritorum Chriſti, & hoc fateor; aliud eſt, quod potuerit Deus moueri ex meritis Chriſti contentis in Sacramentis antiquæ legis, & hoc falſum eſt; cum Sacramentum non poſſit in ſe continere, quod nondum eſt; vndè talia Sacramenta, cum non continerent pretium gratiæ, ſicuti noſtra, erant egena, & ſolùm conditiones, noſtra verò veræ cauſæ.

12 Obijcies 2. Sacramenta antiqua applicabantur nomine Eccleſiæ, & in virtute meritorum Eccleſiæ; ſicuti nunc noſtra applicantur in virtute meritorum Chriſti: ſed nunc, quia Sacramenta noſtra continent merita Chriſti mouent Deum moraliter ad dandam gratiam, & illam moraliter ſaltem cauſant; ergo & antiqua, quia continebant merita

Eccle-

Eccleſiæ, & ea applicabantur, erant cauſæ morales mouentes Deum ad dandam gratiam.

Reſpondeo negando, quod illa Sacramenta applicarentur nomine Eccleſiæ, & in virtute meritorum Eccleſiæ; nam etſi de facto nullus fuiſſet iuſtus in rerum natura, & nihilominus aliquis puerum obtuliſſet Deo proteſtando fidem in Chriſtum venturum, talis paruulus fuiſſet iuſtificatus, & tamen Deus non fuiſſet motus à meritis Eccleſiæ, quæ in dato caſu nulla ſupponuntur, erant ergo illa Sacramenta proteſtationes in Chriſtum futurum, & ipſa erant conditiones dandæ gratiæ, non cauſæ morales, vt dictum eſt. Addo, quod etſi nomine ſinagogæ fuiſſent illa Sacramenta applicata, non tamen potuiſſent mereri ipſa ſuſcipientibus gratiam; tum quia actio puri hominis tota eſt in promerenda ſibi gratia, vel augmentum eius, non alteri; tum quia nulla creatura poteſt mereri remiſſionem mortalis; quare etſi illa Sacramenta applicarentur nomine Eccleſiæ, numquam poterant habere condignitatem ad remiſſionem originalis.

13 Obijcies 3. In tantùm dicimus, quod noſtra Sacramenta ſunt cauſæ morales gratiæ, in quantùm applicantur per miniſtros in perſona Chriſti, cum applicatione meritorum eius: ſed ſæpe conficiuntur à malis miniſtris, & ex fine malo; ergo tunc non conficiuntur in perſona Chriſti, quia Chriſtus nullam poteſt habere actionem malam.

Reſpondeo negando conſequentiam; nec ſequitur, quod Chriſtus faciat actionem malam, ſed tantùm miniſter, vt patet exemplo trito, ſi Dominus iubeat famulo, vt det eleemoſynam, & ipſe illam det ob finem malum v.g. cauſa aliciendi pauperem ad finem malum; nihilominus actio illa, & eleemoſyna, vt eſt à Domino, eſt bona, & tantùm mala ex prauo fine miniſtri; & ſi Dominus det nummum aureum famulo, vt emat aliquid, etiamſi ille ex fine malo emat illud, non ſequitur, quod ille nummus aureus non ſit condignum pretium pro illa re; ita cum Chriſtus etiam per miniſtros malos in Sacramentis applicet pretium infinitum ſui ſanguinis, parum intereſt, quod miniſtri ſint mali; nam Deus mouetur à meritis Chriſti infinitis, quæ in Sacramentis applicantur.

14 Obijcies 4. Si Sacramenta ſunt cauſæ morales, quia exercentur in perſona Chriſti, & per ea applicantur merita Chriſti, ſequitur, quod cauſent per modum meriti: ſed Chriſtus nunc non eſt amplius capax meriti; & aliqua Sacramenta inſtituit poſt reſurrectionem, quo tempore non erat capax meriti; ergo ratio adducta nulla eſt.

Reſpondeo negando ſequelam, nempe, quod cauſent per modum meriti, cauſant enim per modum pretij, & ſolutionis; nam ſemel ſeipſum Chriſtus obtulit in ara crucis, qua oblatione condignè ſatisfecit Deo quo ad ſufficientiam pro omnibus, deinde reliquit pretium infinitum ſuorum meritorum in theſauro Eccleſiæ applicandum ſingulis per Sacramenta, inito pacto cum Deo, vt quotieſcumque Sacramenta applicarentur, daretur gratia; vnde licèt nunc non mereatur, cum tamen in perſona Chriſti per Sacramenta applicentur eius merita infinita; ideo illa ſunt cauſæ morales gratiæ per modum ſolutionis, & pretij.

ARTICVLVS IV.

An noſtra Sacramenta ſunt etiam cauſæ phyſicæ inſtrumentales gratiæ.

1 HÆc eſt omnium, quæ in hoc tractatu de Sacramentis habetur præcipua controuerſia mordicus contendentes aliqui hanc cauſalitatem phyſicam, non ſolùm eis non conuenire, ſed nec etiam eſſe poſſibilem, alijs contendentibus de facto Sacramenta noſtra eſſe veras cauſas phyſicas inſtrumentales gratiæ.

2 Prima ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 1. num. 12. & 13. Scotiſtarum communiter Herincx tom. 4. diſp. 4. quæſt. 2. hæc negat Sacramentis cauſalitatem vllam phyſicam reſpectu gratiæ, & ſolùm eis concedit moralem. Vaſquez 1. part. diſp. 176. cap. 3. & hic diſp. 136. cap. 6. & alibi Gaſpar Hurtadus diſp. 3. de Sacramentis in genere, & alij ita negant cauſalitatem phyſicam Sacramentis, vt aſſerant eam repugnare. Alij tractant ſolùm quæſtionem de facto, & dicunt Sacramenta eſſe tantùm cauſas morales, non phyſicas gratiæ ſic Cano relect. de Sac. in genere p. 4. Molina 1. p. q. 43. art. 8. Coninch. hìc. quæſt. 62. art. 4. Lugo diſp. 4. ſect. 4. Amicus diſput. 4. ſect. 9. Arriaga diſp. 11. ſect. 3. & plures alij.

Secunda ſententia eſt Caiet. hic q. 62. art. 1. Nugnez ibidem diff. 7. Cabreræ diſp. 3. conc. 5: Syluii art. 1. Ioan. à S. Thom. diſp. 24. art. 1. dub. 7. Gonet. diſp. 3. art. 2. & communis Thomiſtarum, hæc aſſerit Sacramenta vltra cauſalitatem moralem etiam eſſe phyſica inſtrumenta gratiæ; hanc ſequitur Bellar. lib. 2. de Sacra. cap. 11. Suarez hic diſp. 9.

Digitized by Google

diſp. 9 ſect. 2. Valentia diſp. 3. quæſt. 3. Ezparza lib. 10. quæſt. 24. præterea Henriquez, Reginaldus, Granado, Ripalda, & Hyacintus Choquetius lib. 2. de gratia diſp. 6. cap. 1. vt teſtatur Gonet, citat pro hac ſentia 53. Doctores; Verùm quidem eſt, quod non omnes eodem modo eam defendunt; nam aliqui volunt Sacramenta recipere in ſe virtutem quandam à Deo, qua per modum inſtrumenti eleuantur ad producendum effectum gratiæ, ſic plures Thomiſtæ. Sotus verò in 4. diſt. 1. & alij volũt, quod Sacramenta non producant gratiam, ſed hanc creari à Deo, ipſa vero Sacramenta eſse inſtrumenta, quæ vniunt gratiam cum anima, & producunt hominem gratum, quemadmodum generatio hominis non producit animam, ſed hominem.

3 Notandum primò ad euidentiam noſtræ ſententiæ in omnibus rebus creatis eſse potentiam obediētialem ad omne id, quod non implicat contradictionem. Hoc colligitur ex pluribus ſcripturæ locis, vt ex facto Chriſti Domini, quando vſus eſt luto ad cæcum illuminandum, & Sap. 16. habetur. *Mirabile erat, quod in aqua, quæ omnia extinguit plus valeret ignis, & ſupra virtutem vndique exardeſcebat*. Et Exod. 15. Mirum de paruo ligno, per quod aqua amara dulcedinem recepit, & ex pluribus alijs locis id colligitur. Neque dicant iſta opera fieri à Deo ad præſentiam earum rerum; nam talem explicationem non recipit locus Sapientiæ, ibi enim dicitur, quod *ignis exardeſcebat*, & eodem capite huius rationem reddens dicit. *Creatura enim tibi Factori deſeruiens exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos*, & ratio huius eſse poteſt, quia Deus habet perfectum, & abſolutum dominium ſuæ creaturæ; è contra vero creatura perfectam, & omnimodã ſubiectionem ad Deum: atqui hoc abſolutum dominium Dei ſuper creaturam, & omnimoda ſubiectio creaturæ ad Deum non poteſt conſiſtere, ſine potentia obedientiali; ergo hæc potentia obedientialis datur in creaturis: maior patet: probatur minor. Perfectum dominium Dei ſuper creaturam includit abſolutam facultatem diſponendi de illa ad omnem actum poſſibilem; ergo ad perfectam ſubiectionem ſpectat, quod poſſit creatura adhiberi à Deo ad omne id, quod non implicat contradictionem: hoc autem poſse adhiberi ad omne &c. eſt potentia obedientialis actiua: ſicuti poſse recipere omne id, quod non implicat contradictionem eſt potentia obedientialis paſſiua.

4 Notandum ſecundò hanc potentiam obedientialem eſſe eandem cum qualibet entitate rei, ſiue materiali, ſiue ſpirituali, ſiue accidentali, ſiue ſubſtantiali, & ſolùm differre à naturali formaliter, vt volunt aliqui, ſeù melius inadæquatè, quatenus potentia naturalis eſt adæquatè illa entitas creaturæ; obedientialis verò eſt entitas creaturæ, vt ſubeſt Deo potentiori concurſu operanti, ſeu eſt eadem vt facit complexum cum Deo potentius operante. Adeſt etiam alia diſparitas, quod naturalis eſt tantùm in ordine ad effectus naturales; obedientialis verò etiam ad ſupernaturales, & ad omne, quod non dicit implicantiam. His poſitis.

5 Cauſa gratiæ ſanctificantis poteſt eſſe principalis, vel inſtrumentalis. Principalis in propoſito reſpectu effectuum ſupernaturalium eſt Deus, & Chriſtus, inſtrumentalis ſunt Sacramenta. Hoc colligitur ex Trid. ſeſs. 6. cap. 7. vbi aſſignando cauſas gratiæ ſanctificantis dicit, Deum eſse cauſam principalem, ſcilicet effectricem phyſicam, meritoriam, hoc eſt principalem moralem, Chriſtum, quatenus ſua paſſione meruit nobis iuſtificationem, inſtrumentalem verò, eſse Sacramenta, vt baptiſmus, vndè ſaltem cauſalitatem moralem omnes Doctores Catholici Sacramentis noſtris concedunt, vt articulo præcedenti vidimus. Quare id, quod modò inquirimus eſt, an præter cauſalitatem moralem Sacramenta nouæ legis habeant etiam phyſicam; itaut Sacramenta noſtra ſint inſtrumenta phyſica productiua gratiæ.

6 Concluſio 1. Sacramenta, vt ſint cauſæ inſtrumentales gratię non debent recipere in ſe qualitatem; aut tantùm producere hominem gratum, ſeu tantùm vnire gratiam cum anima. Probatur prima pars, quia in tantùm volunt Doctores contrariæ ſententiæ Sacramenta debere recipere in ſe qualitatem, in quantùm volunt eſſe de ratione inſtrumenti recipere in ſe aliquid præuium antequam operetur, quod præuium ſit diſpoſitio ad principalem effectum: ſed falſum eſt inſtrumenta debere in ſe recipere aliquid præuium ad principalem effectum; ergo etiam erit falſum, quod Sacrameta debeant prius in ſe recipere illam qualitatem: maior eſt fundamentum aduerſariorum: probatur minor, quia eodem modo debemus philoſophari de inſtrumentis in ordine ſupernaturali, ſicuti loquimur de inſtrumentis naturalibus in ordine artificiali: ſed in ordine artificiali calamus v. g. optimè intelligitur inſtrumentum aptum ad ſcribendum per hoc, quod actu coniungatur cum manu ſcriptoris;

ergo

Digitized by Google

ergo etiam Sacramenta per hoc, quod coniungantur cum Deo tamquam cum principali agente, etiamſi hanc qualitatem non recipiant, intelligentur inſtrumenta apta cauſatiua gratiæ.

7 Impugnatur 2. Hæc opinio: quia illa qualitas, quæ recipitur in Sacramentis, eſt diſpoſitio ad gratiam, & efficit gratiam, vel eſt qualitas naturalis, vel ſupernaturalis: ſi naturalis eadem eſt improportio de hac qualitate, ac de Sacramentis; nam aliquid naturale non poteſt eſſa diſpoſitio ad ſupernaturale, neque poteſt habere proportionem ad ſupernaturale efficiendum: ſi verò dicatur, quod ſit ſupernaturalis: quæro vtrum producatur à Sacramentis, an vero à ſolo Deo? Si à Sacramentis; ergo quod dicimus de hac qualitate ſupernaturali, poſſumus dicere de gratia, quod ſcilicet producatur à Sacramentis immediatè: Si denique hæc qualitas producitur à ſolo Deo, & poſtea ipſa eleuatur ad producendam gratiam, ſequitur, quod Sacramenta non concurrant vllo modo ad productionem gratiæ, ſed quod gratia producatur ab hac qualitate, quod tamen non admittunt aduerſarij; neque dicere poſſunt, quod gratia producatur ab hac qualitate, & Sacramentis: nam ideo ponunt hanc qualitatem, quia Sacramenta ſunt improportionata reſpectu gratiæ, cum ſint materialia: ſed etiam poſita hac qualitate remanent materialia; ergo ſi ſine hac qualitate ſunt improportionata, etiam cum hac qualitate remanebunt improportionata.

8 Impugnatur 3. Quia non poteſt explicari, quid ſit illa qualitas; nam vel eſt character, vel aliquid aliud: non character, quia hic producitur tantùm in tribus Sacramentis, & ex alia parte non eſt diſpoſitio ad gratiam, quia gratia producitur ſine illo, & poteſt eſſe character ſine gratia: non aliquid aliud, cum non habeamus vllum fundamentum ex Scriptura, & Patribus ponendi in Sacramentis præter gratiam, & characterem; ergo gratis fingitur.

9 Secunda pars, quæ eſt Soti ſententia ſic reijcitur. Quia in tantùm vult hic auctor Sacramenta non efficere gratiam quia ſupponit gratiam creari, ſpectat autem ad Deum creare, & Sacramenta ſolùm vniunt gratiam, ſicuti generatio hominis non producit animam, ſed vnit illam: Sed falſum eſt gratiam creari, vt in tractatu de gratia diximus quęſt.6.a.2. eſt enim accidens; creatio autem eſt ſubſiſtentium, vnde diximus educi de potentia obedientiali animæ. Confirmatur: Si Sacramenta ſolùm vniunt gratiam, vtique debet illa præexiſtere producta per diuerſam actionem, in illo ergo ſigno, vel exiſtit per ſe independenter à ſubiecto, & hoc non, quia eſt accidens, cui naturaliter conuenit eſſe per ſe, fingendi verò miraculum nulla eſt neceſſitas; vel exiſtit dependenter à ſubiecto, & ſic iam eſt vnita, nec per Sacramenta vniretur, & hoc pacto Sacramenta non producerent hominem gratum, ſed iam ſupponeretur homo gratus: tum quia quod gratia præexiſtat producta per creationem, vel habet gratia, vt qualitas accidentalis eſt, vel vt forma eſt, vel vt ſpiritualis eſt: non primum, aut ſecundum, ſecus omne accidens, & omnis forma prius produceretur, deinde per aliam actionem vniretur: vnde hoc non eſſet proprium animæ rationalis, neque vt ſupernaturalis eſt, nam amor Dei ſuper omnia, & viſio beata ſunt ſupernaturales, & tamen immediatè producuntur ab intellectu noſtro, & voluntate; ergo & gratia poterit produci per Sacramenta.

10 Concluſio ſecunda. Sacramenta noſtra non ſolùm ſunt cauſæ morales gratiæ, ſed etiam ſunt cauſæ phyſicæ inſtrumentales eiuſdem per hoc ſolùm, quod faciant complexum cum Deo per illa agente, & eis vtente ad gratiam producendam. Quod Sacramenta ſint cauſæ morales gratiæ, articulo præcedenti probatum fuit; quod nō implicet, quod poſſint eſſe inſtrumenta phyſica, imò ſit poſſibilis, hæc cauſalitas, Vaſquez, & nonnullis alijs exceptis; ferè omnes alij admittunt, & ego ex alibi dictis, & ex philoſophia ſuppono, nec eſt animus immorandi in probanda hac poſſibilitate, quod Sacramenta poſſint, vt inſtrumenta phyſica producere gratiam; ſolum igitur breuiter ſuadetur ſic. Deus habet perfectiſſimum dominium in creaturam, & in creatura eſt perfectiſſima ſubiectio ad Deum, vt Deus poſſit ea vti: ſed perfectiſſimum dominium nō poteſt ſtare, niſi Deus poſſit vti creatura quacumque ad omne id, quod non implicat contradictionem; ergo in creatura quacumque eſt potentia obedientialis ad efficiendum quicquid non implicat contradictionem: nulla autem eſt implicantia, quod Sacramenta amnuantur à Deo ad producendam phyſicè gratiam; ergo eſt poſſibilis hæc cauſalitas phyſica in Sacramentis reſpectu gratiæ: probatur ſubſumptum ſi eſt aliqua implicantia, maximè quia gratia creatur, & eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis, Sacramenta verò ſunt res materiales, & corporeæ: ſed hoc nihil obſtat; ergo

Digitized by Google

verè nulla implicantia datur: probatur minor; nam in primis falſum eſt gratiam creari; nam cum ſit accidens educitur de potentia obedientiali animæ, vt dictum fuit de gratia quæſt.6.ar.2 Deinde etiamſi crearetur; cur non poſſent eleuari Sacramenta ad creandum? cum in hoc nulla ſit implicantia, vt ſuppono ex phyſicis, neque obſtat, quod gratia ſit ſupernaturalis, & ſpiritualis; nam ſequitur tantùm, quod Sacramenta ſecundum potentiam naturalem non poſſint efficere gratiam, non verò ſecundùm potentiam obedientialem, & quatenus ſunt inſtrumenta Dei per ipſa agentis, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum; ergo ſi nullo modo repugnat hæc cauſalitas phyſica, ſequitur, quod ſit poſſibilis; poſita igitur poſſibilitate huius cauſalitatis, remanet ſolum probandum, quod de facto hanc cauſalitatem phyſicam Sacramenta noſtra habeant.

11 Probatur modò concluſio, quod de facto noſtra Sacramenta ſint cauſæ phyſicæ inſtrumentales gratiæ. In hac difficultate de cauſalitate Sacramentorum illam debemus ſequi opinionem, quæ conformior eſt Scripturis, Patribus, & Concilijs; etenim cum ſit poſſibilis cauſalitas phyſica, vt dixi, quod de facto habeant hanc cauſalitatem, dependet purè à voluntate Dei, & Chriſti, quæ nobis innoteſcere non poteſt, niſi per Scripturas, Patres, & Concilia: Sed Scripturæ Patres, & Concilia clariùs intelliguntur, & explicantur, ſi ſuſtineamus, quod verè Sacramenta ſint cauſæ inſtrumentales phyſicæ, & non tantùm morales; ergo, quod de facto ſint Sacramenta noſtra etiam cauſæ phyſicæ inſtrumentales gratiæ dicendum eſt: maior patet: probatur minor, primò ex varijs locis Scripturæ. Ioan.3. dicitur de baptiſmo. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt &c.* vbi notanda eſt illa particula *ex* denotans generationem per gratiam, quæ tribuitur tum Spiritui Sancto, tum aquæ baptiſmi. Vndè ſic argumentor; particula *ex* denotans cauſalitatem gratiæ tribuitur, tũ aquæ, tum Spiritui Sancto; Sed Spiritus Sanctus phyſicè cauſat gratiam; ergo etiam aqua phyſicè illam cauſabit; eamdem vim habet particula *per* Act.8. *Cum vidiſſet quod per impoſitionem manuum daretur Spiritus Sanctus*, & 2. ad Tit. 1. *Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, & cap. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum*, & ad Epheſ.5. *Mundans eam lauacro aquæ*, ſed particula *per*, & ablatiuus caſus denotant cauſalitatem inſtrumentalem; ergo verè Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales gratiæ; etenim iuxta regulam D. Auguſtini lib.3. de Doctrina Chriſtiana, quotieſcumque verba Scripturæ poſſunt cum omni proprietate intelligi ſine vllo inconuenienti, & in ſenſu maximè accommodato ad res, de quibus agitur, non eſt recurrendum ad ſenſus myſticos, & metaphoricos: Sed verè prædicta teſtimonia intelligi poſſunt cum omni proprietate ſine vllo inconuenienti, & cauſalitas phyſica eſt magis propria, quam moralis; ergo de cauſalitate phyſica intelligi debent.

12 Probatur 2. eadem minor principalis argumenti ex Concilijs Florentino in decreto vnionis, & ex Trident. ſeſs.7. can.6. vbi habetur. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre &c. anathema ſit.* Ex hoc ſic arguo. Sacramenta continent gratiam, vt definit Concilium: ſed hæc continentia non eſt localis, vt aqua in vaſe, & pecunia in burſa, vt docet D. Bonauent. in 4. diſt.1. ar.1. q.3. vbi habet. *Non aliquo modo dicendum eſt, quod gratia contineatur in ipſis Sacramentis tamquam aqua in vaſe, aut medicina in pyxide*: neque continetur in ipſis, quia inhæreat tamquam accidens Sacramentis, nam ipſa non ſunt ſubiecta gratiæ; ergo debet intelligi Cõcilium de continentia virtuali, & effectiua, non principali: nam ſolus Deus eſt cauſa principalis gratiæ; ergo inſtrumentali vera, & phyſica, ſicuti continetur planta in ſemine, & effectus artis in inſtrumento artificis.

13 Probatur 3. eadem minor ex varijs Patribus. Tertullianus lib. de baptiſmo cap.4. ſic habet. *Igitur omnes aquæ de priſtina originis prærogatiua, Sacramentum ſanctificationis conſequuntur, inuocato Deo: ſuperuenit enim ſtatim ſpiritus de cælis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificata vim ſanctificandi combibunt*, & ibidem, *Aquam olim produxiſſe animantia, vt mirum non ſit in baptiſmo, ſi aquæ animare nouerunt.* Leo Papa ſerm. 4. de Natiuitate. *Omni homini renaſcenti baptiſmus eſt ad inſtar vteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, quo repleuit, & Virginem*, & ſerm. 5. *Virtus altiſſimi, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem, facit, vt regeneret vnda credentem.* Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 42. *Quemadmodum virtus ignis intenſius aqua calefacta non aliter vrit, quam ipſe ignis: Sic Spiritus Sancti operatione aqua, qua baptizati corpus abſtergitur, reformatur ad diuinam virtutem, & potentiam.* Nyſſenus lib. de baptiſmo. *Oſtende mihi modum Natiuitatis, quæ fit ſecundùm carnem. Dices fortaſſis, ſemen cauſa effectrix hominis eſt. Audi igitur contra à nobis, quod aqua, quæ benedicitur,*

tur,

Digitized by Google

tur, purgat, & illuminat hominem. Chryſoſtomus Hom.25.in Ioan. *Quod eſt matrix embrioni hoc, & fideli aqua*. Et idem docent plures alij Sancti Patres: Sed aquas ſanctificatas combibere vim ſanctificandi, eodem modo animare homines, quo produxit piſces, eſſe ad inſtar vteri virginalis, ex quo natus eſt Chriſtus, matricis, in qua homo concipitur, ad inſtar hominis, ex quo homo generatur, & aquæ feruentis, ex qua homo aduritur, denotat cauſalitatem phyſicam inſtrumentalem, vt conſideranti patet; ergo fatendum eſt, quod Sacramenta verè concurrunt, vt cauſæ phyſicæ inſtrumentales.

14 Dices hæc omnia loca poſſe optimè explicari de cauſalitate morali, ſicuti paſſio Chriſti eſt cauſa moralis noſtræ iuſtificationis, nec nos debere ponere tam grande miraculum, quod res materialis, vti aqua, vel oleum producat phyſicè rem ſpiritualem, & gratiam. Sed contra, quia loca adducta Patrum, non poſſunt niſi ſiniſtrè explicari de ſola cauſalitate morali: nam aqua in principio mundi phyſicè produxit piſces, vterus virginalis phyſicè produxit Chriſtum, ſemen eſt cauſa effectrix hominis, & matrix phyſicè concurrit ad embrionem; ergo ſi Sacramenta his modis producunt gratiam, phyſicè illam producunt; quod ſi grande miraculum eſt, quod res materialis producat gratiam, mirum eſſe non debet, cum ab ipſo Chriſto inſtituta fuerint, cui ita facilè erat dare hanc efficientiam phyſicam Sacramentis, ſicuti moralem reſpectu gratiæ; cum ergo phyſica efficientia ſit magis conformis auctoritati Scripturæ, Conciliorum, & tot Patrum, hanc concedere debemus ipſis Sacramentis, ſicut enim humanitas Chriſti erat inſtrumentum phyſicum patrandi miracula, ſed coniunctum; ita Sacramenta ſunt inſtrumentum ſeparatum, ſic habet D. Thom.hic ar.5.dicens. *Oportet, quod virtus ſalutifera à Diuinitate Chriſti per eius humanitatem in ipſa Sacramenta deriuetur*. Ad id quod dicitur, quod paſſio Chriſti eſt tantùm cauſa moralis, reſpondet D.Th. ſupra quæſt.48.art.6. quod paſſio Chriſti, ſecundùm quod comparatur ad diuinitatem eius, agit per modum efficientiæ, & efficienter cauſat ſalutem humanam, licèt ſit per modum meriti, quatenus comparatur ad voluntatem animę Chriſti. Videatur hic locus vbi S. Doctor clarè explicat quomodo paſſio ſit cauſa moralis, & quomodo phyſica.

15 Probatur eadem concluſio varijs congruentijs, ſed verè nihil probant, quia quod Sacramenta cauſent inſtrumentaliter phyſicè gratiam totum dependet à voluntate inſtituentis, qui potuit aliter inſtituere. Alij probant, quod non verificaretur forma Sacramentorum, & præſertim illa pœnitentiæ, ſi nō concurreret phyſicè, nam ſi ſolus Deus producit gratiam verè ſacerdos non abſoluerèt. Sed neque hæc ratio quicquam probat; nam ſufficit cauſalitas moralis, vt verè dicatur abſoluere, vt patet in Principe, dum dicit libero te à morte, à carcere, ab exilio &c, hæc enim omnia tantùm moraliter præſtantur; item dum Sacerdos dicit. *Abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis,&c.* verè ſacerdos abſoluit, & tamen nihil phyſicè producit, aut tollit, quia excommunicatio, aut ſuſpenſio &c. nihil ſunt phyſicum.

16 Eſparza probat concluſionem dicendo, quod Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales gratiæ, vt ſenſibiliter conferendæ; eo quod Sacramenta cauſant ſpeciem impreſſam ſui in ſenſibus, & deinde media ſenſatione interna inducunt cognitionem gratiæ, quatenus collatæ dependenter ab ipſis. Sed verè hæc cauſalitas conueniebat etiam Sacramentis legis naturæ, & Circumciſionis; etenim etiam ipſa Sacramenta cauſabant ſui ſpeciem in ſenſibus, & media ſenſatione interna inducebant in cognitionē gratiæ, quatenus collatæ dependenter ab illis Sacramentis; ergo ſi in hoc tantum ſtat cauſalitas noſtrorum Sacramētorum, non diſtinguerentur in cauſalitate ab antiquis contra Concilia, vt ſupra vidimus, & ſolùm verbis concedit hic auctor cauſalitatem phyſicam noſtris Sacramentis reſpectu gratiæ; nam in re negat entitatem gratiæ à Sacramentis, vt à cauſis inſtrumentalibus phyſicis produci.

17 Obijcies primò. Concilium Mogunt. anno 1549. cap.11. habet de Sacramentis: *Eaque non eſſe ritus ſimplices, quod quidam impurè confingunt, ſed ſacroſancta ſignacula, & efficacia ſigna, quæ ritè ea ſuſcipientes gratiam eis conferendo. ſanctificant; gratiam verò Sacramentorum non ex ipſa externarum rerum virtute, nec ex merito miniſtri, ſed ex interna, & diuinæ operationis virtute æſtimandam eſſe*; ergo ſi per conſilium nō prouenit gratia ex virtute rerum externarum, ſed ex virtute diuina, Sacramenta non ſunt cauſæ phyſicæ, ſed tantùm morales.

Reſpondeo Concilium ſtare pro nobis; nam ſi ſunt efficacia ſigna, quæ gratiam conferunt, & ſuſcipientes ſanctificant, vtique phyſicè concurrent ad gratiam; nec quod ſubiungit dicendo: *Gratiam verò Sacramentorum &c.* fauet aduerſarijs;

ſarijs; nam & ab ipſis debet explicari, cum de fide ſit Sacramenta eſſe cauſas gratiæ; negat ergo Concilium virtutem rebus externis producendi gratiam ex ſe tamquam cauſis principalibus, quod veriſſimum eſt; at inſtrumentaliter, vt ſunt inſtrumenta diuinæ operationis. verè phyſicè concurrunt.

18 Obijcies ſecundò. Plures Patres, tantùm cauſalitatem moralem tribuunt Sacramentis. Et primò D. Cyprianus ſerm. de Baptiſmo, vbi habetur: *Remiſſio peccatorum ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet.* Secundò, Ambroſius lib. de dignitate Sacerd. cap. 5. *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam.* Tertiò, D. Hieronymus in cap. 4. Iſaiæ: *Ex hoc diximus, quòd homo ſolùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum.* Idem habent Auguſtinus epiſtol. 23. ad Bonifacium, & 15. de Trin. cap. 26. Bernardus, & alij.

Reſpondeo in primis retorquendo argumentum, nam ſi quid probarent hæ auctoritates, probarent etiam, quod moraliter non cauſarent gratiam, & ſic quod nullo modo eſſent cauſæ gratiæ, quod eſt hæreticum, vnde etiam ab aduerſarijs ſunt explicandæ. Dico ergo directè Patres ſolùm velle Deum eſſe cauſam principalem gratiæ, & quod homines, & res materiales Sacramentorum ex ſe non habent vim producendi gratiam; licèt illam habeant ex eo, quod ſunt inſtrumenta Dei.

19 Obijcies tertiò. De ratione inſtrumenti phyſici eſt, quod immediatè attingat ſubiectum, in quo effectum ſuum producit, vt patet de ſecuri, hæc non poteſt facere ſcamnum, niſi lignum attingat, calamus non poteſt ſcribere, niſi cartam attingat, & ſic de aliis: ſed Sacramenta ſępe diſtant localiter ab homine, in cuius anima cauſanda eſt gratia, vt patet in matrimonio contracto per procuratorem; poteſt enim matrimonium celebrari Romæ, & Sponſus, vel Sponſa eſſe Mediolani, & in pœnitentia, cum Sacerdos abſoluit pœnitentem, verba non tangunt phyſicè pœnitentem, & in Euchariſtia verba conſecrationis non eſſe neceſſe, quod panem, & vinum attingant; ergo ſaltem tunc Sacramenta non cauſant phyſicè gratiam, ſed tantùm moraliter.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: de ratione inſtrumenti phyſici eſt, quod immediatè attingat ſubiectum, in quo effectum ſuum producit, immediatè immediatione virtutis, concedo maiorem: immediatè immediatione ſuppoſiti ſemper, nego maiorem: diſtinguo poſtea minorem: Sacramenta ſæpe diſtant localiter, & ſuppoſito ab homine, in cuius anima cauſanda eſt gratia, tranſeat minor: virtute nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: dixi tranſeat minor; nam verè Sacramenta non diſtant à ſubiecto, in quo debent cauſare gratiam, etenim aliud eſt loqui de materia, & forma Sacramentorum, & hæc fateor, quod non ſit neceſſe, quod ſint ſimul localiter, & phyſicè, quia cum ſint compoſita tantùm moralia ex diuina inſtitutione eam ſolùm ſimultatem requirunt, quam natura cuiuſcumque Sacramenti exigit, ſic quia contractus, in quo fundatur Sacramentum Matrimonij poteſt fieri, & celebrari inter abſentes, etiam Matrimonium verum, vt Sacramentum eſt, poteſt celebrari inter abſentes; & abſolutio, cum ſit per modum iudicij, vt fiat hoc Sacramentum, ſufficit illa ſimultas, qua intelligatur forma cadere ſuper materiam moraliter præſentem, & in Sacramento Euchariſtiæ, quod tanta ſit præſentia, quod poſſint verificari voces illæ *Hoc, & hic*, & ſic de ceteris Sacramentis: aliud eſt loqui de Sacramentis ipſis, quæ nos dicimus cauſare phyſicè gratiam, & hæc negamus eſſe diſtantia à ſubiectis, in quibus debent cauſare gratiam, ſemper enim ſecundùm partem Sacramentorum ſunt præſentia; ſic in matrimonio ſi celebretur Romæ per procuratorem, & Sponſus ſit Mediolani, conſenſus Sponſi Mediolani exiſtens eſt, qui conficit Sacramentum, & ſi retractaſſet mãdatum, aut conſenſum, matrimonium nullum eſſet; vt deciſum fuit à Bonifacio VIII. in cap. fin. de Procuratoribus in 6. In Sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis, qui ſunt materia proxima Sacramenti ſunt in ipſo pœnitente; & in Euchariſtia id, quod cauſat gratiam eſt Sacramentum ipſum, vt actu ſumitur: perfectis verò Sacramentis, cum agant per modum vnius, etiam ſi tantùm ſecundùm aliquid, Sacramenta ſint in diſtantia à ſubiectis, in quibus debent cauſare gratiam, nihilominus totum Sacramentum ſecũdùm virtutem eſt pręſens, & phyſicè cauſat gratiam, quia per modum vnius agit; & hoc patet etiam in agentibus phyſicis; ignis enim, v. g. palmaris totus dicitur concurrere ad alium ignem producendum, licèt ſecundùm omnes partes ſuas lignum, ex quo producit ignem non tangat; & ſecuris tota dicitur inſtrumentaliter concurrere ad producendum ſcamnum, quamuis ſecundùm partes interiores, lignum, ex quo ſcamnum conficitur non contingat;

Digitized by Google

git; ex quo patet quomodo Sacramenta numquam ſint indiſtantia à ſubiectis, in quibus cauſant gratiam: poteſt etiam aſſignari diſparitas inter Sacramenta, & alia inſtrumenta artis, vt ſunt ſecuris, ſerra, calamus, & huiuſmodi, quod hæc, vt experientia conſtat, nullam habeant virtutem concurrendi, niſi ſubiectum contingant; hinc ſemper requirunt immediatum contactum: at Sacramenta cum agant per potentiam obedientialem, vt ſubſunt Deo tamquam cauſæ principali, cum hæc vbique ſit præſens, eis poteſt vti ad phyſicè cauſandum in quacumq; diſtantia: Verum hęc reſponſio, quæ eſt Ioann. à S. Thom. & Gonet. videtur petere principium, vnde clarior, mihi videtur prima reſponſio.

20 Obiicies quartò. Eo modo concurrunt Sacramenta ad productionem gratiæ, quomodo concurrit paſſio Chriſti, à qua Sacramenta virtutem accipiũt: ſed paſſio Chriſti Domini tantùm concurrit moraliter, non phyſicè; ergo & Sacramenta tantùm moraliter, non phyſicè concurrunt: probatur minor, quia paſſio Chriſti iam pręteriјt, & non eſt actu phyſicè, ſicuti nec mors eius; ſed quod non eſt, non poteſt phyſicè operari; ergo paſſio Chriſti, cum de facto non ſit, non poteſt phyſicè operari.

Reſpondeo cum D. Thom. 3. p. quæſt. 48. ar. 6. & quæſt. 49. ar. 6. negando minorem: ad probationem, licèt paſſio, & mors Chriſti actu non ſint, ſed tranſierint, manent tamen in virtute in humanitate paſſa, & morte affecta; vnde concludit S. Thom. quæſt. 56. ar. 1. ad 3. *Quòd Reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens, & exemplaris noſtræ reſurrectionis; efficiens quidem, in quantùm humanitas Chriſti, ſecundùm quam reſurrexit, & quodammodo inſtrumentum diuinitatis ipſius, & operatur in virtute eius; & ideò ſicut alia, quæ Chriſtus in ſua humanitate fecit, & paſſus eſt ex virtute diuina ſunt nobis ſalutaria, & Reſurrectio eius.* Et certè, ſi de humanitate Chriſti docent Patres fuiſſe inſtrumentum coniunctũ diuinitatis, quo Chriſtus miracula faciebat. Vnde dicitur Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Et 8. *Ego ſenſi virtutem de me exiſſe.* Et ſanitates fiebant etiam in abſẽtia, vt patet de puero Centurionis; ſic etiam poſſumus dicere, humanitatem Chriſti in Cælo, quæ paſſa eſt, mortua, & reſurrexit, vt inſtrumentum coniunctum diuinitatis concurrere phyſicè ad cauſandam gratiam per Sacramenta. Poſſumus etiam concedere, paſſionem Chriſti nunc non concurrere phyſicè ad cauſandam gratiam, quia ampliùs non eſt; at hoc negamus de Sacramentis, cum hæc actu ſint inſtrumenta Dei, & indiſtantia à ſubiectis; in quibus debet produci gratia, vt in pręcedenti reſponſione diximus.

21 Obiicies quintò. Oculus non poteſt eleuari ad videndum ſpirituale; ergo neque Sacramenta poſſunt eleuari ad producendum aliquid ſpirituale, cuiuſmodi eſt gratia.

Reſpondeo, quòd ſiſtendo præcisè in ratione naturali poſſet negari antecedens, vt à multis negatur; quod ſi auctoritas dicat ſpirituale non poſſe videri, etiam dicit ſpirituale poſſe produci à Sacramentis, vt patet ex auctoritatibus adductis, iuxta tamen id, quod diximus de viſione Dei in tractatu 1. quæſt. 3. negatur conſequentia, & aſſignatur diſparitas, quia oculus deberet intrinſecè cõcurrere ad viſionem per ſuam potentiam naturalem, & vt cauſa principalis, quæ tamen, cum ſit talis in ordine ad ſuum obiectum, ſcilicet coloratum, quãtum, & lucidum, non poteſt ferri extra illud, ſecus non eſſet eadem potentia, ſed alia: at potentia obedientialis, ſecundùm quam Sacramenta producunt gratiam, non habet pro obiecto aliquid particulare, ſed omne id, quod non implicat contradictionem, & concurrit inſtrumentaliter, non principaliter; ideò poſſunt Sacramenta producere gratiam, non oculus videre ſpirituale.

22 Obiicies ſextò. Quæcumq; actiuitas rei materialis eſt tota materialis: ſed Sacramenta ſunt materialia; ergo etiam eorum actiuitas materialis erit; ergo numquam poterunt attingere rem ſpiritualem.

Reſpondeo, veram eſſe maiorem, ſi conſiderentur res ſecundùm potentiam naturalem, falſam ſi ſecundùm potentiam obedientialem.

23 Dices. Potentia obedientialis nõ diſtinguitur à naturali: ſed actiuitas rei materialis naturalis eſt materialis; ergo etiam obedientialis.

Reſpondeo, quòd aliud eſt potentiam obedientialem eſſe materialem, aliud eſt, quod effectus productus debeat eſſe materialis primum concedo, ſed ſecundum nego; etenim materiale per potentiam obedientialem poteſt producere ſpirituale; nam licèt res materiales, cuiuſmodi ſunt Sacramenta, ſecundùm ſe non poſſint, nec habeant hanc actiuitatem; poſſunt tamen, et eam actiuitatem habent, vt faciunt complexum cum Deo per illa operante; quemadmodum calamus ſecundùm ſe non poteſt ſcribere, at coniunctus cum ſcriptore habet proportionẽ, & eſt id, quo ſcriptor ſcribit; ita Sacramenta ſecundùm ſe non poſſunt producere gratiam; at coniun-

iun-

iuncta cum Deo per potentiam obedientialem poſſunt illam producere, & de facto producunt.

24 Obijcies ſeptimò. Sacramenta per illam coniunctionem, & eleuationem cum Deo, vel recipiunt in ſe aliquid, vel nihil; ſi nihil; ergo ſicuti prius erant improportionata, etiam poſt erũt; ſi aliquid; ergo Sacramenta agunt per illud aliquid, quod tamen in prima concluſione refutauimus.

Reſpondeo. Sacramenta nihil in ſe recipere, ſed tantùm ſubordinari Deo, quatenus faciunt complexum cum Deo operante per illa tamquam per inſtrumenta, & per hanc coniunctionem proportionari ad producendam gratiam: quemadmodum, vt dixi, calamus ſecundùm ſe eſt improportionatus ad ſcriptionem at coniunctus cũ ſcriptore abſq; eo, quod recipiat in ſe aliquid, eſt illi ſubordinatus, & proportionatiſſimus, ita Sacramenta ſunt ex ſe improportionata, at vt coniuncta Deo, vt primo, & principali mouenti, & cauſanti, ſunt illi ſubordinata, & proportionatiſſima ad gratiam producendam, per eumdem enim influxum Dei, vt in priori naturæ primò venit à Deo, & tangit Sacramenta, & per eadem operatur, Deo ſubordinantur, & proportionantur ad producendam gratiam: & quemadmodum calamus, vt poſſit ſcribere, debet eſſe aptatus; ita & Sacramenta ſecundùm potentiam naturalem non ſunt apta inſtrumenta, verùm ſecundùm potentiam obedientialem ſunt inſtrumenta aptiſſima ad gratiam, ad quam producendam tantùm requirunt actualem coniunctionem cum Deo, vt agente principali.

25 Inſtabis primò. Ex data reſponſione calamus, vt ſit aptum inſtrumentum ad ſcribendum debet eſſe aptatus, quod fit antecedenter antequam coniũgatur cum ſcriptore, ergo etiam idem debemus dicere de Sacramentis: atqui ex noſtra concluſione non ita ſe haberent; ergo debent antecedenter ſemper aliquid recipere, vt fiant apta: ſubſumptum probatur; nam Sacramenta ſunt apta tantùm per potentiam obedientialem; ſed potentia obedientialis conſiſtit in actuali coniunctione cum Deo; ergo ante non erant apta, & ſic non poterant aſſumi.

Reſpondeo concedendo antecedens, & conſequentiam; nego poſtea ſubſumptum; ad probationem concedo, quod Sacramenta ſint apta tantùm per potentiam obediẽtialem; verùm potentia obedientialis poteſt conſiderari in actu primo, vt actualiter ſubordinatur Deo, & in actu ſecundo formaliter: in actu primò eſt eadem entitas naturalis, vt dicit ordinem ad Deum potentem operari, etiamſi actualiter non operetur, ſed ſit paratus operari; vt actualiter ſubordinatur, eſt eadem entitas, vt ſubeſt Deo per influxum ſuum primò mouenti: in actu verò ſecundò formaliter eſt eadem entitas, vt facit complexum cum Deo actualiter concurrente ad effectum ſimul cum ipſa entitate tamquam Dei inſtrumento.

26 Inſtabis ſecundò. Sacramenta, vt actualiter ſubordinantur Deo ſunt ipſæ entitates materiales Sacramentorum, vt ſubſunt Deo per influxum ſuũ primo mouenti; ergo huius motionis, & influxus debet dari aliquis terminus, qui producatur, & recipiatur in Sacramẽtis, ergo vt ſubordinentur debent Sacramẽta in ſe recipere aliquid: hoc autẽ eſſet qualitas, quam ſupra impugnauimus.

Reſpondeo, hunc influxum, quo primo mouet Sacramenta eſſe ipſiſſimum met influxum, quo Deus producit gratiam, quo Sacramenta tamquam inſtrumẽta applicat, & cum eis facit complexum ad producendam gratiam.

ARTICVLVS V.

Quando nam Sacramenta gratiam conferant.

1 VIdimus Sacramenta ex ſe habere vim conferẽdi gratiam, nunc tempus, in quo gratiam conferunt explicandum eſt, tempus autem, vel poteſt eſſe antecedens ſuſceptionem Sacramentorum, vel poteſt eſſe illud, in quo Sacramenta ſuſcipiuntur, vel poteſt eſſe poſt tranſactam ſuſceptionem Sacramenti, & in hoc articulo explicanda eſt quæſtio in primo ſenſu, deinde in ſecundo, & tertio: de his enim maior eſt difficultas.

2 Quo ad primum ſenſum: idem eſt quærere, an Sacramentum antequam ſuſcipiatur cauſet gratiam ex opere operato, ac quærere, an Sacramentum ſuſceptum in voto gratiam ex opere operato conferat.

3 Concluſio prima. Nullum Sacramentum confert gratiam ex opere operato antequam re ipſa ſuſcipiatur. Eſt communis omnium Scholaſticorũ contra quoſdam ſolùm relatos à Soto, qui docebant gratiam Euchariſtiæ, quæ cõfertur ex opere operato conferri ſaltem in extrema neceſſitate ob ſolum deſiderium illam ſuſcipiendi. Probatur tamen concluſio; nam quando quærimus; an Sacramenta ſumpta in voto conferant gratiam ex opere operato, vel per gra-

tiam

Digitized by Google

tiam intelligimus habitualem, & ſanctificantem, vel auxilia actualia, quæ dantur ad rectè, & bene exercenda munia cuiuſcumque Sacramenti, vel alios effectus Sacramentorum, vt ſunt character, & aliæ poteſtates Sacramentorum: Sed per ſuſceptionem Sacramentorum in voto nihil ex enumeratis recipitur ex opere operato; ergo abſolutè Sacramenta ſuſcepta in voto ex opere operato nihil cauſant; nihil enim præter enumerata poteſt reperiri, quod cauſetur. Probatur minor, & quidem certum eſt de fide per ſuſceptionẽ Sacramenti in voto non recipi characterem; quare etſi quis haberet votum baptiſmi intenſiſſimum non per hoc recipit characterem, nec eſt ea pax aliorum Sacramentorum, nec ille, qui actu non recepit ordines, poteſt celebrare, aut abſoluere; nec qui matrimonium actu non contraxit poteſt licitè copulam habere, quamuis deſiderauerit ſummè talem mulierem habere vxorem: certum inſuper eſt non recipi auxilia actualia, quæ dantur ad rectè exercenda munia, quæ vi Sacramentorum poſſunt exerceri; etenim, cum ſine Sacramentis actu ſuſceptis non poſſint exerceri, non enim quis ſine ordine poteſt celebrare, vel abſoluere &c. ita nec ſine Sacramentis actu ſuſceptis dantur auxilia ad bene, & rectè illa munia exercenda, cum eſſe ſecundùm quid ſupponat eſſe ſimpliciter, & hęc omnia certa ſunt apud Catholicos: Probatur modo, quod nec etiam vllum Sacramentum conferat gratiam ex opere operato antequam re ipſa ſuſcipiatur. Quando Sacra Scriptura loquitur de gratia conferenda per Sacramenta, illam promittit ſolùm reali ſuſceptioni Sacramentorum, vt de Euchariſtia. *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam.* Ioan. 6. De Pœnitentia. Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* De Baptiſmo. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* De Extrema Vnctione. Iacob. 5. *Vngentes eum &c.* Sed manducare, baptizari, vngi, &c. ſignificant actualem ſuſceptionem; qui enim manducare deſiderat, aut vngi, &c. propriè non manducat, aut vngitur; ergo ſolum reali ſuſceptioni Sacramentorum promiſſa fuit gratia.

4. Dices D. Thom. infra quæſt. 80. art. 1. ad 3. & alibi docet abſolutè poſſe effectum Sacramenti ab aliquo percipi, ſi Sacramentum ſuſcipiatur in voto; ergo verè Sacramentum in voto ſuſceptũ cauſat gratiam ex opere operato.

Reſpondeo negando conſequentiam: Fateor quidem per Sacramenta ſuſcepta in voto recipi gratiam, verùm hæc non datur ex opere operato, ſed ex opere operantis, ſicuti datur ex vi boni operis; vnde ſi quis eſt in gratia, & deſideret Euchariſtiam ſumere, vtique accipiet maiorem gratiam; ſi eſt in peccato, & eliciat actum contritionis, & amoris Dei perfectum, qui actus includit votum pœnitentiæ, recipit gratiam, ſed ex opere operantis, non ex opere operato; & hoc eſt, quod docet Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. dum dicit. *Illos, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes Fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem ſentiunt*, vbi notanda ſunt illa verba *Fide viua, quæ per dilectionem operatur.* Denotant enim clarè hunc fructum recipi ex opere operantis; vnde ſi quis ardenter deſideret Euchariſtiam, deinde illam actu ſuſcipiat, maiorem gratiam recipiet, quam ille, qui eam ita non deſiderauit. Et hoc eſt, quod volunt Patres ſpirituales, dum ſæpius hortantur ad ſpiritualem cõmunionem. Et hęc de difficultate propoſita in primo ſenſu. Si verò quæramus quando nam Sacramenta actu ſuſcepta cauſent gratiam, ſunt varię opiniones.

5 Prima opinio eſt Soti in 4. diſt. 9. quæſt. 2. art. 7. Nugni hic quæſt. 62. ar. 1. diff. 5. Cabreræ ibidem diſp. 3. §. 13. Ioan. à S. Thom. diſp. 24. art. 1. dub. 5. Gonet. diſp. 3. §. 5. & communis Thomiſtarum, quos ſequitur Vaſquez diſp. 132. cum alijs, hęc vult Sacramenta producere gratiam in primo non eſſe.

Secunda opinio eſt illorum, quos ſuppreſſo nomine citat Lugo hic diſp. 4. ſect. 6. hæc opinio vult gratiam conferri à Sacramentis in tempore indeterminato; ipſe verò Lugo vult conferri gratiam in tempore determinato ante vltimum inſtans terminatiuum actionis Sacramentalis. Amicus vult conferri gratiam in inſtanti negatiuo, quo moraliter completur ſignificatio ita diſp. 4. ſect. 7. ſic etiam videtur docere Eſparza lib. 10. quæſt. 29. ſed hoc inſtans vocat poſitiuum, quo coexiſtat inadæquate parti temporis eo modo, quo inſtantia Angelica diſcreta correſpondẽt partibus motus continui.

Tertia opinio eſt Suarez diſp. 8. ſect. 2. Coninch. quæſt. 62. art. 1. dub. 4. Arriagæ diſp. 12. Bonac. diſp. 1. quæſt. 4. p. 7. Auerſæ, & plurium aliorum, qui volunt Sacramenta producere gratiam in vltimo inſtanti, quo perficitur Sacramentum, & hæc loquendo de Sacramentis, quæ conſiſtunt in vſu, quo ad Sacramentum verò Euchariſtiæ idem dicunt, quo ad poſitionem Chriſti ſub ſpeciebus, nam quando tale Sacramentum poſtea cauſet gratiam; infra dicetur.

Digitized by Google

6 Hæc quæſtio tota quanta pendet ab illa philoſophica, quomodo continuum componatur, an ſcilicet componatur ſolum ex partibus, an ex partibus, & punctis, an verò ex ſolis punctis, ſiue finitis, ſiue infinitis, & iuxta diuerſas opiniones philoſophicas etiam hæc decidenda eſt, cum eadem ſit omnino ratio de gratia, ac de anima quandonam producantur à Deo: quare iuxta diuerſitatem ſententiarum de continui compoſitione decidi debet, & nos quid probabilius ſentiamus breuiter aperiemus.

7 Concluſio prima. Opiniones primo, & ſecundo loco poſitæ efficaciter non poſſunt impugnari; & quidem ſententia Thomiſtarum ſolet ſequentibus argumentis impugnari.

8 Primum eſt. Nihil poteſt producere effectiuè effectum niſi exiſtat: ſed per aduerſarios Sacramenta in eo inſtanti, quo producitur gratia non exiſtunt; ergo nec phyſicè poſſunt eam cauſare: Secundò, quia implicat rem exiſtentem pendere in ſuo eſſe à re non exiſtente: Tertiò, res antequam ſit non poteſt producere etiamſi futura ſit, ergo neque, quæ antea fuit, & modo non eſt: ſecus poſſet res, quæ fuit heri cauſare effectum hodie: Quartò, quia cauſa, & effectus ſunt relatiua: relatiua verò ſunt ſimul natura, & cognitione; ergo Sacramenta, quando primò non ſunt, non poſſunt eſſe cauſæ. Verùm hæc argumenta nullo modo præmunt Vaſquez, qui admittit in Sacramentis tantùm cauſalitatem moralem; poteſt autem id, quod immediatè tãtùm præceſſit cauſare moraliter, quia ſufficit, quod mouerit cauſã principalem ad cauſandum, quod autem præceſſit, vtique potuit mouere Deum ad dandam gratiam. Neque præmunt Thomiſtas; nam dicunt hãc eſſe naturam entium ſucceſſiuorum, vt cauſent, quando primò non ſunt in eſſe ſucceſſiuo, & dant exemplum de mixtis, quæ cauſantur ab elementis, quando primò non ſunt, de forma, quæ diſpoſitiuè cauſatur ab alteratione, quando primò deſinit alteratio: addunt Cabrera, & Gonet locis citatis, quod licèt in eo inſtanti extrinſecè Sacramenta non ſint in eſſe ſucceſſiuo, ſunt tamen virtualiter, & in eſſe perfecto, nam tunc ſolùm eſt perfecta ſignificatio, & ſic poſſunt cauſare; vnde patet hanc opinionem non differre, niſi in nomine ab illa Suarez; nam eodem modo ſoluuntur argumenta, quo modo à Suarez ſoluuntur.

9 Eſt aliud argumentum, quod magni faciunt Lugus, & Arriaga, nempe ſequeretur data hac ſententia, quod poſſit contingere, aliquem, qui iam recepit perfectum Sacramentum baptiſmi, ſi moriatur in illo inſtanti extrinſeco, gratiam non recepturum, & proinde, ſi infans in illo inſtanti poſt receptum baptiſma, aut adultus poſt Sacramentum pœnitentiæ moreretur, neuter ſaluaretur; quod planè duriſſimum videtur; nam cum omni rigore talis infans fuiſſet baptizatus, & adultus recepiſſet Sacramentum pœnitentiæ; ergo deberent ſaluari. Cum Chriſtus dicat Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit*; & qui egerit pœnitentiam ſaluabitur. Verùm neque hoc argumentum multum vrget; nam Vaſquez, Cabrera, Gonet, & alij concedunt ſequelam, & duplicem aſſignant cauſam, propter quã talis infans, & adultus gratiam non reciperent; prima cauſa eſt, quia non adeſt ſubiectum receptiuum gratiæ, ſicuti enim in naturalibus, ſi in vltimo inſtanti alterationis deſtrueretur materia, ibi non produceretur forma ſubſtantialis, quia non adeſt ſubiectũm, in quo reciperetur; ita in propoſito, cum deſit ſubiectum capax gratiæ recipiendæ, quod eſt anima corpori vnita, non ſeparata, mirum non eſt ſi gratiam non recipiat. Secunda cauſa eſt, quia Sacramentum non producit gratiam, niſi ſit vltimò completum in eſſe ſignificationis, non eſt autem tale, niſi in inſtanti illo, quod eſt ſuum vltimum mutatum eſſe; vnde mirum non eſt ſi in illo inſtanti moriente homine gratiam non reciperet.

10 Zumel, & Arriaga, cum durum eis videatur concedere, quod talis infans, vel adultus non debeant in data ſuppoſitione ſaluari, dicunt illum hominem, recipere Sacramentum, & vi illius recipere gratiam quamuis moriatur in illo primo non eſſe Sacramenti. Sed prior reſponſio tenenda eſt, nam Sacramentum non cauſat gratiam in ſubiecto exiſtente extra viam, nec antequam ſit perfectum in eſſe Sacramenti; in illo autem inſtanti, iam anima eſſet extra viam, & ſic Sacramentum effectum ſuum habere non poſſet, quia deeſſet ſubiectum, quando Sacramentum eſſet perfectum in eſſe ſignificationis.

11 Secunda ſententia ſic communiter reijcitur, & primò probatur gratiam non produci in parte determinata contra Cardinalem de Lugo: Etenim hic auctor vult gratiã produci poſt aliquod inſtans continuatiuum ante inſtans terminatiuum in parte determinata: Sed quodcumq; inſtans continuatiuum accipiatur, vtique inter illud, & aliud inſtans terminatiuum mediant infinita alia

Digitized by Google

inſtantia continuatiua, in quibus omnibus exiſteret iam gratia, cum adhuc non eſſet perfectum Sacramentum, ſed adhuc ſupereſſet aliqua pars eius; ergo hęc ſententia intelligi non poteſt, cum capi non poſſit, quomodo gratia ſit producta antequam ſit eſſentialiter perfectum Sacramentum; & ſi ei deeſt aliqua pars, certè non eſt perfectum.

12 Neque dicas poſſe miniſtrum protrahere vltimam ſyllabam v.g. in baptiſmo literam i. Spiritus Sancti; Nam talis protractio, non perficeret Sacramentum, nam Sacramentum perficitur in prolatione vltimæ ſyllabæ cum debita intentione, præciſa quacumque protractione. Secundò impugnatur, quia ſi gratia incipit in aliqua parte determinata, vel hæc eſt vltima, vel non; non primum, quia accipio illam partem, adhuc illa eſt diuiſibilis in aliam partem, & hæc in aliam, & ſic in infinitum; & idem ſequitur, ſi ſecundum dicatur; è contra verò cum gratia conſiſtat in indiuiſibili debet produci in inſtanti. Verùm hæ rationes licèt difficilem captu reddant ſententiam docentem gratiam produci in parte determinata, non tamen efficaciter probant intentum; etenim quando auctores huius ſententiæ dicunt produci in parte determinata, vel comparatio productionis gratiæ poteſt fieri cum parte temporis fluentis, vel cum motu ſucceſſiuo, & fieri Sacramentorū, ita vt dicatur in parte determinata huius motus ſucceſſiui Sacramentorum produci gratiam: ſi comparatio fiat productionis gratiæ cum parte temporis; non video cur tali parti non poſſit correſpōdere, licet gratia ſit indiuiſibilis, & tota ſimul, vt dicitur communiter de perfectè ſpherico poſito ſuper planum, quod ſi quieſcat, tangit in puncto, & correſpondet puncto plani, at ſi moueatur, punctum tangit partem, & correſpondet parti, licèt punctum ſit indiuiſibile; quia in motu, cum omne corpus debeat occupare ſpatium maius ſe ipſo, ita & punctum in motu occupat partem, & tangit partem; & hoc eſt verum ſiue moueatur punctum, & planum, ſupra quod mouetur, quieſcat, ſiue moueatur planum, & punctum quieſcat, quia eſt eadem in vtroque caſu ratio; ergo etiam licèt gratia ſit indiuiſibilis, cum producatur in tempore ſemper fluente, eius productio debet correſpondere parti temporis. Si verò comparatio productionis gratiæ fiat cum motu ſucceſſiuo Sacramentorum, idem dici poteſt; nam licèt gratia non producatur, niſi a Sacramento perfecto, eo ipſo, quod eſt, & Sacramentum fuit in motu, gratia ſicut correſpondet parti temporis, ità, & parti motus Sacramenti correſpondere poteſt.

13 Quod verò gratia non producatur in parte indeterminata. Sic communiter probatur; quia gratia, quæ producitur eſt res determinata, & actio Dei eſt determinata; ergò debet correſpondere alicui rei determinatæ, non durationi temporaneæ, nam illa eſſet adhuc diuiſibilis in aliam, & aliam vſque in infinitum; ergo debet correſpondere alicui inſtanti. Verum hæc ratio efficaciter non probat; tum quia aliquod indiuiſibile, & quod ſit totum ſimul poteſt in motu correſpōdere parti indiuiſibili: tum quia, dum conſeruatur gratia, non minus conſeruatur tota, & vti eſt indiuiſibilis, & tamen in conſeruatione, quę eſt actio determinata Dei, correſpondet parti, non enim in conſeruatione poteſt correſpondere inſtanti, quia poſt inſtans non datur inſtans, ſed pars, ſecus continuum cōponeretur ex ſolis indiuiſibilibus, quod nō admittunt, qui ſic argumētantur: tum quia poteſt Deus Angelo imponere præceptum, vt ante tale inſtans eliciat actum amoris; ergo tunc tenebitur Angelus talem actum elicere; hic autem non poſſet correſpondere inſtanti, ſed tempori, quia ante inſtans, non eſt inſtans, ſed tempus; quod præceptum licèt negent poſſibile Suarez, & Lugus; non video tamen vllam implicantiam, quæ ex dictis facile ſolui non poſſit. Quare iſtæ opiniones de productione gratiæ in parte determinata, vel indeterminata rationibus efficacibus certè reijci non poſſunt, & ſolùm eas non defendimus, quia faciliores ſunt, vt intelligantur ſententiæ, quas ponemus.

14 Concluſio 2. Si admittamus continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus ſiue finitis, ſiue infinitis, producitur gratia in vltimo inſtanti intrinſeco, in quo perficitur ſignificatio. Probatur, nam data hac opinione, quod continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus, ſiue finitis, ſiue infinitis in quacumque re poſſumus aſſignare, & primum, & vltimum inſtans, vt de ſe patet, ſi indiuiſibilia ſint finita, ſi verò ſint infinita etiam idem poſſumus incipiendo ab extra, valet enim dicere ab hoc inſtanti incipit Sacramentum intrinſecè, & in hoc inſtāti deſinit intrinſecè; In hoc ergo vltimo inſtanti cum ſit perfecta ſignificatio, & Sacramentum ſit perfectum, etiam dicimus produci gratiam; eſt enim indiuiſibilis, & carens contrario, quæ poteſt in inſtanti produci, & Deus habet virtutem infinitam, & poteſt illam in inſtanti producere.

Digitized by Google

15 Dices implicat continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus; ergo etiam falsò dicimus gratiam produci à Sacramentis in vltimo inſtanti intrinſeco.

Reſpondeo me nunc non defendere hanc opinionem, ſed dicere, quod data tali ſententia, quam nunc, vtpotè philoſophicam, non explico, Sacramenta producunt gratiam in inſtanti intrinſeco, quo terminantur.

16 Concluſio 3. *Si continuum componitur ex partibus, & punctis, gratia producitur in vltimo inſtanti, in quo perficitur Sacramentum.* Sic auctores tertiæ opinionis, à qua non diſcrepant Thomiſtæ, niſi in nomine, nam iſti vocant hoc inſtans extrinſecum Sacramentis, ſeu primum non eſſe Sacramentorum, vt entia ſucceſſiua ſunt; Suarez verò, & alij vocant intrinſecum Sacramentis conſideratis ſecundum eſſe perfectum; vndè apparet eſſe tantùm diſcrepantiam in nomine, cum in re conueniant omnes in tali inſtanti gratiam produci; & vt hoc clarius intelligatur.

17 Sciendum, eſt Sacramenta eſſe de genere ſucceſſiuorum, quæ licèt incipiant extrinſecè per vltimum non eſſe, v.g. in baptiſmo per vltimum non eſſe ablutionis, aut prolationis verborum, nihilominus omnia Sacramenta terminantur in vnico inſtanti intrinſeco, vt patet ex phyſicis: quando debet produci calor vt quatuor in ſubiecto, talis calor incipit extrinſecè per vltimum ſui non eſſe, & quando deuenitur ad vltimum eius, terminatur calor per vnam mutationem inſtantaneam, quam philoſophi dicunt *mutatum eſſe motus*, quod mutatum eſſe, licèt ſit extrinſecum motui productiuo caloris, eſt tamen terminus intrinſecus caloris, & eius complementum, in quo verum eſt dicere, nunc eſt calor, vt quatuor, & antea non erat, & id quod dicitur de calore, eſt etiam dicendum de Sacramentis; nam licèt in ſuo fieri habeant eſſe ſucceſſiuum, nihilominus terminantur in aliquo inſtanti extrinſeco quidem motui, intrinſeco tamen Sacramentis; nam verum eſt dicere in tali inſtanti, nunc completum eſt Sacramentum, quod antea completum non erat: Hoc poſito.

18 Probatur concluſio. Tunc debet fieri effectus Sacramenti, quando Sacramentum eſt perfectum, & exiſtit in ratione perfecti Sacramenti, habetque perfectam ſignificationem Sacramentalem; ſed in inſtanti aſſignato ſunt hæc omnia; ergo in tali inſtanti producitur effectus Sacramenti: maior patet: probatur minor, quia in hoc inſtanti Sacramentum eſt perfectum, cum antea non eſſet, neque poſt futurum ſit, item in eodem inſtanti ſubiectum ſupponitur capax, & gratia poſtulat fieri indiuiſibiliter; ergo in eo inſtanti producitur.

19 Obijcies 1. Sacramentum eſt ens ſucceſſiuum: ſed ens ſucceſſiuum non habet inſtans intrinſecum, ſed tantùm extrinſecum ſuæ deſitionis, in quo verum eſt dicere, nunc primò non eſt, immediatè antea erat; ergo non poteſt cauſare gratiam in inſtanti intrinſeco, ſed tantùm extrinſeco.

Reſpondeo Sacramentum dupliciter conſiderari poſſe; vel ſecundùm ſuum fieri, vel ſecundùm eſſe perfectum Sacramenti: primo modo eſt ens ſucceſſiuum, at ſecundo modo eſt in inſtanti; in hoc enim diſtinguitur à motu, quod motus tunc dicitur exiſtere, quando aliquid ipſius factum eſt, & aliquid ſupereſt faciendum: at Sacramentum habet ſuum eſſe perfectum, & hoc eſt in inſtanti, quod inſtans, licèt ſit extrinſecum motui, eſt tamen intrinſecum Sacramẽto conſiderato ſecũdùm eſſe perfectum, vt diximus de calore, vt quatuor in explicatione concluſionis.

20 Obijcies 2. vel omnes partes Sacramenti concurrunt ad producendam gratiam, vel tantùm illud inſtans: Sed in hoc inſtanti partes Sacramenti non poſſunt concurrere, quia non ſunt; neque illud inſtans, cum illud non ſit Sacramentum; ergo in hoc inſtanti nihil poteſt producere gratiam; ergo debet à Sacramentis produci in parte determinata, vel indeterminata.

Reſpondeo omnes partes Sacramenti concurrere per modum vnius ad producendam gratiam; in hoc autem inſtanti, licèt partes Sacramenti non ſint ſecundùm eſſe fluens, & ſucceſſiuum, ſunt tamen ſecundùm eſſe perfectum, & in ratione perfectæ ſignificationis, quare licèt illud inſtans præcisè ſumptum non ſit Sacramentum, eſt tamen complementum Sacramenti, in quo verùm eſt dicere, nunc eſt perfectum Sacramentum, cum antea non eſſet.

21 Obijcies 3. Sacramentum, antea illud inſtans non eſt perfectum; ergo neque poſito inſtanti erit perfectum: probatur conſequentia, quia inſtans additum inſtanti non facit maius.

Reſpondeo, quod licèt hoc inſtans non faciat maius, complet tamen Sacramentum, quemadmodum punctum nõ facit maiorem lineam, complet tamen illam, & terminat; ita hoc inſtans, licèt non faciat maius tempus, aut Sacramentum ſecundùm ſuum eſſe ſucceſſiuum, complet tamen Sacramentum.

22 Di-

Digitized by Google

22 Dices ſi in illo inſtanti vltimo deſineret miniſter, vel aer, in quo deberet recipi ſonus, vel ſubiectum moreretur, adhuc deberet produci gratia; quia verùm eſſet dicere tale ſubiectum recepiſſe Sacramentum, & tamen non eſſet illud inſtans completum; ergo ſignum eſt Sacramentum conferre gratiam in tempore.

Reſpondeo hoc argumentum iam ſupra ſolutum fuiſſe, nunc dico dato tali caſu, qui tamen regulariter loquendo numquam eueniet, gratiam non produci, tum quia ſubiectum non adeſt capax gratiæ, qui eſt tantum homo viuus non mortuus; tum quia falſum eſt, quod tale ſubiectum receperit verum Sacramētum, cum illud non ſit completum, & in eſse perfecto, niſi in tali inſtanti.

23 Obiicies 4. *Si Sacramentum*, vt cauſet gratiam, debet eſse perfectum in eſse ſignificationis, ſequitur, quod nec in tali inſtanti producatur gratia, ſed debeat expectari aliqua morula, vt vera ſignificatio cognoſcatur, & ſic Sacramenta non producent gratiam in illo inſtanti aſſignato, ſed in tempore ſequenti: probatur ſequela; vt verba conſtituant debitam formam nihil debent poſt ſe habere, quo deſtruatur perfectus eorum ſenſus: Sed niſi expectetur aliqua morula non erit perfectus eorum ſenſus; ergo talis morula debet expectari: probatur minor nam ſi quis in matrimonio poſt illa verba: *Accipio te in meam* adderet *famulam* non contraheret matrimonium. Sic ſi in conſecratione poſt illa verba *Hoc eſt corpus meum* adderet *aereum*, non fieret conſecratio, & ſic de ceteris Sacramentis; ergo Sacramenta non producunt gratiam in inſtanti aſſignato, ſed in tempore ſequenti.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem: nego minorem: ad ſecundam probationem dico, quod miniſter, dum profert verba formæ, vel habet intentionem verā faciendi, quod facit Eccleſia, & poſt prolatam vltimam ſyllabam, qua perficitur verus ſenſus mutat intentionem, & addit in matrimonio *famulam* in conſecratione *aereum*, & ſic de alijs, vel dum profert verba formæ habet intentionem ea verba dicendi per iocum, vel propter alium finem contrarium intentioni verę faciendi Sacramentum: Si hoc ſecundum dicatur, certum eſt nullum confici Sacramentum, quia ſine vera intentione non conficitur: Si verò dicatur primum, eo ipſo, quo cōpleta eſt ſignificatio cum vera intentione, Sacramentum eſt perfectum abſque vlla alia expectatione, quare licèt poſtea mutet intentionem, & addat verbum, quod reddat falſam extrinſecè ſignificationem, non redditur nullum Sacramentum, quia cum iam factum ſit, non poteſt reddi infectum, & nullum; eſto poſſit extrinſecè cauſare confuſionem, & æquiuocationem, verùm in re ipſa, & coram Deo, ſi cum vera intentione protulit omnia verba formæ Sacramentum erit factum.

ARTICVLVS VI.

An omnia Sacramenta habeant vim conferendi primam gratiam.

1 GRATIA ſanctificans, de qua hic loquimur, diuiditur cōmuniter à Scholaſticis in primam, & ſecundam: prima gratia illa eſt, quæ primò ponitur in ſubiecto, in quo nullus gradus gratiæ ſanctificantis reperitur: ſecunda verò gratia illa dicitur, quæ aduenit ſubiecto iam grato, & eamdem gratiam auget; & hic quærimus, vtrum omnibus Sacramentis conueniat aliquo modo conferre primam gratiam, vel hanc dare ſolum aliquibus conueniat.

2 Suppono primò. Tamquam certum Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ per ſe, & ex eorum ſpecifica inſtitutione fuiſſe ordinata ad producendam primam gratiam, Baptiſmus quidem ad tollendum originale, & actuale, ſi in ſubiecto, quod baptizatur, adſit; quod patet, tum ex Florentino in decreto vnionis, tum ex Apoſtolo ad Titum 3. vbi dicitur per Baptiſmum nos ſpiritualiter regenerari. vocat enim Apoſtolus Baptiſmum *Lauacrum regenerationis*; Pœnitentia verò ordinatur ad remiſſionem actualium poſt baptiſmum; vt definit Trid. ſeſs. 14. cap. & can. 1. Regenerare verò, & reconciliare non poſsunt ſine prima gratia: Tum quia hæc Sacramenta ad conferendum ſuum effectum tantùm requirunt attritionem, vt de pœnitentia conſtat ex Trid. ſeſs. citat. cap. 4. & idem de baptiſmo dicendum eſt, cum ex eius intrinſeca inſtitutione ſit ordinatum ad delendum peccatum vitæ ſpirituali contrarium; quapropter hæc Sacramenta à Theologis vocantur *Sacramenta mortuorum*, eo quod ſint inſtituta pro illis, qui vita ſpirituali per peccatum carent; cetera verò Sacramenta vocantur *Sacramenta viuorum*, eo quod Chriſtus ea inſtituerit pro illis, qui vitā ſpiritualem gratiæ habebant, & per ſe ſūt ordinata ad augendam gratiam hoc colligitur ex Fiorent. in inſtitutione Armenorum, vbi habetur: *Per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, re-*

nati autem paſcimur Euchariſtiæ alimonia, quod ſi per peccatum in ægritudinem animæ incurrimus per pœnitentiam ſanamur &c. Hoc poſito.

3 Prima ſententia, quam docuerunt Gabriel in 4.diſt.4. quæſt.2. & diſt.14. q. 2. Ocham diſt.4. quęſt.8. vult nullum Sacramentum in adultis cauſare primam gratiam, ſed illam ſupponere, & numquam facere de attrito contritum.

Secunda ſententia eſt Vaſquez 3. par. diſp.205. cap.4. Card. de Lugo de Euchariſt. diſp.12. ſec.1. Gaſparis Hurtadi diſp. 3. diff.4. Villalobos tract.4. diff.7. Bernal. diſput.11. ſec.2. Eſparzę lib.10. quæſt.26. hæc docet Sactamenta viuorum non producere primam gratiam, ſed ſolum Sacramenta mortuorum, nempe Baptiſmum, & Pœnitentiam, & aliqui hoc concedunt etiam Extremæ Vnctioni, non aliis.

Tertia ſententia, quam ſuſtinent D. Thom. infra quæſt.72. Capreolus, & Paludanus in 4. diſtin.9. Nugnus hic quæſt. 62. art.1. diff.2. Cabrera ibidem diſput.2. Ioann. à S. Thom. diſp.24. dub.2. Gonet. diſp.3. ar.5. Suarez diſp.7. ſec.4. Amicus diſp.4. ſec.5. Arriaga diſp.16. ſec.1.2. & 3. Valentia, Auerſa, Granadus, & alij, docet Sacramenta viuorum non producere per ſe primam gratiam, ſed tantùm per accidens, quod ſub alijs terminis aliqui ex Doctoribus enumeratis dicunt, nempe Sacramenta viuorum non producere primam gratiam ex ſpecie ſua athoma, ſed tantùm ſecundùm rationem genericam; Sacramenta verò mortuorum habere per ſe, & ex ſpecie ſua athoma producere primam gratiam, omnibus autem Sacramentis competere aliquo modo procucere primam gratiam, hanc etiam, quo ad Sacramentum Euchariſtiæ docent Scotus in 4. diſt.9. §. *Dicendum.* Petrus Sotus de Euchar. ſect. 12. Vega, Syluester, & alij; de alijs Sacramentis nullam mentionem faciunt.

4 Concluſio prima. Sacramenta viuorum non ſunt per ſe inſtituta, & primariò ad producendam primam gratiam. Probatur; quia de Sacramentis in ordine ad productionem gratiæ, vel primæ, vel ſecundæ in tantum nos poſſumus quidquam decernere, in quantùm hoc habemus ex inſtitutione Chriſtiȷ, cuius voluntas nobis innoteſcit ex ſcripturis, Concilijs, communi ſenſu Eccleſiæ, & Doctorum; nam ſi Chriſtus voluiſſet omnia inſtituere ad producendam primam gratiam, vel ſecūdam, vel vtramq; vtique potuiſſet: ſed ex pluribus ſcripturis, & clarè ex Concilio Florentino in decreto vnionis habemus per Baptiſmum nos renaſci ſpiritualiter, per pœnitentiam ſanari ab ægritudine mortalis, propter quod hæc duo Sacramenta communiter ab Eccleſia, & Doctoribus vocantur Sacramenta mortuorum, per alia verò Sacramenta, vel roborari in fide, quod ſit per Confirmationem, vel paſci ſpiritualiter, quod ſit per Euchariſtiam, vel remitti reliquias peccatorum nempe venialia per Extremam Vnctionem, vel gubernari Eccleſiam, & augeri, quod operantur ordo, & Matrimonium, qui omnes effectus ſupponunt vitam ſpiritualem, vnde etiam dicuntur Sacramenta viuorum; ergo ex his clarè deducimus ex ſua inſtitutione Baptiſmum, & Pœnitentiam fuiſſe per ſe primariò inſtituta ad producendam primam gratiam, & dici proinde Sacramenta mortuorum, alia ad eamdem gratiam augendam, & proinde vocari Sacramentā viuorum.

5 Quod verò aliqua Sacramenta dicantur primariò inſtituta ad producendam primam gratiam, & ſecundariò ad producendam etiam ſecundam, vel dicantur ex ratione ſua ſpecifica inſtituta ad producendam primam gratiam, vt Baptiſmus, & Pœnitentia, aliqua ex ratione ſua generica eſſe inſtituta ad producendam primam gratiam, non ex ratione ſua ſpecifica, vt ſunt reliqua Sacramenta, eſt quæſtio pura de nomine, vt notat Arriaga loc. cit. vnde nullius roboris sũt argumenta, quæ facit Suarez, cum in re conueniat, & ſolùm diſcrepet in modo loquendi, quod ipſe vult Baptiſmum, & Pœnitentiam primariò fuiſſe inſtituta ad producendam primam gratiam, reliqua verò primariò fuiſſe inſtituta ad producendam ſecundam, & ſolùm ſecundariò, & per accidens ad producendam primam; alij verò dicunt Baptiſmum, & Pœnitentiam eſſe inſtituta ſecundum rationem eorum ſpecificam ad producendam primam gratiam: reliqua verò eſſe inſtituta ſecundũ rationē ſpecificā ſolùm ad producēdam ſecundam, & ſecundùm rationem genericam etiam ad primam. Omiſſa igitur hac quæſtione de modo loquendi.

6 Concluſio ſecunda, Omnia Sacramenta habent vim producendi primam gratiam, vel primariò, & per ſe, vt Sacramenta mortuorum, vel ſecundariò, vt per accidens, vt Sacramenta viuorum. Probatur 1. quia omnia Sacramenta habent vim ex inſtitutione ſua conferendi gratiam; ergo etiam habent vim conferendi primam gratiam: probatur antecedens ex Trid. ſeſſ. 7. can.6. vbi habetur: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; anathema ſit:* Probatur modo

Digitized by Google

dò conſequentia, quia ſi quis accedat ad Sacramentum cum peccato habituali inuincibiliter ignorato, putans ſe eſſe in gratia, & cum attritione ſupernaturali, & vniuerſali de omnibus peccatis, hic non ponit obicem, & ex alia parte eſt ſufficienter, & ſupernaturaliter diſpoſitus; ergo recipiet gratiã per quodcumq; Sacramentum; ergo & primam gratiam, cum prima gratia illa ſit, quæ primò ponitur in ſubiecto.

7 Dices primò. Ad hoc vt quis accedat diſpoſitus ad aliquod Sacramentum viuorum, debet accedere cum contritione; ſi autem eſt neceſſe, quod accedat cum contritione, ſequitur, quod numquam producetur prima gratia à Sacramento, & ex opere operato, ſed dabitur ex opere operantis. Sed contra primò, quia Tridentinum requirit tantùm, vt qui accedit ad Sacramentum nõ ponat obicem: ſed qui inuincibiliter nõ cognoſcit aliquod peccatum, ſed exiſtimat nullum peccatum habere, & ex alia parte habet attritionem vniuerſalem, & ſupernaturalem non ponit obicem, & eſt ſupernaturaliter diſpoſitus; ergo ſi recipit Sacramentum, hoc, cum non inueniat obicem, gratiam cauſabit. Contra ſecundò, ſi in dato caſu, quod quis habeat inuincibiliter aliquod peccatum, cum attritione vera, & ſupernaturali adhuc datur obex gratiæ; vel obex eſt ratione actus præteriti, qui moraliter cenſetur durare, vel ratione priuationis gratiæ; in nullo enim alio peccatum habituale conſiſtit, vt dictum fuit in tractatu de vitijs, & peccatis quæſt. 6. art. 1. non poteſt eſſe obex ratione actus præteriti; cum ſufficienter retractetur per attritionem ſupernaturalem in Baptiſmo, & Pœnitẽtia, vt docet Trid. & attritio eſt vera diſpoſitio, & retractatio ſufficiens ad gratiam in talibus Sacramentis; ergo & in alijs; cum attritio tam reſpectu vnius Sacramenti, quam reſpectu alterius ſemper ſit eadem eſſentialiter: neque poteſt obex ex eo, quod peccatum ſit priuatio gratiæ, vti formæ contrariæ: etenim priuatio, vt talis, non eſt obex formæ introducendæ, vt patet de luce, vt lux introducatur in ſubiectũ, tenebræ non ſunt obex, & ſic de alijs priuationibus; ergo ſi peccatum habituale non eſt obex, neque vt actus præteritus moraliter perſeuerans, cum ſit talis actus per attritionem retractatus; neque vt priuatio gratiæ eſt, cum ex alia parte in Sacramentis ſit virtus producendi gratiam, quotieſcumque non eſt obex, ſequitur, quod in tali caſu omnia Sacramenta poſſunt producere primam gratiam.

8 Dices ſecundò. Ex Lugo peccatum inuincibiliter ignoratum, & per attritionem ſupernaturalem retractatũ non eſſe obicem in Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quia hæc Sacramenta ex ſe ſunt inſtituta ad cauſandam primam gratiam, & ad delenda peccata: at Euchariſtia, cum cauſet gratiam per modum nutritionis, & cibi ſpiritualis, ſi ſubiectum eſt per peccatum mortale mortuum, vtique nutriri, & cibari non poteſt; cum mortui non nutriantur, nec cibentur; ergo hoc Sacramentum numquam poterit producere primam gratiam: & idem dicit de alijs Sacramentis viuorum, excepta Extrema Vnctione. Sed contra: quia ex hoc ſequitur tantùm, quod Euchariſtia per ſe primò non ſit inſtituta à Chriſto ad dandam vitam, ſicuti fuere inſtituta Baptiſmus, & Pœnitentia. De reliquo, quod Euchariſtia ſit inſtituta ad dandam gratiam per modum cibi, & nutritionis non officit; nam iſtæ comparationes non ſunt ſemper in omnibus tenendæ; etenim corpus mortuum nullas operationes exercere poteſt, nec habet vim ſe ipſum reducendi de morte ad vitam; anima autem licèt dicatur mortua per peccatum, eo quod careat gratia ſanctificante, non caret tamen fide, & ſpe, & poteſt habere alia auxilia ſupernaturalia, quibus diſponatur ad vitam gratiæ recuperandam, neque ex hac ſimilitudine cibi, & nutritionis quicquam ſolidè probatur, niſi quod Euchariſtia conferat ſuum effectũ dum comeditur; & quod per ſe ex ſua primaria inſtitutione ſupponat vitam, quatenus nemo debet accedere ad Euchariſtiam, niſi exiſtimet ſe eſſe in gratia: Ceterum retorquetur argumentum; nam non minus directè Euchariſtia, & cetera Sacramenta viuorum ſupponunt vitam, quam Baptiſmus, & Pœnitentia illam non ſupponant, ſed ſupponant peccatum: atqui licèt Sacramenta mortuorum ſupponant peccatum, nihilominus ſi inueniant gratiam illam augent; ergo etiam Sacramenta viuorum, licèt ſupponant vitam, nihilominus, ſi quis per attritionem ſit diſpoſitus, & exiſtimet ſe non habere peccatum, dabunt gratiam.

9 Probatur ſecundò concluſio, & magis reijcitur allata Lugi reſponſio. Si Chriſtus dediſſet hanc vim Euchariſtiæ producendi per accidens vitam, ſi illam non inueniſſet in ſubiecto, non obſtante, quod eam inſtituerit per modum cibi, vtique vitam dediſſet, & eſſet cibus viuificans mortuos; & hoc nullo modo poſſunt negari aduerſarij: ſed Chriſtum ſic inſtituiſſe Euchariſtiam colligitur, &

ex

ex Trid. loco cit. ſeſſ.7. can.6. ex D. Auguſtino, qui, vt refert Durandus in 4. diſt.9. quæſt.4. num.7. dixit: *Corpus Chriſti dum manducatur viuificat mortuos*. Ex Diuo Cyrillo Alexandrino lib.4. in Ioan. cap. 14. qui docet, carnem Chriſti manducatam in hoc Sacramento ſuſcitare mortuos, ſicut tactu ſuæ carnis ſuſcitauit filium Viduæ Naim. Ex D. Damaſceno 4. de fide cap.14. qui docet corpus Chriſti in hoc Sacramento habere vim abſtergendi omnem immunditiam. Ex D. Thom. infra quæſt.79. art.3. vbi habet: *Poteſt hoc Sacramentum operari remiſſionem peccatorum dupliciter; vno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicuti cum quis primò iuſtificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali cuius conſcientiam, & affectum non habet, fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus, ſed deuotè, & reuerenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remiſſionem peccati*. Idem docet de confirmatione quæſt.72. art.7. ad 3: & de Extrema vnctione in 4. diſt. 23. quæſt.1. art.2. vbi habet. *Quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum; ideò ex conſequenti ſi inuenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum, dummodò nō ponetur obex ex parte recipientis, ſicuti etiam de Euchariſtia, & confirmatione ſupra dictum eſt*. Ergo verè ex his omnibus deducendum eſt, Chriſtum hoc modo inſtituiſſe Euchariſtiam, vt modo explicato det etiam primam vitam, & primam gratiam, & idem de ceteris Sacramentis viuorum dicendum eſt.

10 Obiicies 1. Sacramenta cauſant illam gratiam, quam continent, & ſignificant ex Trid. ſeſſ.7. & can.6. Sed Sacramenta viuorum nec cōtinent, nec ſignificant primam gratiam; ergo neque illam cauſant: probatur minor: nam gratia, quam ſignificant Sacramenta viuorum, vel eſt per modum corroborationis, vt in Confirmatione, vel per modum nutritionis, & cibi, vt in Euchariſtia, & ſic de ceteris Sacramentis viuorum: Sed corroboratio, refectio &c. ſupponunt iam vitam, & primam gratiam; ergo illam non cauſant.

Reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: Sacramenta viuorum non continent, nec ſignificant primam gratiam primariò, & directè, concedo minorem; ſecundario, & per accidens, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: ad probationem, diſtinguo maiorem: gratia ſanctificans, quam ſignificant Sacramenta viuorum eſt per modum corroborationis, refectionis &c. ſi ſecundùm ſuum eſſe ſimplex conſideretur hæc gratia, nego maiorem; nam ſecundum ſe conſiderata gratia ſanctificans, ſiue, quæ producitur per vnum Sacramentum, ſiue per aliud, ſiue, quæ datur extrà Sacramentum per contritionem, & actum amoris Dei ſuper omnia, ſemper eſt eiuſdem rationis, & remiſſiua peccati, ſi illud inuenit: Si conſideretur ſecundùm eſſe complexum cum ſpecialibus auxilijs: concedo maiorem: diſtinguo poſtea minorem: Sed corroboratio, refectio &c. ſupponunt vitam, vel in priori temporis, vel naturæ, concedo minorem, in priori temporis ſemper; nego minorem, ergo &c. negatur conſequentia; etenim cum corroboratio, refectio &c. proueniant non à gratia ſanctificante, ſed ab auxilijs actualibus, ſufficit ſi in priori natura ſupponatur gratia, & vita, vt dicantur Sacramenta viuorum dare gratiam corroborantem, reficientem &c. etenim potuit Chriſtus inſtituere cibum viuificatiuum, & ſic de alijs Sacramentis; & taliter Chriſtum inſtituiſſe, vt ſecundariò, & per accidens darent etiam primam vitam collegimus ex Concilijs, & Patribus, nec non communi Scholaſticorum, vt ſupra probatum fuit.

11 Dices ex Lugo: ſi Sacramenta viuorum habent cauſare primam gratiā per accidens, vtiq; illam haberent præter intentionem inſtituentis, eo modo, quæ monſtra occurrunt in rerum natura præter intentionem naturæ; cum natura communicauerit virtutem cauſis ſecundis ad ſuos effectus; & cum aliquando ex concurſu contrariorum, & comixtione agentium ſequantur monſtra, hinc eſt, quod non potuit natura communicare vim cauſis ad ſuos effectus, quin etiam illam dederit ad cauſandum monſtra: Sed hoc nō eſt neceſsè reſpectu Chriſti in inſtitutione Sacramentorum; nam ex eo, quod voluerit v. g. Euchariſtiam eſſe nutritiuam, non eſt neceſsè, quod voluerit eam eſſe cauſatiuam gratiæ primæ in aliquo caſu; ergo cū habeamus Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam tamquam refectiuam, & nutritiuam, eam non voluit vt cauſatiuam primæ gratiæ; & ſic de ceteris Sacramentis viuorum.

Reſpondeo cauſare Sacramenta gratiam primam per accidens, eſſe illam cauſare præter intentionem primariam inſtituentis; non tamen præter intentionem ſecundariam; vnde licèt potuerit Chriſtus contrarium ſtatuere ad differentiam naturæ, dum dedit vim ſuis cauſis ad producendos effectus, & monſtra, eo quod natura ſit cauſa operās neceſſariò, Chriſtus liberè Sacramenta inſtitue-

ſtituerit; nihilominùs etiam potuit ſic Sacramenta inſtituere, vt debet concedere Lugus; quod ſic autem huiuſmodi Sacramenta inſtituerit, deducimus probabiliſſimè ex Concilijs, & Patribus ſupra adductis; ideò negatur conſequentia.

12 Obijcies 2. Si conuenit omnibus Sacramentis conferri primam gratiam; maximè quia conueniunt omnia in ratione generica producendi gratiam: ſed quod competit alicui ſecundùm rationem genericam competit per ſe; ergo per ſe omnia Sacramenta deberent conferre primam gratiam, quod tamen eſt contra id, quod ſuperiùs diximus.

Reſpondeo ad maiorem, vt ſupra notatum fuit, poſſe eſſe quæſtionem de nomine, an Sacramenta dicenda ſit productiua gratiæ primæ ſecundùm rationem genericam: quare ad tollendam æquiuocationem dico, eis conuenire ex inſtitutione Chriſti, qui dedit eis virtutem producendi gratiam, vel primam: vel ſecundam: ſi inueniunt in ſubiecto primam, producunt ſecundam; ſi verò in ſubiecto non inueniunt gratiam vllã, producunt primam; cum hac tamen diſparitate, quod Sacramenta viuorum ſunt directè inſtituta ad producendam ſecundam; ſecundariò, & per accidens ad producendam primam, etenim, quod dicunt Lugus, & alij de extrema vnctione, quæ eſt Sacramentum viuorum; & tamen ipſi admittunt, quod habeat virtutem ad producendam primam; ità nos de omnibus Sacramentis viuorum dicimus; Sacramenta verò mortuorum directè, & primariò ſunt inſtituta ad producendam primam; ſi tamen inueniunt gratiam in ſubiecto, etiam producunt ſecundam, quia Sacramenta ſemper producũt gratiam quotieſcumque non eſt obex, qui autem eſt in gratia, certè nullum habet obicem.

13 Dices eſſe diſparitatem de extrema vnctione, & alijs Sacramentis viuorum, quod extrema vnctio eſt ordinata ad delenda peccata, vt patet ex illo Iacob. 5. vbi de hoc Sacramento dicit. *Et ſi in peccatis eſt dimittentur ei*; quod non habemus de alijs Sacramentis; ergo hoc poteſt eſſe inſtitutum ad producendam primam gratiam, non alia Sacramenta viuorum. Sed contra, quia etſi adſit talis auctoritas, nihilominus omnes fatentur eſſe Sacramentum viuorũ, vnde, ſi quis eſt ſui compos, dum vult recipere hoc Sacramentum, & eſſet conſcius peccati mortalis, non poſſet illud licitè recipere, niſi priùs præmitteret pœnitentiam, qua iuſtificaretur; ergo directè illa auctoritas intelligitur ſolùm de peccatis venialibus, ad quæ delend inſtitutum hoc Sacramentum; nihilominus quamuis ex ſua prima inſtitutione habeat tantùm dare ſecund. gratiam, fatetur Lugus cum alijs poſſe per accidens producere primam; ergo eodem modo illud, quod iſti auctores dicunt de extrema vnctione, nos probabiliſſimè de alijs Sacramentis dicere poſſumus.

14 Obijces 3. Si omnia Sacramenta haberent vim producendi primam gratiam, ſequeretur omnia poſſe aſſumi ex intentione remittendi mortale cognitũ vt tale, ſaltèm quando non poſſet applicari Sacramentum pœnitentiæ: ſed hoc eſt falſum; ergo & vnde ſequitur.

Reſpondeo negando ſequelam; nam vt aliquod Sacramentum poſſit aſſumi ad remiſſionem mortalis cogniti, debet eſſe directè inſtitutum, & principalitèr ad delendum mortale, non ſecundariò, & per accidens; nam hoc pacto ſolùm ob ignorantiam inuincibilem poteſt frequentari, imò etiamſi quis per ſuſceptionem alicuius Sacramenti viuorum fuiſſet iuſtificatus, & de hoc eſſet certus etiam per reuelationem, ſi poſtea recordaretur, ſe ante ſuſceptionem illius Sacramenti fuiſſe in peccato mortali, deberet illud confiteri, nam deletum fuit in ordine ad pœnitentiam, quæ in voto includitur in attritione.

15 Dices Extrema vnctio, quando non poteſt applicari Sacramentum Pœnitentiæ aſſumitur ex intentione delendi mortale, & Parochus licèt non poſſit dare abſolutionem moribundo, ſi nulla ſigna dedit, aut ſi vult illam dare, tantùm ſub conditione poſſet dare, non abſolutè, nihilominùs tenetur dare abſolutè Sacramentum extremæ vnctionis; ergo ſaltèm hoc Sacramentum poteſt directè recipi, & applicari ex intentione delendi mortale.

Reſpondeo, quod diſparitas, cur Parochus teneatur dare Sacramentum extremæ vnctionis moribundo, qui nulla ſigna dedit, non poſſit autem dari illi abſolutionem, eſſe manifeſtam; eſt autem, quia ad conficiendum aliquod Sacramentum requiritur materia proxima, & forma, & cùm actus pœnitentis noti Sacerdoti tamquam Iudici ſint materia proxima Sacramenti pœnitentiæ; ſi non adeſt hæc materia, nec forma poni licitè poteſt; an verò ſaltem ſub conditione poſſit dari, aliqui affirmant, & de hoc infra de pœnitentia: pro Extrema vnctione verò adeſt materia, forma, & intentio, & ideò abſolutè debet dari Sacramentum; Non ſequitur tamen, quod hoc Sacramentum poſſit directè

Cur debeat dari abſolutè extrema vnctio illi, qui nulla ſigna dedit; non poſſit autẽ dari abſolutio.

Digitized by Google

rectè aſſumi ad delendum mortale; nam ſi recipiens illud eſſet in ſtatu, quod poſſit elicere actum contritionis, deberet illum præmittere, imò in tali articulo priùs confiteri, ſi poſſet: Eccleſia autem abſolutè illud Sacramentum dat, vt omni meliori modo, quo poteſt, prouideat ſaluti æternæ morientis; etenim præſumitur in tali articulo, quod quilibet eliciat actum contritionis; ſecundò poteſt eſſe, quod talis moribundus ſit in gratia, & quod ſolùm indigeat delere reliquias peccatorum; & tertiò, quia iudicat probabilem ſentētiam noſtram, quod Sacramenta etiam viuorum poſſint producere primam gratiam, quando quis eſt attritus ſupernaturalitèr, nec Sacramenta ad dandam primam gratiā directè inſtituta poteſt recipere.

16 Obijcies 4. Qui meretur augmētum gratiæ non poteſt mereri primam gratiam; ergo nec Sacramentum, quod eſt ordinatum ad cauſandum augmentum gratiæ, poteſt cauſare primam gratiam.

Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia ad meritum neceſſariò requiritur gratia habitualis in ſubiecto, non ſic vt Sacramentum poſsit producere primam gratiam; nam quod poſſit producere, non pendet à gratia præexiſtente in ſubiecto, ſed ab eleuatione Dei concurrentis. Ideò, &c.

ARTICVLVS VII.

An gratia Sacramentalis ſit diuerſa ab habituali, & in quo conſiſtat.

1 DVm quis iuſtificatur ſiue in Sacramentis, ſiue extra, certum eſt, quod non ſolùm recipit gratiam ſanctificantem, ſed etiam recipit alios habitus ſupernaturales, & quod ſimul recipiat fidem, ſpem, & charitatem definitum eſt in Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi habetur. *Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem*. Quod autem etiam ſimul infundantur virtutes morales, & dona, licèt aliqui negent, diximus de virtutibus in cōmuni; vnde non eſt opus eadem iterum repetere, & de hoc non eſt quæſtio in hoc loco; Sed difficultas eſt, an quādo aliquis iuſtificatur in Sacramentis recipiat aliquid, quod nō recipiat, dum iuſtificatur extrà Sacramentum, & dum recipit vnum Sacramentum diuerſam gratiam recipiat, ac quando aliud Sacramentum recipit; & in quo conſiſtat hæc diuerſitas, an ſit gratia ſpecie diuerſa, vel habitus diuerſus, vel aliquid aliud.

Status quæſtionis.

2 D. Bonauentura, Richardus, & Gabriel vt refert Gonet. *diſp. 3. art. 4.* volunt gratiam Sacramentalem differre ſolùm ab habituali per denominationem extrinſecam, quatenùs talis gratia eſt producta per Sacramenta ſimul cum Deo, gratia verò habitualis producatur à ſolo Deo.

Paludanus in 4. diſt. 2. qu. 3. & Aureolus diſt. 1. qu. 3. art. 4. volunt gratiam Sacramentalem addere gratiæ ſanctificanti habitum quemdam diſtinctum iuuantem ad proprios cuiuſcumque Sacramenti effectus.

Nugnus hic quæſt. 62. art. 2. Cabrera ibidem diſp. 1. Ioan. à S. Tho. diſp. 24. art. 2. Serra, Martinez à Prado, & aliqui alij volunt eſſe eumdem habitum realitèr, ſed formalitèr, ſeù modalitèr diſtinctum à gratia habituali.

Communis denique ſententia, quæ eſt D. Tho. hic quæſt. 62. art. 2. in corpore, Caiet. Syluij, & plurium Thomiſtarum ibidem, Gonet loco ſupra citato, Suarez hìc diſp. 7. ſect. 4. Vaſquez q. 62. art. 2. Lugi diſp. 4. ſect. 3. Arriagæ diſ. 16. ſect. 2. Amici diſput. 4. ſect. 3. Eſparzæ lib. 10. quæſt. 28. & plurium aliorum, docet, gratiam Sacramentalem differre ab habituali ob diuerſa auxilia diuina, quæ debentur tali gratiæ in opportunis occaſionibus ad finem Sacramenti obtinendum.

3 Concluſio 1. Gratia Sacramentalis differt aliquo modo à gratia communi virtutum. In hac concluſione omnes conueniunt, & eſt certa inter Theologos, & colligitur ex Florent. in inſtructione Armenorum, vbi diuerſos effectus tribuit Baptiſmo, ac alijs Sacramentis. Et ratione probatur, quia ſi omnia Sacramenta eumdem gratię effectum conferrent, plura ſequerentur abſurda; nam primò omnia eſſent paria, & nullum eſſet alio dignius; ſecundò Sacramenta formalitèr inter ſe non differrent, ſed ſolùm in ritu: tertiò quędam Sacramenta non eſſent magis neceſſaria, quam alia: quartò non eſſet ratio aliqua, cur omnia non poſſent iterari: quintò quia fruſtrà tot fuiſſent inſtituta, ſi gratia, quæ poteſt haberi per vnum, poſſet etiā haberi per quodcumque aliud, quæ omnia repugnant Trid. ſeſs. 7. can. 3. & 9. fatendum igitur eſt, gratiam Sacramentalem ab habituali aliquo modo eſſe diuerſam.

4 Concluſio 2. Gratia Sacramentalis non differt à gratia habituali per habitum ſuperadditum, ſed differt realitèr

Digitized by Google

tèr inadæquatè, quia eſt complexum ex habituali, & auxilijs, quæ debito tempore dantur. Probatur prima pars, quia iſte habitus eſt ſuperfluus: ergo non datur; probatur antecedens; nam vel datur ad ſanctificandum,& hoc non; quia ſanctificatio fit per gratiam habitualem;vel ob ſpeciales fines Sacramentorum; & ad hoc etiam non eſt neceſſarius iſte habitus, cum ad quoſcumque ſpeciales fines ſufficiant actus virtutum, non enim eſt excogitabilis aliquis actus, ad quem non ſufficiat aliqua virtus.

5 Probatur modò ſecunda pars: gratia ſacramentalis datur ad obtinendos fines, propter quos inſtituta ſunt Sacramenta: Sed actualitèr numquam obtinerentur iſti fines, niſi adderentur auxilia actualia Dei conducentia ad hos fines; ergo gratia ſacramentalis non tantùm debet includere gratiam ſanctificantem. & virtutes, ſed etiam auxilia actualia Dei: maior patet: probatur minor; nam vt aliquis iuſtus eliciat actum bonum,& meritorium non ſufficit, ſi in ſe habeat gratiam ſanctificantem, & habitus virtutum, ſed inſuper debet habere auxilia actualia, quibus in operando ſubordinetur Deo, ſecus numquam operabitur; ergo etiam, vt aliquis obtineat fines ſpeciales Sacramentorum nō ſufficit, ſi habeat gratiam ſanctificantem, & habitus virtutum, ſed debet etiam habere auxilia actualia, quibus fines ipſos conſequatur; Sacramenta ergo, dum aliquem ſanctificant, non ſolùm infundunt gratiam, & virtutes in ſuſcipiente Sacramētum, ſed etiam dant ius quoddam morale recipienti, ratione cuius exigit vt in tempore opportuno dentur illa auxilia ad hoc, vt obtineantur peculiares fines Sacramentorum.

6 Huiuſmodi porro auxilia ſpecialia aliquando dantur, vel in tempore, quo ſuſcipitur Sacramentum, vel in tempore, quod magis expedit ſuſcipienti, & quando ſuſcipitur fructuosè Sacramentum, ſemper datur hoc ius morale ad hæc auxilia: Siue modò hæc auxilia actualia conſiſtant in illuminatione intellectus, ſiue in motionibus voluntatis, ſiue ſpectent ad gratiam excitantem, ſiue adiuuantem, ſiue in remotione impedimentorum, puta occaſionum peccandi, vel ſimilium. Et ſic patet quomodo intelligi debeat id, quod definit Florentinum, nempè ab omnibus Sacramentis conferri gratiam,ita tamen, vt per ſingula Sacramenta homo diuerſimodè iuſtificetur; hoc enim fit, quia vltra gratiam habitualem, & virtutes, quæ dantur in omnibus Sacramentis, dantur etiam diuerſa peculiaria auxilia in opportunis occaſionibus, & maiora, quam eſſent illa, quæ dantur à Deo ſine Sacramentis, & in gratia habituali per Sacramenta producta eſt ius morale ſpeciale ad hæc vberiora auxilia.

7 Vnde gratia ſacramentalis Baptiſmi eſt complexum ex gratia habituali, & iure morali ad ſpecialia auxilia à Deo danda ad minuendum fomitem concupiſcentiæ, & ad faciliùs obſeruanda præcepta; per Baptiſmum enim non ſolùm efficimur debitores fidei, ſed vniuerſæ legis ſeruandæ, ex Trid. ſeſſ.7. cap.7. In Confirmatione gratia ſacramentalis eſt habitualis, vt habet ius ad ſpeciale auxilium in opportunis occaſionibus dandum, quo fidem conſtanter quis teneat, & profiteatur: In Pœnitentia erit complexum ex gratia habituali, & iure ad copioſiora auxilia ad facilius deteſtanda peccata, ad fugiendas occaſiones, & ad plenius pro peccatis ſatisfaciendum: In Euchariſtia eadem gratia habet ius ad peculiaria auxilia, quibus homo præſeruatur à peccatis ex Trid. ſeſſ. 13. cap.2. & ad faciliùs præſtandos varios actus virtutum, quibus anima nutritur; idem dicendum de fide coniugali, & caſtitate reſpectu matrimonij, de victoria tentationum in articulo mortis reſpectu extremæ vnctionis, ac demùm de debita adminiſtratione Sacramentorum ex vi gratiæ Sacramenti ordinis. Ex quibus conſtat, quomodo inadæquatè diſtinguatur ab habituali, & quomodo etiam ipſæ Sacramentales gratiæ inadæquatè diſtinguantur, quia nimirum quodlibet Sacramentum vltra habitualem includit ius ſemper ad diuerſa peculiaria auxilia.

8 Obijcies 1. Quidquid obtinetur in Sacramento, poteſt obtineri extrà Sacramentum ex opere operantis; ergo gratia ſacramentalis differt ab alia, quę poſſet obtineri extra Sacramentum per ſolam denominationem extrinſecam,quia Sacramentalis obtinetur à Sacramentis, alia à ſolo Deo.

Reſpondeo falſum eſſe antecedens, ſi abſolutè intelligatur de omnibus Sacramentis; nam gratia habitualis baptiſmi, & pœnitentię non poteſt haberi ſiue his Sacramentis, vel in re, vel in voto; item character non poteſt haberi ſiue actuali ſuſceptione Sacramentorum: tandem peculiaria auxilia, licèt abſolutè poſſint haberi, vt ſi quis non confirmatus in tempore proteſtandæ fidei peteret auxilium à Deo, obtineretur, & ſic de alijs, nihilominus ex vi gratiæ datæ per Sacramenta homo habet ius ad talia auxilia, & dantur copioſiora, quam dentur extra Sacramentum. Ideò &c.

9 Obijcies 2. Gratia ſacramentalis

Mm addit

Digitized by Google

addit aliquid gratiæ habituali, vt diximus: ſed hoc aliquid additum non poteſt eſſe auxilium actuale Dei; ergo erit aliquid habituale: probatur minor, nam hoc additum debet fieri à Sacramento, dum ipſum eſt: Sed auxilium actuale datur aliquando tranſacto Sacramento; ergo non poterit eſſe effectus Sacramenti; & conſequenter gratia habitualis includet aliquid habituale pro opportunitatibus in ordine ad effectus Sacramentorum.

Reſpondeo ad minorem, hoc additum non eſſe præcisè auxilium actuale Dei, ſed inſuper eſſe ius morale fundatum in gratia habituali per Sacramenta producta ad auxilia diuina obtinenda in occaſionibus opportunis: vnde ad probationem dico, hoc additum debere fieri à Sacramentis phyſicè in radice, & fundamento, quatenùs efficiũt gratiam, quæ habet ius ad peculiaria auxilia: actualitèr verò tale additum non fit à Sacramentis phyſicè, ſed tantùm moralitèr in opportunis occaſionibus; nam dantur à Deo iſta peculiaria auxilia vi gratiæ habitualis Sacramenti tranſacti.

10 Obiicies 3. Gratia habitualis, dona, & virtutes, vel ſufficiunt ad proprios Sacramentorum effectus, vel non ſufficiunt: Si primum; ergo fruſtrà ponuntur alia auxilia: Si ſecundum; ergo quæ præſtantur per talia auxilia, conuenientius præſtabuntur per habitum ſuperadditum: conſequentia patet, quia connaturalius eſt operari per habitum intrinſecum, quam per auxilia extrinſeca.

Reſpondeo gratiam, virtutes, & dona ſufficere inadæquatè, non adæquatè; nam, vt habeantur proprij Sacramentorum effectus, debet homo cooperari, ad cooperandum verò, non ſolùm requiruntur gratia intrinſeca, & virtutes, ſed etiam requiruntur actualia auxilia Dei, quæ licèt poſſint dari etiam extra Sacramentum in multis occaſionibus; nihilominus gratia habitualis, quæ obtinetur extra Sacramentum non habet ius ad peculiaria, & copioſiora auxilia, ſicuti habet illa, quæ datur vi Sacramenti, nec ordinatur ad proprios fines Sacramentorum, ſicuti ſacramentalis, neque enim gratia, quæ habetur extra Sacramenta ordinatur ad rectè adminiſtrãda Sacramenta, & ad peculiares fines Sacramentorum, ſicuti ſacramentalis: inſuper multoties non poſſunt obtineri fines Sacramentorum ſine aliquo extrinſeco, deberet enim obtineri per illuminationes, excitationes, & per remotionem impedimentorum, quæ ſunt quid extrinſecum: per quod patet ad argumentum: fateor enim eſſe connaturalius operari per aliquid intrinſecum, quam ſine: verùm nos hoc non aſſerimus; nam homo per gratiam, & virtutes eſt intrinſecè potens, ſed vltra intrinſeca requiruntur etiam auxilia actualia, vt explicatum fuit.

11 Obiicies 4. Hæc auxilia à Sacramentis collata, vel ſunt ſufficientia tantùm, vel efficacia; Si primum dicatur, iſta auxilia conferuntur etiam omnibus extra Sacramenta: Si ſecundum, ſequitur, quod nullus accedens ritè diſpoſitus ad aliquod Sacramentum vmquam deflecteret à fine Sacramenti, quod eſt falſum, vt patet in recidiuis poſt iteratas confeſſiones.

Reſpondeo hæc auxilia à Sacramentis collata aliquando eſſe efficacia, aliquando ſufficientia; hoc enim pendet à libera volũtate diuina diuerſimodè prædeſtinante, eligente, & vocante. Quod verò detur gratia efficax potiùs, quam ſufficiens, vel è contra nulla poteſt aſſignari ratio, niſi illa Chriſti. *Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te* Matth. 11. quocumque modo tamen dentur hæc auxilia, in gratia habituali, quæ datur extra Sacramenta non eſt ius ad illa habenda; ſicuti eſt in ſacramentali, quæ habet ius ad illa, & ad illa copioſiora, & abundantiora.

ARTICVLVS VIII.

Quanam diſpoſitio requiratur, vt Sacramenta conferant gratiam.

1 HÆc quæſtio tractatur communitèr à Doctoribus agẽtibus de Sacramentis in particulari, nihilominus, cum etiam hic quamplures Scholaſtici tractent eamdem in genere, non abs re erit de ea nonnulla ſaltèm generatìm definire, & poteſt eſſe quæſtio, tùm de diſpoſitionibus requiſitis ad recipienda Sacramenta mortuorum, tùm ad Sacramenta viuorum.

2 Certum in primis eſt Sacramenta ſemper conferre gratiam non ponentibus obicem, hoc colligitur ex Trident. ſeſſ. 7. can. 6. definiente. *Si quis dixerit gratiam ipſam non ponentibus obicem non cõferre; anathema ſit.* Et can. 7. *Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantùm eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit.* Et hanc gratiam ſimul cum omnibus donis, & auxilijs conferunt ex opere operato; nam duplicitèr aliquis poteſt conſequi gratiam, primò ex opere operantis per actũ ſcilicèt proprium, & meritorium: ſecundò

cundò

Digitized by Google

cundò non ex vi proprij actus, ſed vi ſigni externi à Chriſto inſtituti, vt quotieſcumque quis vtitur tali ſigno, conſequatur gratiam; quod idem eſt ac dicere vi Sacramenti, in quo applicantur nobis merita operata à Chriſto; Sacramenta igitur noſtra conferunt gratiam, & dona nobis ex opere operato, vt definitum eſt in Trid. ſeſſ.7. can.8. vbi habetur. *Si quis dixerit per ipſa noua legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam; anathema ſit*. Conferri autem gratiam ex opere operato contradiſtinguitur à modo conferendi gratiam ex opere operantis per actum proprium, & meritorium, & à modo, quo per Sacramenta antiqua dabatur gratia, ipſa enim erant tantùm ſigna, quibus poſitis, intuitu meritorum Chriſti futuri dabatur gratia à Deo ex ſui promiſſione, nec ipſa erant cauſæ gratiæ, vnde per illa Sacramenta dabatur gratia ad modum operis operati, & ex opere operando; at noſtra ſunt cauſæ gratiæ, per quæ applicantur nobis merita Chriſti Domini operata. Hoc poſito, cum certum ſit gratiam ſemper conferri non ponentibus obicem, vidēdum eſt, quid ſit obex, & quænam diſpoſitio requiratur, vt detur gratia.

3 Certum ſecundò eſt, in infantibus, & in perpetuò amentibus nullam requiri diſpoſitionem, vt eis remittatur originale per Baptiſmum, quidquid in contrarium dicant hæretici noſtri temporis; ſicuti enim originale non fuit propria voluntate contractum, ita Deus in iſtis nullam exigit propriam diſpoſitionem pro remiſſione originalis.

4 Certum eſt tertiò, obicem gratiæ eſſe duplicem, nimirum poſitiuum, & negatiuum: obex poſitiuus eſt peccatum mortale, ſiue actuale, ſiue habituale: obex negatiuus eſt negatio diſpoſitionis requiſitæ ad hoc, vt infundatur gratia, & peccatum remittatur. Quare primò videbimus de diſpoſitione requiſita in adultis ad dignè, & fructuosè recipiendum Sacramenta mortuorum, deinde de diſpoſitione requiſita ad recipienda Sacramenta viuorum.

5 Prima ſententia docet in adultis peccato mortali infectis requiri perfectam contritionem ad hoc, vt Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ conferant ipſis gratiam. Ita Magiſt. in 4.diſtin.14. Alenſ. Ocham, Argent. Gabriel, Capreolus, Ioann. Medina de confeſſ. quæſt.38. & plures alij antiqui, quam opinionem apud antiquos aſſerit Gabriel fuiſſe cōmunem. Alij requirunt contritionem faltem probabiliter putatam. Sic Cordub. lib.1. theol. quæſt. quæſt.2. §. quarto. Nauarr in ſumm. cap.1. nu.39. Vega lib. 13. in Trid. cap.33. Sotus in 4. diſt.6. q 1. art. 7. & alibi; qui tamen loquitur tantùm de Sacramento Pœnitentiæ; nam de Baptiſmo dicit, ſufficere attritionem.

Secunda communis ſententia docet ſufficere attritionem ſupernaturalem, etiam ſi non putetur contritio, ſed vt attritio cognoſcatur. Sic D. Thom. hic, quæſt.68. ar.4. Nugnez hic quæſt.62. art. 1. diff.3. Ioann. à S. Thom. diſpur. 24. ar. 1. dub.3. Scotus in 4. diſt.14. quæſt 4. ar. 1. & alibi, & Scotiſtæ communiter, Suarez hic diſp.7. ſec.4. & diſput.28. ſec.2. Vaſquez diſp.158. cap. 4. Amicus diſput.4. ſec.4. Lugus diſp.9. ſec.1. Arriaga diſput. 10. ſec.4. ſubſec.1. Eſparza lib.10. quæſt. 33. & communiter nunc omnes fere alij Doctores.

6 Concluſio prima. In adultis accedentibus ad Sacramenta mortuorum, ſi peccata mortalia actualia, vel habitualia habent, vt recipiant gratiam debent habere attritionem ſupernaturalem, quæ ſufficiens eſt. Dixi, ſi adultus cōmiſit aliquod peccatum mortale; nā data ſentētia, quod poſſit dari adultus cū ſolo originali, vt dictum fuit in tractatu de Peccatis q.4. art.8. Sicuti peccatum originale nō contrahitur per proprium actum, ita neque debet per proprium actum expelli, ſed in tali caſu ſufficiet voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, & actus fidei, & ſpei. Sicuti dicitur Marc. vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et ratio quare iſta voluntas requiratur eſt, quia cum nullus adultus iuſtificari poſſit ſine fide, & ſpe, vt de fide diximus, & etiam in tractatu de gratia; & cum per Baptiſmum fiat debitor vniuerſæ legis ſeruandæ, vtique vt ſubeat hanc obligationem propria voluntas requiritur, qua velit Baptiſmum ſuſcipere, non requiritur autem retractatio peccati originalis, quia illud propria voluntate non cōmiſit, raró tamen accidere poteſt hic caſus; nam fere ſemper adultus, qui ab originali non iuſtificatur, labitur in mortale, vt dictum eſt de gratia.

7 Probatur modò concluſio ex ſcriptura Actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum.* Vnde Trident. ſeſſ.6. cap.6. docet hominem diſponi ad Baptiſmum per fidem, ſpem, & pœnitentiam; quænam vero ſit hæc pœnitentia, quæ eſt ſufficiens diſpoſitio, docet idem Trid. ſeſſ.14. cap.4. dicens: *Quòd quamuis* (nempe contritio imperfecta, de qua ſupra locutum fuerat) *ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetran-*

Digitized by Google

ſine actuali diſtractione; probatur, quia hæc gratia ſacramentalis conſiſtit in ſanctis cogitationibus, & piis affectibus immiſſis à Deo per Sacramenta; ſed actualis diſtractio impedit has motiones immiſſas in intellectum, & voluntatem; ergo impedit gratiam ſacramentalem; minor patet;nam cum intellectus,& voluntas nequeant perfectè attendere ad plura, ſi occupantur in voluntarijs diſtractionibus, & mentis euagationibus, vtique non erunt capaces recipiendi motiones illas, & illuminationes diuinas. Vnde D. Auguſt, lib. 50. Homil. Homilia 50. cap. 3. de peccatis venialibus dicit, quod *Velut ſcabies noſtrorum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filijs hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent.*

14 Requirunt ergo per ſe Sacramenta viuorum gratiam in ſubiecto, vt augmentum gratiæ conferant; & quod quis accedat ſine actuali diſtractione, vt gratiam ſacramentalem conferant, vt quis verò poſſit accedere ad Sacramenta viuorum licitè requiritur reſpectu Euchariſtiæ actualis confeſſio peccati mortalis, ſi adſit copia Confeſſarij, vt expreſsè definit Trid.ſeſſ.13.can.11. reſpectu aliorum Sacramentorum requiritur, quod quis ſe conſtituat in gratia ſaltem per contritionem. Sic communiter Doctores. Dixi per ſe; nam quomodo per accidens poſſint Sacramenta viuorum producere primam gratiam dictum eſt ſuperius.

15 Obijcies primò. Nullus actus peccaminoſus poteſt eſſe ratio augendi gratiam: ſed accedere ad Sacramenta cum actuali diſtractione eſt actus peccaminoſus; ergo non poteſt eſſe ratio augendi gratiam.

Reſpondeo concedendo totum argumentum, neque enim actus ille peccaminoſus eſt ratio dandi gratiam, ſed eſt ratio, & obex impediens gratiam ſacramentalem; ratio verò cur detur augmentum gratiæ, eſt ſtatus gratiæ, qui eſt in tali ſubiecto, & efficacia Sacramenti.

16 Obijcies ſecundò. Cibus naturalis non nutrit viuens, niſi ipſum viuens calore ſuo naturali agat in cibum; ergo nec cibus ſpiritualis Sacramenti Euchariſtiæ nutrit hominem,niſi homo calore ſupernaturali charitatis agat in ipſum.

Reſpondeo negando cõſequentiam: diſparitas eſt, quia cibus materialis, vt nutriat,debet conuerti in ipſum viuens, & ideò debet viuens agere in ipſum; at cibus ſpiritualis Sacramenti potius conuertit nos in ipſum, & agit in nos producendo augmentum gratiæ in nobis.

17 Obijcies tertiò. Sequitur ex noſtra ſententia tot Sacerdotes quotidiè celebrantes, ſed tepidè plus conſequi gratiæ, quam ſanctiſſimi viri conſequanutr in exercitijs ſpiritualibus; ſed hoc eſt contra experientiam; nam cum gratia ſit operatiua deberent quotidiè euadere feruentiores.

Reſpondeo hanc comparationem nos non poſſe cum ſolido fundamento facere, quia neſcimus quanta gratia conferatur per Sacramentum, & quanta conferatur per actus intenſos virtutum; cum hoc tamen ſtat, quod Sacerdotes tepidè celebrantes gratiam recipiant; quod verò feruentiores non euadant, nihil obeſt, quia ipſa per ſe non eſt operatiua ſine auxilijs, & motionibus actualibus, quas Sacerdos non recipit, ſi diſtractè accedat.

18 Quæres primò, An dari poſſit caſus, quod quis licitè poſſit accedere ad Sacramentum viuorum cum mortali peccato cognito.

Vaſquez de Euch. diſp.207. cap.1. & Lugus diſput.9.de Sacram.ſect.1.docent aliquando poſſe euenire caſum, quod quis licitè accedat ad Euchariſtiam cum peccato mortali cognito,vt ſi quis in altari recordetur peccati cõmiſſi,& ita arctetur anguſtijs temporis, vt non poſſit attendere ad eliciendum actum contritionis, niſi ceſſando à ſacrificio inchoato cum ſui honoris diſpendio,tunc dicit poſſe licitè conſumare, & Euchariſtiam ſumere ſine peccato,quamuis talis ſumptio eſſet etiam ſine fructu.

Reſpondeo cum Suarez è contra infra diſp.62.ſec.5. & Arriaga hic diſp.10. ſec.4.nu.60.qui ſuſtinent talem non poſſe licitè ſuſcipere Sacramentum,niſi eliciat actum contritionis, ſicuti enim, ſi tali eſſet denunciata mors imminens,teneretur elicere actum contritionis, ſecus talem actum omittendo denuo peccaret, ita etiam antequam ſumat Sacramentum, debet elicere contritionem, ſemper enim gratia eſt parata, & per ipſum ſtabit, niſi eliciat; neque vllum diſpendium poteſt eſſe honoris, ſi vt eliciat actum contritionis, & ad eum ſe præparet, aliquantulum moretur in Miſſa, potius enim acquiret nomen deuoti, aut ad ſummum ſcrupuloſi, quæ non eſt nota, quæ vllo modo præponderet. Dato tamen caſu, quod ille faciat quantum poteſt, & quod nihilominus iudicet ſe nullo modo habere contritionem, quod moraliter exiſtimo impoſſibile, & etiam iudicet ſe habere non poſſe attritionem, in tali caſu dico, poſſe communicare; quia magis obligat perfectio ſacrificij, quam debitum ad Sa-

cra-

Digitized by Google

cramentum accedendi ſine peccato;qui caſus admitti non poteſt in ijs, qui non celebrant, & volunt communicare, aut alia Sacramenta ſuſcipere; quia in aliis caſibus numquam datur hæc neceſſitas, vt de ſe patet.

ARTICVLVS IX.

An Sacramenta æqualiter diſpoſitis æqualem conferant gratiam.

1 SAcramenta noſtra maiorem gratiam conferre, quam Sacramenta antiquæ legis certum eſt inter Theologos, tum quia hoc conuenit inſtitutioni Sacramentorum factæ à Chriſto, tum quia noſtra ſunt cauſæ gratiæ, quod non conuenit antiquis, vnde etiã propter hanc rationem vocantur ab Apoſtolo egena, & vacua,& ita tradunt communiter Patres, & Doctores. Certum inſuper eſt Sacramenta nouæ legis, ſi inter ſe comparentur, aliqua eſſe alijs digniora,vt definitum eſt in Trid. ſeſſ.7. can.2. & ſeſſ.13. can.1.2. & 3. præfertur Euchariſtia ceteris, eo quod contineat Chriſtum; ex quo probabiliter deducitur, quod Sacramenta nobiliora etiam maiorem conferant gratiam; vnde ſi duo ſint æqualiter diſpoſiti, & vnus accedat ad Euchariſtiam, alius ad Confirmationem, maiorem recipiet gratiam, qui accedit ad Euchariſtiam, quam qui accedit ad Confirmationem,quanta autem ſit gratia maior, quæ debetur per vnum Sacramèntum, & non per aliud res omnino incerta eſt dependens à voluntate Dei, de qua nihil nobis innoteſcit. Quare dubium eſt, an idem Sacramentum in ſpecie,v.g.Euchariſtiæ,ſi recipiatur a duobus cum æquali diſpoſitione, æqualem eis conferat gratiam; ſecundò: an idem Sacramentum in ſpecie, ſi recipiatur à duobus,ſed inæqualiter diſpoſitis; inæqualem gratiam conferat ex opere operato, an verò ex opere operato ſemper eamdem conferat.

2 Paludanus in 4. diſt. 4. quæſt. 1. Maio. & Gabriel quæſt.2.vidētur docere idem Sacramentum conferre diuerſam gratiam æqualiter diſpoſitis, eo quod vnus prædeſtinatus ſit ad maiorem gloriam, quam alius; tribuitur etiam Scoto in 4. diſt. 4. quæſt. 7. & Caiet. q. 64. art.1. ſed verè Caietanus de hac quæſtione non loquitur, & dicit ſolùm orationes miniſtri poſſe impetrare gratiam illi, qui recipit Sacramentum, ſicuti enim poteſt aliquis iuſtus impetrare gratiam alteri, ita & miniſter, cum non ſit deterioris conditionis, quia ſit miniſter, nec loquitur Caietanus de gratia, quæ producitur per Sacramenta; & ſic etiam ſenſiſſe Scotum explicat Herincx diſp. 4. q.3.n.34.

D. Thom. infra quæſt. 69. art. 8. Nugnus q.62. art.1. diff.4. Ioan. à. S.Thom. diſp.24. art.1. dub.4. Syluius q. 69. art.8. Suarez diſp.7. ſec. 5. Lugus diſp.6. ſec.2. Amicus diſp. 4. ſec. 6. Arriaga diſp.10. ſec.4. ſubſec.2.Ezparza lib.10. quæſt.27. & communique Doctores volunt Sacramenta eiuſdem ſpeciei æqualiter diſpoſitis æqualem conferre gratiam inæqualiter verò diſpoſitis inæqualem ex opere operato.

3 Concluſio 1. Sacramenta eiuſdem ſpeciei ſemper habent æqualem effectum in ſubiecto æqualiter diſpoſito. Eſt communis, & expreſsè D. Cypriani epiſt.59. vbi loquens. de Baptiſmo dicit. *Habere apud omnes homines curam diuini muneris æqualitatem*. Id deducitur etiam ex Trid. ſeſs.7. can.7.vbi definitur Sacramentum, quantùm eſt ex parte Dei, ſemper producere gratiam; ergo ſignum eſt, quod Chriſtus determinauit quantam gratiam debeat recipere puer, qui ſine vlla diſpoſitione baptizatur, vnde ſi nulla eſt diuerſitas ex parte ſuſcipientis, vt ſunt duo pueri, qui baptizentur, nec etiam erit diuerſitas in gratia; & ratio huius, eſt Chriſti Domini voluntas; cum potuerit aliter ſtatuere, innoteſcit autem nobis hæc Chriſti voluntas per communem conſenſum Eccleſiæ. Poteſt tamen hæc concluſio ſequenti ratione aliquo modo confirmari. Quando Deus concurrit præcisè ob exigentiam cauſæ ſecundæ, etiam inſtrumentalis, non variatur effectus,niſi ſimul varientur cauſæ ſecundæ: ſed gratia ſacramentalis præcisè datur ob exigentiã Sacramētorum; ergo niſi varientur Sacramenta, nec ipſã gratia variabitur.

4 Neque fundamenta aduerſæ opinionis quicquam roboris habent; nam dicere, quod puero prædeſtinato ad maiorem gloriam detur in baptiſmo maior gratia, gratis dicitur, & falſum eſt; nam hæc maior gratia non debet dari in baptiſmo, qui determinatum effectum, quantùm eſt ex ſe, producere debet, ſed ſpectauit ad prouidentiam diuinam efficere, vt viuendo per opera bona mereatur augumentum gratiæ; ſecus poſſemus dicere fore dandam illam gratiam etiam puero exiſtente in vtero matris, ſi talis puer prædeſtinatus eſt, & & deberet mori antequam naſceretur; quod ſi dicant puerum prædeſtinatum præuiſum fuiſse à Deò non moriturum ſine baptiſmo; ita dico ego, puerum prædeſtinatum ad tantam gloriam præuiſum fuiſse à Deo non deceſsurum, niſi

cum

Digitized by Google

com tantis meritis eam gloriam meruerit. Falſum etiam eſt homines debere habere eam gloriam, quam Angeli rebelles perdidere; nam abſolutè homines ſunt prædeſtinati ad gloriam, & non ad ad reparandas ruinas Angelorum; & Beatiſſima Virgo maiorem gloriam habet, quam omnes Angeli habeant; imo multi ſancti ſuperabunt Angelos in gloria, & quilibet Angelus ſuperat in gloria puerum decedentem cum baptiſmo ſolo. Neque tandem maior ſanctitas miniſtri facit, vt maior gratia detur baptizato ex opere operato; nam miniſter ſe habet tamquam cauſa applicans tantùm, & cauſa principalis eſt Deus, qui cum ſit idem pro omnibus miniſtris & Sacramentis, ſi Sacramenta ſunt eadem, ſemper cauſabunt eumdem effectum quotieſcumque in ſubiecto eſt par, & æqualis diſpoſitio. Non negauerim tamen quod probitas miniſtri non poſſit impetrare de congruo, ſi oret pro puero, maiorem gratiam; conſentaneum enim eſt Deum audire orationes amicorum ſuorum: ſicuti enim, ſi ſanctus aliquis oret pro puero, poteſt ei de congruo impetrare aliquam gratiam; ita etiam miniſter, per hoc quod ſit miniſter, cum non ſit peioris conditionis, ſi pro puero orauerit, poterit de congruo ei impetrare aliquam gratiam; at non ex opere operato: & hoc tantùm eſt, quod docet Caietanus, qui ſiniſtrè pro contraria citatur.

5 Concluſio 2. Si ad idem Sacramentum ſpecie accedant duo inæqualiter diſpoſiti, Sacramentum inæqualem in eis ex opere operato producet gratiam. Probatur primò ex Damaſceno lib.4. cap.20. vbi dicit. *Quamuis peccatorum remiſſio omnibus æquè per baptiſmum detur: ſpiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur* 2. ex Trid ſeſs.6. cap. 7. vbi habet. *Nos iuſtificari iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſcumque diſpoſitionem, & cooperationem*: ſed accipere gratiam per baptiſmum ſecundùm propriam cuiuſcumque diſpoſitionem eſt illam recipere ex opere operato, modò maiorem, modò minorem ſecundum propriam cuiuſcumque diſpoſitionem: ergo verè per Concilium deducimus idē Sacramentum ſpecie inæqualiter diſpoſitis inæqualem conferre gratiam ex opere operato.

6 Dices: Concilium ibi non loqui de gratia per Sacramenta collata, ſed vniuerſaliter de quacumque iuſtificatione, ſiue in Sacramentis, ſiue extra fiat; extra autem certum eſt dari ſecundùm propriam cuiuſcumque diſpoſitionem, ſed ex opere operantis non ex opere operato. Sed contra: quia Concilium vniuerſaliter loquitur de omni iuſtificatione; ergo loquitur etiam de iuſtificatione, quæ fit per Sacramenta, cum iuſtificatio, quæ fit per Sacramenta aliqua iuſtificatio ſit: ſed verè definit Concilium, quod in omni iuſtificatione infundatur gratia ſecundùm propriam cuiuſcumquè diſpoſitionem; ergo etiam in iuſtificatione, quæ fit in Sacramento infunditur gratia ſecundùm propriam cuiuſcumque diſpoſitionem; quod autem datur per Sacramenta ex opere operato datur, non ex opere operantis.

7 Probatur 2. ratione D.Thom. Eodem modo debemus loqui de Sacramentis reſpectu productionis gratiæ in ſubiecto diſpoſito, ſicuti de agentibus naturalibus reſpectu ſuorum ſubiectorum: ſed ſi agentia naturalia inueniunt ſubiectum magis diſpoſitum etiam nobiliorem producunt effectum, vt patet de calore producente maiorem calorem in ſubiecto magis diſpoſito; ergo etiam idem dicendum de Sacramentis. Quæ ratio licèt ſe ſola non probet intentum, quia efficientia Sacramentorum dependet tota quāta à volūtate Chriſti, qui potuit aliter ſtatuere, nihilominus iuncta cum auctoritate Concilij, & Damaſceni probat, quia ex illis nobis innoteſcit, quæ fuerit voluntas Chriſti. Et confirmatur primò, quia ſic decuit diuinam prouidentiam, vt homines magis ſe diſponerent ad maiores fructus per Sacramenta recipiendos. Confirmatur 2. Demus duos accedere ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, ſed inæquali, iſti iuſtificabuntur, & recipient inæqualem gratiam, vt definit Tridentinum: ſed non poſsunt recipere inæqualem gratiam vi attritionis, quia attritioni ſecundùm ſe non debetur gratia; ergo recipiunt gratiam inæqualem vi Sacramenti, & ſic ex opere operato illam recipiunt.

8 Objicies primò contra ſecundam. Cauſare gratiam ex opere operato eſt illam cauſare ex meritis Chriſti: ſed ſi Sacramenta cauſarent gratiam iuxta menſuram cuiuſcumque diſpoſitionis, illam non cauſarent ex meritis Chriſti; ergo illam non cauſarent ex opere operato.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Si Sacramenta &c. illam non cauſarent ex meritis Chriſti, ſi Chriſtus ita non inſtituiſset, concedo minorem: ſi ita Chriſtus inſtituiſset, nego minorem: Chriſtus enim inſtituit dare gratiam diſpoſitis iuxta menſuram vniuſcuiuſque; vnde

vnde illa diſpoſitio non eſt meritum, ſed ſe habet inſtar conditionis, qua poſita Sacramenta dant gratiam.

9 Obiicies 2. Sacramenta ſeruant proportionem cum cauſis naturalibus; ſed illæ habent determinatam virtutem verſus maximum, ita vt vltra agere non poſſint, etiam poſita qualibet diſpoſitione; ergo idem dicendũ de Sacramentis.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quæ vera eſt, ſi Sacramenta conſiderentur ſecundùm ſe, non verò ſi conſiderentur, vt ſubſunt Deo agenti, cuius virtus numquam deficere poteſt; vnde ſi inuenit ſubiectum magis diſpoſitum, ſemper maiorem confert gratiam; quare negatur conſequentia.

10 Obiicies 3. Significatio practica Sacramenti ſemper eſt eadem; ergo quocumque modo quis ſit diſpoſitus æqualem ſemper conferret gratiam.

Reſpondeo ſemper eſſe eãdem ſignificationem practicam, ſi acciperetur Sacramentum ſecundùm ſe; & præſcindendo à diſpoſitione: at accipiendo ſubiectum diſpoſitum, ſignificatio practica in actu ſecundo variatur. Ideò &c.

11 Obiicies 4. Diſpoſitiones tantùm remouent obicem, quo remoto Sacramentum operatur: Sed omnes diſpoſitiones ſufficientes æquè remouent obicem; ergo quacumque poſita diſpoſitione ſemper eadem gratia cauſabitur.

Reſpondeo negando maiorem, nam non ſolùm remouent obicem, ſed etiam ſunt à Chriſto determinatæ tamquam conditiones, vt iuxtà earum inæqualitatem inæqualis etiam detur gratia.

12 Quæres 1. quid intelligatur nomine melioris diſpoſitionis; an ſit maior gratia habitualis, quæ ſit in ſubiecto, an verò tantùm actus ipſius ſubiecti, & ſi actus, an omnes, qui præceſſerunt receptionem Sacramenti, an verò, qui tantùm durant, dum recipitur Sacramentum.

Reſpondeo per meliorem diſpoſitionem non intelligi maiorem gratiam habitualem; nam maior gratia non eſt actus operantis, diſpoſitio verò debet eſſe actus operantis, neque ſunt omnes actus, qui præceſſerunt ſuſceptionem Sacramenti, ſed ſunt tantùm illi, qui moraliter cenſentur influere in opus, hi enim ſoli actus cenſentur diſpoſitiones actuales, alij actus tantùm habituales. Lugus tamen videtur docere omnes actus præcedentes, etiamſi multò ante præceſſerint eſſe diſpoſitiones, ſed re vera, niſi moraliter cenſeantur adeſſe illi actus, nec etiam poſſunt dici diſpoſitiones, quarum intuitu detur maior gratia. Sic Arriaga, & alij.

13 Quæres 2. an in Sacramentis vltra gratiam, quæ datur ex opere operato, detur etiam alia ex opere operantis?

Reſpondeo in ſuſceptione Sacramenti, quando diſpoſitiones ſunt ſufficientes ſine Sacramento ad gratiam, poſſe dari gratiam etiam correſpondentem merito operantis, in hoc enim nulla videtur implicantia, & poſſunt ſtare ſimul iſti duo modi habendi gratiam, & ita fieri docet Nugnus loco citato: Probabiliùs tamẽ cenſeo tunc dari gratiam ex vi Sacramenti tantùm, quæ correſpondeat etiam diſpoſitioni, & hoc eſt conformius ſupra dictis: ſi quis tamen recepto Sacramento diù perſeueret in oratione, vel aliquid aliud boni faciendo, conſequetur maiorem gratiam ex opere operantis; nam tunc homo ſupponitur in gratia, & omnibus eius bonis operibus debetur maior gratia. Qualis verò ſit maior, an illa, quæ datur ex opere operato, an quæ datur ex opere operantis, incertum eſt, & certam regulam dare non poſſumus, niſi diuinando.

ARTICVLVS X.

An Sacramenta recedente fictione conferant gratiam.

1 DVplex eſt fictio, vna eſt contra ſubſtantiam Sacramenti, vt quando quis accedit ad aliquod Sacramentum, ſed cum animo illud non recipiendi, & cum voluntate deridendi, vel decipiendi; & hoc pacto clarum eſt Sacramenta non reuiuiſcere, nam ſolùm Sacramentum Euchariſtiæ tunc recipitur, ſed actu talis peccat mortalitèr, alia Sacramenta non recipiuntur. Altera fictio eſt ex parte diſpoſitionis, eo quod quis accedat cum voluntate recipiendi Sacramentum, ſed indiſpoſitus, & tunc recipitur Sacramentum, non tamen fructus Sacramẽti, nempe gratia, & iſta fictio ex parte diſpoſitionis duplicitèr contingere poteſt, vel inculpabilitèr, vel culpabilitèr: primo modo, ſi quis bona fide accedit ad aliquod Sacramentum exiſtimans ſe habere diſpoſitionem ſufficientem, & non habeat, hic recipit Sacramentum, non tamen recipit gratiam, neque peccat: ſecundo modo, quando quis actu cognoſcit ſe eſſe in peccato, & ſacrilegè vult recipere aliquod Sacramentum, ita vt actu peccet in ſuſceptione talis Sacramenti: quod ergo hic quærimus eſt, an ablato obice, & poſita diſpoſitione, Sacramentum, quod receptum fuit, habeat ſuum effectum, & ex opere operato cauſet gratiam. *Fictio quo duplex.*

2 Sup-

2 Suppono ad euidentiam, quod poſtea ſuis locis, & præſertim de pœnitentia tractabitur, poſſe dari Sacramenta valida, ſed informia, quod patet inductione; ſi quis accedat ad Sacramenta imprimentia characterem ſine diſpoſitione ſupernaturali, imo etiam cum peccato, hic recipit Sacramenta, ſed non gratiam, idem dicendum de matrimonio, & Extrema vnctione; ſi quis etiam putet ſe eſſe in gratia, & non ſit, & accedat ad Euchariſtiam ſine attritione ſupernaturali, iſte non peccabit, nec tamen recipiet gratiam, licèt recipiat Sacramentum; quia adultus, vt iuſtificetur, debet eſſe diſpoſitus ſaltèm per attritionem ſupernaturalem, vt ſupra dictum fuit; dubium ergo remanet de Sacramento pœnitentiæ, an poſſit eſſe validum, ſed informe, verùm & hoc Sacramentum (vt præſens difficultas tractetur) ſuppono poſſe dari validum, ſed informe; nàm an re vera dari poſſit, infra ſuo loco tractabitur de pœnitentia; in hoc articulo claritatis gratia decidetur quæſtio de baptiſmo, in ſequentibus de alijs.

3 Gloſſa, & aliqui iuriſtæ de conſecr. diſt. 4. in cap. *Tunc valere*. negant baptiſmum, & omnia alia Sacramenta reuiuiſcere, & gratiam, quæ poſtea recipitur non eſſe ex opere operato, ſed vi contritionis, vel Sacramenti pœnitentiæ, ſic etiam videtur docere Medina de pœnitentia cum alijs.

Communis omnium aliorum ſententia cum Auguſtino docet Sacramentum baptiſmi reuiuiſcere. Sic D. Tho. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. vlt. Caiet. tom. 1. opuſc. tractat. 5. cap. 5. Nugnus quæſt. 62. art. 1. diff. 6. Ioan. à S. Thom. diſp. 24. art. 1. dub. 6. Gonet diſp. 4. de Baptiſmo art. 2. Suarez diſput. 28. ſect. 4. Lugus diſp. 9. ſect. 3. Amicus diſput. 4. ſect. 7. Arriaga diſp. 14. ſect. 1. Conhinchus, Granadus, Valentia, & communitèr Doctores.

4 Concluſio 1. Baptiſmus cum fictione ſuſceptus recedente fictione reuiuiſcit. Fundamentum huius concluſionis eſt auctoritas D. Auguſtini pluribus in locis, ſed præſertim ex eo loco, qui inſertus eſt in iure de Conſecr. diſtin. 4. Can. *Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegio perſeuerante peccatorum abolitionem non ſinebat fieri.*

5 Dices 1. cum Gloſſa, valere baptiſmum, non quod ipſe baptiſmus conferat gratiam, ſed quia gratia collata per contritionem, vel veracem confeſſionem confert illud, quod faceret gratia baptiſmalis. Sed contra: quia Auguſtinus dicit valere baptiſmum ad ſalutem: ſed non poteſt valere ad ſalutem, niſi Baptiſmus ipſe ſit, qui conferat gratiã, & remittat peccata; ergo, ſi per Auguſtinum valet baptiſmus ad ſalutem, per ipſum confertur gratia, & remittuntur peccata, ſecus ſi valeret tantùm per contritionem; cum contritio conferat gratiam etiam ſine baptiſmo, baptiſmus nullo modo valeret ad ſalutem, dum eſt ficte ſuſceptus.

6 Dices 2 Ex Scoto valere baptiſma eo quod poſtquam aliquis recepit baptiſmum non tenetur amplius baptizari, & valere, eo quod reddiderit ſubiectum aptum ad recipienda alia Sacramenta. Sed contra: quia Auguſtinus dicto loco dicit *Tunc incipit valere baptiſmus ad ſalutem*. Et lib. 3. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 13. habet. *Tunc incipit valere baptiſmus ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſia vnitatem venerint*; ergo intelligit Auguſtinus baptiſmum ipſum valere ad cauſandam gratiam, qua dimittuntur peccata. Confirmatur: quia ſtatim ac quis eſt fictè baptizatus, eo ipſo ſatisfecit præccepto baptiſmi, nec debet amplius baptizari, & redditus fuit capax ad recipienda alia Sacramenta; ergo Auguſtinus nõ poſſet cum veritate dicere, *Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit*; quia ſtatim, ac recepit baptiſma, ſatisfecit præcepto, & redditus fuit capax aliorum Sacramentorum; fatendum igitur eſt baptiſmum recedente fictione cauſare gratiam.

7 Dices 3. Cum Gabriele: Valere tunc baptiſmum ad remittendum reatum pœnæ, culpam verò remitti per contritionem. Sed contra primò quia hæc reſponſio eſt contra mentem Auguſtini; nam lib. 1. de Bap. cap. 2. habet. *Non iterùm baptizandus eſt, quia ipſa reconciliatione, ac pace præſtatur, vt ad remiſſionem peccatorum eius in vnitate iam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat.* Et lib. 3. cap. 13. habet *Tunc incipit valere idem baptiſmus ad dimittenda peccata*. Sed dimiſſio, & remiſſio peccatorum non eſt remiſſio reatus pœnæ, ſed culpæ; ergo per Auguſtinum baptiſmus fictè ſuſceptus recedente fictione confert gratiam, & remittit peccata. Contra 2. Non poteſt remitti reatus pœnæ, niſi per infuſionem gratiæ, vt patet ex Sacramento pœnitentiæ, quod tollit pœnam æternam, & in Extrema vnctione, quæ ordinatur ad tollendas reliquias peccatorum; & pœnas illis debitas: atqui hæc Sacramenta non poſſunt tollere hunc

Digitized by Google

reatum pœnæ,niſi infundendo gratiam; ergo neque baptiſmus poterit tollere reatum pœnæ, niſi ſimul conferat gratiam. Contra 3. Non eſt maior ratio cur baptiſmus poſſit concurrere ad remittendum reatum pœnæ,& non etiam culpæ: ſed per aduerſarios concurrit ad remittendum, dum reuiuiſcit, reatum pœnæ; ergo etiam poteſt remittere reatum culpæ.

8 Probatur 2. Concluſio ratione Caietani. Remiſsio peccati originalis, & aliorum peccatorũ ante baptiſmum non poteſt aliter haberi, quam per baptiſmum in re, vel in voto: Sed poſtquam ſemel validè eſt ſuſceptum baptiſma non poteſt quis denuò baptizari, atque adeò neque habere votum baptiſmi; ergo neceſsè eſt, vt per ipſum idem baptiſma talem remiſsionem is, qui baptizatus fuit conſequatur: maior eſt definita in Trid. ſeſs.5. can.3. minor eſt etiam de fide ex Trid. ſeſs.7. can.11. Conſequentia ergo currit; ſecus quis non poſſet amplius iuſtificari; quod tamen falſiſsimum eſt. Fatendum igitur eſt baptiſmum ablata fictione reuiuiſcere, & gratiam producere; Chriſtumque hac ratione baptiſmum inſtituiſse.

9 Obijcies 1. Si baptiſmus reuiuiſcit maximè quia non poteſt haberi remiſſio originalis, & aliorum peccatorum ante baptiſmum commiſsorum, niſi per baptiſmum in re, vel in voto: Sed hæc ratio nulla eſt; ergo neque dicendum eſt baptiſmum reuiuiſcere: probatur minor: ſi quis iuſtificetur ante baptiſmum per actum contritionis, baptiſmus nullo modo concurrit ad cauſandam infuſionem gratiæ; ergo etiam, ſi quis poſt baptiſmum iuſtificetur per actum contritionis, baptiſmus nullo modo concurret.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem dico, quod aliud eſt, quod baptiſmus non concurrat, quando quis iuſtificatur per actum contritionis, & hoc verum eſt;nam cum nondum fit actu baptiſma, vtique non poteſt eſse inſtrumentum cauſandi gratiam; aliud eſt, quod talis eliciendo actum contritionis non iuſtificetur per actum,qui includit Sacramentum in voto, & hoc falſum eſt; hoc autem eſt, quod requirit Trid. & ſi baptiſmus ficte ſuſceptus non reuiuiſceret, nec in re, nec in voto concurreret ad iuſtificationem, non in re, vt de ſe patet, neque in voto, quia votum eſt propoſitum ſumendi baptiſmum, & deſiderium eius; ſi autem homo ſemel ipſum recepit, non poteſt habere deſiderium illum recipiendi.

10 Obijcies 2. Quod non eſt, non poteſt cauſare gratiam: Sed baptiſmus recedente fictione non eſt amplius;ergo non poteſt cauſare gratiam.

Reſpondeo, quod eo modo, quo eſt cauſat gratiam: baptiſmus autem fictè ſuſceptus eſt in diuina acceptatione eo ipſo, quod fuit applicatus, & ideò moralitèr cauſat gratiam,non phyſicè. Plures Thomiſtæ admittunt adhuc cauſare phyſicè gratiam, & per characterem, & quia eſt Sacramentum ſecundum quamdam modificationem in ſubiecto: Sed verè nec character eſt Sacramentũ baptiſmi,nec iſta modificatio poteſt eſſe quid phyſicum ipſius Sacramenti; & ideò clarior reſponſio eſt, quod in reuiuiſcentia Sacramenta ſolùm moralitèr cauſent gratiam, non phyſicè.

11 Obijcies 3. Sacramentum non producit gratiam antequam re ipſa ſuſcipiatur, eo quod non exiſtat: Sed etiam tranſacto Sacramento non eſt; ergo etiam tranſacto Sacramento non poteſt gratiam producere.

Reſpondeo, quod Sacramentum antequam ſuſcipiatur nullo modo eſt, nec phyſicè, nec moralitèr; tranſacto verò, licèt non ſit phyſicè, eſt tamen moralitèr, & ideò moralitèr poteſt cauſare gratiam.

12 Obijcies 4. Impoſſibile eſt, quod opera facta in peccato, vel peccaminoſa reuiuiſcant ad gratiam: ſed ſuſceptio baptiſmi cum fictione eſt opus peccaminoſum; ergo numquam reuiuiſcet.

Reſpondeo, concedendo tale opus peccaminoſum numquam reuiuiſcere: verùm id, quod cauſat gratiam, & reuiuiſcit, non eſt opus peccaminoſum, ſed eſt Sacramentum, quod fuit validè applicatum, & ſublato obice producit gratiam; Sacramentum enim non eſt opus peccaminoſum, & mortuum, ſed in ſe ſanctùm, & viuum.

ARTICVLVS XI.

An etiam omnia alia Sacramenta reuiſcant.

1 Diximus de Sacramento baptiſmi, nunc videndum eſt, an etiam omnia alia Sacramenta reuiuiſcant, qua in re diuiſi ſunt admodum Theologi.

2 Sotus in 4. diſt.6. quæſt.1. art.8. & Vaſquez abſolutè negant alia Sacramenta reuiuiſcere. Durandus in 4. diſtinct.4. quæſt.4. & diſt.27. qu.13. nu.7. ſolum baptiſmo, & pœnitentiæ concedit reuiuiſcentiam, negat hoc de alijs, cui conſentit Amicus diſp.4. ſect.7.

D. Bona-

D. Bonauentura in 4. diſt. 4. artic. 2. quæſt. 3. Richard. art. 1. quæſt. 2. Gabr. diſt. 17. quæſt. 1. art. 3. Ioan. Med. de Confeſſ. quæſt. 20. & alij docent Sacramenta imprimentia characterem reuiuiſcere non alia. Paludanus in 4. diſtin. 4. quæſt. 5. art. 3. & diſt. 17. quæſt. 8. & Capreol. diſt. 7. art. 1. & diſt. 17. qu. 2. ar. 1. vltra Sacramenta imprimentia characterem, volunt etiam pœnitentiam reuiuiſcere. Eſparza vult Sacramenta imprimentia characterem, & matrimoniũ reuiuiſcere, non alia ſic. lib. 10. qu. 30.

Suarez diſp. 28. ſect. 6. Coninch. qu. 62. dub. 5. Lugo diſp. 9. ſect. 6. quos alij ſequuntur docent omnia Sacramenta reuiuiſcere excepta Euchariſtia, ſic docet etiam Gonet. diſp. 4. de baptiſ. art. 5.

Caiet in Opuſ. tract. 5. quæſt. 5. Petr. Soto de inſtit. Sacerd. ſect. 5. de baptiſ. Nugnus quæſt. 62. art. 1. diff. 6. Ioan. à S. Tho. diſp. 24. art. 1. dub. 6. Serra, Candidus, Philippus à S. Trinitate, Henriquez, Diana, & alij dicunt omnia Sacramenta nouæ legis ablato obice reuiuiſcere, quam probabilem cenſet Arriaga diſp. 14. ſect. 4.

3 Concluſio 1. Incertum eſt, an alia Sacramenta reuiuiſcant; potuit quidem Chriſtus ſic ea inſtituere, vt omnia reuiuiſcant; ſed de facto quid dicendũ ſit, niſi diuinando reſpondere poſſumus. Probatur, quia fundamentum quare baptiſmus reuiuiſcat eſt auctoritas Auguſtini, & omnium Scholaſticorum: ſed hoc non habemus de alijs Sacramentis; ergo de alijs nihil certò dicere poſſumus niſi diuinando: Potuit quidem Chriſtus ea omnia ſic inſtituere, vt reuiuiſcant, ſicuti dicimus de baptiſmo, ſed quod ita fecerit nullum firmum fundamentum habemus.

4 Dices 1. ex Lugo: non minus neceſſarium eſt Sacramentum pœnitentiæ ad remittendum peccatum poſt baptiſmum commiſſum, quam ſit neceſſarius baptiſmùs ad remittenda peccata ante baptiſmum commiſſa: ſed propter hanc rationem deduximus ſupra Sacramentum baptiſmi reuiuiſcere; ergo & Sacramentum pœnitentiæ reuiuiſcere dicendum eſt. Sed contra: quia in primis nos non probauimus ſimplicitèr concluſionem ea ratione, ſed ex auctoritate D. Auguſtini, D. Thomæ, & Scholaſticorum communitèr, & ex eo, quod Sacramentum baptiſmi ſemel validè ſuſceptum non poteſt amplius reiterari, neque in re, neque in voto, quod de Sacramento pœnitentiæ dici non poteſt, cum poſſit iterari, & in contritione ſemper includitur votum Sacramenti pœnitentiæ, & ſic numquam remittitur peccatum poſt baptiſmum comiſſum, niſi per Sacramentum pœnitentię in re vel in voto.

5 Dices 2. Sacramenta imprimentia characterem non poſſunt reiterari, & ex alia parte conſtituunt hominem in aliquo ſtatu, in quo homo indiget auxilijs ſpecialibus, vel ad proteſtandam fidem per Confirmationem, vel ad rectè conficienda, & adminiſtranda Sacramenta per Ordinem: ſed non videtur dicendum hominem per hoc, quod fictè ſuſcepit iſta Sacramenta in perpetuum eſſe priuandum opportunis auxilijs tali ſtatui conuenientibus, & ex alia parte huiuſmodi auxilia dantur tantùm per illa Sacramenta; ergo cũ non poſſint reiterari, dicendum eſt fictè ſuſcepta reuiuiſcere; & idem dicendum de Sacramento matrimonij propter eandem rationem; nam & hoc reiterari non poteſt viuente altero coniuge. Sed neque hæc ratio quicquam probat; nam licèt non poſſint hæc Sacramenta reiterari, non per hoc tamen priuabitur homo auxilijs opportunis ex opere operantis, ſi illa petat à Deo per orationem; priuabitur ergo homo, qui fictè hæc Sacramenta ſuſcepit illo iure particulari habendi illa auxilia, quod ius habetur per Sacramentum ritè ſuſceptum, at per aliam viam, & præſertim per orationem poterit illa obtinere.

6 Concluſio 2. Probabiliùs tamen exiſtimo, omnia Sacramenta reuiuiſcere, ſi validè recepta ſunt, ſed fuere informia defectu diſpoſitionis ſupernaturalis, & in eorum receptione quis non peccauit; ſecus verò dicendum, ſi in eorum receptione quis mortalitèr peccauit. Prima pars probatur: tum auctoritate D. Tho. qui in 4. diſt. 17. qu. 3. art. 4. poſtquam docuit poſſe dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe ſubiungit. *Et quamuis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, ſicuti etiam eſt in alijs Sacramentis*. Ergo ex auctoritate D. Tho. probatur omnia Sacramenta recedente fictione reuiuiſcere: tum auctoritate tot Scholaſticorum, qui aſſerunt Sacramenta reuiuiſcere; tum rationibus adductis, quas licèt ſoluerimus, negari tamen non poteſt eas non reddere valdè probabilem noſtram concluſionem; quæ rationes non tantùm militant de Sacramentis imprimentibus characterẽ, & de matrimonio, ſed etiam de alijs; fundantur enim in efficacitate Sacramentorum, quæ cum fuerint applicata, & effectũ gratiæ non produxerint propter obicem, ſeu carentiam diſpoſitionis, congruum eſt, vt illam gratiam produ-

Digitized by Google

cant ablato obice, & poſita ſufficienti diſpoſitione.

7 Secunda pars probatur; quia ſecundùm fere omnes Theologos, & ſecundùm rectam ipſam rationem cenſetur maximum abſurdum, quod Sacramentum Euchariſtię ſacrilegè receptum reuiuiſcat; nam ſequeretur, quod Sacerdos ſacrilegè celebrans per totam vitam, propter finem ſacrilegum, & peſſimum, ſi in fine vitæ cum remiſſa attritione confiteretur peccata ſua, deberet recipere augmentum gratiæ ex opere operato correſpondens illis omnibus communionibus ſacrilegè receptis, quare propter prope infinita ſacrilegia commiſſa fieret ſanctiſſimus, & eo ſanctior, quo plura ſacrilegia commiſit, quis autem non videat hoc eſſe alieniſſimum à mente omnium fidelium? Si autem hoc reputatur abſurdum, vt verè eſt, in Sacramento Euchariſtiæ, idem abſurdum eſt in alijs Sacramentis ſacrilegè ſuſceptis; fundatur enim hoc abſurdum in ſacrilega ipſa ſuſceptione Sacramenti, quæ ſemper ſacrilega eſt, ſiue ſemel tantùm poſſit ſumi Sacramẽtum aliquod, ſiue pluries; igitur eſt fatendum alia Sacramenta à Baptiſmo diſtincta numquam reuiuiſcere, ſi ſacrilegè ſumantur.

8 Dices Sacramentum baptiſmi etiã ſacrilegè receptum reuiuiſcit; ergo & alia Sacramenta, licèt ſacrilegè recepta ſint reuiuiſcere poſſunt, cum nulla poſſit aſſignari diſparitas. Sed contra concesſo antecedente, nego conſequentiam; & diſparitas eſt, quia quod Baptiſmus etiam ſacrilegè receptus reuiuiſcat habemus ex Auguſtino, alijs Patribus, & communi Scholaſticorum, quod non habemus de alijs, imò ſunt ità diuerſi Theologi in hac re, vt vidimus: tum quia diuerſa eſt ratio de Baptiſmo, ac de alijs, etenim nullus poteſt emundari ab originali, & à peccatis ante baptiſmum commiſſis, niſi per baptiſmum in re, vel in voto: Si autem Baptiſmus non reuiuiſceret, non poſſet quis iuſtificari per ipſum in re, vel in voto, quia nullus poteſt iterùm recipere baptiſmũ, aut deſiderare ipſum recipere, quæ ratio non militat de alijs Sacramentis, vt ſupra dictum eſt.

ARTICVLVS XII.

Qualis diſpoſitio requiratur, vt Sacramentum fictè ſuſceptum reuiuiſcat.

1 DVplicitèr poteſt aliquis fictè recipere Sacramentum baptiſmi, primò per fictionem negatiuam, ſeù abſque eo, quod committatur aliquod peccatum in ſuſceptione baptiſmi v. g. quis putat ſe eſſe diſpoſitum ad recipiendum baptiſmum per actum fidei, ſpei, & attritionis ſupernaturalis, & re vera non eſt diſpoſitus, hic recipit Sacramentum, non tamen gratiam, nec Sacramentum recipiendo peccat. Secundò quis poteſt recipere Sacramentum cum fictione poſitiua, v. g. cum affectu ad aliquod peccatum mortale, vel cum deſiderio illud committendi; hic recipit Sacramentum, peccat tamen in receptione Sacramenti, nec recipit gratiam. Inſuper quando Baptiſmus reuiuiſcit, vel reuiuiſcit antequam quis de nouo cadat in peccatum mortale, vel debet reuiuiſcere poſtquam quis iam lapſus eſt in mortale; & de his omnibus diuerſimodè loqui debemus.

2 Prima opinio, quæ eſt Paludani in 4.diſt.4.qu.5. probabile cenſet ſufficere ſolam attritionem, ad hoc, vt reuiuiſcat Baptiſmus, etiam in homine, qui alia peccata mortalia commiſit poſt Baptiſmum.

Secunda opinio eſt Vaſquez diſput. 160.cap.2. qui etiam ſi admittat ad recipiendum Baptiſmum in homine adulto qui mortaliter peccauit, ſufficere attritionem; dicit tamen, quod ad hoc vt reuiuiſcat, ſiue quis poſitiuè fictus acceſſerit, ſiuè tantùm negatiuè, requiri contritionem, vel attritionem cum Confeſſione.

Tertia ſententia eſt Nugni quæſt.69. ar.10.dub.3. Gonet.diſp.4. de baptiſmo, art.4. Suarez diſp.28. ſec.5. Lugi diſp.9. ſec.5. Coninch. quæſt.62. dub.6. Amici diſp.4. ſec.8. Arriagæ diſp.15. ſec.2. Bonacinæ, Dianę, Auerſæ, Herincx, & communis; hæc dicit, quod ſi quis acceſſit fictus negatiuè, ſufficit attritio; ſi verò acceſſit fictus poſitiuè, ita vt peccauerit in ſuſceptione Sacramenti, requiritur contritio, vel attritio cum confeſſione, & idem dicit de illo, qui licèt non peccauerit in recipiendo Sacramentum, commiſit tamen poſtea aliquod peccatum mortale.

3 Concluſio prima. Quando quis nec in ſuſceptione baptiſmi, nec poſt baptimum peccauit mortaliter, ſed ex inculpabili ignorantia fictus negatiuè acceſſit, ſufficit ſola attritio ad hoc, vt baptiſmus reuiuiſcat. Probatur: quia ſi quis in ſuſceptione baptiſmi habuiſſet attritionem, illa fuiſſet ſufficiens ad hoc, vt baptiſmus daret gratiam; ergo etiam poſt ſufficiet; probatur conſequentia; quia tollere fictionem non eſt tollere peccatum, ſed tollere carentiam diſpoſitionis: ſed hæc carentia diſpoſitionis

erat

Digitized by Google

erat carentia attritionis, quæ attritio, ſi fuiſſet, baptiſmus contuliſſet gratiam; ergo ſi poſteà ponatur, cum nullum aliud peccati impedimentum poſitum ſit, baptiſmus habebit ſuum effectum. Confirmatur per id tollitur formaliter fictio negatiua, quod præcisè antea deſiderabatur: ſed antea ſola attritio deſiderabatur, vt baptiſmus haberet ſuum effectum; ergo per ſolam attritionem tollitur fictio, vt baptiſmus habere poſſit ſuum effectum.

4 Nota tamen cum Arriaga, quod hæc concluſio ſupponit, quod adultus accedens ad baptiſmum, peccauerit ante mortaliter; nam ſi poſſet dari caſus, quod quis ſit adultus, & quod nihilominus nullum aliud peccatum habeat, niſi originale, cum de originali non poſſit eſſe pœnitentia, neque etiam debuiſſet habere attritionem, vt fructuosè reciperet baptiſmum, ſed in tali caſu ad recipiendum fructuosè baptiſmum ſuffeciſſet voluntas illum recipiendi cum fide ſupernaturali, & ſpe, & has diſpoſitiones requiri patet ex dictis de gratia, & de fide; quia nullus adultus poteſt iuſtificari ſine fide, & ſpe, & niſi voluntariè velit Sacramentum aliquod recipere. Verùm hic caſus, vel raro, vel in ſententia Thomiſtarum numquam accidit.

5 Concluſio ſecunda. Quando quis in receptione baptiſmi peccauit, vel poſtea aliquod peccatum mortale commiſit, vt baptiſmus reuiuiſcat requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ. Probatur concluſio ratione; & quidem ſi poſt baptiſmum aliquod peccatum mortale commiſſum eſt, patet; quia illud peccatum, quod poſt baptiſmum commiſſum eſt, eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ, & non baptiſmi ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. ergo ſola attritio non ſufficit: probatur conſequentia, quia ad tollendum aliquod peccatum hominis, qui ſit ſubiectus clauibus Eccleſiæ, vel requiritur contritio, qui includit votum Sacramenti Pœnitentiæ, vel attritio cum confeſſione, ex eodem Trid. ſeſſ. cit. cap. 4. ſed in propoſito caſu deberet remitti peccatum hominis, qui illud commiſit, dum erat ſubiectus clauibus Eccleſiæ; ergo vt remittatur requiritur contritio, vel attritio cum confeſſione. Confirmatur: ſi quis poſt baptiſmum validè, & fructuosè receptum peccet, ad hoc peccatum tollendum requiritur contritio, vel attritio cum confeſſione; quia eſt peccatum hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ: ſed etiam peccatum commiſſum ab eo, qui fictè acceſſit, eſt hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ; ergo & huius peccatum debet tolli per contritionem, vel attritionem cum confeſſione. ſecus melioris eſſet conditionis, qui fictè acceſſit, & reportaret fructum ex ſua fictione.

6 Quod verò idem dicendum ſit ad tollendum peccatum ſacrilegæ fictionis probatur; nam vel loquimur de affectu malo, & peccaminoſo, quem quis habuit ante inſtans receptionis baptiſmi, quando verò ſuſcepit baptiſmum iam omnino ceſſauit, & ſolũ poſtea ex inaduertentia homo ſine requiſita attritione ſuſcepit baptiſmum; & hoc peccatum clarum eſt remitti poſſe per ſolam attritionem; nam tale peccatum non eſſet hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ: ſed peccatum hominis non ſubiecti clauibus Eccleſiæ poteſt remitti per ſolam attritionẽ à baptiſmo, vt dictũ fuit in prima cõcluſione; igitur &c. Loquimur ergo de peccato ſacrilegæ fictionis, & de peccato, quod durat dũ recipitur Sacramentum, & ſic probatur; nam hoc peccatum, vel ſubſequitur baptiſmum, vel eſt concomitans; ſed ſiue conſequatur, ſiue ſit cõcomitans eſt peccatũ hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ; ergo debet tolli vel per contritionẽ, vel per attritionẽ cum confeſſione: probatur minor: ſi ſubſequitur (vt multi probant eſſe ſubſequẽs, quia peccatũ impediens gratiã eſt peccatum hominis, qui iam recepit Sacramentum; nam Sacramentum non poteſt producere gratiam, niſi iam receptum ſit) ſic arguo. Peccatum ſubſequẽs Baptiſmum debet tolli per contritionem, vel attritionem cum confeſſione: ſed peccatum ſacrilegæ fictionis eſt ſubſequens Baptiſmum; ergo &c. ſi verò ſit tantùm concomitans idem ſequitur; quia peccatum, quod committitur in inſtãti reali, in quo ſuſcipitur baptiſmus, committitur ab homine ſubiecto clauibus Eccleſiæ: ſed peccatum commiſſum ab homine ſubiecto clauibus Eccleſiæ debet remitti per pœnitentiam, nõ per baptiſmũ; ergo huiuſmodi peccatum, quod cõmittitur in inſtanti quo recipitur Sacramentũ debet remitti per contritionem, vel attritionẽ cũ confeſſione: maior probatur, quia in inſtanti, in quo quis baptizatur peccat, & recipit characterem: ſed in eodem inſtanti, in quo quis habet caracterem eſt ſubiectus clauibus Eccleſiæ; ergo in eodem inſtanti, in quo peccat per ſacrilegam fictionem eſt ſubiectus clauibus Eccleſiæ; peccatum verò hominis ſubiecti debet remitti per contritionem, vel attritionem cum confeſſione.

7 Dices cum Paludano: vt Sacramentum Baptiſmi cauſet gratiam nullam aliam diſpoſitionem requirit, niſi

attri-

Digitized by Google

attritionem; ſed quando Baptiſmus reuiuiſcit eſt ille, qui cauſat gratiam; ergo nullam aliam diſpoſitionem requirit, niſi attritionem, qua poſita ſiue peccatum fuerit commiſſum ante baptiſmum, ſiue in actuali ſuſceptione eiuſdem, ſiue poſt, ſemper cauſabat gratiam. Confirmatur, quia Sacramentum Pœnitentiæ remittit indirectè omnia peccata etiam in Confeſſione non manifeſtata, dummodo ſit attritio vniuerſalis de omnibus; ergo etiam baptiſmus, cum ad cauſandã gratiam non requirat, niſi attritionem, ipſa poſita remittet omnia peccata, quæ ſunt in ſubiecto, ſiue fuerint ante, ſiue poſt commiſſa. Sed contra: quia verum equidem eſt, quod Baptiſmus non requirit, niſi attritionem ad cauſandam gratiam, & ad remittenda peccata, quæ per ipſum deleri debent: peccata tamen quæ ſunt hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ per ipſum remitti non debent, ſed per pœnitentiam, vt docet Trid. & ideò mirum non eſt, ſi per ipſum remitti non poſſunt poſita ſola attritione. Nec paritas de Sacramento Pœnitentiæ adducta eſt ad rem; nam peccata non manifeſtata ſunt commiſſa ante Sacramentum Pœnitentiæ, & ſufficienter retractata per attritionem ſupernaturalem, & ideò poſſunt per pœnitentiam remitti. at ſicuti pœnitentia non poteſt remittere peccatum poſt ipſam commiſſum, niſi per nouam veram pœnitentiam, quia nullum Sacramentum eſt inſtitutum ad delenda peccata poſt ipſum commiſſa; ita & de baptiſmo dicendum eſt. Et ratio eſt, quia Sacramenta ſunt medicinæ curatiuæ præcedentium, & præſeruatiuæ peccatorum ſubſequentium, non curatiuæ futurorum, quæ non adhibentur, niſi ægritudo ſit; vnde nullum Sacramentum neque directè, neq; indirectè, neque vllo alio modo habet virtutem ad remittendum peccatum ſubſequens.

8 Obijcies primò contra ſecundam: Si ad tollenda peccata poſt baptiſmum commiſſa eſſet neceſſaria contritio, vel attritio cum Confeſſione; ergo etiam eſſet neceſſaria de peccatis ante baptiſmum commiſſis: hoc dici non debet; eſt enim contra illud, quod ſupra diximus; ergo neque illud, vnde ſequitur: probatur prima conſequentia, quia non remittitur vmquam vnum peccatum, ſine alio; ergo ſi baptiſmus reuiuiſcens non poteſt remittere peccatum poſt ipſum commiſſum ſine cõtritione, neque peccatum ante commiſſum poterit remittere ſine contritione.

Reſpondeo diſtinguendo cõſequens; ergo eſt etiam neceſſaria contritio, vel attritio cum confeſſione per ſe de peccatis commiſſis ante baptiſmum, nego conſequentiam; per accidens, concedo conſequentiam; nam eo ipſo, quod per ſe requiritur contritio de vno peccato per accidens etiam requiritur contritio de alio; eadem autem contritio, quæ eſt de vno eſt etiam virtualiter de alijs, vt dicemus de pœnitentia; non ſequitur tamen per hoc, quod effectus baptiſmi impediatur, eo quod iam eſſet homo per contritionem viuificatus, ſed ſimul & ſemel baptiſmus cum contritione adueniente, vel cum attritione, & confeſſione remittunt peccatum, & dant primam gratiam.

9 Obijcies ſecundò. Si dum reuiuiſcit Sacramentum Baptiſmi per Pœnitentiæ Sacramentum, vel per contritionem daretur ſimul gratia, tum per Baptiſmum, tum per Sacramentum Pœnitentiæ &c. pars gratiæ deberet correſpondere baptiſmo, pars pœnitentiæ; vel ergo ſunt primi gradus gratiæ, qui producuntur per baptiſmum, & ſic baptiſmus remittet omnia peccata etiam conſequentia, vel primi gradus gratiæ ſunt producti à contritione, vel confeſſione, & ſic baptiſmus numquam confert primam gratiam.

Reſpondeo, quod antequam Baptiſmus, vel Pœnitentia conferant gratiam, ſupponunt in priori naturæ remotam fictionem, vel per contritionem, vel per attritionem cum confeſſione, deinde ſimul, & ſemel producunt gratiam, qui gradus, vt ſunt gratia per baptiſmum producenda, ipſi correſpondent, vt ſunt augmentum gratiæ correſpondent pœnitentiæ: an verò dici debeant Baptiſmus, & Pœnitentia cauſę totales, vel partiales parum refert; poſſunt dici partiales, quia vna non produceret tantùm effectum ſine alia, poſſunt etiam dici totales in ſuo ordine reſpectu proprij effectus; verùm in hoc eſſet quæſtio pura de nomine, de qua parum curandum; per quod patet nullum abſurdum ſequi, vt intendebat argumentum.

10 Ex quo patet, quod, ſi quis cum affectu ad peccatum, vel cum ſacrilega fictione acceſſit ad baptiſmum, quæ peccata durauerint vſque ad inſtans incluſiuè, in quo perficitur Sacramentum, debere talia peccata explicari in Confeſſione, quia ſunt peccata hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ: patet etiam peccata commiſſa ante baptiſmum deleri, & quoad culpam, & quoad pœnam, quæ verò ſubſequentur quo ad culpam, & quo ad pœnam æternam, non temporalem.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XIII.

An Sacramenta dum reuiuiſcunt producant gratiam iuxta diſpoſitionem ſubiecti, an verò minimam tantùm; & quædam alia circa Sacramentorum reuiuiſcentiam explicantur.

1 DIXIMVS ſupra Sacramenta cauſare inæqualem gratiam ex opere operato, iuxta diuerſitatem diſpoſitionis illorum, qui recipiunt Sacramenta, nunc videndum eſt, an etiam hoc ſit verum, cum Sacramenta reuiuiſcunt: ſit exemplum, duo fictè acceſſerunt ad recipiendum baptiſmum, poſtea vnus tollit obicem, & fictionem per cōtritionem, vt octo, alius per contritionem, vt quatuor; hic inquirimus, an qui habuit contritionem vt octo, ratione cuius reuiuiſcit Sacramentum, recipiat maiorem gratiam ex opere operato, quā recipiat alius, qui habet tantum contritionem vt quatuor, an verò ambobus detur æqualis gratia, & minima, quæ dari ſolet per baptiſmum.

2 Prima opinio eſt Vaſquez diſput. 159. cap. 5. quem ſequitur Lugus diſp. 9. à nu. 70. hæc aſſerit iuxta inæqualitatem diſpoſitionis, Sacramenta, quæ reuiuiſcunt etiam inæqualem conferre gratiā ex opere operato.

Secunda opinio eſt Suarez diſput. 28. ſect. 4. Coninch q. 62. ar. 1. dub. 6. quam probabiliorem iudicat Arriaga diſp. 15. ſect. 1. ſubſc. 2. & 3. hæc vult in reuiuiſcē-tia, v. g. baptiſmi, quamuis diſpoſitiones ſint inæquales, dari tamen omnibus æqualem gratiam, quæ eſt minima, quæ dari ſolet per baptiſmum, cuiuſmodi eſt, quæ datur infantibus, dum ſine diſpoſitione baptizantur.

3 Concluſio eſt cum hac ſecunda ſententia. Probatur 1. in re, quæ tota, quanta pendet à voluntate Chriſti, nihil certi dicere poſſumus, niſi illud colligamus ex auctoritate, ſed ex auctoritate licèt colligamus baptiſmū reuiuiſcere, & ideò probabile id cenſeamus etiā de alijs Sacramentis; non tamen ex ea colligere poſſumus, quod cauſent maiorem gratiam melius diſpoſito, dum reuiuiſcunt; ergo non debemus extendere efficaciam Sacramentorum etiam ad producendam maiorem gratiam melius diſpoſitis in eorum reuiuiſcentia; cum nullum de hoc firmum fundamentum habeamus.

4 Probatur ſecundò. Qui Baptiſmū validè, & fructuosè recipit per attritionem diſpoſitus, etiam ſi poſtea actum feruentiorem eliciat nō recipit ex opere operato maiorem gratiam; ergo etiā, qui fictè acceſſit non debet poſtea recipere maiorem gratiam; quia ſecus melioris eſſet conditionis ille, qui fictè recipit Sacramentum, quam qui fructuosè; nam huic non valent actus feruentiores, ſic verò illi valerent.

5 Dices. Ille, qui fructuosè recipit Sacramentum, ideò per actum feruentiorem poſtea elicitum non recipit maiorem gratiam, quia Sacramentum iam habuit ſuum effectum; in eo verò, qui fictè acceſſit, cum Sacramentū necdum habuerit ſuam efficaciam, ſicuti poſita diſpoſitione ſufficienti producit gratiam; ita poſita maiori diſpoſitione maiorem producit. Sed contra: quia in tantùm diſpoſitio cōfert ad effectum, & melior diſpoſitio ad meliorem effectum, in quantùm conferunt ad applicationem, vel meliorem applicationem cauſæ: ſed diſpoſitiones, quæ ponuntur in reuiuiſcentia Sacramentorum remouent tantùm obicem, & nullo modo cōcurrunt ad applicationem Sacramentorum, quæ iam fuere applicata; ergo neque etiam poſſunt concurrere ad meliorem effectum. Probabile enim eſt Chriſtum voluiſſe dare per Sacramenta meliorem gratiam melius diſpoſitis, vt reuerenter ad Sacramenta accederent, & quia cum ſunt, operantur per modum cauſæ phyſicæ, quæ ſemper producit meliorem effectum in ſubiecto melius diſpoſito; quando autem reuiuiſcūt, cum non ſint in ſe, nec phyſicè producant gratiam, ſed tantùm moraliter, quæcumq; diſpoſitio ponatur remouet tantùm obicem, vt Sacramenta moraliter proprium effectum cauſare poſſint.

Quādo Sacramētum reuiuiſcit diſpoſitio remouet tātùm obicē

6 Obijcies primò. Ex Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. Adultis datur gratia inæqualis, iuxta propriam cuiuſcumq; diſpoſitionem: ſed quando reuiuiſcūt Sacramenta datur gratia; ergo datur inæqualis iuxta propriā cuiuſcumq; diſpoſitionē.

Reſpondeo Tridentinum intelligi, vel quod detur gratia inæqualis ex opere operantis iuxta propriam cuiuſcumq; diſpoſitionem, & hoc ſemper verum eſt, vel ex opere operato, quando applicantur Sacramenta, vt ſupra diximus; at de reuiuiſcentia Sacramentorum nullo modo ex tali loco Cōcilij colligitur, cum de tali reuiuiſcentia in Concilio actum non ſit.

7 Obijcies ſecundò. Contritio maior, vel minor eſt maior, vel minor diſpoſitio ad dandam gratiam: ſed quando reuiuiſcunt Sacramenta datur gratia; ergo dum reuiuiſcunt minor contritio erit diſpoſitio ad minorem gratiā, intēſior, & maior ad maiorem gratiam.

Re-

Reſpondeo, quòd contritio maior, vel minor non ſolùm inſeruit pro diſpoſitione ad dandam gratiam, ſed etiam pro diſpoſitione ad dignè, & reuerenter recipiendum Sacramentum, quando ergo inſeruit pro diſpoſitione ad recipiendum Sacramentum, maior, vel minor contritio confert ad maiorem, vel minorem gratiam dandam ex opere operato; quando verò non inſeruit pro diſpoſitione ad recipiendum Sacramentum, ſed tantùm pro diſpoſitione ad gratiam, maior, vel minor contritio confert ad maiorem, vel minorem gratiam dandam ex opere operantis; cum ergo quando reuiuiſcit Sacramentum illa maior, vel minor contritio non inſeruiat pro diſpoſitione ad recipiendum Sacramentum; cum iam ſupponatur ſuſceptum, ſequitur, quod ſolum conferat ad gratiam dandam, & ſic iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem, maior, vel minor gratia dabitur ex opere operantis, non ex opere operato.

8 Quęres, an Sacramenta reuiuiſcant etiam ad remiſſionem venialium?

Vaſquez diſp. 160. cap. 3. negat Sacramenta reuiuiſcere ad remiſſionem venialium.

Suarez è contra diſpu. 28. ſec. 4. Lugo diſp. 9. ſec. 5. nu. 91. Arriaga diſp. 15. ſec, 2. affirmant.

Reſpondeo. Per Sacramenta dum reuiuiſcunt remitti poſſe etiam venialia. Probatur, quia baptiſmus quantùm eſt ex ſe, habet mundare animam, & ipſam regenerare in nouam, & veram vitam ſupernaturalem, ita vt baptizati conſtituantur innocentes puri, & immaculati, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu Cœli remoretur, vt habet Triden. ſeſſ. 5. ſed dum reuiuiſcit Sacramentum dicendum eſt, quòd talis ſit verè, at fructuosè baptizatus; ergo mundatus fuit ab omnibus peccatis, non ſolùm mortalibus, ſed etiam venialibus, non tantùm quo ad culpam, ſed etiam quo ad pœnam; ita vt nihil prorſus eum ab ingreſſu Cæli remoretur: hoc tamen intelligendum eſt de peccatis commiſſis ante baptiſmum, nam nullum Sacramentum remittit peccata poſt ipſum commiſſa.

9 Dices. Si adultus baptizetur cum vera diſpoſitione de omnibus mortalibus, ſed cum affectu ad aliquod veniale, & ſine retractatione venialium, quæ commiſit, huic baptiſmus non remittit venialia; ergo debebunt purgari antequam Cælum ingrediatur, & ſic Concilium non poteſt intelligi; niſi de pueris, & de adultis, qui verè in ſusceptione baptiſmi omnia venialia retractarunt.

Reſpondeo, quod peccata venialia illius adulti ſunt in duplici differentia, nam vel eſt ſermo de affectu illo durante, dum recipit baptiſmum, & hic affectus eſt peccatum veniale hominis habentis characterem, & ſubditi clauibus Eccleſiæ; & hoc peccatum non remittitur, quo ad pœnam, & culpam per baptiſmum, ſed vel per alia Sacramenta, vel alio modo, dum retractabitur, & tūc remittetur quo ad culpam, non quo ad pænam totalem, niſi ſit proportionata ſatisfactio, & de hoc peccato non loquitur Concilium, quia eſt peccatum hominis ſubditi clauibus Eccleſiæ, nec per baptiſmum remittitur: vel eſt ſermo de alijs peccatis venialibus commiſſis ante baptiſmum, & non retractatis; & hæc omnia dico remitti quo ad pænam, & culpam, dum Sacramentum reuiuiſcit per poſitionem ſufficientis retractationis ipſorum, vnde ſi poſt baptiſmum ſtatim moreretur, recta via ibit in Cælum: ſicuti enim dicitur de Martyre, quod ſi moriatur, & non retractauerit omnia venialia in hac vita, ſtatim poſt mortem elicit actum feruentiſſimum omnia retractantem, & virtute martyrij delentur ei omnia, tam quo ad culpam, quàm quo ad pænam, & ideò pro martyre nemo orat; ita de tali baptizato dicendum eſt.

Cur pro Martyre non oret Eccleſia.

10 Obijcies primò ex Vaſquez: fundamentum, quod Sacramenta reuiuiſcant habemus ex Auguſtino: ſed Auguſtinus non dicit Sacramenta reuiuiſcere reſpectu venialium; ergo reſpectu venialium non reuiuiſcunt.

Reſpondeo Auguſtinum implicitè etiam dicere Sacramenta reuiuiſcere reſpectu venialium: nam fundat efficaciam Sacramentorum in eo, quod Sacramenta ſancta ſint, & ideo nullius iniquitate minuuntur. Sic lib. 6. de baptiſmo cap. 5. ſecundò à fortiori id colligimus, quia, ſi habent vim remittendi mortalia, multò magis venialia, quia hæc facilius remittuntur. Tertiò id colligimus ex allato loco Trid. ſeſs. 5. nam, ſi in renatis nihil eſt, quod eos ab ingreſſu cęli remoretur, & ex alia parte poſſit quis baptizari cum peccatis venialibus, quæ non retractauit; certè ſi ea peccata non ſunt retractata, neque ſtatim remittuntur per baptiſmum, dum ſuſcipitur; & ex alia parte, ſi ſtatim poſt ſuſceptum baptiſma, quis moriatur, debeat etiam recta ire in Cælum, fatendum eſt poſtea virtute Sacramenti reuiuiſcentis deleri, tam quo ad pœnam, quam quo ad culpam. Sic ad hæc duo argumenta reſpondet Lugus loco cit. num. 93 ſed verè ex allato loco Trid. colligimus venialia omnia etiamſi

non

Digitized by Google

non ſint retractata deleri virtute Sacramenti, ſiue dum primò quis recipit Sacramentum, ſiue dum reuiuiſcit; nam baptiſmus habet ex virtute ſua vt omnia remittat, & idem dicendum de martyre; velle enim mori propter amorem, & fidem Christi eſt virtualis retractatio omnium peccatorum, ſiue mortalium, ſiue venialium. Et quod dicimus de baptiſmo dicendum eſt etiam de alijs Sacramentis ſuo modo; nam ſi reuiuiſcant habent etiam ipſa quod poſſint remittere ex vi ſua venialia.

11 Excipere tamen debemus ab hac regula Sacramentum pœnitentiæ; nam hoc, dato, quod poſſit reuiuiſcere; ſicuti, dum directè ſumitur, poteſt remittere mortale, non veniale, vel vnum veniale, non aliud; ita etiam dum reuiuiſcit idem dicendum: cetera verò Sacramenta abſoluta ſunt ex ſe in ſua efficacitate, hoc autem poteſt dici reſpectiuum ad vnum veniale non aliud, vel ad mortale, non veniale. Sic Arriaga loco cit. n. 32.

QVAESTIO IV.

De Charactere Sacramentali.

SEcundus Sacramentorum effectus eſt character, qui cum non producatur ab omnibus Sacramentis, ſed à quibuſdam tantùm, neque ſit tantę perfectionis, ſicuti eſt gratia, meritò ſecundo loco poſt gratiam de ipſo agendum eſt. De charactere fusè tractant, qui contra hæreticos noſtri temporis illum negantes controuerſias explicant; ſic Vvaldenſis tit. 2. de Sacramentis c. 109. Bellar. lib. 2. de Sacram. cap. 18. & Scholaſtici hic communiter cum D. Thom. & in 4. ſententiarum cum Magiſtro.

ARTICVLVS I.

An aliqua Sacramenta imprimant characterem.

1 CHaracter eſt nomen græcum, quod latinè idem ſignificat, quod figura, ſeu nota, ferro, vel alio inſtrumento impreſſa, vnde propriè eſt ſignum, vel ſigillum, quo res aliqua ſignatur, vel vt ab alijs dignoſcatur diſtincta, & in pretio habeatur tamquam alicuius domini particularis, ſicuti ſolebant ſignari animalia, & ſerui, vel quatenus aliquis deputatur ad aliquod peculiare munus, quomodo antiquitus ſignari ſolebant, qui militiæ adſcribebantur.

2 Vvicleffus ex Vvaldenſi cap. 109. Caluinius in Antidot. Trid. ſeſſ. 6. can 9. Kemnitius, & alij hæretici noſtri temporis negant dari characterem per aliqua Sacramenta; ſed hunc, dicit Kemnitius, fuiſſe excogitatum ab Innocentio III.

3 Concluſio. Veritas catholica eſt, tria Sacramenta imprimere characterem, nempe Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem. Sic definitum eſt in Concilio Florentino in decreto vnionis. In Trid. ſeſſ. 7. can. 9. vbi habetur. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.* Et idem habetur in cap. Maiores de Baptiſmo. Eccleſiâ autem ad hanc veritatem determinandam fundamentum habuit ex perpetua traditione, quæ ſemper fuit in Eccleſia ab Apoſtolis accepta, vt probat Vvaldenſis loco citato; ex pluribus ſcripturæ locis eadem veritas inſinuatur 2. ad Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus, & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris* ad Epheſ. 1. *In quo, & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto*, quod repetit cap 4. & expreſsè ex Partibus, qui plures hac veritatem tradiderunt, vt Dionyſyus de cœleſti Hierarchia cap. 2. Baſilius tract. 13. Cyrillus Hieroſol. præf. in catecheſ. Auguſt. pluribus in locis, vt lib. 6. de Baptiſmo cap. 1. Epiſt. 23. & 204. Tract. 5. in Epiſt. 1. Ioan. & plures alij Sancti Patres.

4 Ratio à priori huius veritatis eſt Chriſti, & Dei voluntas, qui ſic voluit, & inſtituit, vt notarunt Lugus, & Arriaga; potuit enim Deus dare poteſtatem recipiendi alia Sacramenta, etiamſi non reciperetur character in baptiſmo, reſiſtendi Tyrannis in confeſſione fidei ſine confirmationis charactere, & per Ordinem priuilegium conſecrandi, & abſoluendi ſine charactere, ſicuti enim ſine Charactere eam habuit Chriſtus, ita potuit eam communicare alteri; vnde à priori huius veritatis nulla alia ratio eſt, niſi Chriſti Domini voluntas, quæ Eccleſiæ innotuit ex perpetua traditione, Sanctis Patribus, & locis adductis ſcripturæ.

5 Ratio à poſteriori adducitur à Concilijs Florentino, & Trid. locis citatis, & eſt hæc. Hæc tria Sacramenta imprimunt characterem; ergo non poſſunt iterari; quod argumentum Concilij ſic poteſt formari. In tantùm aliqua cauſa ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis applicatur, vel poteſt rationabiliter applicari ad producendum aliquem effectum, in quantùm talis effectus non eſt in rerum natura; nam ſi eſt, naturaliter non po-

Digitized by Google

teſt idem numero produci, & multi tenent abſolutè hoc repugnare, & ſaltem de via ordinaria idem numero non producitur, cum Deus, & natura nihil ſruſtra faciant: ſed baptiſmus, confirmatio, & ordo non ſunt iterabilia, vt fatentur etiam hæretici; ergo fatendum eſt hæc tria Sacramenta produxiſſe aliquem effectum, qui indelebiliter perſeueret; at hic effectus non poteſt eſſe gratia, cum hæc ſæpè ſepius per peccatum mortale amittatur; ergo debet eſſe character, qui eſt ſignum impreſſum indelebiliter in anima.

6 Dices ex Arriaga. Potuiſſe Deum tunc decernere, vt in ſecunda ſuſceptione non reciperetur character, vel etiam ponere duos characteres ſimul, vel denique auferre priorem; ergo ex eo, quod productus fuit character non ſequitur, quod Sacramanta non poſſint iterari. Sed contra, quia ſi Deus decreuiſſet, vt in ſecunda ſuſceptione non reciperetur character, iam mutaſſet inſtitutionem illius Sacramenti, & decreuiſſet aliam, & ſic non eſſet idem Sacramentum, ſed aliud, imo non eſſet ſtabile, quam tamen ſtabilitatem ſaltem centum annorum dicit cuilibet Sacramento conuenire debere: neque poſſunt poni duo characteres ſimul; nam Deus & natura nihil fruſtra faciunt, & cum vnus ſit ſufficiens, alius eſſet fruſtraneus, & ſuperfluus; neque poteſt auferri prior, nam eſſet contra ſuppoſitionem, quam facit Concilium, nempe quod ſit ſignum indelebile; ex quo deducit Sacramenta non poſſe iterari; fatendum igitur eſt Concilium rectè probare, & veram deducere concluſionem; ergo non poſſunt iterari, & hoc propter rationem adductam.

7 Congruentiæ cur hæc tria Sacramenta imprimant characterem afferuntur à D. Thoma, & communiter à Theologis approbantur, quia ſicuti in exercitu bene ordinato datur diſtinctio totius exercitus ab alio, & equitum, & peditum ab alijs, & tertiò etiam Ducum; & idem dicendum in familia Principis: ſic per characterem baptiſmalem diſtinguitur totus exercitus Chriſti ab exercitu Diaboli; per confirmationem diſtinguuntur milites deſtinati ad pugnam contra fidei perſecutores à communi populo; per ordinem diſtinguuntur duces à reliquis; ſunt enim ordinati veluti duces, qui alios ducere debent, & eis Sacramenta adminiſtrare. Vel dicas ſicuti in lege veteri deputabantur ad obſeruandam legem, & ad populum Dei per circumciſionem, quæ erat ſignum quoddam carnale, ita nunc per ſignum ſpirituale deputantur ad participanda Sacramenta; ſicuti antiquitus per ſignum deputabantur milites ad pugnam; ſic Chriſti fideles per confirmationem ad pugnam ſpiritualem deputantur per ſignum aliquod ſpirituale; & ſicuti peculiaribus ſigns deputabantur ſacerdotes ad offerenda ſacrificia; ita nunc deputantur miniſtri per ordinem ad ritè adminiſtranda Sacramenta.

8 Obijcies primò. Templa, calices, & clerici per primam tonſuram remanent conſecrata Deo per ſolam actionem externam ſine charactere interno; ergo & homines poſſunt remanere deputati ad recipienda alia Sacramenta per baptiſmum externum, ad profitendum fidem per confirmationem, & ad adminiſtranda Sacramenta per ordinem abſque charactere interno.

Reſpondeo concedendo antecedens, & conſequentiam, ſi de poſſibili loquamur; & nego conſequentiam de facto; nam cum opera Dei ſint perfecta, & perfectius ſit eſſe tale intrinſecè, quam extrinſecè tantùm; Deus in recipientibus tria illa Sacramenta characterem intrinſecè ponit, & talem fuiſſe Chriſti Domini voluntatem ex Concilijs, & auctoritatibus adductis colligimus.

9 Obijcies 2. Indecens eſt Deum infundere huiuſmodi dona intrinſecè, ergo non infunduntur à Deo: probatur antecedens; nam hæc deberent infundi à Deo, etiam ſi quis cum peccato accedat: ſed indecens eſt Deum dare dona intrinſeca actu peccantibus; ergo indecens eſt, quod Deus hos characteres imprimat.

Reſpondeo hos characters non eſſe dona, quæ ordinentur ad ſanctitatem, ſed eſſe ſignacula quædam, & notas quibus homines conſignantur ad quædam officia obeunda, hæc autem poſſent competere etiam inimicis, vt patet de Prophetia, quæ datur aliquando etiam peccatoribus, vt ex varijs locis ſcripturæ colligitur.

10 Circa Sacramentum Ordinis aduerte, quod cum plures ſint ordines varios etiam habet characteres, qui in ſingulorum receptione imprimuntur, & omnes ordinantur ad Sacerdotium tamquam ad finem, & complementum; non ſunt tamen ita inter ſe connexi, vt irrita ſit ordinum ſuſceptio, ſi non præceſſerit ordo inferior; vnde ordinatus per ſaltum recipit characterem: Excipitur tamen Epiſcopatus, qui ſiue ſit ordo diſtinctus, vt volunt aliqui, ſiue indiſtinctus, eſſentialiter ſupponit Sacerdotium; & character Baptiſmi, cum ſit ianua Sacramentorum ita eſt neceſſarius, vt nullus alius character imprimatur

niſi

Digitized by Google

niſi ipſo ſuppoſito. Character autem Confirmationis non eſt hoc modo neceſſarius; vnde licèt præcedere debeat receptionem Ordinum, non tamen hoc neceſſariò requiritur; imo ſecundùm probabilem opinionem aliquorum excuſantur quandoque à mortali ſi accedant ad ordines non confirmati.

11 Quæres, an per Circumciſionem, vel aliud Sacramentum antiquæ legis imprimeretur character.

Reſpondeo cum D.Thom. & alijs negatiuè; ratio D. Thom. eſt, quia non erant cauſæ valentes producere aliquem effectum ſpiritualem operantem; & ideo illis ſufficiebat ſola circumciſio externa. Vnde D. Chriſoſt. Hom. 2. in Epiſt. ad Epheſ. habet. *Obſignati ſunt Iſraelitæ, ſed circumciſione quemadmodum pecudes*, nempe ſigno corporali externo, non interno vt Chriſtiani.

12 Quæres 2. An alia Sacramenta nouæ legis imprimant characterem.

Reſpondeo negatiuè. Ratio aſſertur à Concilijs, quia ſunt iterabilia; quæ autem iterari poſſunt, non imprimunt characterem.

13 Dices matrimonium iterari non poteſt; ergo ſaltem matrimonium imprimit characterem. Sed contra falſum eſt matrimonium iterari non poſſe; nam mortuo coiuge, poteſt quis cum alio contrahere, imo ſi alter coniugum moreretur, & poſtea reſurgeret, non poſſet licitè copulari cum alio, niſi prius de nouo contraheret matrimonium; quia matrimonium durat tantùm vſque ad mortem iuxta illud Pauli 1.ad.Cor.7. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit, quod ſi dormierit vir eius libera eſt, cui vult nubat*. Sic Henriquez lib. 1. de Sacramentis cap.13. num.4. & Lugus hic. Si autem imprimeretur character per matrimonium, non poſſet, etiamſi quis reſurgeret, de nouo contrahere; vt patet de ſacerdote, qui ſi reſurgeret, non deberet iterum ordinari.

ARTICVLVS II.

Quid ſit Character Sacramentalis.

1 Prima ſententia eſt Durandi in 4. q.1. num.11. qui voluit eſſe relationem rationis, per quam homo ex diuina inſtitutione deputatur ad ſacras functiones exercendas eo modo, quo Deus deſtinauit Dauid Regem, huic opinioni videntur adhærere Rub. in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. & Sotus diſt. 1. q.4. art.4.

Secunda ſententia eſt Scoti in 4.diſt.6. quæſt. 10. §. Hic dicitur, & plurium Scotiſtarum aſſerentium eſſe relationem prædicamentalem, verùm plures Scotiſtæ negant ipſum poſuiſſe characterem tanquam relationem prædicamentalem, ſed volunt ipſum intellexiſſe relationem tranſcendentalem.

Tertia ſententia eſt D. Thom. hic. q. 63. art.2. Caiet. Nugni, Cabreræ, & Thomiſtarum communiter, ſic Ioan. à S. Thom. diſp. 25. art. 1. dub. 1. Gonet diſp.4. art.2. Suarez diſp. 11. ſect. 2. Vaſquez diſp. 134. cap.2. Lugo diſp.6. ſec.2. Amicus diſp.7. quæſt.3. Arriaga diſp. 17. ſec. 3. & communiter Doctores docent characterem eſſe ſpiritualem qualitatem realem poſitam in anima.

2 Concluſio prima. Character ſacramentalis non eſt ens rationis, aut relatio prædicamentalis. Prima pars eſt contra Durandum, & ita certa, vt multi Doctores vocent Durãdi opinionem erroneam, & falſam. Probatur ex Trid. ſeſſ.7. can.6. vbi habetur. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis &c. non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt; anathema ſit*. Sed ens rationis non imprimitur in anima, neque eſt ſpirituale, & indelebile, vt de ſe patet; ergo character non eſt ens rationis.

3 Dices 1. Ex Vaſquez, & Arriaga: hoc argumentum non conuincere ſententiam Durandi eſſe falſam; nam ſolemus nos dicere per peccatum imprimi maculam in anima, & in Apoc. peccatum vocatur character beſtiæ, & tamen peccatum habituale non eſt, niſi denominatio extrinſeca ab actu præterito; peccati moraliter perſeuerans; inſuper in moralibus ſolemus dicere, fuiſſe impreſſam alicui notam, vel infamiam, & tamen infamia, & nota non ſunt, niſi denominationes extrinſecæ; ergo etiam poſſumus rectè dicere eſſe impreſſum characterem, etiamſi character ſit tantum denominatio extrinſeca. Sed contra primò, quia ſic dicendo, iam non defenditur opinio Durandi in terminis, cùm ipſe dicat eſſe relationem rationis. Contra ſecundò eſtò Durandi ſententia ſit, quod character ſit denominatio extrinſeca, nihilominus hanc aperte damnat Concilium; dum dicit per illa tria Sacramenta imprimi in anima ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; etenim dum Concilium definit imprimi characterem, tanquam ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; aliquid ampliùs voluit eſſe characterem ſacramentalem, quam id quod ponunt hæretici: ſed hæretici non poſſunt negare per receptionem Sacramentorum hominibus non aduenire deno-

Digitized by Google

denominationem extrinſecam eo modo quo admittitur à Durando; ergo cum Concilium damnet errorem hæreticorum, & hanc Durandi opinionem videtur damnare.

4 Dices 2. Concilium damnare hæreticorum errorem, qui negant Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, & conſequenter etiam denominationem, prout à Durando ponitur. Sed contra quia Concilium non ſolùm damnat hæreticos, eo quod negent Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, quod facit ſeſſ. 23. cap. 3. & 4. & can. 1. & 3. ſed etiam cap. 3. & can. 4. damnat eos, qui negant per Sacramenta illa Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis non imprimi characterem, quod prius fecerat ſeſſ. 7. can. 9. Ergo reſponſio Vaſquez nullo modo ſubſiſtit; Sunt enim diuerſi errores negare Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, aut negare poteſtatem conficiendi Sacramenta, vel negare imprimi per illa tria Sacramenta characterem, & Concilium diſtinctis in locis hos errores damnat; nullo igitur modo hæc ſententia Durandi poteſt admitti.

5 Probatur 2. Quia Trid. dicit characterem eſſe ſignum ſpirituale impreſſum in anima, & indelebile: ſed per ſolam denominationem extrinſecam non poteſt intelligi, quod character ſit ſignum ſpirituale, indelebile; nam valor monetæ, quo exemplo vtitur Durandus ex voluntate Principis mutatur, quod quis ſit Comes, Marchio, vel Doctoratus non eſt ſignum indelebile; nam licèt titulus Comitis, vel Marchionis poſſit eſſe ſignum nobilitatis, nihilominus non ſunt ſigna indelebilia; nam poteſt quis perdere, & titulum, & nobilitatem; nec Doctoratus eſt ſignum indelebile doctrinæ, nam de facto plures doctrinam progreſſu temporis amiſſerunt, & ſic de cæteris denominationibus dicendum; ergo cum definitum ſit characterem eſſe ſignum ſpirituale, & indelebile, fatendum eſt non poſſe conſiſtere in ſola extrinſeca denominatione.

6 Secunda pars, quod non ſit relatio prædicamentalis ſic probatur; nam vel relatio prædicamentalis nihil aliud eſt, niſi complexum ex fundamento, & termino, vt probatum fuit in tractatu de Trin. quæſt. 2. art. 1. & ſic cum in re non ſit, niſi denominatio extrinſeca reijcitur hæc opinio iiſdem argumentis factis contra ſententiam Durandi; Si verò dicatur hanc relationem eſſe rem, vel modum, debet aſſignari fundamentum, in quo fundetur, ſicuti enim, vt conſurgat relatio ſimilitudinis in duobus parietibus albis, debeāt ambò parietes habere albedinem, quæ eſt fundamentum ſimilitudinis; ita vt perpetuò per tria illa Sacramenta deputentur homines de familia Chriſti debet aſſignari aliquod fundamentum reale in anima, quod prius non erat, & ſupra quod fundetur illa relatio, quæ denominetur character, quo ſenſu ſaluantur quidē Concilia, ſed non poteſt dici character relatio prædicamentalis; quod ſic probatur; nam nomine characteris, vel intelligunt hi Doctores fundamentum cum reſpectu illo reali adueniente, & prædicamentali, vel intelligunt purum reſpectum: ſi purum reſpectum: contra, quia purus reſpectus non producitur, neque imprimitur; cum ad relationē ex Ariſt. 5 Phyſic. non ſit per ſe motus; vel intelligunt fundamentum cum reſpectu prædicamentali, & neque hoc dici poteſt; nam relatiua prædicamentalia ſunt ſimul natura, & cognitione; character autem ſacramentalis, vel eſt in ordine ad recipienda Sacramenta, quæ actu non ſunt, vt eſt character baptiſmalis, vel ad ea adminiſtranda, vt eſt in Ordine, vel ad profitendam fidem, vt eſt in Confirmatione, vbi patet adeſſe characterem, licèt non ſint actu iſti termini; vel iſti characteres ponuntur ad denotanda ſubiecta ipſorum eſſe de familia Chriſti; & neque hoc dici poteſt eſſe relationem prædicamentalem; nam in triduo mortis verè fuit character in Apoſtolis; & tamen Chriſtus non erat in rerum natura; ergo neque erat iſta relatio prædicamentalis ad Chriſtum.

7 Dices cum Arriaga, relationem prædicamentalem non requirere terminos exiſtentes; nam relatio prioris, & poſterioris non requirit terminos exiſtentes; ergo poteſt ſtare abſque eo quod ſint actu termini; tum quia licèt in triduo mortis Chriſtus non extiterit in rerum natura, exiſtebat tamen anima ipſius, vnde licèt non potuerit manere ille ordo prædicamentalis ad Chriſtum, vt dicit vnionem animæ cum corpore, remanebat tamen in ordine ad animam Chriſti. Sed contra; nam hic auctor confundit relationem prædicamentalem cum tranſcendentali; nam licèt verum ſit, quod quando ponitur primus terminus poſſit dici tranſcendentaliter prior reſpectu alterius termini ponendi, non tamen prædicamentalitèr, niſi & ſecundus actu ponatur, nam antequam ponatur terminus correlatiuus prædicamentaliter neque eſt prior, neque poſterior, & hoc debet, & ipſe admittere; cum ponat relationem eſſe complexum ex fundamento, & termino eſſentialiter;

quare

quare ſicuti poſito ſolo corpore, & non anima rationali implicat dicere, quod poſitus ſit homo; cum homo eſſentialiter includat animam, & corpus, ita poſito tantùm vno termino, implicat dicere ipſum eſſe prædicamentalitèr priorem, vel poſteriorem, cum hæc relatio eſſentialitèr requirat actu, & fundamentum, & terminum; & eadem ratione reijcitur ſecunda reſponſio; nam ſi eſſentialitèr relatio characteris eſt ad Chriſtū, vt dicit vnionem animæ cum corpore, implicat remanere hanc relationem destructa vnione, ſed erit alia, & ſic, ſi character eſſet relatio prædicamentalis, non eſſet ſignum indelebile, ſed mutabile, & delebile.

8 Concluſio 2. Character eſt qualitas quædam ſpiritualis poſita in anima, ſeu per Sacramenta impreſſa in anima, quæ tamquam ſignum ex inſtitutione diuina deſignat domeſticos Chriſti per Baptiſmum, milites per Confirmationem; & miniſtros per Ordinem; ſeu quod ſit ſignum ex inſtitutione diuina, ſeu ad placitum, eſt contra Salas 1. 2. tom. 1. tract. 2. diſp. 8. ſect. 3. num. 61. & Lugum hic diſp. 6. ſect. 3. num. 38. eſt tamen Gabrielis in 4. diſt. 6. quæſt. 1. Ocham. q. 2. Suarez diſp. 11. ſect. 2. & 3. Vaſquez diſp. 134. nu. 61. Arriagæ diſp. 17. ſect. 4.

9 Prima pars, quod ſit qualitas quędam ſpiritualis poſita in anima probatur; nam non eſt ens rationis, aut relatio realis prædicamentalis, vt ſupra probatum fuit; neque poteſt eſſe modus; nam modi per nos non dantur; tùm quia iis datis, modus nec diuinitus poteſt conſeruari ſeparatus à re, cuius eſt modus; at nullum fundamentum habemus dicendi Deum non poſſe ſeparare characterem ab anima, illumque conſeruare; ergo nullum fundamentum habemus dicendi ipſum eſſe modum; debet ergo eſſe res realis, & abſoluta, & cum non poſſit pertinere ad aliud prędicamentum, quam ad qualitatem, vt diſcurrenti facilè patet, dicendum eſt characterem eſſe qualitatem.

Character nõ eſt modus.

10 Secunda pars, quod ſit ſignum clarè colligitur ex Trid. quod characterem definiens dicit: *eſſe ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile*, & eſſe ſignum, ſeu ſacrum ſigillum Patres, & omnes Scholaſtici admittunt; vnde remanet tantùm probandum, quod non ſit ſignum naturale, ſed ſit ſignum ad placitum ex inſtitutione diuina. Probatur 1. ex Patribus, & 1. ex D. Baſilio *Orat. 13.* vbi comparat baptiſmi characterem teſſeræ, quam Duces dant militibus, vt amici faciliùs ſe noſcant; ſed teſſera eſt ſignum ad placitum; ergo & character; Eumdem modum loquendi habent Nazianzenus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij, quos ad longum adducit Bellar. lib. 2. de Sacra. cap. 21.

11 Probatur 2. ratione in hac materia de charactere in ſe obſcura, ſuppoſita ea cognitione, quam habemus ex Concilijs, & Patribus, eam debemus eligere opinionem, quæ ab hominibus facilè capi poſſit, non fere in intelligibilem; ſed difficillimum captu eſt dicere hanc qualitatem habere neceſſariam, & eſſentialem connexionem cum hac numero ſecunda perſona Trinitatis, vt ſubſiſtente in natura hac humana, cum reſpectu ad talia, & talia Sacramenta, licèt enim hoc non videatur implicare; duriſſimum tamen eſt ad percipiendum quod ſi ſecunda perſona non fuiſſet incarnata, ſed Spiritus Sanctus, non potuiſſent eſſe idem character, nec eadem Sacramenta, ſed alia; quæ omnia ceſſant, ſi dicamus eſſe ſignum ad placitum ex inſtitutione diuina; Sic enim clarè cognoſcimus, quod ſicuti Principes teſſeras, & characteres ſenſibiles habent, quibus cognoſcantur ſecundùm varios gradus illi, qui eis inſeruiunt: Ita Deus charactere inſigniuit domeſticos ſuos, milites, & miniſtros, quo ab Angelis clarè, & diſtinctè omnes cognoſcantur.

12 Obijcies 1. Pro ſententia Durandi. In re obſcura illam debemus ſequi opinionem, quæ clarè explicat myſteria: Sed clarè explicantur, ſi dicamus eſſe relationem rationis, vel denominationem extrinſecam, ergo ſic dicere debemus.

Reſpondeo concedendo maiorem, ſi cohærentèr ad dicta Conciliorum, & Patrum loquamur; opinio autem Durandi repugnat Concilijs, vt vidimus, & ex alia parte adhuc clarior eſt noſtra opinio; nam dicimus characterem eſſe qualitatem realem, quæ eſt ſignum ad placitum ex inſtitutione diuina.

13 Obijcies 2. pro Scoto: Character eſt ſignum indelebile demonſtrans habentes illud, vel eſſe de familia Chriſti, vel milites Chriſti, vel miniſtros eiuſdem; Sed hæc omnia non poſſunt concipi ſine relatione ad Chriſtum, & ad Sacramenta, vel recipienda, vel adminiſtranda; ergo character eſſentialiter eſt aliquid relatiuum.

Reſpondeo diſtinguēdo conſequens character eſt aliquod relatiuum prædicamentale, nego conſequentiam; tranſcendentale, concedo conſequentiam: hoc autem relatiuum tranſcendentale identificatur cum re abſoluta, & dicit tantùm ordinem ad terminos, tamquam

ad

Digitized by Google

ad aliquid extra ipſius eſſentiam, vt ex alibi dictis ſuppono.

14 Obiicies 3. Vel hæc qualitas, quę dicitur character dicit ex ſe ordinem ad Chriſtum, & ad Sacramenta, vel ex inſtitutione diuina: ſi primum incidimus in ſententiam Lugi, quam tamen impugnauimus: ſi ſecundùm; ergo iſte ordo non eſt tranſcendentalis, ſed prædicamentalis: probatur hæc vltima conſequentia: ordo tranſcendentalis non poteſt ſeparari à fundamento; cum ſit de ipſius eſſentia, ordo autem prædicamentalis poteſt ſeparari: ſed quod eſt tale ex inſtitutione diuina, poteſt diuinitus ſeparari; nam potuit Deus non inſtituere talem qualitatem, vt dicentem ordinem ad Chriſtum, & Sacramenta; ergo erit relatio prædicamentalis, & ſic erit ſententia Scoti, quam reiecimus.

Reſpondeo ad hoc argumentum, quod prima facie videtur difficile, characterem dupliciter poſſe conſiderari, vel vt qualitas quædam mortua eſt, & hoc modo nullum ordinem dicit, neque ad Chriſtum, neque ad Sacramenta, ſed in ſe qualitas quædam abſoluta eſt; vel conſideratur vt ſubeſt inſtitutioni diuinæ, quatenùs Deus eam qualitatem aſſumpſit ad deſignandum eam habentes, vel de familia, vel milites, vel miniſtros Chriſti; & ſub hac ratione, vt ſubeſt inſtitutioni Dei eſt illi eſſentialis, & inſeparabilis iſte ordo. Hoc totum explicatur exemplo teſſeræ, v. g. ceruleæ, quæ à Principe detur militibus ſuis, ſi hæc teſſera ſecundùm ſe conſideretur, non facit diſtinguere eam habentem eſſe potiùs de familia vnius, quam alterius, imo poſſet quis eam geſtare, & tamen non eſſe de familia vlius Principis: at ſi conſideretur, vt datur à Principe ex intentione diſtinguendi milites ſuos ab alijs tunc tali teſſeræ, vt ſubeſt intentioni Principis, eſſentiale eſt diſtinguere milites Principis ab alijs ita & in propoſito de charactere dicendum eſt.

15 Obiicies 4. pro Lugo: Non repugnat dari qualitatem, quæ ex ſe habeat connexionem naturalem, & ſit apta facere deuenire in cognitionem ex natura ſua, quod qui eam habet ſit de familia, vel miles, vel miniſter Chriſti; ergo ſi eſt poſſibilis, dicendum eſt, huiuſmodi eſſe characterem.

Reſpondeo quidquid ſit de antecedenti; negatur conſequentia; quia eſto non poſſit facilè aſſignari implicantia, cur non poſſit dari; nihilominus difficillimè capere poſſumus, quomodo illa qualitas, quæ in ſe mortua eſt, dicat eſſentialem ordinem ad Chriſtum, vt ad Dominum, ad Sacramenta adminiſtranda, & recipienda &c. cum ex alia parte nullum habeamus fundamentum eam ponendi, & faciliùs poſſimus explicare eſſentiam characteris, ſi dicamus eſſe ſignum ex inſtitutione diuina; in hac autem materia ſuppoſitis principijs fidei, & firmis manētibus auctoritatibus Conciliorum, & Patrum, illam debemus ſequi opinionem, quæ faciliùs, & clariori modo explicat characteris eſſentiam; vt ſupra diximus.

16 Obiicies 5. Si eſſet character ſignum ad placitum, nullum fundamentum haberemus ponendi illum ſupernaturalem; nam ſufficeret eſſe naturalem: ſed communiter omnes admittunt illū eſſe ſupernaturalem; ergo dicendum eſt non eſſe ſignum ad placitum, ſed naturale.

Reſpondeo, quod etiam ſi character eſſet ſignum naturale non eſſet neceſſe illum ponere in entitate ſupernaturalē, nam ſupernaturalitas non deſumitur à terminis, ſed à modo reſpiciendi terminos, vnde per actum naturalem hæreticus, vt diximus de gratia, & alibi, poteſt credere myſterium ſupernaturale. Dico ergo eſſe ſignum ad placitum ſupernaturale, quia cum ratio ſigni ad placitum, tam poſſit conuenire enti naturali, quam ſupernaturali, Deus elegit potius ſignum ſupernaturale, quia eſt conformius gratiæ, & auxilijs, propter quæ datur.

ARTICVLVS III.

In qua ſpecie qualitatis ſit character.

1 Cum ex hucuſque dictis conſtet characterem eſſe qualitatem, vtique ad aliquam ſpeciem qualitatis reduci debet ex illis quatuor, quæ ab Ariſt. ponuntur in prædicamento qualitatis; ſunt autem quatuor ſpecies qualitatis, quas enumerat Philoſophus, nempe habitus, & diſpoſitio, potentia, & impotentia, paſſio, & paſſibilis qualitas, forma, & figura, & in hac difficultate, quætamen meo videri non eſt, magni momenti, ſed potiùs de nomine, mirum eſt, in quam varias abierint opiniones fere omnes Scholaſtici. Dixi eſſe potiùs de nomine, nempe quod debeat potiùs vocari habitus, vel potentia &c. Nam poteſt poſtea eſſe quæſtio de re, ſuppoſito, quod dicamus eſſe habitum, vel potentiam; an moraliter concurrat tantum ad proprios actus eliciendos, vel etiam phiſicè inſtrumentaliter.

2 Prima ſententia docet ſpectare ad tertiam ſpeciem qualitatis, ſic Bonauen-

Digitized by Google

uentura, Ocham, Lugo diſput.6. ſect.3. num.48. Arriaga diſp.17. ſect.6. & alij. Secunda vult ſpectare ad quartam, quia eſt figura quædam ſpiritualis, ſic Marſilius, Richardus in 4. diſt.5. art.2. qu.1. Tertia opinio vult propriè ad nullam pertinere, ſed reductiuè ad omnes.

Quarta ſententia principalis eſt Alenſis 4. p. quæſt.19.memb.1. art.2. Suarez diſput.11. ſect.3. Vaſquez hic, Bellarm. cap.19. Amici diſp.7. & plurium aliorum, hæc vult ſpectare ad primam ſpeciem qualitatis, quam probabiliorem cenſet Arriaga loco cit.

Quinta denique ſententia vult ſpectare ad ſecundam ſpeciem qualitatis, nempe ad potentiam, & impotentiam; eo quod ſit potentia ſaltem imperfecta ad agendum, vel recipiendum; hæc eſt expreſſa D. Tho. hic quæſt.63. art.2. Nugni, Caiet. Cabreræ ibidem, Ioann. à S. Tho. diſput.25. art.2. dub.2. Gonet. diſp.4. art.2. Thomiſtarum communiter, & plurium aliorum.

3 Concluſio prima. Si character ſub diuerſa ratione conſideretur poteſt aliquo modo reduci ad quamlibet ex enumeratis ſpeciebus qualitatis. Probatur, quia prima ſpecies eſt habitus, & diſpoſitio, ſi ergo conſideretur character quatenùs eſt indelebilis poteſt reduci ad habitum, qui eſt difficile mobilis à ſubiecto; ſi conſideretur quatenùs eſt neceſſarius ad recipienda Sacramenta, vel adminiſtranda, poteſt reduci ad diſpoſitionem: ſi in ordine ad adminiſtranda Sacramenta poteſt dici potentia, ſicuti enim potentia concurrit ad effectum, ita & aliquo modo concurrit character, vel phyſicè, vel moralitèr, de qua difficultate concluſione ſequenti, ſi per impotentiam intelligitur potentia debilis, ſic character, quia ex ſe, niſi eleuatus à Deo nihil poteſt producere, ſub hac ratione poteſt reduci ad impotentiam: ſi nomine paſſibilis qualitatis comprehendantur etiam qualitates ſpirituales, poteſt dici paſſibilis qualitas; denique quatenus ſignum eſt indelebile poteſt dici figura ſpiritualis: ſed re vera character in nulla ex his ſpeciebus qualitatis propriè eſt. Non in quarta, quia figura, vt docet D. Tho. hic ar.2. ad 1. eſt quædam terminatio quantitatis, vnde propriè non eſt, niſi in rebus corporeis, & ſolùm metaphoricè dicitur de ſpiritualibus: non in tertia, quia in hac propriè non ſunt, niſi ſenſibiles qualitates, vt pallor, qui fit ex metu, rubor, qui oritur ex verecundia; cuiuſmodi non eſt character vt de ſe patet: non in ſecunda, quia potentiæ, vel non diſtinguuntur ab anima, vel ſi diſtinguuntur fluunt ab anima; character autem à Deo ſolo producitur, & imprimitur per Sacramenta: non in prima, quia habitus, & diſpoſitio intenduntur, & remittuntur, quod non conuenit characteri; ſi igitur ad omnes ſpecies aliquo modo reduci poteſt, & ad nullam propriè, videndum nunc eſt, in quanam reductiuè ſit potiùs ponenda,

4 Concluſio 2. Character debet potiùs reduci ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quam ad vllam aliam. Probatur ratione D. Tho. In tantùm imprimitur character per Sacramenta, in quantùm per characterem deputatur homo ad cultum Dei ſecũdùm ritum Chriſtianæ religionis, iuxtà D. Dionyſium in 2. cap. Eccleſ. Hierarch. *Perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum*: Sed cultus diuinus conſiſtit, vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo alijs: atqui ad tradendum alijs requiritur potentia actiua, ad recipiendum potentia paſſiua, & hoc habetur per characterẽ; ergo character eſt aliqua potentia; quæ tamen, cum tantùm ſit inſtrumentalis, reductiuè ſolum reducitur ad ſecundam ſpeciem qualitatis, non propriè, & hæc de voce.

5 Concluſio 3. Character non eſt potentia phyſica, ſed moralis. Hanc concluſionem pono, non quia iudicem eſſe impoſſibile, quod character concurrat tamquam potentia phyſica inſtrumentalis, vt docent Thomiſtæ communiter, ad actiones ſacramentales, nullam enim video implicantiam, aut vllum eſſe argumentum efficax, quod à Thomiſtis optimè non ſoluatur, ſed quia illam actiuitatem ſolam debemus tribuere characteri, quæ neceſſaria eſt, vt ſaluentur dicta Conciliorum, & Patrum de ipſo charactere: ſed ex dictis Conciliorum, & Patrum nullo modo colligimus eſſe neceſſariam in ipſo phyſicam actiuitatem; ergo hanc ipſi pro libito noſtro, & ſine firmo fundamento concedere non debemus: maior patet, quia in re obſcura, & quam nos in ſe ipſa cognoſcere non valemus, ſi ex Patribus, & Concilijs non colligamus actiuitatem phyſicam illi conuenire, nõ niſi diuinando hanc ei tribuere poſſumus: probatur minor: quia nullam actiuitatem tribuunt Patres, & Concilia characteri, quam clarè ſaluare non poſſimus per actiuitatem moralem; imo in characteribus Ordinum minorum, Subdiaconatus, & Diaconatus nihil aſſignari poteſt, ad quod phyſicè concurrat character, omnia enim, quæ fiunt ab ipſis Miniſtris, vt cantare Epiſtolam, & Euangelium, & miniſtrare in Miſſa

poſſent

poſsent fieri ſine charactere, & character confirmationis ad nullam actionē concurrit, quam quis non poſſit efficere ſine charactere; ergo ſi aliqui characteres non concurrunt phyſicè, neque eſt neceſſe, vt id de alijs dicamus. Confirmatur à pari, quia eodem modo debemus dicere de charactere ſacramentali in ordine ad Sacramenta, ſicuti loquimur de lignis, & teſſeris corporalibus, quæ dantur à Principe militibus ſuis, vel Ducibus, vel alijs de familia ſua: ſed huiuſmodi ſigna non concurrunt phyſicè ad munera obeunda illis impoſita; ergo nec character Sacramentalis.

6 Obijcies primò contra ſecundam pro Suarez, quòd character debeat poni in ſpecie habitus, non potentiæ. Illud debet poni in ſpecie habitus, quod non eſt indifferens ad bonum, & malum, ſed tantùm eſt determinatum ad bonum: ſed character eſt huiuſmodi; ergo eſt habitus, non potentia: maior patet: probatur minor; nam character eſt qualitas ſupernaturalis, ad quam Deus ſpeciali auxilio concurrit, & eſt participatio Sacerdotij Chriſti: ſed implicat, quod qualitas ſupernaturalis, & participatio Sacerdotij Chriſti concurrat ad malum; ergo tantùm ad bonum, & ſic erit habitus.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, dupliciter enim poteſt aliquid eſſe determinatum ad bonum, vel obiectiuè vel ſubiectiuè, vt aliqua res ſit habitus non ſufficit ſi ſit determinata obiectiuè ad bonum, ſed debet etiam determinare ſubiectiuè ipſum operans ad bonum, non verò relinquere indifferentiam in ipſo operante: character igitur, licèt ex eo, quod ſit qualitas ſupernaturalis, & participatio Sacerdotij Chriſti ſit determinatus obiectiuè ad verū cultū Dei; nō tamen facit bonū habētem illū, nec determinat ſubiectiuè, ſed relinquit ſubiectum, in quo eſt, vt illo vtatur benè, vel malè, vt patet in dono prophetiæ, quod eſt donum Dei ſupernaturale, & tamen datur alicui peccanti mortaliter, vt patet de Balaam, Caipha, & alijs.

7 Obijcies ſecundò Omnis potentia debet ſequi aliquam eſſentiam: ſed character non ſequitur eſſentiam vllam, ergo non eſt potentia, ſed habitus: maior patet: quia omnis potentia, quæ eſt principium proximum, ſequitur eſſentiam aliquam, quæ eſt principium radicale, & remotum: probatur minor; nam non ſequitur eſſentiam naturalem, quia eſt ſupernaturalis; neque gratiam, quia poteſt ſtare ſine ipſa; ergo nullam eſſentiam ſequitur. Confirmatur, quia character ſacerdotalis in ſimplici Sacerdote non poteſt conferre characterem cōfirmationis, aut ordinum minorum; & tamen poteſt ex commiſſione Pontificis; ergo ſignum eſt non eſſe potentiam.

Reſpondeo, maiorem eſſe veram de potentijs phyſicis, & naturalibus, non autem de inſtrumentarijs, quæ reductiuè tantùm ſunt potentiæ, & moraliter, ſufficit enim, ſi iſtæ deriuentur à cauſa principali, & ab extrinſeco nobis communicentur. Ad confirmationem, dico ex hoc confirmari noſtram tertiam cōcluſionem, non verò militare contra ſecundam.

8 Obijcies primò contra tertiam. Per characterem homo conſignatur ad ad aliquos actus ſacramentales pertinentes ad cultum diuinum, item homo per characterem aliquid poteſt, quod ſine illo non poteſt, & hoc certum eſt apud omnes: vel ergo illa qualitas characteris ex ſe ſufficit conſtituere homines potentes ad tales actus, vel non ſufficit, & inſuper requiritur deputatio extrinſeca Dei, vt moraliter tales actus habeant valorem ab illis hominibus; ſi ſufficit; ergo eſt potentia phyſica; ſi verò non ſufficit; ergo eſt ſuperflua, quod dici nequit.

Reſpondeo, quod eo ipſo, quod Deus charactetem imprimit, etiam ſimul deputat hominem ad cultum Dei, & ad illos actus exercendos, quos prius non poterat ex officio, & validè exercere; ſicuti enim Princeps deſignando aliquem Iudicem poteſt actus iudiciales validè exercere, quos antea non poterat; ita eo ipſo, quod Deus characterem imprimit, etiam deputat ad validè, & ex officio exercendos actus, quos prius, vel non poterat validè, vel ſaltem ex officio non poterat exercere; vnde non dat Deus characterem, & poſtea deputat, ſed ſimul, & ſemel imprimendo characterem deputat homines ad tales actus validè, vel ex officio exercendos.

9 Dices; Ergo poteſt Deus etiam ſine charactere illos homines deputare, & ſic ſuperfluus erit character. Probatur conſequentia, nam vel illa qualitas intrinſecè concurrit ad tales actus, vel tantùm ex extrinſeca deputatione Dei; ſi intrinſecè concurrit; ergo erit potentia phyſica, ſi tantùm ex extrinſeca deputatione; ergo eodem modo fieret actus validè, ſi homo extrinſecè deputaretur à Deo, & ſic eſſet ſuperfluus character.

Reſpondeo diſtingendo conſequens; ergo poſſet Deus ſine charactere tali illos homines deputare, imprimendo tamen aliud ſignum, concedo conſequentiam;

Digitized by Google

tiam: nullum ſignum, aut characterem imprimendo, nego conſequentiam, & diſparitas eſt de deputatione hominum ad aliquod officium exercendum, & de deputatione Dei, quod deputatio hominum poteſt fieri per actum liberum, abſque eo, quod aliquod intrinſecum ponat in deputato, quia illud ponere non poſſunt; vnde deputant, vel per patentes, litteras, vel per aliquod ſignū, vel per verba exterius prolata: at in Deo, cum debeat ſuæ voluntatis efficacis deputantis ad aliquod, dari aliquis effectus ad extra, qui ſit in ipſo deputato, dum ipſe deputat ad actus ſacramentales efficiendos in anima intrinſecè ponit aliquid tamquam ſignum ſuæ volūtatis deputantis: per quod patet ad probationem, dico enim illam qualitatem ex ſe intrinſecè non concurrere phyſicè, cum ſit qualitas mortua; concurrere tamen moraliter, quia per illam fuit intrinſecè deputatus homo ad tales actus.

10 Obiicies ſecundò. Si character eſt potentia, vel eſt potentia actiua, vel paſſiua: ſed ſi eſt hoc modo potentia, erit phyſicè talis in ordine ad actus; ergo non erit talis tantùm moraliter.

Reſpondeo, characterem Baptiſmi eſſe eſſentialiter poteſtatem paſſiuam, moraliter requiſitā ad alia Sacramenta, non quidem ex natura ſua, ſed ex Chriſti, & Dei voluntate, characterem ordinis eſſe poteſtatem actiuam moraliter requiſitam ad rectè exercenda, munera imò characterem Sacerdotij eſſe eſſentialiter requiſitum ad conficiendum corpus Chriſti, & ad abſoluendum; characterem verò confirmationis eſſe poteſtatem moralem ad ea peragenda, quæ ſpectant ad pugnam ſpiritualem fidei.

ARTICVLVS IV.

In quo ſubiecto ſit character, & an ſit indelebilis.

1 IN quonam ſubiecto ponatur character tam ſunt diuerſæ opinioes, vt mirum ſit quomodo in tam varias abierint ſententias.

Durandus in 4.diſt.4.q.1.nu.9. illum ponit in potentijs executiuis corporalibus, vt in manu, vel ore; ſed hæc ſententia eſt falſa; cum Trid.ſeſſ.7.can.9. dicat expreſsè imprimi in anima; & cōmunis opinio doceat etiam durare poſt mortem; ergo non poteſt poni in his partibus corporeis, quæ corrumpuntur.

Bonauentura in 4.diſt.6.ar.1.q.3.cum collocat in anima, & potentijs.

Scotus ibidem quæſt. 11. §. *Dico ergo* in voluntate, quem Scotiſtæ, & alij ſequuntur.

Thomiſtæ hic q.63. ar.4. in intellectu eum ponunt, ſic Caiet. Syluius, Nugnus, Cabrera, Ioann. à S. Thom. Gonet. & alij communiter.

Suarez diſp. 11. ſec.4. Vaſquez diſput 134.c.4. Amicus diſp.7. q.4. Lugo diſp. 6 ſec.4. Arriaga diſp.17.ſec.6.num.38.& plures alij docent recipi in anima.

2 Concluſio. Probabiliùs eſt characterem recipi immediate in anima. Probatur, quia in re obſcura, & quam in ſe cognoſcere non poſſumus illam debemus ſequi opinionem, quæ conformior eſt Concicilijs: ſed Concilium Trid. loco cit. habet: *Si quis dixerit non imprimi characterem in anima &c. anathema ſit*, ergo in anima immediate collocandus eſt.

3 Dices. Hoc argumentum non probare, nam etiam ſi recipietur in potentijs animæ, adhuc verificaretur illum recipi in anima, licèt anima non eſſet ſubiectum immediatum, ſed mediatum. Sed contra 1. licèt hoc verum ſit, ſi ſuſtineamus potentias non diſtingui, niſi ratione, ab anima, quo caſu ſiue dicatur characterem poni in intellectu, ſiue in voluntate, ſiue in voluntate, & intellectu; cum anima, & iſtæ potentiæ ſint vna, & eadem res, ſi in aliqua ex his potentiis recipitur, & in anima recipiatur: ſi tamen dicatur potentias diſtingui realiter ab anima, per hoc, quod recipiatur in vna potentia, non dicitur abſolutè recipi in anima, niſi mediatè, ſcilicet mediante potentia, & ſic non ita clarè ſaluatur definitio Concilij, quod abſolutè dicit recipi in anima. Contra ſecundò. Character iſte non creatur, ſed educitur de potentia obedientiali animæ, quæ concurrit materialiter ſuſtentando actionem eductiuam ipſius, character enim eſt qualitas, & accidens: ſed quod concurrit materialiter ſuſtentando actionem eductiuam iſtius qualitatis, quæ character eſt, non poteſt eſſe accidens; nā accidens nō ſuſtētat, ſed ſuſtentatur; ergo debet eſſe ſubſtantia: ſi autem ſubſtantia eſt, debet eſſe anima: nam hæc ſola ſubſtantia eſt, cum intellectus, & voluntas ſint accidentia, vt concedunt etiam omnes, qui potentias realiter ab anima diſtinguunt: ſi autem anima ſuſtentat actionem eductiuam, etiam anima eſt, quæ immediatè recipit characterem, cum eadem actione, qua educitur etiā recipiatur, & educi ſit recipi.

4 Dices ſecundò. Etiam fides, & ſpes ſunt accidentia, & educūtur de potentia animæ, non creantur, & tamen fides recipitur in intellectu, ſpes in voluntate, & omnes actus, tum intellectus, tum vo-

Digitized by Google

luntatis recipiuntur in proprijs potētijs; imò etiam in rebus materialibus quantitas eſt ſubiectum immediatum accidentium; ergo etiam character, licèt ſit accidens, & educatur, non verò creatur, poterit immediatè recipi in intellectu, qui ſit accidens. Sed contra 1. quia hæc reſponſio oſtendit opinionem contrariam eſſe probabilem; at non euacuat vim argumenti; nam argumentum probat etiam, quod intellectus, & voluntas, ſi ſunt ſubiectum ſuſtentans actionem eductiuam habituum fidei, & ſpei, ſint etiam realiter ipſa ſubſtantia animæ, & quod ab anima non diſtinguantur; cum nihil, quod non ſit ſubſtantia poſſit immediatè ſuſtētare, cum hoc ſit proprium ſubſtantiæ; idem dico de quantitate, non enim oſtendi poteſt quantitatem eſſe realiter diſtinctam à ſubſtantia materiali, & ab accidentibus materialibus, vt dictum fuit in philoſophia, & plures Doctores hoc latè probant in phyſicis, & reſpondent argumento, quod maximè ducitur ex Sacramento Euchariſtiæ, in quo fides docet non remanere ſubſtantiam, remanere autem quantitatem illam accidentalem; dicunt enim non remanere quantitatem, quæ identificatur cum ſubſtantia panis, & vini, remanere autem quantitatem identificatam cum colore, ſapore, odore, & ceteris accidentibus panis, & vini. Contra ſecundò, eſto habitus recipiantur immediatè in potentiis etiam diſtinctis, contrarium tamen debet dici de charactere; quia ideò recipiuntur in potentijs, quia ſunt comprincipia cum ipſis ad producendos actus, & potentias ipſas determinant; ſed character non eſt habitus, ſed potius reducitur ad potentiam; ergo cum omnes potentiæ recipiantur in anima, etiam character, qui ad potentiam reducitur in anima recipi debet.

Quãtitas an ſit à ſubſtantia diſtincta.

5 Obijcies primò pro Durando. In ea potentia debet poni character, ad quã perficiendam ordinatur: ſed ordinatur ad perficiendam potentiam executiuam Sacramenti adminiſtratricem, hæc autem, vel eſt lingua, vel manus; ergo in his partibus ponendus eſt character.

Reſpondeo negando maiorem, ars enim ordinatur ad perficiendas potentias executrices, & tamen eſt in anima; dico igitur debere poni in eo ſubiecto, è quo educitur, cum eo ipſo, quod educitur, etiam recipiatur; hoc autem ſubiectum eſt anima, vt dictum fuit.

6 Obijcies ſecundò pro alijs. Character ordinatur ad cultum diuinum, & ad proteſtationem fidei; ergo debet poni, vel in intellectu, in quo ponitur fides, vel in voluntate, qua obedimus præceptis Dei, vel in vtraque potentia.

Reſpondeo negando conſequentiam nam anima ipſa eſt, quæ per characterem ordinatur ad cultum diuinum, & quæ debet proteſtari fidem, & cum ab anima educatur, etiam in ipſa debet poni, & hoc dicendum, quia Concilium dicit imprimi in anima.

7 Quo ad ſecundam difficultatem propoſitam. Certum in primis eſt in hac vita ſemper manere, hoc definiunt Concilia Florent. & Triden. & eo ipſo, quod hæc Sacramenta iterari non poſſunt, ſequitur, quod ſemper maneat character, ſecus poſſent iterari, & quod ſaltem in hac vita ſit indelebilis patet, quia Concilia dicunt *Eſſe ſignum impreſſum in anima indelebile*; vnde ſaltem in vita debet ſemper durare indelebiliter. Maior difficultas eſt, an maneat etiam poſt mortem.

8 Concluſio ſecunda. Character ita eſt indelebilis, vt etiam poſt mortem maneat in anima. Ita communiter omnes Theologi, a quorum communi ſententia ſine temeritatis nota non licèt diſcedere. Probatur à poſteriori, quia ſi Sacerdos mortuus reſurgeret, non debet rebaptizari, aut ordinari; ergo manet in ipſo prior character. Secundò probatur, quia ſi non maneret poſt mortem, deberet, ſi quis reſurgeret, iterum produci, vel conſeruari à Deo in tali ſubiecto à Deo præuiſo reſurrecturo in vitam: ſed hoc non poſſet fieri ſine nouo miraculo, non ſunt autem multiplicanda miracula ſine neceſſitate; ergo dicendum eſt ſemper durare eumdem characterem etiam poſt mortem.

9 Obijcies primò. Si quis moriatur cum peccato mortali, & damnetur, & poſtea reſurgat, ſtatim poſt mortem amittet fidem, & tamen rediuiuo infundetur de nouo fides; ergo idem poſſumus dicere de charactere.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; diſparitas eſt, quia fides non eſt habitus natura ſua perpetuus, nec neceſſe eſt, vt producatur per Sacramentum, ſed poſito actu fidei ſtatim infunditur, & ideò, ſi per mortem deperderetur, ſi poſtea reſurgeret talis homo, & actum fidei eliciat, ſtatim infundetur fides; at character cum imprimatur tantùm per Sacramenta, & rediuiuo nõ poſſint iterum dari Sacramenta characterem imprimentia, & ex alia parte ſi erat Sacerdos poſſit & recipere, & conficere Sacramenta, debemus aſſerere manere ſemper characterem.

10 Obijcies ſecundò. In Beatis, aut damnatis nihil deſeruiet character Sacerdotis, cum anima beata non poſſit

con-

Digitized by Google

conſecrare, aut abſoluere, imò nec cum corpore glorioſo, ſaltem poſt diem iudicij; & nullo modo hoc conueniet damnatis; ergo in ipſis non debet remanere.

Reſpondeo, quod in Beatis deſeruiet ad maiorem gloriam ipſorum, & in damnatis ad maiorem eorum confuſionem, eo quod cognoſcentur per characterem eos fuiſſe de familia Chriſti, & miniſtros eius, & quod nihilominus malè vſi ſint tali, & tanta gratia.

11 Obijcies tertiò. Character eſt ſupernaturalis; ergo non poterit cognoſci à damnatis, nam in ipſis nulla debet dari cognitio ſupernaturalis.

Reſpondeo, quod ſicuti cognoſcent myſterium Incarnationis, & Trinitatis coacti multitudine ſignorum abſtractiuè, ita etiam poterunt cognoſcere characterem, poteſt enim quis per actum naturalem cognoſcere obiectum ſupernaturale abſtractiuè, vt alibi dictum eſt.

12 Ex his deduces primò probabilius eſſe characterem eſſe qualitatem ex natura ſua indelebilem, nam non repugnat huiuſmodi qualitas natura ſua talis; ergo debemus dicere eſſe huiuſmodi; ſic enim clarius innoteſcunt, quæ de charactere dicuntur.

13 Deduces ſecundò. Characterem non eſſe intenſibilem, aut remiſſibilem, cum eadem ſit poteſtas in ordinatis, nec vnus habeat maiorem vim conficiendi Sacramenta, quam alius; & eadem eſt poteſtas in omnibus baptizatis recipiendi Sacramenta. Quod ſi fœminæ non poſſint ordinari Sacerdotes, hoc prouenit ex voluntate Dei, non quia character in ipſis non det capacitatem ad omnia Sacramenta recipienda; ſed quia deeſt in ipſis conditio requiſita; Chriſtus enim voluit tantùm viros poſſe ordinari, non fœminas. Et hæc de charactere.

Q V Æ S T I O V.

De cauſis Sacramentorum.

DE cauſis materiali, & formali ſatis dictum eſt in quæſtione prima; De finali hucuſque tractauimus, dum de gratia ſacramentali, & charactere difficultates explicauimus, gratia enim, & character ſunt fines, ad quos Sacramenta ordinantur; ſolùm igitur ſupereſt dicendum de efficiente, inſtituente, & conferente Sacramenta, & de cauſa ſubiectiua ipſa ſuſcipiente, quæ in hac quæſtione explicabimus, & in fine de numero Sacramentorum, de quo D. Thom. in quæſt. 65. pertractat, breuiter agemus.

A R T I C V L V S I.

An Chriſtus omnia Sacramenta nouæ legis immediatè inſtituerit.

1 CAuſa efficiens Sacramentorũ poteſt eſſe, vel principalis auctoritatiuè, & hæc eſt ſolus Deus, ſicuti enim ipſe ſolus eſt cauſa gratiæ, ita eſt cauſa Sacramentorũ; vel ſecundò poteſt eſſe principalis per poteſtatẽ excellentiæ, & hæc poteſtas quatuor includit ex D. Thom. hic ar. 3. Primum eſt, quod ipſius meritum operetur in Sacramentis per hoc, quod eis meruerit efficaciam: ſecundùm, quod in nomine ipſius ſanctificentur Sacramenta, non quod requiratur expreſſa ipſius inuocatio, ſed quia eius inſtitutione, & mandato conficiantur: Tertium eſt, quod poſſit Sacramenta inſtituere. Quartum, quod independenter à Sacramentis poſſit eorum effectus præſtare; & hæc quatuor habuit Chriſtus; nam meruit omnibus Sacramentis efficaciam; in nomine Chriſti ſanctificantur Sacramenta, non quod expreſsè in omnibus Sacramentis adſit Chriſti inuocatio, cum in pleriſq; non adſit, ſed quia omnia eius inſtitutione, & mandato conficiuntur; ipſe Chriſtus inſtituit Sacramenta nouæ legis, & independenter ab ipſis potuit dare gratiam, vt fecit cum Magdalena, & alijs; vel tertiò, cauſa Sacramentorum eſt miniſterialis, & inſtrumentalis, & hæc eſt miniſter, qui adminiſtrat Sacramenta, & ſubordinatur principali agenti, in cuius virtute agit.

2 Et quidem de Sacramentis antiquę legis certum eſt omnia fuiſſe à Deo inſtituta; ſicuti enim tota lex fuit à Deo data, ita & Sacramenta, & per Moyſen, vel alios miniſtros promulgata fuere. Idem dicendum de Sacramento legis naturæ, licèt enim permiſerit Deus hominibus determinare ſenſibilia ſigna; per hoc tamen ſolùm ſequitur determinationem ſenſibiliũ ſignorum fuiſſe ex voluntate humana, non autem Sacramẽtorum inſtitutionem; Deus enim per ſe inſtituit, & voluit, quod homines in tali ſtatu vterentur ſenſibilibus ſignis, licèt per eoſdem determinandis. Quare difficultas eſt ſolùm de Sacramentis nouæ legis, an ſcilicet Chriſtus immediatè omnia inſtituerit, vel aliquorum inſtitutionem Apoſtolis, & Eccleſiæ commiſerit.

3 Magiſter in 4. diſt. 23. c. 2. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, p. 15. cap. 2. Alenſis 4. par. quæſt. 5. nu. 2. ar. 1. & Bonauent. in 4. diſt. 7. ar. 1. q. 1. & diſt. 23.

Digitized by Google

ar. 1. quæſt. 2. negant Extremam Vnctionem fuiſſe à Chriſto inſtitutam, ſed volunt eam fuiſſe inſtitutam ab Apoſtolis; & duo vltimi volunt etiam Confirmationem fuiſſe inſtitutam ab Eccleſia in Concilio Meldenſi.

Omnes alij Scholaſtici docent omnia Sacramenta fuiſſe à Chriſto immediatè inſtituta, licèt non omnes velint hoc eſſe de fide, vt Suarez diſp. 12. ſec. 1. cui conſentiunt Arriaga diſp. 19. ſec. 1. & quidã alij, ſed Vaſquez diſp. 135. cap. 1. Gonet. diſp. 5. art. 1. Lugo diſp. 7. ſec. 1. Amicus diſp. 8. & communiter alij docent eſſe de fide omnia Sacramenta nouæ legis fuiſſe à Chriſto immediatè inſtituta.

4 Concluſio. Omnia Sacramenta nouæ legis fuerunt immediatè à Chriſto Domino inſtituta eſt de fide. Hæc concluſio clarè deducitur ex Trident. ſeſſ. 7. can. 1. vbi dicit: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta; anathema ſit*; ergo de fide eſt omnia fuiſſe à Chriſto immediatè inſtituta: probatur conſequentia. De fide eſt omnia fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta, vt patet ex Trid. loco adducto, & concedunt Suarez, & alij; ergo eſt de fide omnia fuiſſe immediatè à Chriſto Domino inſtituta; probatur conſequentia: vt quis ſit immediatè Sacramentorum inſtitutor, non ſufficit, quod habeat facultatem determinandi in particulari hanc, vel illam materiam, quæ à Chriſto iam ſit determinata in vniuerſali, ſed debet habere facultatem eligendi quodlibet voluerit ad obtinendum peculiarem finem, quem ipſe elegerit ex ſuo libero arbitrio: ſed ſi de fide eſt omnia Sacramenta fuiſſe à Chriſto inſtitura etiam de fide erit, quod propter varios fines peculiares ea inſtituerit; cum omnis actio à Chriſto facta propter peculiarem finem eam fecerit; ergo cum Eccleſia non potuerit pro libito ſuo determinare aliquod ſignum, niſi iuxta finem à Chriſto intentum, nec etiam immediatè potuit inſtituere Sacramentum, ſed fatendum eſt omnia immediatè à Chriſto inſtituta.

5 Dices cum Suarez, & Arriaga eſſe quidem certum omnia Sacramenta fuiſſe immediatè à Chriſto inſtituta, ſed hoc non eſſe de fide, quia non fuit definitum ſub hoc termino *immediatè*; neque ex definitione poſita ſequitur euidenter. Sed contra; quia ſi de fide eſt Chriſtum omnia inſtituiſſe, de fide etiam euidenter erit ea propter peculiares fines determinaſſe: ſed hoc eſt immediatè ea inſtituere, etiamſi poſtea potuerit relinquere Eccleſiæ poteſtatem determinandi particularia ſigna; ergo ſi de fide eſt ea Chriſtum inſtituiſſe, de fide etiam erit ea omnia immediatè inſtituiſſe.

6 Probatur 2. In Eccleſia non fuit poteſtas mutandi ſubſtantias Sacramentorum, ſed tantùm cæremonias, vt definitur in Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. vbi habetur. *Declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret &c. quæ expedire iudicaret*: Sed ſi Eccleſia aliquando potuiſſet inſtituere Sacramenta non fuiſſet perpetuò iſta poteſtas in eadem Eccleſia ſolùm circa cæremonias, ſed aliquando etiam circa ſubſtantiam Sacramentorum; ergo fatendum eſt numquam potuiſſet inſtituere Sacramenta, ſed omnia à Chriſto fuiſſe inſtituta.

7 Dices ex Arriaga, Chriſtum dediſse poteſtatẽ inſtituẽdi Sacramẽta Eccleſiæ, nõ tamen variãdi poſtea circa illorũ ſubſtantiam, quia eſt res magni momenti; circa cæremonias verò dediſſe etiam poteſtatem variandi. Sed contra: quia Concilium dicit perpetuò fuiſse in Eccleſia Dei poteſtatem circa cæremonias non circa ſubſtantiam: ſed ſi fuiſset in Eccleſia poteſtas inſtituendi, aliquando fuiſset poteſtas circa ſubſtantiam, & ſic non fuiſset perpetuò ſolùm circa cæremonias; ergo numquam fuit in Eccleſia poteſtas inſtituendi, ſed omnia immediatè fuerunt à Chriſto Domino inſtituta.

8 Probatur tertiò; quia omnia Sacramenta in particulari, vt ex Euangeliſtis colligit Trid. fuerunt inſtituta à Chriſto. Baptiſmus, & Euchariſtia expreſsè habentur Matth. 26. & vlti. Marci 14. & Lucæ 22. Pœnitentia Ioan. 20. vt docet Trid, ſeſs. 14. cap. 1. Ordo inſtitutus fuit in vltima cæna ex Trid. ſeſs. 22. de Sacr. miſsæ cap. 1. Matrimonium Matth. 19. & Marci 10. vt docet Trid. ſeſs. 24. ca. vnico. Extrema vnctio fuit immediatè à Chriſto inſtituta ex Trid. ſeſs. 14. de Extrema vnctione cap. & can. 1. Confirmatio inſtituta fuit ex Concilio Senon. decreto 10. de Sacr. ordinis Matth. 19. quando Chriſto oblati ſunt paruuli, vt manus eis imponeret: vel ſecundùm Fabianum Papam in 2. Epiſt. ad. Epiſc. Orient. tom. 1. Concil. p. 1. pag. 97. in vltima cœna. *In illa die*, inquit, *Dominus Ieſus poſtquam cænauit cum diſcipulis ſuis, & lauit pedes eorum, ſicuti à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt Chriſma conficere docuit*. Vnde falſum eſt in Concilio Meldenſi fuiſſe Chriſma inſtitutum; ſolùm enim præcipitur, vt in feria quinta maioris hebdomadæ conficiatur vt patet ex cap. 45. & 46. nam Fabianus Papa, qui vixit anno 238. eius memi-

Digitized by Google

meminit, & Concilium Meldenſe celebratum fuit anno 845. Imo Clemens Papa, qui vixit tempore Apoſt. huius meminit lib. 3. Apoſt. conſt. cap. 16. dicens. *Poſtea Epiſcopus baptizatos chriſmate vngat*; ergo ſi clarè de omnibus in particulari habemus quod fuerint inſtituta à Chriſto immediatè, etiã de fide erit omnia abſolutè Sacramẽta nouæ legis fuiſſe immediatè à Chriſto Domino inſtituta.

9 Ratione non poteſt hæc concluſio demonſtrari, cum hoc pendeat à ſola libera voluntate Dei. Tres tamen à D. Thom. afferuntur congruentiæ. Prima ne fideles in homine, ſed in Chriſto ſpem ſuam ponerent. Secunda ne diuiſio in Eccleſia oriretur propter diuerſa Sacramenta. Tertia, quia fundatio Eccleſiæ præſupponitur operationi miniſtrorum; Eccleſia autem fundatur per fidem, & Sacramenta; ergo miniſtri, quales fuere omnes Apoſtoli, & Eccleſiæ Patres præſupponunt Sacramenta iam inſtituta, & ipſi ſunt ſolùm miniſtri, & diſpenſatores, juxta illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*.

10 Obijcies primò. D. Cyprianus ſer. de ablutione pedum ſic ait. *Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt. Sacramenti inſtitutor, & auctor, & ceteros homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem*; ergo ſolam Euchariſtiam Chriſtus inſtituit.

Reſpondeo Cyprianum per *ſui Sacramenti* intelligere omnia Sacramenta per ly verò *in ceteris*, cæremonialia. Addo talem ſermonem non eſſe Cypriani, ſed incerti auctoris, qui non facit fidem. Secundò hic locus debet etiam ab ipſis hæreticis explicari, qui vltra Euchariſtiam admittunt etiam baptiſmum à Chriſto immediatè inſtitutum.

11 Obijcies ſecundò. Chriſtus communicauit Apoſtolis totam ſuam auctoritatem, vt patet ex his verbis. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: ſed Chriſtus habuit auctoritatem inſtituendi Sacramenta; ergo etiam hanc dedit Apoſtolis, & Eccleſiæ.

Reſpondeo negando maiorem, nec talis locus eſt in contrarium, ſed ſignificat quandam proportionem, quod ſicuti Chriſtus miſſus fuit à Patre; ita Chriſtus miſit Apoſtolos ad prædicandum, & conuertendum mundum.

ARTICVLVS II.

An potuerit pura creaturæ communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta

1 QVæſtio iſta non procedit, an potuerit Deus communicare puræ creaturæ poteſtatem inſtituendi Sacramenta per propriam auctoritatem ſupremam, & independentem; hoc enim modo clarum eſt, Deum hanc poteſtatem non poſſe creaturæ communicare; cum hæc ſit propria ſolius Dei: ſed quæſtio eſt de poteſtate dependente, participata, & delegata, eo modo, quo eam habuit Chriſtus, vt homo, cum illis quatuor conditionibus, quas aſſignat D. Th. hic art. 4. & nos enumerauimus in principio articuli præcedentis.

2 Prima ſententia negat. Sic Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. §. *De ſecundo dico*. Durand. diſt. 2. q. 1. Gabriel diſt. 1. q. 2. art. 3, dub. 2. Vaſquez. diſp. 135. cap. 2. Fauent. in 4. diſp. 5. Poncius. d. 41. q. 6. num. 40. & alij.

Secunda affirmat ſic D. Thom. hic q. 64. art. 3. & 4. Caiet. Syluius, Nugnus Gonet. diſp. 5. art. 2. Lugus diſp. 7. ſec. 2. Amicus diſp. 8. ſec. 2. Arriaga diſp. 18. ſec. 2. & communis fere aliorum, quos refert, & ſequitur Suarez diſp. 12. ſec. 2.

3 Concluſio. Potuit Deus communicare creaturæ facultatem inſtituendi Sacramenta. Noto tamen cum Lugo, Arriaga, & alijs, hanc potius eſſe quæſtionem de nomine, quam de re; nam tam prima, quam ſecunda ſententia conueniunt in hoc, quod Deus potuerit delegare alicui facultatem deſignandi materias, & formas Sacramentorum; ita vt dicat Deus, ſi tu volueris, quod aliqua ſigna ſenſibilia conferant, & ſignificent gratiam infallibiliter, hoc totum pono in tua poteſtate; differunt verò, quia prima docet in tali caſu huiuſmodi hominem non poſſe dici inſtitutorem Sacramentorum, quod ſecunda affirmat; ex quo patet tantùm eſſe diſcrepantiam de nomine, non de re; in hoc tamen ſtandum eſt cum D. Thom.

4 Probatur primò ex Auguſt. tract. 5. in Ioan. vbi habet. *Potuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi vellet dare poteſtatem alicui ſeruo ſuo, vt daret baptiſmum ſuum tamquam vice ſua, & transferret à ſe babtizandi poteſtatem, & conſtitueret in aliquo ſuo, & tantam vim daret baptiſmo translato in ſeruum, quantam vim haberet baptiſmus datus à Domino*.

Probatur 2. Quia ſi Deus iniret pactum cum homine ad ſuſcitandum mortuum, vel ſanandum infirmum ad poſitionem alicuius ſigni, quod ipſe magis elegiſſet, verè homo diceretur talis ſigni inſtitutor; ergo etiamſi concederet facultatem alicui determinandi aliquod ſigum cauſatiuum gratiæ, iſte diceretur Sacramenti inſtitutor.

5 Dices primò ex Vaſquez. Inſtituere eſt aliquam rem inchoare, & ab initio ſtatuere: ſed hoc non poteſt competere

Digitized by Google

petere creaturæ reſpectu Sacramentorum; ergo nulla creatura poteſt inſtituere Sacramenta: probatur minor; nam antequam Deus hanc facultatem committat creaturæ debuit prius habere decretum de illa danda; ab hoc ergo decreto incipit prima inſtitutio Sacramentorum, non à determinatione creaturæ. Sed contra hæc ratio parum vrget; nam nec vllus Princeps poteſt condere legem aliquam, nec fabricator ædificare, neque vlla creatura efficere aliquid, niſi ſuppoſito decreto Dei de illa re; & tamen ſtat, quod Princeps ſit inſtitutor, & conditor talis legis, fabricator ędificii, & quælibet creatura rationalis poteſt de nouo inſtituere aliquam rem; ergo licèt creatura præſupponat decretum Dei, poterit etiam eſſe inſtitutrix Sacramentorum. Contra 2. ad hominem contra ipſum; nam ipſe diſp. 135. docet Chriſtum non poſſe dici inſtitutor cæremoniarum, quas Eccleſia inſtituit, ſed Eccleſiam eſſe inſtitutricem, licèt eas auctoritate à Chriſto accepta inſtituerit; ergo etiam ſi accepiſſet auctoritatem inſtituendi Sacramenta, licèt hoc faceret dependenter à decreto Dei, vere poſſet dici inſtitutrix.

6 Dices 2. cum Scoto. Quod ſi creatura haberet poteſtatem inſtituendi Sacramenta, ſequeretur, quod determinaret Deum ad conferendam gratiam, & per conſequens Deum eſſe cauſam ſecundam reſpectu illius creaturæ in productione illius gratiæ. Sed contra, neque hoc argumentum vllo modo vrget, cum debeat ſolui ab ipſo; nam ſequeretur hominem non poſſe miniſtrare Sacramenta; nam etiam in tali caſu poteſt fieri argumentum Scoti, quod Deus in productione gratiæ illius ſacramentalis determinaretur à creatura, & idem dum elicit actum contritionis, vel iuſtus alia bona opera efficit; vnde hoc argumentum non eſt peculiare contra hanc concluſionem, ſed vniuerſaliter contra iſtam doctrinam, an Deus præmoueat cauſas ſecundas, an verò tantùm ſimultaneè concurrat; & quidquid dicatur, nihil eſt contra hanc concluſionem. Directè in noſtra ſententia reſpondeo, Deum in quacumque occaſione ſuppoſita ſcientia media præmouere cauſas ſecundas, non ſecundas Deum.

7 Obiicies primò: Si aliqua creatura poſset inſtituere Sacramenta; maximè quia poſset à Deo habere libertatem determinandi, & eligendi aliquod ſignum cauſatiuum gratiæ: ſed hoc non ſufficit ad hoc vt aliquis ſit Sacramentorum inſtitutor; ergo nulli creaturæ poteſt communicari, quod ſit Sacramentorum inſtitutrix; probatur minor; nam in lege naturæ erat in poteſtate hominum eligere aliquod ſignum, quodcumque illud eſset ad delendum originale; & tamen tales homines non erant inſtitutores Sacramenti legis naturæ; ergo neque nunc, eadem enim eſt omnino paritas.

Reſpondeo rationem, cur poſſit aliquis eſse Sacramētorum inſtitutor, eſse, quia poteſt accipere facultatem à Deo determinandi pro libito ſuo aliquod ſignum cauſatiuum gratię, determinando etiam gradus gratiæ, cuius eſset ſignum, & promulgando ipſe primò tale Sacramentum, vt à ſe inſtitutum ex facultate ſibi conceſsa à Deo; in quo ſenſu, nego poſtea minorem: ad probationem, dico in lege naturæ fuiſse à Deo determinatum aliquod ſignum in genere, & in vniuerſali, & habuiſse poſtea homines facultatem determinandi in particulari, ſicuti de facto faciunt etiam homines determinando panem, vel azimum, vel fermentatum, vinum album, vel rubrum, & eo modo, quo diximus ſupra determinaſse Eccleſiam pro ordinibus in particulari materiā; at neque in lege naturæ, neque nunc poſsunt miniſtri pro libito ſuo eligere quamcumq; ſenſibilem materiam, nec poſsunt determinare quot gradus gratiæ Sacramenta debeant producere, ſicuti nec Sacramenta promulgare tamquam à ſe ipſis inſtituta, ſed ad ſummum ea promulgare tamquam inſtituta à Deo, vt fecit D. Iacob. promulgando Sacramentum Extremæ vnctionis, vt docet Trid. ſeſs. 14 de hoc Sacramento.

8 Obiicies 2. De ratione Sacramenti nouæ legis eſt eſse ſignum cauſatiuum gratiæ: ſed nullus homo, vel Angelus poteſt tribuere alicui ſigno ſenſibili hãc cauſalitatem; ergo nullum ſignum ſenſibile poteſt habere vim Sacramenti ex deſignatione puræ creaturæ.

Reſpondeo negando minorem dependentèr à Deo: ſicuti enim Deus hãc facultatem conceſſit humanitati Chriſti Domini; ita potuit eamdem concedere puræ creaturæ, vt eligeret medium ſenſibile cauſatiuum gratiæ, & tantæ gratiæ.

9 Obiicies 3. Ille poteſt eſse inſtitutor Sacramentorum, qui poteſt habere illas quatuor excellentias, quas hic enumerat D. Tho. art. 3. & nos in principio articuli præcedentis diximus fuiſse in Chriſto: ſed nulli puræ creaturæ poſsunt communicari illæ quatuor excellentiæ; nam nulla creatura ex meritis propriis poteſt dare efficaciam Sacramentis, nec

in no-

Digitized by Google

in nomine cuiuſquam creaturæ poſſunt conferre gratiam; ergo nulla pura creatura poteſt inſtituere Sacramenta.

Reſpondeo negando maiorem; nam vt aliquis ſit inſtitutor Sacramentorum non eſt neceſsè, vt ea inſtituat cum illa poteſtate excellentiæ, cum qua ea inſtituit Chriſtus, ſed ſufficit, quod ex commiſſione Dei poſsit eligere quã maluerit rem ſenſibilem, & ei det vim ſignificatiuam, & cauſatiuam talis, & tantæ gratiæ; hoc autem ex commiſſione Dei poteſt facere creatura, etiamſi ſit in peccato, nec requiritur, quod applicet ſua merita, ſed eſset ſufficiens, ſi applicaret merita Chriſti, vel Eccleſiæ.

ARTICVLVS III.

Quis poſsit eſſe miniſter Sacramentorum.

1 CErtum eſt homines viatores eſſe miniſtros Sacramentorum, fœminas autem non poſſe eſſe miniſtras, niſi Sacramenti baptiſmi, & matrimonij; Viros verò ſolos Sacerdotes miniſtros Pœnitentiæ, conficiendi Euchariſtiam, & Extremæ vnctionis, ſolos Epiſcopos de iure ordinario miniſtros Ordinis, & Confirmationis, licèt ex commiſſione Pontificis Sacerdotes poſſint adminiſtrare Confirmationem, & aliquos Ordines. Ratio huius veritatis eſt ſola Chriſti Domini voluntas nobis per Eccleſiam declarata, quod ergo vertitur in dubium eſt, an Angeli, & animæ ſeparatæ poſſint eſſe miniſtri Sacramentorum.

Sēſus quæſtionis.

2 Scotus in 4. diſt.6. quæſt.1. docet Angelos etiam de lege ordinaria poſſe eſſe Sacramentorum miniſtros; Bernal. verò diſp.17.ſect.1. vult Angelos de potentia Dei extraordinaria poſſe adminiſtrare Sacramenta, non tamen ea conficere.

Circa animas verò beatas, ſi de nouo reſurgerent, vel aſſumerent corpus, etiãſi non eſſent viatores, ſed comprehenſores docent plures poſſe abſq; nouo miraculo adminiſtrare Sacramenta. Sic Nugnus hic quæſt.64. art.7. Soto ibid. Martinez à Prado, Suarez diſp.13.ſec.1. Gonet. diſp.6. art.1.

Alij vt Cabrera hic, Coninch. Vaſquez, Lugus diſput.8. ſect.1. & alij volunt poſſe eſſe miniſtros de lege extraordinaria non ordinaria. Arriaga de lege extraordinaria vult Angelos etiã poſſe eſſe miniſtros. Quid ſentiam ſequentibus concluſionibus dicam, nam diſſidiũ eſt parui membri.

3 Concluſio 1. Soli homines, non Angeli de via ordinaria ſunt miniſtri Sacramentorum. Probatur ex illo ad Hebræos. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum.* Vnde Chryſoſt. lib.3. de Sacerdotio. *His, qui terram incolunt, atque in ea verſantur, commiſſum eſt, vt ea, quæ in Cœlis ſunt, diſpenſent: ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit; neque enim ad illos dictum eſt: quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.* Hocque in particulari conſtat de Euchariſtia, nam hominibus, non Angelis dictum eſt. *Hoc facite in meam commemorationem*, & de Baptiſmo. *Baptizantes eos in nomine Patris &c. & baptizate omnes gentes*; & de Extrema vnctione. *Inducant Presbyteros Eccleſiæ*: Angeli autem non ſunt Presbyteri Eccleſię; matrimonium etiam conſtat non poſſe fieri, niſi ab hominibus; & ſic de cæteris dicendum eſt; cum Apoſtolus ad Hebræos, & Chryſoſtomus adducti vniuerſaliter loquantur; ergo de via ordinaria fatendum eſt ſolos homines eſſe Sacramentorum miniſtros.

4 Concluſio 2. De via extraordinaria Angeli, & animæ beatæ poſſunt eſſe Sacramentorum miniſtri; imo ſi aliquis homo reſurgeret etiãſi ſimul eſſet comprehenſor, & fuiſſet Sacerdos, vel Epiſcopus, poſſet tamquam ordinarius miniſter Sacramenta conficere, & adminiſtrare. Ita expreſsè D. Tho. hic art.7. & poteſt confirmari ex pluribus hiſtorijs, vt de S. Amphilochio in Epiſcopum conſecrato ab Angelis, quam conſecrationem ratam habuerunt ceteri Epiſcopi, vt narrat Nicephorus lib.11. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.20. de Eccleſia S. Michaelis in Monte Gargano ab Angelis conſecrata. De templo D. Dionyſij prope Pariſios ab ipſo Chriſto commitantibus eum Petro, & Paulo, & Martyribus Dioniſio, Ruſtico, & Eleutherio conſecrato; de qua re Gagninus lib.3. cap.2. & 3. de templo D. Petri in Anglia ab ipſo B. Petro conſecrato, de quo Bar. tom.8. anno 610. De D. Catharina Senenſi, & B. Stanislao Koſta, quibus Angeli Euchariſtiam miniſtrarunt, & plura huiuſmodi exempla poſſent adduci, quibus probatur Angelos, & animas ſeparatas, vel Sacramenta adminiſtraſſe, quod eſt proprium Sacerdotum, vel Eccleſias conſecraſſe, quod tamen munus eſt proprium Epiſcoporum.

5 Addo, quod ſi aliquis verè reſurgeret, & aduc eſſet viator, certum eſt, quod, ſi prius erat Sacerdos, vel Epi-

ſcopus,

ſcopus, etiam poſt reſurrectionem poteſt tamquã ordinarius miniſter Sacramenta adminiſtrare; & idem exiſtimo cum pluribus Theologis, ſi reſurgeret cum corpore glorioſo; nam talis haberet omnia requiſita ad conficiendum, & adminiſtrandum Sacramentum, licèt hoc non ſit ita certum, ſed tantùm probabile.

6 Dices Tantùm Apoſtolis viatoribus, & eorum ſucceſſoribus dictum eſt à Chriſto. *Hoc facite in meam commemorationem*; & tantùm Presbyteris Eccleſię, vt adminiſtrent Extremam vnctionem, vel Sacramentum Pœnitentiæ: Sed ſi D. Petrus v. g. reſurgeret glorioſus non eſſet amplius viator, nec Presbyter Eccleſiæ militantis; ergo tamquam ordinarius miniſter non poſſet conficere, & adminiſtrare Sacramenta. Sed contra: quia quando Chriſtus dedit poteſtatem Apoſtolis, dedit eis poteſtatem abſolutè imprimendo in eis characterem, nec dixit quoadusq; eritis viatores; ergo cum poſt mortem remaneat character, ſi verè aliquis reſurgeret; cum in tali homine ſint omnia requiſita ad conficiendum, & adminiſtrandum Sacramentum poterit validè, & rectè illud conficere, & adminiſtrare.

7 Obijcies 1. contra ſecundam. Sacramenta nouæ legis debent conſtare rebus, & verbis: ſed verba ab Angelis, & animabus beatis in corporibus aſſumptis prolata non eſſent vera verba, cum non ſint à principio intrinſeco vitæ, ſed ſolùm erunt ſimilia noſtris verbis, quoad ſonum; ergo non poſſunt conficere Sacramenta, eſto poſſint adminiſtrare Euchariſtiam, quia ad hanc adminiſtrandã non requiritur prolatio verborum.

Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: verba ab Angelis, & animabus beatis in corporibus aſſumptis prolata non ſunt vera verba ſignificatiua, nego minorem: non ſunt verba vitaliter prolata, concedo minorem; ergo &c. negatur conſequentia; etenim ad verum conficiendum Sacramentum requiruntur vera verba ſignificatiua, cum vera intentione faciendi, quod fecit Chriſtus, & debita materia, nec eſt neceſsè, quod vitalitèr proferantur; cum ergo Angeli, & animæ ſeparatæ poſſint in corporibus aſſumptis proferre vera verba ſignificatiua, verè etiam poterunt conficere Sacramenta.

8 Obijcies 2. Soli homines viatores ſunt capaces recipiendi Sacramenta; ergo etiam ſoli viatores poſſunt illa adminiſtrare.

Reſpondeo negando conſequentiã: diſparitas eſt, quia receptio Sacramentorum eſt ad dandam gratiam, vel augendam, & ideò poteſt tantùm competere viatoribus, nam beati nõ ſunt in ſtatu recipiendi gratiam primam, quia illam habent, nec augendi eam, quia iam ſunt in termino. Ideò &c.

9 Obijcies 3. Si D. Petrus reſurgẽret nullam haberet poteſtatem iuriſdictionis in Eccleſia, nec ipſe eſset Papa, ſecus duo Pontifices ſimul eſſent; ergo neque etiam haberet poteſtatem Ordinis, cum nulla ſit diſparitas.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt; quia poteſtas iuriſdictionis illi competebat ratione matrimonij ſpiritualis, quod habebat cum Eccleſia; matrimonium autem morte terminatur; non ſic dicendum de poteſtate Ordinis, quę fundatur in charactere: eſt alia diſparitas, quod poteſtas iuriſdictionis obeſſet paci & tranquillitati Eccleſiæ; non ſic poteſtas Ordinis. Ideò &c.

10 Obijcies 4. Sequitur ex noſtra ſententia, quod ſi Epiſcopus damnatus eſſet in inferno in anima, & corpore poſſet ibi conſecrare Euchariſtiam, & ordinare, vel dare confirmationem alijs damnatis; imo quod hoc faceret in Dei contemptum; hoc autem dici nullo modo debet; ergo nec vnde ſequitur. Sic Lugus.

Reſpondeo negando ſequelam, iuſtiſſimè enim Deus damnatis denegat hanc poteſtatem, quam relinquit Beatis, eo quod iſti nõ niſi ex ordinatiſſima cum Deo voluntate, ea vtentur, quod non facerent damnati, cum iſti ſint incapaces ratione ſtatus cuiuſcumq; gratiæ, & doni; & ſolùm relinquitur eis character in pœnam; non verò, quia poſſint eo vti ad Sacramenta conficiẽda.

ARTICVLVS IV.

An ad valorem Sacramenti requiratur intentio miniſtri.

1 SVppono contra varios hæreticos, vt Donatiſtas; Vvicleffum, & alios nec fidem, nec probitatem miniſtri requiri ad validitatem Sacramenti: ſic in pluribus Concilijs definitum eſt, & expreſsè in Trid. ſeſſ. 7. can. 12. de Sacramentis in commun. vbi habetur. *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit*; & can. 4. de Baptiſmo ait: *Si quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,*

Digitized by Google

Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia non eſſe verum; anathema ſit. Hoc ſuppoſito. Aliquam intentionem requiri ad faciendum Sacramentum eſt etiam de fide contra Lutherum, & alios hæreticos noſtri temporis, qui negant ad valorem Sacramenti aliquam intentionem miniſtri requiri; & dicunt Sacramentum perfici, ſi apponatur materia, & verba proferantur, tametſi à miniſtro ioco, aut irriſione, vel fictè id exterius peragatur. Contra hunc errorem eſt definitio Concilij Florentini in decreto vnionis, & Trid. ſeſſ.7. can.11. vbi habetur. *Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltèm faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit*. Quare hoc ſtante, omnes Catholici fatentur ad valorem Sacramenti exigi aliquam intentionem miniſtri; Inſurgit tamen difficultas, vtrum ad valorem Sacramenti ſufficiat intentio faciendi ſolùm actum externũ; vel aliquid aliud requiratur.

Aliqua intentio requiritur.

Status quæſti.

2 Catherinus in opuſculo de intentione miniſtri, Scribonius Gallus in Pantalithià, ſeu ſumma Theolog. diſp.1. de Sacra. in genere quæſt.6. & 7. Salmeronius, & Paſqualigius, quos citat Martinez à Prado hic dub.7. exiſtimãt, quod ad valorem Sacramenti ſufficiat, quod verba modo ſeriò proferantur prout ſolet fieri ab Eccleſia abſque vlla alia intentione interna, quam proferendi verba, & adhibendi materiam Sacramenti, pro hac opinione citat Gabrera hic ar.8 diſp. vnic. Sylueſtrum, Alanum, Paludanum, & alios.

Communis ſententia, quam docent Caiet. Nugnus, Cabrera, & communiter Thomiſtæ quæſt.64. art.8. Gonet. diſp.6. art.2. Suarez diſp.13. ſect.4. Vaſquez diſput.137. Lugus diſput.8. ſect.2. Arriaga diſp.19. ſect.1. & communitèr ceteri omnes Theologi, negant huiuſmodi intentionem eſſe ſufficientem.

3 Concluſio 1. Ad valorem Sacramenti non ſufficit ſolùm intentio faciendi actum externum. Probatur primò ex loco citato Florentini, & Trid. Concilia enim deficiunt requiri intentionem faciendi, quod facit Eccleſia: ſed intentio faciendi actionem exteriorem, proferendi verba, & adhibendi materiam Sacramenti, non eſt intentio faciendi, quod facit Eccleſia; ergo hæc intentio non eſt ſufficiens: probatur minor: quia intentio faciendi actionem exteriorem non eſt propria Eccleſiæ, ſed eſt omnino neceſsaria ad loquendum humano modo, ſiue velit facere, quod facit Eccleſia, ſiue oppoſitum, & diuerſum, ſiue iocari: ſed Concilia definiunt miniſtrum debere habere intẽtionem faciendi, quod propriè Eccleſia facit, ſeu faciendi actionem, quæ ſit propria Eccleſiæ; ergo cum intentio faciendi actum externum non ſit propria Eccleſiæ, ſed poſſit conuenire etiam actui irriſorio, non erit ſufficiens ad validitatem Sacramenti.

4 Confirmatur ex eodem Triden. ſeſs.14. cap 6. & can.9. vbi definit pœnitentem non eſſe abſolutum, nec perfici Sacramentum, *ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſoluendi deſit*: atqui voluntas præcisè proferendi verba non eſt voluntas ſeriò agendi, & verè abſoluendi; nam ſæpè poteſt quis ea verba proferre, & velle proferre per iocum; ergo voluntas, ſeu intentio proferendi verba externa, & applicandi materiam nullo modo eſt ſufficiens ad validitatem Sacramenti; & idem apparet in matrimonio, ſi enim quis exterius proferat verba, & velit ea proferre, ſed non habeat voluntatem, ſeu intentionem contrahendi matrimonium, contractus nullus eſt, nec matrimonium conſtat; ergo & idem dicendum de omnibus Sacramentis; vnde aliqui hanc opinionem notant tamquam falſam, & nullo modo à Catholicis admittendam.

5 Probatur ratione D. Tho. Quando aliquid indifferens eſt ad multa, vt aliud fiat, debet per aliquid determinari ad vnum: Sed in Sacramento Baptiſmi v. g. & idem dicendum de alijs Sacramentis, miniſter eſt indifferens ad operandum, vel nomine proprio, vel nomine Chriſti, tàm in ablutione, quàm in prolatione verborum, item ablutio eſt indifferens ab abluẽdum à ſordibus, vel ad refrigerandum, vel ad abluendũ à peccatis, item prolatio verborum eſt indifferens ad hominem lauãdum à ſordibus, vel refrigerandum, vel abluendum à peccatis; ergo vt hæc omnia determinentur ad effectum ſacramẽtalem requiritur intentio faciendi, quod facit Eccleſia, quæ eſt intentio conficiendi, Sacramentum, & non tantùm actionem exteriorem. Confirmatur, quia Chriſtus voluit hæc Sacramenta adminiſtrari humanò, & ſerio modo, & vt miniſtri ſe accommodarent intentioni Chriſti, vel Eccleſiæ, quod in idem recidit: ſed Chriſtus, & Eccleſia intendunt facere verum Sacramentum; ergo & miniſtri id debent intendere; ſic autem non ſufficit intentio illa faciendi actionem exteriorem; nam hæc poteſt fieri iocosè, & fictè, & hæc non eſt propria Chriſti, & Eccleſiæ.

6 Objicies 1. D. Tho. qui hic art.2. ad 2. cum retuliſſet opinionem ali-

quorum, qui dicebant, quod, ſi deſit intentio, ſuppletur per Eccleſiam in pueris, & in adultis per deuotionem, & hanc reieciſſet, quia per deuotionem non poteſt imprimi character, niſi actu ſuſcipiatur Sacramentum, ſubiungit; *Et ideò alij melius dicunt, quod miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter. In verbis autem, quæ profert exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum.* Et idem docet in 4. diſt.6. quæſt.4. art.2. quæſtiunc.1. ad 2. ergo ex S. Thom. ad validitatem Sacramenti ſufficit habere intetionem faciendi actionem exteriorem.

Reſpondeo cum Caiet. D. Tho. non excludere intentionem miniſtri, quod patet ex varijs contextibus eiuſdem, nam hic art.10. habet, quod *intentio miniſtri poteſt peruerti dupliciter, vno modo reſpectu ipſius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere, & talis peruerſitas tollit veritatem Sacramenti*; & idem apertè docere colligitur quæſt.6. art.7. ad 3. & qu.68. art.7. ad 2. ſolùm ergo vult, quod quoties per verba miniſtri ſeriò prolata exterius exprimitur intentio Eccleſiæ, hoc ſufficit ad certitudinem, & quietem eius, qui recipit Sacramentum, quatenùs, dum miniſter profert ſeriò verba Eccleſiæ, oſtendit ſe habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; & ideò quis poteſt eſſe certus de Sacramento ſuſcepto, præſertim, cum in hoc non ſit deſiderāda certitudo metaphyſica, ſed ſufficiat moralis omnem excludens neceſſitatem inquiſitionis; & hanc eſſe mentem D. Tho. in tali loco patet; nam hoc ſufficiebat ad ſoluendum illud ſecundum argumentum, quod tale erat: Si requiritur intentio miniſtri nullus erit certus ſe recepiſſe Sacramenta neceſſaria ad ſalutem; eo quod intentio occulta miniſtri non ſit nota; & ad hoc reſpondet ſufficere ad hanc certitudinem habendam intentionem Eccleſiæ per verba miniſtri expreſſam.

7 Dices ex Arriaga, hanc explicationem eſſe nimis duram; nam in eo articulo non agit D. Tho. de intentione explicita, vel implicita, quæ poſſet explicari per intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ſed abſolutè de neceſſitate intentionis, quæ requiritur ad perfectionem Sacramenti; tum quia ſi ageret, quo ad tranquillitatem conſcientiæ ſuſcipientis, quare recurriſſet ad hoc, quod homo operetur nomine Eccleſiæ? cum ad valorem Sacramenti ſufficiat, quod homo velit facere, quod fecit Chriſtus, etiamſi de Eccleſia nihil cogitet. Tertiò quia reijcit ſententiam docentium defectum intentionis ſuppleri per deuotionem ſuſcipientis in adultis, in pueris per Chriſtum, qui exterius baptizat, & docet in tali caſu, ſi deſit intentio in miniſtro non cauſari characterem; ergo quando ſtatim addit eam intentionem ſuppleri per Eccleſiam, cuius nomine miniſter operatur, non dicit ſuppleri per actualem intētionem ipſius miniſtri faciendi, quod facit Eccleſia, quia iam poneret in ipſo miniſtro intentionem, & proinde nulla eſſet neceſſitas ipſius ſupplèmenti; agit ergo de omnimoda carentia intentionis. Hæc Arriaga. Sed contra; quia licèt D. Tho. in eo articulo agat de neceſſitate intentionis, quæ requiritur ad perfectionem Sacramenti; nihilominus in loco adducto in contrarium reſpondet ad argumentū factum, quod ſi requiritur intentio nullus eſſet certus; ergo hoc ſolùm debet ſoluere, & non aliud: neque ſecundum, quod adducit vllo modo officit, nam velle facere, quod fecit Chriſtus, vel velle facere, quod facit Eccleſia ſunt omninò idem realitèr, vt ipſe Arriaga docet infra ſect.3. ergo D. Thom. tàm vnum, quàm aliud poterat ponere. Neq; tertium; nam ſi ipſe D.Tho. docet, quod ſine intentione miniſtri per deuotionem accedentis non imprimitur character; ergo ſentit neceſſariò intentionem miniſtri requiri, ſufficere autem ad quietem, quod miniſter agat in perſona Eccleſiæ, & eo ipſo, quod verba determinata profert, iudicandum eſt cum certitudine morali, ipſum habuiſſe intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & hæc de mente D. Tho.

8 Obijcies 2. Baptiſmus ab Athanaſio adhuc puero collatus per iocum cathecumenis approbatus fuit ab Alexandro Patriarcha, vt referunt Euſebius lib.1. Hiſtor. cap.24. Nicephorus lib.8. cap.44. & in cap. Spiritus Sanctus 1. q.1. ſimiliter baptiſmus collatus S. Geneſio mimo in ſcena in deriſum, & cōtemptū Chriſtianorum fuit validus; etenim Angelus illi apparens ante ablutionem, ex Vincentio Beluacenſi in ſpeculo Hiſtor. lib.12. c.104. poſtquā ei in libro demonſtrauit omnia peccata ſua, dixit. *Aqua hæc delet omnia iſta, quæ te feciſſe cognoſcis; cum autē aqua perfuſus eſſet, ſimul & liber ille perfuſus niue candidior effectus eſt, ita etiam vt ſignum ſcripturæ præteritæ non demonſtraret.* & tamen, qui illum abluit non habuit intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ſed tantùm per iocum, & fictè; ergo ad validitatem baptiſmi, & aliorum Sacramentorum nō eſt neceſſaria intentio

mini-

Digitized by Google

miniſtri interna faciendi, quod facit Eccleſia, ſed ſolùm intentio faciendi actionem illam exteriorem.

Reſpondeo, quod Athanaſius, & alij pueri moti fuerint ex ioco, nihilominus habuerunt intentionem faciendi; quod facit Eccleſia, vnde interrogatus Athanaſius, dixit ſe habuiſſe intentionem faciendi, quod fieri viderat à Patriarcha, licèt poſtea hoc ad delectationem, & iocum referret: & eodem modo reſpondetur ad caſum illum de quodam puero Iudeo, qui refertur in cap. *A quodam Iudeo* de conſecr. diſt. 2. Ad caſum S. Geneſij varij varia dicunt, nam alij volunt fuiſſe vocatum verum Sacerdotem Chriſtianorum, qui ipſum cum vera intentione baptizauit; Sed hoc abſolutè reijcit Lugus, eo quod ſit omninò improbabile, quod Sacerdos veniret ad cooperandum ludicro ſpectaculo abſque ingenti ſacrilegio; alij, quod mimus habuerit intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, vt dictum eſt de D. Athanaſio; ſed hoc etiam eſt improbabile; non propter rationem, quã adducit Lugus, ſc. quia nec Chriſtiani ipſi, quando in ſcena agunt perſonam Sacerdotis baptizantis habẽt intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; ergo multò minus gentiles. Etenim Chriſtiani in ſcena non habent hanc intentionem, quia ſciunt iam ipſum eſſe baptizatum, & baptiſma iterari non poſſe ſine ingenti ſacrilegio, vnde ſolùm illam actionem fingunt, & repreſentant ſine vlla intentione; quæ tamen intentio poteſt cadere in gentili, qui putat non peccare irridendo Chriſtianos; eſt igitur hoc improbabile, quia tota illa actio erat deriſoria, & non poſſumus probabiliter iudicare talem fungentem munere ſacerdotis habuiſſe aliam intentionem, niſi irridendi; dicendum igitur eſt S. Geneſium, vel iuſtificatum fuiſſe per baptiſmum in voto, & poſtea per baptiſmum ſanguinis, nempè martyrium, quod ſuſcepit; vel poſt eius conuerſionem ritè baptizatum fuiſſe; & ſic poſſunt intelligi illa verba Angeli. *Aqua iſta delet omnia hæc, quæ te feciſſe cognoſcis*. licèt hæc verba poſſint etiam denotare non actum, ſed aptitudinem; ac ſi diceret. Aqua iſta, ſi ritè collata ſit, apta eſt delere omnia, quæ te feciſſe cognoſcis.

9 Obijcies 3. Chriſtus Dominus ita potuit inſtituere Sacramenta, vt per ſolam intentionem faciendi actionem illam exteriorem Sacramenta eſſent valida: ſed hic modus fuit conuenientior, vt ſic certi eſſe poſſimus de valore Sacramenti, & ne quis ex dolo miniſtri fraudaretur fructu Sacramenti, & ſic in æternum periret, quod valdè durum eſt; ergo fatendum eſt ſic Chriſtum inſtituiſse.

Reſpondeo concedendo, quod potuerit ſic inſtituere; at de facto, vt conſtat ex Concilijs, voluit in miniſtro adeſſe intentionem ſaltèm faciendi, quod facit Eccleſia, & hic modus fuit conuenientior, vt Sacramenta humano modo fierẽt, & ſubordinaretur miniſter cauſæ principali; de reliquo fateor poſſe contingere, quod quis culpa miniſtri priuetur fructu Sacramentorũ, & etiã occaſionaliter æterna ſalute: verùm hoc poſſet contingere etiamſi non requireretur intentio; poſſet enim miniſter non apponere veram materiam, vel formam; & quamuis hoc durum videatur, nihilominus non ita durum eſt, cum vnuſquiſque per contritionem poſſit iuſtificari.

10 Obijcies 4. Si requiritur intentio in miniſtris maximè ad conſtituendam ſignificationem ſacramentalem: ſed hæc habetur à Chriſto, & miniſter in Sacramentis nihil facit præter actionem extrinſecam materialem; ergo ſatis erit ſi miniſter velit exhibere illam actionem extrinſecam, qua poſita reſultabit ſignificatio ſacramentalis.

Reſpondeo requiri intentionem miniſtri, primò quia ſic conſtat ex definitionibus Conciliorum: ſecundò etiam requiritur, vt miniſter ſubordinetur cauſæ principali in conſtituenda ſignificatione; etenim actiones à miniſtro factæ non ſunt ab eo aſſumptæ ad ſignificandum ſecundùm eſſe phyſicum, ſic enim ſunt indifferentes ad varia ſignificanda; aſſumptæ ergo ſunt ſecundùm eſſe morale, quatenùs nimirum actiones humanæ ſunt; tales autem non eſſent niſi in illis miniſter ſe conformaret inſtitutioni, & intentioni principalis agentis: etenim diſparitas eſt inter Sacramẽta, & alia ſigna ſenſibilia, puta vocem; nam vox imponitur ad ſignificandum ſecundum ſe, vt eſt ſonus articulatus, vnde quamuis à Pſitaco proferatur ſignificat: at verbum ſacramentale non ſignificat, niſi vt prolatum humano modo à miniſtro. Ideò &c.

11 Obijcies 5. Implicat ponere materiam, & formam Sacramenti, niſi ponatur Sacramentum, ſicuti implicat poni materiam, & formam artefacti, niſi ponatur artefactum: ſed materia, & forma Sacramenti poteſt poni ſine intentione; ergo & Sacramentum poterit poni ſine intentione.

Reſpondeo negando maiorem; nã ad conficiendum Sacramentum non tantũ

debent poni materia, & forma, ſed etiam intentio, cum hæc eſſentialiter requiratur ad Sacramentum, vt definiunt Concilia, & eodem modo dico de artefacto; nam numquam erit artefactum, niſi arte ipſa dirigente, & intendente opus illud; vnde ſi caſu poneretur aliqua materia cum figura, quæ videretur introducta per artem, ſed re vera non eſſet, illud totum non eſſet artefactum, ſed aliquid caſu productum: poteſt etiam aſſignari diſparitas, quia artefactum eſſentialiter includit tantùm ſubiectum cum tali figura: at Sacramentum includit etiam intentionem eſſentialiter, vt fiat. Ideò &c.

12 Contra hanc cõcluſionem coacervauit Scribonius decem, & nouem alia argumenta, quæ fusè ponit, & ſoluit Lugus, quæ tamen omnia vel tantùm probant potuiſſe Chriſtum inſtituere Sacramenta, quæ eſſent vera Sacramenta ſine intẽtione miniſtri faciendi, quod facit Eccleſia; vel probant tantùm à pari de alijs rebus, ſed hæc omnia vno verbo ſoluuntur, quod potuit quidem Deus ſic inſtituere Sacramenta, at de facto ita non inſtituit, vt patet ex Concilijs; nec argumenta à pari probant, nam præterquam quod multa poſſunt retorqueri contra ipſum auctorem, quod Chriſtus voluerit eſſentialiter requiri intẽtionem in miniſtro faciendi, quod facit Eccleſia, dependet purè purè ab ipſius voluntate, quod non militat in alijs rebus, quæ adducuntur, & conſultò ea omitto, cum clarè omnia ſoluta apud ipſum Lugum, & Arriagam videri poſſint; & omnia facillimè ſoluentur eo modo, quo dictum eſt.

13 Quæres quodnam ſit obiectum illius intentionis, qua miniſter intendit facere quidquid facit Eccleſia.

Reſpondeo, obiectum illius intentionis eſſe conformitatem in ea operatione cum intentione Chriſti, vel Eccleſię, & cum Chriſtus, & Eccleſia intendant facere illam actionem ſacram religioſam, & productiuam gratiæ, ac characteris, vel ſaltem gratiæ in ſubiecto recipiente Sacramentum; etiam miniſter in confuſo hæc omnia intendit, itaut illud, quod expreſsè intenditur à miniſtro ſit conformitas cum intentione Chriſti, & Eccleſiæ, in confuſo verò ſint ea omnia, quæ intendit Chriſtus, vel Eccleſia. Eſt cõtra Lugum hic diſp. 8. ſec. 2. qui vult, quod obiectum huius intentionis ſit aliquid impoſſibile nempe, quod ſua actio ſit actio ipſius Chriſti. Contra Suarez, & Vaſquez, qui volunt obiectum huius intentionis eſſe faciendi Sacramentum ſine vlla diſtinctione maiori, & alios, qui volunt eſſe actualem gratię cauſationem.

14 Probatur tamen impugnando opinionem Lugi. Nam illud eſt obiectum talis intẽtionis, quod omnes communiter intendunt, dum conficiunt Sacramenta: ſed ruſticus, dum contrahit matrimonium, vetula, dum baptizat, nõ cognoſcunt, imò nec etiam apprehendunt, quod eorum actio ſit actio Chriſti; & tamen verè ille contrahit, & hæc baptizat; ergo obiectum eorum intentionis non eſt aliquid impoſſibile, nimirum, quod eorum actio ſit actio Chriſti: conſequentia patet, quia nihil poteſt intendi, quod prius non cognoſcatur, cum nihil volitum ſit, quod prius non fuerit præcognitum.

15 Impugnatur modò ſententia Suarez, & Vaſquez, quia nulla intentio poteſt habere ſe ipſam pro obiecto: ſed ſi intentio, quam habet miniſter haberet pro obiecto Sacramentum, vt faciendum, etiam haberet ſe ipſam pro obiecto; ergo ſi nulla intentio poteſt habere ſe ipſam pro obiecto, nec poteſt habere pro obiecto Sacramentum faciendum: maior patet, nam intentio, ſeu volitio eſt alicuius diſtincti volitio non ſui ipſius: probatur ergo minor: nam volitio ponendi Sacramentum, vel eſt volitio ponendi materiam, & formam Sacramenti; & hoc non, quia poſſunt poni materia, & forma, & quis velle ponere materiam, & formam, & actu eas ponere, abſque eo, quod fiat Sacramentum, vt patet ex dictis in toto articulo præcedenti; vel volitio ponendi Sacramentum eſt volitio ponendi materiam, formam, & intentionem; & ſic volitio habet pro obiecto ſe ipſam; nam Sacramentum verum non ſtat ſine intentione; neque poteſt dici, quod intentio habeat pro obiecto aliam volitionem, ſeu intentionem imperatam, hanc autem conſtituere Sacramentum; nam nos loquimur de intentione neceſſariò, & eſſentialiter requiſita ad fieri Sacramentorum: hæc autem, vt patet, ſi haberet pro obiecto Sacramentum, haberet pro obiecto ſe ipſam. Nihilominus, ſi non haberemus clariorem modũ explicandi obiectum huius intentionis, poſſet ſuſtineri hæc ſententia Suarez, dicendo obiectum huius intentionis non eſſe, neque velle ponere materiam, & formam tantùm, neque velle ponere intentionem tantùm, ſed velle Sacramentum, nimirum complexum ex materia, forma, & intentione, quod totum, cum ſit realiter inadæquatè diſtinctum ab ipſa intentione, poteſt eſſe obiectum illius intentionis, & in hoc ſenſu iuxta noſtra prin-

Sententi Suar. & V quez q modo p ſit defe

Digitized by Google

principia de complexis poteſt hæc ſententia facilè ſuſtineri.

16 Nullo tamen modo poteſt admitti illorum opinio, qui dicunt obiectum huius intentionis eſſe gratiæ cauſationem: nam poteſt verè validè confici Sacramentum, etiam ſi quis nullo modo de gratia cogitet; imò etiamſi nollet eam produci; ergo gratiæ cauſatio nullo modo poteſt eſſe obiectum illius intentionis.

57 Probatur ergo directè noſtra reſponſio; quia intentio, quæ eſſentialiter requiritur, eſt intentio faciendi, quod vult Chriſtus, & quod facit Eccleſia: ſed quando aliquis vult id, quod vult alius, eius intentio eſt voluntas ſe conformandi cum voluntate alterius; ergo etiam cum voluntas miniſtri ſit intentio faciendi, quod vult Chriſtus, et quod facit Eccleſia, eius intentio eſt ſe conformandi in tali actione cum eo, quod vult Chriſtus, & quod facit Eccleſia. Quare, ſi quis dicat alteri: *Ego faciam quidquid volueris.* Si poſtea interrogetur: *Quid eſt, quod per huiuſmodi actum voluiſti?* dicet, volo expreſsè me conformare

[Quid velit miniſter dū vult id, quod vult Eccleſia.]

cum voluntate alterius, ſecus in particulari, quid ipſe velit neſcio, quidquid tamen ille voluerit, & ego in confuſo volo; ita in propoſito miniſter expreſsè per intentionem vult ſe conformare cum intentione Chriſti, & Eccleſiæ, & in confuſo vult ea omnia, quæ vult poſtea Chriſtus, & Eccleſia.

18 Dices. Si miniſter pro obiecto ſuæ intentionis habet conformitatem cū voluntate Chriſti, & Eccleſiæ, & vult in confuſo, quæ vult Chriſtus, & Eccleſia per tale Sacramentum; ſequitur, quod cum hac intentione non conficeret Sacramentum, quod tamen falſum eſt; ergo &c. ſequela probatur, quia poteſt dari hæreticus, qui putet falsò non conferri gratiam per baptiſmum, imò nolle, quod per baptiſmum conferatur gratia; & nihilominus, ſi iſte baptizet cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, verè baptizat, & gratia confertur; ergo obiectum intentionis non eſt conformitas cum voluntate Chriſti, & Eccleſiæ; & in confuſo quidquid vult Chriſtus, & Eccleſia: antecedens patet: probatur conſequentia; nam talis hæreticus non eſt conformatus cum voluntate Chriſti, & Eccleſiæ, ſed expreſsè habet voluntatem contrariam. Sed contra nego ſequelam: ad probationem, concedo antecedens, & nego cōſequentiam: ad aliam probationem; nego quod talis hæreticus nō ſit conformatus cum intentione Chriſti, & Eccleſiæ in voluntate ſua abſoluta; concedo verò non eſſe conformatum in voluntate conditionata, verùm hoc non repugnat, & poſſunt ſtare ſimul, & voluntas conditionata corrigitur per abſolutam, vt dictum eſt ſupra quæſt. 1. ar. 12. vide, quæ ibi dicta ſunt.

ARTICVLVS V.

Qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti.

1 Explicata neceſſitate intentionis, nunc explicandum eſt qualis debeat eſſe illa intentio, vt verè ſit ſufficiens ad conficiendum Sacramentum.

2 Triplex communiter aſſignari ſolet intentio, nempe actualis, virtualis, & habitualis: prima, quæ eſt etiam omnium perfectiſſima eſt illa, ſecundùm quam miniſtrans Sacramentum actu, & formaliter intendit illud conficere, & adminiſtrare, & hac, ſicuti certum eſt apud omnes Sacramentum confici, quādo adeſt, quia ipſa perfectiſſima eſt; ita etiam eſt certum non eſſe eſſentialiter requiſitam, quia moraliter loquendo impoſſibile eſt, aut ſaltem maximè difficile, vt miniſter, dum conficit Sacramentum habeat ſemper intentionem actualem, & non cogitet de alijs rebus; vnde D. Thom. hic quæſt. 64. ar. 8. ad 3. dicit, quod nō eſt totaliter poſitū in hominis poteſtate habere ſemper intentionem actualem; contigit enim ſæpè, vt dum homo multum vult intendere, prę ter intentionem ſuam incipiat de alijs cogitare, iuxta illud Pſalm. 39. *Cor meum dereliquit me.* Et D. Auguſtinus lib. 1. de libero arbit. ait: *Non eſt in noſtra poteſtate ſemper cogitare, quod volumus*; cum igitur Deus hominem non obliget ad impoſſibile, aut ad nimis difficile, certum erit miniſter non obligari ad habendam ſemper intentionem actualem in confectione Sacramentorum; quamuis doceat D. Thom. 2. 2. qu. 83. art. 13. miniſtrum debere curare illam habere, inquit enim: *Studiosè tamen curare debet Sacramenti miniſter, vt etiam actualem intentionem adhibeat.*

3 Virtualis eſt illa, quæ licèt præceſſerit, & iam non duret in ſe ipſa, perſeuerat tamen in aliquo effectu, ratione cuius cenſetur ad Sacramentum concurrere, quatenus fuit cauſa alicuius, cum quo proximè connectitur actio Sacramentalis, vt videre eſt in eo, qui ex intentione celebrandi confert ſe ad Eccleſiam, manus lauat, parat miſſam, induit ſe ſacris veſtibus, pergit ad altare, inchoat miſſam, & conſecrat, in his

enim

Digitized by Google

enim actionibus perſeuerat prima intentio, licèt ex obliuione, aut diſtractione non duret in ſe, & hæc vocatur propriè virtualis, eo quod virtute duret in effectu. A D. Thom. tamen hic ar. 8. nominatur habitualis, forſan vt notat Sotus, quia eo tempore ſic appellaretur; verùm Theologi nunc communiter reliquerũt illud nomen, & ſolùm appellant intentionem virtualem.

4 Habitualis eſt promptitudo, & inclinatio ad actum ex vſu, vel habitu acquiſito relicta, & quæ remanere cenſetur poſt actualem voluntatem non retractatam, quæ tamen non influit in effectum; cum nec in ſe, nec in aliquo ſui formaliter remaneat. Præter has intentiones datur etiam alia, quæ dicitur remota, indirecta, interpretatiua, & in cauſa, cuiuſmodi eſſet, ſi quis ſciret ſe in ſomno, vel ebrietate baptizare, vel conſecrare, & antequam ſe ſomno daret, vel inebriaret intenderet conficere Sacramenta in ſomno, vel in ebrietate. His poſitis.

5 Concluſio 1. Certum eſt intentionem habitualem, vel interpretatiuam, & in cauſa nõ eſſe ſufficientem ad valorem Sacramenti. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio, quæ ſit actio humana, hæc autem debet eſſe cum aduertentia, & deliberatione: actio autem, quæ fit ex habitu non eſt hujuſmodi, ſed fit ſine deliberatione, & aduertentia; ergo nullo modo eſt ſufficiens: & eadem ratio probat etiam intentionem interpretatiuam, & in cauſa non eſſe ſufficientem, quia nõ eſt actio humana.

6 Dices primò. Si quis hodie intendat applicare ſacrificium pro amico, & cras celebret non mutando intentionem, intentio habitualis ſufficit, vt pro amico intelligatur applicatum ſacrificium; ergo etiam ſufficiens erit, vt conficiatur validè Sacramentum. Sed contra reſpondeo, negando conſequentiam, & diſparitas eſt; nam applicatio ſacrificij fit, vel per modum ſolutionis, ſi adſit obligatio applicandi, vel per modum donationis, ſi gratis applicetur; ad hoc autem ſufficit ſi ſit, qui acceptet, quando exhibetur, quæ acceptatio eſt quid morale; Deus igitur eſt, qui acceptat, quando exhibetur ab offerente, & ideò ad valorem applicationis ſufficit intentio præcedens habitualiter manens, at ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio habitualis in miniſtro, quia hęc debet fieri modo humano, & ex deliberatione per actum verè humanum, quæ fiunt autem ex habitu, poſſunt quidem dici actiones hominis, non humanæ.

7 Dices ſecundò: Si quis ante ſomnum, vel ebrietatem deſideret baptiſmum, & poſtea dormiens, vel ebrius baptizetur, verè recipit baptiſmum; ergo etiam, ſi ante ebrietatem, vel ſomnum habeat intentionem conficiendi Sacramentum, ſi in ebrietate, vel ſomno conſecret, vel baptizet, verum efficiet Sacramentum: conſequentia currit ex paritate rationis: antecedens autem colligitur ex Concilijs Carthag. 3. cap. 34. & Arauſic. 1. cap. 12. vbi habetur Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ adminiſtrari poſſe etiam deſtitutis ſenſibus, ſi nimirum ea ſaltem petijſſe conſtet; & ex cap. *Maiores*, baptiſmus confertur validè dormienti, ebrio, vel etiam inſano, ſi ante petierit illum; in iſtis autem non eſt intentio virtualis. Sed contra concedo antecedens, & nego conſequentiam: diſparitas eſt: tum quia ſuſcipiens habet ſe paſſiuè, miniſter autem actiuè; plura autem requiruntur in agente, quã in patiente: tũ quia ſic Deus prudẽter inſtituit Sacramenta; quia ſcilicet, etſi ſapientem ſæpè deceat ſua bona diſpenſare in amentes; numquam tamen decet eum diſpenſare eadem per amentes.

8 Aduertendum autem eſt, neque in recipiente ſufficere voluntatem interpretatiuam, & indirectam ſuſcipiendi Sacramentum, qualis eſſet ſi quis præuidens ſibi dormienti conferendum eſſe baptiſmum, ſomno ſe daret, quia cum hac voluntate dormiendi ſtare poteſt contraria voluntas refugiens baptiſmum: ſecus eſſet ſi hoc præuidens, baptiſmum deſideraret, quia in tali caſu maneret voluntas habitualis ſufficiens ad validam ſuſceptionem: ſimiliter in recipiente neceſſaria eſt voluntas abſoluta ſuſcipiendi Sacramentum, quia cõditionata ſuſpendit valorem. Hæc certa ſunt apud omnes: difficultas eſt de intentione virtuali, quam dicemus eſſe ſufficientem ad valorem Sacramenti, quomodo diſtinguatur ab habituali, & actuali, & in quo propriè conſiſtat.

9 Coninchus hic qu. 64. ar. 8. dub. 2. vult intentionẽ virtualẽ debere habere aliquid ſui præſens ſaltem in imaginatiua, ad hoc vt dicatur verè concurrere, & ſit diſtincta ab habituali. Lugus verò diſp. 8. ſec. 5. & Eſparza lib. 10. qu. 15. volũt intentionem virtualem ſecundũ aliquid ſui debere eſſe præſentem, nõ tantũ ex parte imaginatiuæ, ſed etiã ipſius voluntatis, ita remiſsè tñ, vt nõ percipiatur.

Diuus Thomas hic artic. 8. ad 3. & 5. contra Gentes cap. 138. vult virtualem intentionem eam eſſe, quæ virtute perſeuerat in aliqua externa actione à miniſtro imperata, & directa ad opus ſa-

cra-

Digitized by Google

cramentale exequendam, & quamdiu motio illa durat ex vi prioris imperij, & applicationis dicitur intentio manere virtualiter in aliquo effectu à priori intentione; & dat exemplum D.Thom de eo, qui vocatus ad celebrandum pergit in Eccleſiam, lauat manus, induit ſe veſtibus, & pergit ad celebrandum; iſtæ enim actiones ſunt ſubordinatæ, & ſunt effectus illius prioris intentionis, quæ virtute dicitur remanerè in effectu, hanc ſequuntur communiter Thomiſtæ, Cajet. hic q.64. ar.8. Nugnus, Cabrera, & alij ibidem, Gonet.diſp.6. ar.2.§.5. Suarez hic diſp.13. ſec.3. Vaſquez diſp.138. cap.6. Amicus diſp.9. ſec.2. Arriaga diſp. 19. ſec.4. ſubſec. 2. & 3. & communiter Doctores.

10 Concluſio ſecũda. Intentio virtualis ſufficit ad validè conficiendum Sacramentum. Hæc eſt communis, & remanet probata ex dictis; nam actualis intentio non eſt neceſſaria, ſed poteſt confici Sacramentum ſine actuali intentione, ex alia parte habitualis indirecta; & interpretatiua non ſufficit; ergo dicendum eſt virtualem eſse ſufficientem, cum nulla alia detur præter enumeratas. Secundò probatur ratione fundamentali: illa intentio ſufficit ad adminiſtrandum Sacramentum, ex qua ſequitur actio humana, & humano modo facta: ſed ad intentionem virtualem ſequitur actio humana, & humano modo facta; ergo eſt ſufficiens: ſecus ſi iſta non eſſet ſufficiens, ſæpiſſimè irrita eſsent Sacramenta ob varias diſtractiones occurrentes in humanæ vitæ actionibus.

11 Concluſio tertia. Ad hoc, vt detur vera intentio virtualis non eſt neceſſe, quod debeat intentio eſſe præſens ſecundùm aliquid ſui, vel in voluntate, vel in imaginatiua, ſed ſufficit quod maneat virtute in effectu, licèt actus ipſe in ſe non ſit, ſed tranſierit. Probatur primò concluſio: Omnes fatentur intentionem virtualem diſtinctam non tantùm ab habituali, ſed etiam ab actuali eſſe ſufficientem ad valorem Sacramentorum: ſed ſi intentio virtualis debet eſſe actu præſens ſecundùm ſe, quando fit Sacramentum diſtingueretur quidem ab habituali, non tamen ab actuali; nam quod actu ſecundùm ſe eſt, verè actualiter eſt; ergo ſi actu eſt, non eſſet diſtincta ab intentione actuali.

12 Dices intentionem virtualem diſtingui ab habituali, quia hæc actu non eſt, nec influit, diſtingui verò ab actuali, quia licèt actu ſit, eſt tamen actus ita remiſſus, vt percipi non poſſit. Sed contra primò, quod actus ſit intenſus, vel remiſſus non ſequitur, quod actualiter nõ ſit, vnde ſi duo peccatores conuerterentur ad Deum, vnus per actum contritionis intenſum vt octo, alter per ſolum actum vt vnum remiſiſſimum, nihilominus ambo iuſtificarentur per actum formaliſſimum contritionis tamquam per vltimam diſpoſitionem, nec poſſet dici, quod ille, qui habuit tantùm contritionem vt vnum, habuerit ſolum contritionem virtualem, ſed verè habuit contritionem actualem; ergo etiã, qui actu habet intentionem conficiendi Sacramentum, licèt remiſiſſimam, verè habet intentionem actualem, non virtualem. Contra ſecundò. Intantùm cum aliquo firmo fundamento poteſt poni, quod actus ille intentionis virtualis actu ſit, ſed remiſſus in quantùm percipi poteſt ſaltem per intellectum: ſed etiam aduerſarij fatentur eſſe ita remiſſum, vt ſit imperceptibilis; ergo ſine firmo fundamento ponitur.

13 Probatur ſecundò. Eſſe aliquid per virtutem ſuam in aliquo loco non eſt eſſe ibi per ſuam ſubſtantiam, ſed tantùm per aliquid à ſe productum; ſic Sol eſt in viſceribus terræ per ſuam virtutem producendo aurum, & alia metalla, eſt in terra per lucem, & calorem; agens dum proicit lapidem eſt ſimul cum lapide, non per ſuam ſubſtantiam, ſed per virtutem impreſſam; ergo etiam intentio dicitur virtualiter exiſtere, non quia in ſe ſit, ſic enim eſſet actualis, ſed quia ex imperio intentionis motæ fuerunt potentiæ miniſtri ad perficiendam actionem ſacramentalem.

14 Probatur tertiò, & ſimul impugnatur aduerſariorum fundamentum. Si remanet aliquid intentionis in imaginatiua; ergo etiam in intellectu, cum nihil imaginatio cognoſcat, quod etiam intellectus non intelligat; idem dicendum eſt de voluntate, nam cum voluntas ſit potentia cæca, nihil poteſt velle, niſi intellectu face ſua cognoſcitiua præeunte: ſed experientia conſtat, nos operari aliquid propter aliquem finem primò intentum, & non ſolùm non conſiderare actu finem, ſed nec etiam cognoſcere media ad ipſum conducentia, vt patet de illo, qui vult ire ad ambulandum animo perueniendi ad aliquem terminum, & in itinere tractat cum amico de rebus ſerijs, vel de negotio grauiſſimo ad ipsũ pertinente, quod totum hominem requirit, iſte vtique neque aduertit ad finem, neque ad media; nam multoties peruenit ad terminum antequam aduertat ad media, quæ pertranſijt; ergo ſi non aduertit, neque intendit actu media illa, vel terminum, ſed tantùm habuit intentionem in principio

cipio

Digitized by Google

cipio. Confirmatur: quia ſi quis offerat aliquas particulas conſecrandas ſimul cum hoſtia, ſi tempore conſecrationis hoſtiæ nullo modo recordetur particularum, neque tunc poterit habere aliquam intentionem actualem conſecrandi illas particulas, cum nihil actu ſit volitum, quin præcognoſcatur; & nihilominus ſecundùm communem, & vt fatetur etiam ipſe Lugus, tales particulæ omnes ſunt conſecratæ; ſed non ſunt conſecratæ per intentionem, quæ actu ſit, cum ſupponamus Sacerdotem tempore conſecrationis omnino earum oblitum fuiſſe; vnde ſi nullam cognitionem de illis habuit, neque vllam intentionem actu habere potuit; ergo debent dici conſecratæ per intentionem virtualem, quæ licèt in ſe ampliùs non duraret, durabat tamen virtute in effectibus, & actibus ad eadem, dum exiſteret imperatis.

15 Obijcies ex Lugo: Si quis ambulando clauderet oculos, aut de repente auferretur lumen, ſtatim non pergit ampliùs; ergo ſignum eſt, quod debet cognoſcere viã, vt pergat; ſed notitia illa, ſeu viſio viæ non dirigit, niſi illuminando appetitum, vt imperet motum pedis ad hanc potius partem, quam aliam; ergo in quocumque actu debet eſſe intentio aliqua, ſiue imperium appetitus, ſi autem appetitus, ergo etiam voluntatis, cum non operetur vna potentia ſine alia.

Reſpondeo concedendo antecedens; & primam conſequentiam: concedo etiam, quod notitia illa non dirigat, niſi illuminando appetitum; nego autem illuminare, ut imperet appetitus motum pedis ad hanc potius partem, quam aliã: ſufficit enim, ſi ſemel in principio motum imperauerit, prærequiritur tamen notitia tamquam conditio, ſine qua non, & idem dicimus de voluntate, ſufficit enim ſi ſemel in principio habuerit intentionem ambulandi, & talem ambulationem imperauerit, licèt amplius talis intentio in ſe nõ duret, ſed tantùm virtualiter in effectu; eo modo, quo ad proiciendum lapidem requiritur actus proicientis, at poſtea virtus illa aliquantulum conſeruatur, licèt non duret in ſe amplius actus proicientis, ita ad motum requiritur imperium, ſeu intentio voluntatis, & appetitus, at ſemel poſita intentione, poteſt non amplius in ſe durare, & tantùm durare, virtualiter in effectu.

16 Obijcies 2. Si forma alicuius Sacramenti deberet cantari, non poſſet homo cantum continuare ſine arte; nam ſi ab illo homine auferretur cantandi peritia, ſtatim à cantu ceſſaret; ſignum ergo eſt, quod habitus ille concurrit: ſed habitus non cõcurrit, niſi per actum elicitum, & actus intellectus non determinat potentias, niſi ratione volitionis; ergo ſemper debet interuenire aliqua volitio, & intentio; & idem argumentum habet eamdem vim, caſu, quo quis debeat legere.

Reſpondeo hoc argumentum retorqueri in intentione habituali, etenim, ſi quis ex habitu cantaret non poſset continuare cantum ſine habitu artis cantandi, & habitus non concurrit, niſi per actum elicitum; & tamen ex habitu cantans non determinat potentias per nouum actum voluntatis, ergo etiam, quando quis ex habitu operatur, deberet habere nouum actum voluntatis; quod non puto admitti ab aduerſarijs; ſecus cum intentione habituali quis poſſet conficere Sacramentum, etenim tunc adeſset materia, forma, & intentio actu faciendi, quod facit Eccleſia; ergo cum intentione habituali conficeretur Sacramentum; quod tamen falſiſſimum eſt.

Reſpondeo igitur directè concedendo, quod ſi forma debet cantari non poſſit homo continuare ſiue arte, & quod habitus concurrat per actum elicitum cognitionis; nego autem cognitionem ſemper determinare potentias ratione nouæ volitionis, ſufficit enim ſi in principio determinauerit, & poſtea cognitio illa ſe habet ſolùm tamquam fax, quæ præit, vt potentiæ exteriores iam determinatæ per intentionem proſequantur ſuos actus, & eadem reſponſio danda eſt in caſu, quo quis debet legere formam.

17 Dices primò. Sequitur ex hac reſponſione, quod non diſtinguatur intentio virtualis ab habituali, cum eodem modo concurrant. Sed contra, nego ſequelam, nam virtualis eſt in ordine ad actiones exteriores ſubordinatas conducentes ad conficiendum Sacramentum, vnde moraliter per modum vnius ſe habent, & ſunt omnes liberæ dependenter ab intentione actuali poſita, & virtualiter perſeuerante, & non interrupta; quo modo non concurrit intentio habitualis; nam hæc ſupponitur interrupta per actiones vel contrarias, vel diſparatas; vnde non influit, ſicut virtualis.

18 Dices 2. Poteſt quis ex data reſponſione perſeuerare motum vi cognitionis; ergo etiam incipere, cum nulla ſit diſparitas. Sed contra, nego conſequentiam; nam non perſeuerat motum quis vi cognitionis, quaſi cognitio ſit

cauſa

Digitized by Google

cauſa motum perſeuerandi; ſed cognitio eſt tantùm conditio ſine qua non; cauſa autem motiua incipiendi fuit intentio imperans motum potentijs exterioribus, cauſa autem perſeuerandi eſt vis motiua, quæ eſt in ipſis potentijs exterioribus perſeuerante virtualiter motione voluntatis eo modo, quo perſeuerat virtus motiua in proiectis, licèt actus proiecientis deſierit.

19 Obijcies 3. ex Eſparza: Intentio ſufficiens ad conficiendum Sacramentum eſt intentio cauſatiua, & donatiua gratiæ: ſed quod non exiſtit non poteſt hic, & nunc eſſe cauſatiuum, aut donatiuum gratiæ; ergo intentio, quæ non exiſtit non poteſt eſſe ſufficiens ad conficiendum Sacramentum. Confirmatur: quia potentiæ exteriores non poſſunt percipere intentionem actu non exiſtentem, aut vllum impulſum ab illa recipere; ergo quando mouentur ab intentione aliqua actu exiſtente mouentur, & ab ea actu impulſum recipiunt.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, quod non exiſtit, neque formaliter neque virtualiter non poteſt eſſe cauſatiuum gratiæ, concedo minorem; quod non exiſtit formaliter in ſe, ſed exiſtit virtualiter in effectu ſuo non poteſt eſſe cauſatiuum gratiæ, nego minorem; eodem modo diſtinguo conſequens, & concedo, & nego reſpectiuè conſequentiam. Ad confirmationem dico, quod potentiæ exteriores non poſſunt percipere intentionem actu non exiſtentem, ſed ſufficit, quod eam perceperint, quando exiſtebat, vt poſtea dependenter ab ea moueantur ad effectum, ad quem motæ fuere.

20 Obijcies 4. Actio, qua quis baptizat v. g. debet eſſe libera: ſed ſi non requiritur, vt aliqua intentio actu ſit, dum quis baptizat, non eſſet libera in ſe, ſed ad ſummum tantùm in cauſa; ergo niſi aliqua intentio actu ſit, non eſt ſufficiens. Confirmatur: quia ſi ſufficeret quod eſſet libera in cauſa; ergo etiam actio dormientis, & ebrij poſſet eſſe ſufficiens; nam ſi ebrius, vel dormiens habuiſſet in vigilia, & extra ebrietatem intentionem conficiendi Sacramentum, dum conficeret, talis actio eſſet libera in cauſa, licèt non in ſe.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: actio, qua quis baptizat debet eſſe libera, vel formaliter, vel virtualiter concedo maiorem: formaliter per actum voluntatis actu exiſtentem, nego maiorem: deinde diſtinguo minorem: ſi non requiritur, vt aliqua intentio actu ſit, dum quis baptizat non eſſet libera in ſe per actum voluntatis actu exiſtentem, concedo minorem: non eſſet libera per actum voluntatis virtualiter exiſtentem, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: neque ſequitur, quod eſſet libera tantùm in cauſa; nam in hoc latet æquiuocatio, nam ſi dicatur libera tantùm in cauſa, eo quod actiones externæ non ſunt liberæ, niſi dependenter ab actu interno voluntatis; hoc veriſſimum eſt; verum hoc actionibus externis etiam conuenit, quando actu eſt intentio voluntatis libera: ſi velit dicere, quod ſint liberæ tantùm in cauſa, vt faciunt complexum cum intentione libera virtualiter exiſtente, ſic falſum eſt; nam ita ſunt formaliter liberæ, ac ſi actu eſſet intentio voluntatis libera, per quod patet ad Confirmationem; nam actiones ebrij, & dormientis non ſunt actiones hominis proximè liberi, nec humanæ in sè, cum habeant iudicium impeditum, vnde ſunt actiones inſtar brutorum: at operationes hominis habentis intentionem virtualem ſunt actiones humanæ, & ſunt hominis, qui eſt in ſtatu proximo attendendi; ideo iſtæ liberæ cenſentur, & ſufficientes ad Sacramenta conficienda; non verò illæ dormientis, aut ebrij.

Actiones factæ cum intentione virtuali ſunt formaliter liberæ.

ARTICVLVS VI.

An intentio debeat eſſe abſoluta, vel ſufficiat conditionata, & quædam alta dubia explicantur.

1 CONueniunt Doctores communiter intentionem miniſtri debere eſſe abſolutam: conditionatam verò, ſi ſit conditionata de præſenti, vel de præterito, adhuc eſſa validam, non autem de futuro: Sic Suarez diſp. 13. ſec. 13, Amicus diſp. 4. num. 16. Arriaga diſp. 19. ſec. 4. ſubſec. 4, & communiter Doctores.

2 Concluſio. Intentio neceſſaria ad conficiendum Sacramentum debet eſſe abſoluta, vel conditionata de præterito, vel præſenti, non autem de futuro. Probatur: quia ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio efficax per quã Sacramentum ponatur in eſſe: ſed tantùm abſoluta intentio, vel conditionata de præterito, vel de præſenti eſt efficax, non de futuro; ergo tantùm abſoluta intentio, vel conditionata de præterito, vel præſenti conficit Sacramentum, non conditionata de futuro. Vt magis vis huius rationis declaretur.

3 Aduerte, quod intentio ſub conditione de præterito, & præſenti tranſit in abſolutam, ſi tales conditiones ſint, vel fuerint; vel ſi tales conditiones non

Digitized by Google

adſint, neque intentio cenſetur adeſse, & conſequenter non fit Sacramentum ob defectum intentionis: at intentio ſub conditione de futuro, ita ſe habet, vt dum adeſt materia, & forma Sacramenti non poſſit poni Sacramentum in eſse, quia tunc non adeſt intentio; hæc enim cum ſit conditionata de futuro non poteſt tunc eſse efficax, quia voluntas conditionata, quamdiu talis eſt, nihil ponit in eſse; neque etiam poteſt eſse efficax, dum poſtea ponitur conditio, quia materia, & forma iam tranſierunt, & conſequenter tunc Sàcramentum non poteſt incipere eſse; cum non ſit in poteſtate miniſtri ſuſpendere ſignificationem Sacramenti, & efficere vt poſtea incipiat eſse; cum igitur intentio conditionata de præſenti, vel præterito tranſeat in abſolutam, intentio autem ſub conditione de futuro ſuſpendat intentionem præſentem, hæc obſtabit validitati Sacramenti, non autem illa.

Cur intentio conditionata de futuro non ſufficiat.

4 Explicemus hoc exemplis ſi quis dicat *abſoluo te ſi reſtituiſti* eſt conditionata de præterito, & fit abſoluta, quia ſi verè ille reſtituit, etiam miniſter, abſolutè abſoluit; ſi verò reſtitutionem non fecit, Sacramentum non fit, quia intentio deficit non verificata conditione. Si verò quis dicat: *abſoluo te ſi es diſpoſitus*, eſt conditionata de præſenti, & eodem modo tranſit in abſolutam verificata conditione.

5 Aduertit tamen Suarez conditionem de præſenti, vel præterito non obſtare validitati Sacramenti, dummodo conditio ſit illarum rerum, quæ ſecundum humanum modum apponi ſolent, & cadunt ſub hominis cognitione, ſecus autem ſi ſit earum rerum, quæ ſciri ab homine non poſſunt, & non niſi temerè, & ſtultè apponi poſſuut pro conditionibus; Quare Baptiſma collatum ſub conditione, ſi es prædeſtinatus, cenſet eſſe repetendum, ſaltem ſub conditione; idem dicit de alijs ſimilibus. Circa quã doctrina meritò dixit temerè, & ſtultè apponi ſimiles cõditiones; cum ſit iniquiſſimum, & peccatum apponere huiuſmodi conditiones; baptiſma tamen colatum pòteſt eſſe verum, quia hæc, *ſi es prædeſtinatus*, eſt conditio de præſẽti, qua verificata, baptiſma validum eſt. Merito, etiam dicit talem rebaptizandum eſſe ſub conditione *ſi non es baptizatus ego te baptizo &c.* quia ſi de facto talis non eſſet prędeſtinatus, nullum eſſet baptiſma, & multa poſsunt ſequi incommoda in Eccleſia Dei; nam poſset poſtea iſte ordinari Sacerdos, & fieri Epiſcopus; & ſic conſecrare, abſoluere, & ordinare; quæ omnia inualidè fierent, ſi prius non recipiſset baptiſmum, & plura alia poſsent ſequi inconuenientia, quæ euitantur rebaptizando ipſum ſub conditione.

Qualis debeat eſſe conditio eux appoſitus.

6 Denique ſi conditio ſit de futuro, vt ſi dicatur *Abſoluo te ſi cras reſtitues*, vel *baptizo te ſi cras venies ad Eccleſiam* nullum fit Sacramentum; nam forma illa facit hunc ſenſum *Abſoluam te, baptizabo te, ſi reſtitues, ſi venies*; cras autem, quo tempore debet verificari intentio, non adeſt materia, & forma, & ideo nullum in tali caſu fuit Sacramentum.

7 Obijcies primò validè poteſt dari abſolutio ab excommunicatiòne cum conditione de futuro, ſi reſtitues; ergo etiam poterit validè dari abſolutio à peccatis

Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia abſolutio ab excommunicatione dependet tantùm à voluntate abſoluentis, & poteſt dari etiã cõtra volũtatẽ eius, qui abſoluitur: at abſolutio à peccatis exigit, vt ſint ſimul materia forma, & intẽtio, & cũ nõ ſit intentio abſoluẽdi, niſi poſita cõditione, hac verò poſita non ſit amplius materia, & forma, hinc eſt, quod abſolutio à peccatis ſub conditione ne futuro noa eſt valida.

8 Obijcies 2. Si quis dicat; *Si Deus tenouit cras reſtituturum, vel ſi verum eſt te reſtituturum, ego te abſoluo nunc*, talis conditio eſt de futuro; & tamen valida eſt abſolutio, cum hic, & nunc cognoſcat Deus an cras talis reſtituturus ſit nec ne; & hic, & nunc eſt verum cras talem eſſe reſtituturum, vel non reſtituturum, licèt confeſſarius id neſciat; ergo ad validitatem Sacramẽti ſufficit intentio conditionata de futuro.

Reſpondeo negando talem conditionem eſſe de futuro; nam talis conditio verificatur de præſenti, licèt ſit de obiecto in ſe futuro, & ideo poteſt eſſe valida abſolutio; iniquè tamen faceret miniſtér ſic abſoluendo, vel baptizando, quia ponitur conditio ex natura rei hominibus ignota, præſertim cum ex hoc in baptiſmo, & ordine poſſint oriri plura inconuenientia, vt diximus in concluſione.

9 Dices tamen contra hanc reſponſionem. Scientia Dei non extrahit propoſitionem à futuro contingenti; & licèt ſit verùm cras Petrum eſſe reſtituturum, vel non, tamen hæc veritas fundatur etiam in reſtitutione craſtina: ergo quando ponitur conditio de re futura numquam validum fit Sacramentum.

Reſpondeo aliud eſſe, quod ſcientia Dei, & veritas de futuro non extrahant propoſitionem à futuro contingenti: aliud eſſe quod ſcientia, & veritas futuri contingentis hic, & nunc

non

Digitized by Google

non ſit: primum eſt verum: at hoc ſecundum eſt falſum; nam hic, & nunc ſcit Deus, & eſt verum, an Petrus cras reſtiturus ſit nec ne: & cũ conditio cadat ſuper ſcientiam, & veritatem, & hæc hic, & nunc ſint conditio, erit de præſenti, non de futuro, & ideo poteſt eſſe validum Sacramentum, licèt miniſter iniquè faceret tales conditiones apponendo; quod verò veritas fundetur etiam in reſtitutione craſtina, non facit, quod hic, & nunc non ſit: ſicuti à pari, ſi ponatur conditio de præterito, veritas fundatur in præterita reſtitutione, & tamen hic, & nunc eſt vera. Ita &c.

10 Obijcies 3. In Sacramento matrimonij per procuratorem contrahitur matrimonium ſub conditione de futuro v.g. *ſi cras alter conſenſerit, ego conſentio* ergo etiam in alijs Sacramentis intentio ſub conditione de futuro erit ſufficiens.

Reſpondeo talem conſenſum eſſe omnino abſolutum, quantùm eſt ex parte vnius contrahentis; & quod ponatur illa conditio, *ſi alter conſenſerit*, eſt quid neceſſarium in omnibus contractibus, qui non poſſunt celebrari, nec intelligi perfecti, niſi vtraque pars conſenſerit: vnde ſi tempore, quo celebratur contractus, quis apponeret conditionem de futuro v.g. *Si Pater tuus dabit mihi tantam dotem, ego te accipio*; etiam tale matrimonium nullum eſſet, & vt fieret validum poſita conditione, deberet iterum contrahi; & hoc eſt peculiare in Sacramento matrimonij, in quo non eſt vnus miniſter, ſed ambo coniuges ſunt miniſtri; in alijs verò Sacramentis, cum vnus tantùm ſit miniſter, ab ipſius tantùm voluntate dependet, quod ponatur Sacramentum.

11 Obijcies 4. Sacramenta non ſolùm ſunt cauſæ phyſicæ, ſed etiam morales: ſed cauſæ morales poſſunt operari etiam quando non ſunt, vt diximus ſupra de Sacramentis, quæ reuiuiſcunt recedente fictione; ergo etiam collata ſub conditione de futuro, & ipſa adimpleta, poterunt cauſare gratiam; ſi autem poſſunt cauſare gratiam, validè etiam poterunt conferri ſub conditione de futuro.

Reſpondeo negando conſequentiam; & ratio huius eſt, quia cauſa moralis vt cauſet, vel eſt, vel aliquando fuit: at Sacramenta ſub conditione de futurò, numquam ſunt, nam quando ponitur materia, & forma non ponitur intentio, ſed ſuſpẽditur, donec verificetur conditio; verificata verò conditione, iam non ſunt amplius materia, & forma, & ſic numquam poteſt eſſe Sacramentum.

12 Quæres primò, an intentio miniſtri debeat eſſe circa materiam determinatam? Reſpondeo affirmatiuè: ſic communitèr Doctores, Suarez diſp.13. ſect.3. Vaſquez diſp.138. cap.7. Lugo diſp.8. ſect.7. Amicus diſput.9. num.19. Arriaga diſp.19. num.40. Gonet.diſp.6. art.2. nu.55. & tamquam certa ab omnibus defenditur; hocque indicant formæ Sacramentorum per pronomina *te*, *vel hoc*, *& hic*, quæ certas perſonas, certamque materiam deſignant: tum quia intentio efficax debet eſſe ad materiam, & perſonas determinatas: ſed intentio miniſtri conficientis Sacramentum eſt efficax; ergo ad materiam, & perſonas determinatas dirigi debet.

13 Dices tamen 1. cõtra hanc communem doctrinam. Si quis putans baptizare filium Petri, vel puerum, baptizet filium Pauli, vel puellam, validè baptizat, & tamen non eſt illa determinata perſona, & materia, quam miniſter exiſtimat; ergo ad validitatem Sacramenti non requiritur materia, & perſona determinata: ſecundò ſi quis apponat hoſtiam ſuper patenam, & deinde alius auferat illam, & ponat aliam, Sacerdos verè conſecrat, & tamen putat conſecrare hoſtiam, quam ipſe poſuit: tertiò in Sacramento pœnitentiæ: ſi quis putat abſoluere Petrum, & abſoluit Paulum, & in ordinatione Epiſcopus habet animum ordinandi Franciſcum, & ordinat Ioannem, iſta Sacramenta ſunt valida, & tamen non eſt eadem materia, nec perſona, quam miniſter putat; ergo vt valida ſint Sacramenta, non requiritur materia determinata.

Reſpondeo ad primum, Syluestrum in ſumma verbo Baptiſmus 3. quæſt.15. cum Hoſtienſi videri docere tale Sacramentum eſſe inualidum, ſed communiter docent omnes eſſe validum, eo quod quilibet miniſter debeat habere intentionem circa materiam, & perſonam determinatam præſentem, ne ſe exponat periculo irritum reddendi Sacramẽtum, eo ipſo autem, quod miniſter habet intentionem conferendi Sacramentum perſonæ, quæ præſens eſt determinatè, accidit, ſeu eſt mutatio accidentalis, quod talis perſona ſit filius Pauli, vel Petri, ſit maſculus, vel fœmina, error autem accidentalis non inualidat Sacramentum, ſecus ſubſtantialis, & eodem modo reſpõdent doctores ad caſum de hoſtia in conſecratione, de Sacerdote abſoluente Paulum pro Petro in Sacramento pœnitentiæ, & de Epi-

Digitized by Google

ſcopo ordinante Ioannē pro Franciſco.

14 Verùm cōtra hanc communem reſponſionem eſt inſtantia de matrimonio; nam in hoc Sacramento error circa perſonam eſt ſubſtātialis irritans matrimonium, vnde ſi quis putat ducere primogenitam, & ei offeratur ſecundò genita, matrimonium nullum eſt, quia eſt error in ſubſtantia: ſed eo modo eſt error in ſubſtantia, quod ponatur vna hoſtia pro alia, ponatur Petrus pro Paulo in baptiſmo, pœnitentia, & ordine; ergo ſi matrimonium per errorem perſonæ redditur irritum, etiam in alijs Sacramentis idem dicendum eſt. Nihilominus nullo modo eſt recedendum à prima reſponſione; nam etiam in matrimonio, ſi contrahens habet verè animum contrahendi cum perſona præſente, quæcumque illa ſit, etiamſi putet eſſe primogenitam, cum ſit ſecundo genita, verè contrahit, & validum eſt matrimoniū, vt docent Nauarrus in ſumm. cap.22.num.32. Petrus Ledeſma de matri. quæſt.51.art.2.dub.3. & Sanchez de matr. diſp.48. num.33. Diſparitas igitur ſolùm eſt inter matrimonium, & cetera Sacramenta, quod in matrimonio contrahentes, qui ſunt miniſtri, poſſunt habere limitatam intentionem contrahendi cum illa, quam exiſtimant eſſe, & hoc licitè; at in alijs Sacramentis non poteſt licitè miniſter coarctare intentionem ad illam materiam, & perſonam, quam exiſtimat eſſe, ſed tenetur miniſtrare præſenti, quęcumque illa ſit. Et ratio huius eſt, quia in Sacramento matrimonij propter vinculum perpetuū illius, vitam communem, ac onera, quæ ſecum affert, licitum eſt habere determinatam intentionem; nam nullus cenſetur habere propoſitum accipiendi quamcumque fœminam, aut virum, ſed determinatè illam perſonam, quam ſibi elegit, nec vult ipſo inſcio fieri mutationem, quia hoc expoſitum eſt variis periculis: quæ ratio non militat in alijs Sacramētis, ſed tenetur miniſtrare determinatè perſonæ præſenti, quęcumq; illa ſit, & conſecrare hoſtiā præſentem, ſiue ſit illa, quam ipſe ſuper patenam poſuit, ſiue ſit alia ab alio poſita; & hoc ne ſe exponat periculo irritandi Sacramenta. Sic Sanchez lib.7. de matrim. diſput.18. num. 12. qui quamplurimos alios Doctores allegat. Suarez, Vaſquez, Lugo, & Arriaga locis citatis.

Differentia de intentione pro matrimonio, & pro alijs Sacramentis.

15 Ex his patet ſolutio illius dubij, an quando Archidiaconus ante ordinū collationem proteſtatur Epiſcopum nolle eos ordinare, qui cū aliquo impedimento accedunt, vel ſunt aliqua cenſura irretiti, vel ſine licentia ſui Epiſcopi, vel ſine dimiſſorijs, & patrimonio ſufficienti, ſi aliquis acedat cum aliquo impedimento, verè recipiat ordinem? Reſpondeo enim, quod ſi Epiſcopus non haberet intentionem eos ordinandi, vtique non eſſent ordinati, quia ſine intentione non conficitur Sacramentum: ceterum hanc intentionem non habet Epiſcopus, nec poteſt licitè illam habere, ne ſe exponat periculo irritandi Sacramentū; & illa verba ſolùm dicuntur ad terrorem ad arcendos indignos, & ad proteſtādum ſuam voluntatem in generali, nempè quantùm eſt ex ſe non habere intentionem ordinandi indignos, cum quo tamen ſtat, ſe ſemper habere intentionem determinatam ordinandi quemcumque præſentem. Aliter reſpondent Lugus, & Arriaga, ſed reſponſio allata eſt communis, & tenenda, & ſignum veritatis noſtræ reſponſionis eſt, quia ſic ordinati, habentur ab Eccleſia pro ordinatis, & ſuſpenduntur ab executione ordinum, non autem de nouo ordinantur.

16 Quæres ſecundò, an ſi miniſter non haberet intentionem conficiendi Sacramentum in principio formæ, ſed tantùm in fine aut medio conficiat Sacramentum?

Reſpondeo, quod ſi miniſter profert aliquod verbum eſſentiale formæ, cum intentione non conficiendi Sacramentum, aut ſine intentione actuali, vel virtuali, licèt poſtea mutet intentionem, & habeat intentionem actualem conficiendi, dum profert reliqua verba, non conficit Sacramentum, ſecus ſi in baptiſmo v. g. vel pœnitentia, dum dicit *Ego* non haberet intentionem conficiēdi, & poſtea dum dicit *te baptizo &c.* mutat animum, & habet veram intentionem, in tali caſu adhuc conficit Sacramentum: ſic in terminis Cabrera quæſt.64.art.8. num.62. & deducitur ex dictis, & eſt communis. Ratio huius eſt, quia intentio requiritur ad dandam ſignificationem ſacramentalem formæ, ſed ſi ſunt prolata verba eſſentialia formæ ſine intentione, intentio non poteſt applicari, & cadere ſupra totam ſignificationem; ablata autem eſſentiali ſignificatione, tollitur Sacramentum; ergo ſi intentio non cadit ſuper omnia verba eſſentialia formæ, non fit Sacramentum: ſecus autem dicendum, ſi in baptiſmo quis diceret *Ego* ſine intentione, imo cum intentione contraria non conficiendi, & deinde, dum dicit *te baptizo &c.* mutat animum, & habet veram intentionem, nam intentio cadit ſupra totam ſigni-

Intentio debet cadere ſuper eſſentialia formæ.

Digitized by Google

ſignificationem eſſentialem ; idem dico in Sacramento pœnitentiæ , imo in hoc ſi quis diceret *Ego te* ſine intentione, deinde mutaret animum , & haberet veram intentionem dum diceret *abſoluo à peccatis tuis* eſſet abſolutus ; nam ſuppoſitis peccatis confeſſis , & dicendo *abſoluo à peccatis tuis* eſſentialiter ſaluatur forma Sacramenti ; an verò ſufficiat cum intentione dicere tantùm *abſoluo* , quod aliqui dicunt ; infra cum de pœnitentia.

17 Quæres 3. an intentio mali finis , aut diſparati tollat veritatem Sacramēti.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia ad conficiendum Sacramentum tria illa requiruntur , nempe debita materia , forma , & intentio miniſtri faciendi , quod facit Eccleſia : ſed in prædicto caſu dantur illa tria,vt ſuppono; ergo conficitur Sacramentum . Vnde , ſi quis vellet baptizare puerum cū debita materia , forma , & intentione faciendi , quod fecit Eccleſia ad hunc finem extrinſecum , vt commodius committeret adulterium cum matre pueri, verè conficeret Sacramentum , quia finis prauus baptizantis non tollit verum Sacramentum , quia prius non dependet à poſteriori , maximè in ijs, quæ inuicem ſunt ſeparabilia , vt in propoſito eſt iſte finis prauus baptizantis ; qui tamen ſic conficeret Sacramentum , tria committeret peccata , vnum adulterij , alterum ſacrilegij ex abuſu Sacramenti, tertium contra dignam Sacramenti collationem. Sic D. Tho. hic quæſt.64. artic.10. & communitèr Doctores.

18 Quæres 4. An deficiente intentione miniſtri Deus ſuppleat dando effectum Sacramenti ?

Aduerte quod hic duplex poteſt eſſe quæſtio ; Primò an Deus ſuppleat intentionem , & fiat Sacramentum ; ſecundò an deficiente intentione , ex qua deficientia non perficitur Sacramentum , nihilominus Deus ex ſua miſericordia conferat effectus Sacramenti .

Partem affirmatiuam docent Syluester verbo baptiſmus 3. num.12. Alanus de Sacramentis cap.5. Paludanus in 4. diſt.6. quæſt.2. art.3. D. Antoninus 3.p. tit.14. cap.13. §.10. Alenſis, & Bonauentura apud Gonet diſp.6. ar.2. §. 5.

Communis Doctrina aliorum ſcholaſticorum tenet partem negatiuam. Sic Gonet loco citato , & deducitur ex dictis ſupra , vbi probauimus non ſufficere intentionem faciendi actionem exteriorem .

19 Reſpondeo primò Deum, neque Eccleſiam ſupplere intentionem miniſtri , vt fiat verum Sacramentum , ſi talis intentio deſit in miniſtro . Probatur: quia ex vna parte ex Florentino,& Trid. locis ſupra citatis art.4. habemus clarè ad conficiendum Sacramentum requiri debitam materiam , formam , & intentionem miniſtri ſaltem faciendi , quod facit Eccleſia : ſed ſi deſit materia , & forma , vel altera ipſarum nec Chriſtus , neq; Eccleſia ſupplet vt fiat Sacramentum; ergo cum ex Concilijs eſſentialitèr requiratur etiam intentio miniſtri, ſi illa deſit , nullo modo Chriſtus , aut Eccleſia ſupplebit , & ſine vllo prorſus fundamento id dicetur.

20 Reſpondeo 2. Neque adultum per ſuam deuotionem, & conuerſionem in Deum ſemper ſupplere effectum Sacramenti in baptiſmo ; neque Chriſtum ſupplere defectum intentionis miniſtri conferendo gratiam infantibus ; prima pars probatur, quia ſi adultus cum mortali accedat ad baptiſmum tantùm attritus , vtique non iuſtificabitur, ſi non recipiat Sacramentum , quod non ſupponitur validum , niſi adſit intentio ; ergo &c. antecedens patet , quia baptiſmus flaminis eſt perfecta conuerſio includens veram contritionem , & charitatem , ſimulque deſiderium, & votum veri baptiſmi ; dato tamen , quod per verā contritionem ſupplere poſſit vnus effectus , nempe gratia , non tamen reciperet characterem;hic enim tantùm per Sacramentum imprimitur , vt apertè docet D. Tho. hic art.8. ad 2.

21 Secunda pars etiam probatur : quia lex generalis eſt Ioan.3. *Niſi quis renatus ſit ex aqua,& Spiritu Sancto &c.* ſed infantes non recipiunt validum baptiſma , vt ſuppono; ergo neque renaſcuntur ex aqua, & Spiritu Sancto, nec poſſunt introire in Regnum Dei .

22 Dices D.Tho. hic art.8. ad 2. videtur docere Chriſtum Dominum ſupplere defectum intentionis reſpectu paruulorum , ita vt quamuis non recipiant characterem , recipiant tamen gratiam . Reſpondeo D. Tho. ibi referre opinionem quorumdam, quæ,cum duo membra quoddamodo contineat , alterum quoad characterem,alterum quoad gratiam ; & quo ad characterem , eam penitus improbat ; quoad gratiam verò illam approbat pro adultis , qui poſſunt per baptiſmum in voto , & veram contritionem iuſtificari ; quod non dicit de paruulis : & quinam ſit verus ſenſus intentus à D. Tho. iam explicatum fuit ſupra art.4.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLO VII.

Quid requiratur vt miniſtri rectè Sacramenta adminiſtrent.

1 CErtum eſt in primis miniſtros habere obligationem non miniſtrandi Sacramenta ſine debita poteſtate, & auctoritate, quare nullus, ſi non ſit Sacerdos poteſt conſecrare, aut adminiſtrare Extremam vnctionem; aut Sacerdos ſine iuriſdictione ordinaria, vel delegata (mortis articulo excepto) poteſt validè abſoluere à peccatis, aut licitè ſine neceſſitate Baptiſmum, & Extremam vnctionem; nullus, ſi non ſit Epiſcopus poteſt Ordines conferre, aut de viaordinaria Confirmationem dare; & quomodo quis peccet ſine debita iuriſdictione adminiſtrando Sacramenta dictum eſt in tract. 5. quæſt.4. art.14. de actibus humanis, vide, quæ ibi dicta ſunt.

2 Dubitatur modo, an in exercendis actionibus ſacris ſemper requiratur ſtatus gratiæ, ita vt peccet mortalitèr, ſi quis eas actiones in peccato mortali exerceat. Circa quod variæ ſunt opiniones, ſicuti variæ ſunt actiones, quæ poſſunt exerceri, cuiuſmodi ſunt fungi officio Ordinum maiorum, vel minorum, concionari, benedicere oleum, chryſma, Eccleſiam, conſecrare calices, Sacramenta conficere, vel ea adminiſtrare, & hæc efficere, vel ſolemniter, & ex officio. vel ex neceſſitate, & ideò de his omnibus in particulari breuitèr agêdum eſt.

3 Concluſio prima. Miniſter ſolemnitèr adminiſtrans, vel conficiens Sacramenta in peccato mortali, mortalitèr peccat. Sic D. Tho. hic quæſt.64.art.6. Caietanus, Nugnus, & Thomiſtæ communiter ibidem, Gonet diſput.6. art.4. Suarez diſp. 15. ſect.4. Vaſquez diſ.136. cap.3. Lugo diſ.8. ſect.9 Arriaga diſ.20. ſect.1. Coninchus, Eſparza, & communitèr omnes Doctores. Probatur ex ſcriptura. Exod.19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificentur* Leu. 19. *Sancti eritis quoniam ego Sanctus ſum* Ioan.2 *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata remittentur eis.* quaſi innuat Chriſtus prius hominem debere recipere Spiritum Sanctum, quam peccata remittat. Hæc veritas colligitur ex cap. *Quæſitum de temporibus ordinandorum*; vbi de peccatoribus occultis dicitur. *Monendi ſunt, & ſub interminatione diuini iudicij obteſtandi, vt in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent.* idem habetur ex cap. *Neceſſe eſt* 1. quæſt.1.& cap. *Sacerdotes* ibidem. Succedit Auguſt. lib.2. contra Epiſt. Parmeniani cap.10. vbi habet. *Omnia Sacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus.* & ex alijs locis hæc veritas colligitur.

4 Probatur ratione D. Thom. Illa actio eſt grauitèr peccaminoſa, quę non eſt recta, ſed valdè incedens: atqui actio ſacramentalis, quæ fit à miniſtro in peccato mortali, non eſt recta, ſed magnam indecentiam includit; ergo eſt grauitèr, & mortalitèr peccaminoſa: maior per ſe patet; nam illud eſt peccatum mortale, quòd magnam diſſonantiam dicit ad naturam rationalem: probatur minor: nam miniſter eſt inſtrumentum Chriſti, & Dei, & concurrit ad producendam gratiam per Sacramenta: Sed ſuppoſita inſtitutione Sacramentorum, & ſuppoſito, quod ſint miniſtri ſpecialitèr per characterem, & gratiam deſtinati, lumen naturale oſtendit eſſe ſummam indecentiam, quod miniſter aliquis deputatus per gratiam, & characterem, & qui ſe habet, vt inſtrumentum Dei Sanctiſſimi velit ſe immundum aſſociare Deo, & producere gratiam in alijs; ergo miniſter ſic adminiſtrans Sacramenta ſemper peccat mortalitèr.

5 Concluſio ſecunda. Probabile eſt quemcumque miniſtrum Sacramenti, ſiue miniſtret ex officio, & ſolemnitèr, hoc eſt per ſpecialem ordinationem ad id deputatum, ſiue non, peccare mortaliter in peccato adminiſtrans Sacramentum, eſt contra Caiet. Nugnum, Gonet, Suarez, & alios; eſt tamen Vaſquez, Lugi, Arriagæ, & aliorum locis citatis. Ratio eſt adducta, quia licèt miniſter nõ adminiſtret ſolemnitèr, hoc eſt per ſpecialem ordinationem ad id ordinatus, nihilominus tunc eſt verè miniſter Sacramenti, & eſt inſtrumentum Dei, & Chriſti Sanctiſſimi, & producit gratiam, qua alij redduntur grati, & filij adoptiui Dei; ſed ſumma indecentia eſt, velle ſe aſſociare Deo mundiſſimo, & producere gratiam, qua alij reddantur grati, & filij adoptiui, ſi ipſe in peccato mortali ſit, immundus, & inimicus Dei; ergo ſemper peccatum mortale erit Sacramenta in peccato mortali adminiſtrare.

6 Dices: Qui adminiſtrat ſine ſolemnitate non adminiſtrat, vt miniſter Eccleſiæ, ſed ex debito miſericordiæ ſucurrit ſaluti indigentis; neq; acquiſiuit Ius ad peculiaria auxilia, ſicuti hoc ius habet, qui ex officio, & ſolemniter adminiſtrat; ergo in tali caſu, qui ſine contemptu, cum debita fide, intentione, & exte-

& exteriori reuerētia Sacramentum adminiſtrat, non peccat. Sed contra fateor talem miniſtrum non eſſe ad huiuſmodi officium ſpecialitèr deputatum, & non habere ius ad ſpecialia auxilia, quia hoc ius datur per ſpecialem ordinationem: at cum hoc ſtat, quod talis velit ſe aſſociare Deo puriſſimo tamquam inſtrumentum eius producendi gratiā, & vt miniſter eius, & voluntariè hoc facit, non ex neceſſitate, vt ſuppono: ſed ſumma indecentia eſt velle immundum ſe aſſociare Deo tamquam inſtrumentū, & miniſtrum eius, & velle producere gratiam in alijs; ergo licet ad huiuſmodi officium nō ſit aliquis ſpecialitèr deputatus, nec habeat ius ad ſpecialia auxilia, adhuc ſummam indecentiam committit, & conſequenter peccat mortalitèr; & ita in particulari de matrimonio docent Pontius lib.1.cap.8. num.11. Ledeſma quæſt.42. art.3. Nauarrus, Vaſquez, & alij: eadem autem eſt ratio de ceteris Sacramentis.

7 Excipitur tamen ab hac communi concluſione caſus extremæ neceſſitatis. Sic D. Tho. & communitèr Doctores hic. Ratio eſt, quia in extrema neceſſitate, ſi periclitaretur infans ſine baptiſmo, vel infirmus ſine confeſſione duo concurrunt præcepta, vnum naturale de ſubueniendo proximo in extrema neceſſitate conſtituto, aliud de adminiſtrando cum puritate conſcientiæ Sacramentum: ſed in tali caſu ſecundum prudentem exiſtimationem magis cenſetur obligare præceptum naturale de ſubueniendo proximo, quam aliud de adminiſtrando Sacramento cum puritate conſcientiæ; Sic enim cenſendum eſt etiam eſſe Chriſti voluntatem; ergo

In peccato adminiſtrās in extremā neceſſitate nō peccat.

in tali caſu adminiſtrando Sacramentū cum peccato non erit peccatum; & idē dicendum de illo miniſtro, qui ex officio tenetur adminiſtrare, & aliquis ab eo petit Sacramentum, & non poteſt ſe excuſare, niſi prodendo ſe ipſum, nam etiam tunc concurrit præceptum naturale de bona fama ſui ipſius conſeruāda; tenetur tamen miniſter in his caſibus curare, quantùm in ipſo eſt, habere contritionem, & reuerenter & cum debita intentione illud Sacramentum adminiſtrare, & ſi propter temporis inopiam, vel propter aliud non habeat veram cōtritionem excuſabitur à nouo peccato; nam in tali caſu non ſe ingerit, & aſſociat Deo tamquam inſtrumentum eius producendi gratiam; ſed potius patitur ſe aſſociari.

8 Quæres I. An miniſtrans Euchariſtiam in peccato mortali peccet mortalitèr?

Reſpondeo affirmatiuè. Ità D. Tho. in 4. diſt.24. quæſt.1. art.3. qu.5. ad 4. Gonet loco citato num.109. Filliucius, Diana tom.1. tract. de celeb. Miſſarum reſol.23. vbi quamplures alios allegat Doctores, hanc probabilem cenſet Nugnus loco citato, eſt tamen contra Vaſquez, Arriagam, & alios locis citatis. Probat Suarez reſponſionem, quia adminiſtrans Euchariſtiā ſiue ſit Sacerdos, ſiue ſit Diaconus id facit ex officio, & tamquam Eccleſiæ miniſter ad hoc ſpecialitèr conſecratus: ſed miniſtrare Sacramentum ex officio, & tamquam Eccleſiæ miniſtrum in peccato mortali eſt peccatum; ergo &c. Reijcit Arriaga hanc rationem, eo quod in primitiua Eccleſia ipſimet laici communicantes ex altari, aut ex patena proprijs manibus accipiebant Euchariſtiam, & ſolùm eſt ex determinatione Eccleſiæ, quod ſoli Sacerdotes, aut Diaconi in abſentia Sacerdotis poſſint hoc Sacramentum adminiſtrare, hoc autem non inducit maiorem obligationem in miniſtro, vt ſit in gratia. Sed contra, eſto ſit ex determinatione Eccleſiæ, quod Sacerdotes, & Diaconi miniſtrent hoc Sacramentum nihilominus eſt talis, vt ſi laicus acciperet nunc proprijs manibus Euchariſtiam, cenſeretur grauem irreuerentiam Sacramento facere, quia faceret contra determinationem Eccleſiæ, eo quod non ſit conſecratus; ergo, quod conueniat Sacerdoti, & Diacono eſt, quia ſunt conſecrati ad hoc, & ideò Eccleſia ſtatuit eos ſolos poſſe illud Sacramentum miniſtrare; vnde ſemper quod Sacerdotes, & Diaconi ſoli poſſint licitè adminiſtrare reducitur ad hoc, quia ſunt conſecrati. Quare aliud eſt, quod Eccleſia permiſerit aliquando laicis, quod ipſimet ſumerent panem conſecratum, aliud, quod eis hoc conuenerit ex officio, primum verum eſt, at ſecundum eſt falſum; cum hoc ſolùm ex officio conueniat Sacerdotibus, & Diaconis, vt habetur in cap. *Diaconus* diſt 93. Neque officit, quod addit idem auctor, nempe: ſi laicus à terra, aut è vicino igne eriperet hoſtias conſecratas, non peccaret mortalitèr; ergo &c. Nō officit inquam; nā vel hoc faceret ex neceſſitate abſente Sacerdote, & Diacono, vel faceret ipſis præſentibus; ſi primum, fateor talem non peccare; verùm hoc eſſet, vt reuerentia exhiberetur Sacramento, & non permaneret in terra, vel in periculo combuſtionis: ceterum præſente Sacerdote, vel Diacono maxima eſſet temeritas velle Sacramentum contingere. Ideò &c.

9 Pro-

Digitized by Google

9 Probatur ſecundò. Conficere corpus Chriſti cum corporali maximè ſordido mortale peccatum eſt ob maximam irreuerentiam erga Chriſti Domini corpus: ſed magis eſt ſordida, & polluta manus hominis in peccato mortali exiſtentis, quam ſordidum eſſe poſſit corporale, quamuis ſummopere conſpurcatum; ergo ſi peccatum mortale eſt conſecrare cum corporali maximè ſordido; etiam Sacramentum cum peccato mortali miniſtrare peccatum erit. Quare Sacerdos in mortali celebrans, & alteri Euchariſtiam præbens tria mortalia cōmittit, vnū quia indignè cōſecrat, ſecundum, quia indignè communicat, tertium, quia indignè alteri adminiſtrat.

An verò tot peccata committat, quot perſonas communicat?

Cenſeo probabile eſſe vnicum tātùm peccatum, quando ſucceſſiuè plures communicat; moraliter enim cenſetur vna actio continua; plura autem cenſenda ſunt peccata, ſi diuerſis temporibus interruptis Euchariſtiam pluribus adminiſtret.

10 Quæres 2. An Diaconus, & Subdiaconus miniſtrantes ſolemniter in mortali peccent mortaliter?

Reſpondeo, probabilius eſſe ipſos peccare mortaliter. Sic D. Thom. in 4. diſt. 24. quæſt. 1. ar. 3. queſt. 1. ad 2. Gonet. loco cit. num. 11. Syluester, Nauarrus, Nugnus, Toletus, & alij apud Dianam 2. tom. tract 4. mor. reſol. 195. colligitur ex cap. *Quæſitum, de temporibus ordinandorum*; vbi Pontifex ſub interminatione diuini iudicij prohibet huiuſmodi miniſtrare in ſuſceptis ordinibus; ergo adminiſtrantes peccant contra hanc prohibitionem Pontificis. Ratio eſſe poteſt, quia miniſtrantes ex officio faciunt vnū quid cum Sacerdote in ordine ad ſacrificium miſſæ, & ſe aſſociant Chriſto, vt miniſtri eius: ſed Sacerdos ex eo, quod ſe aſſociet Chriſto in ordine ad conficiendum Sacramentum peccat mortaliter, ſi ſit in peccato; ergo etiam diaconus, & ſubdiaconus.

11 Dices. Idem debere dici de acholitis miniſtrantibus, & alijs in ordinibus minoribus cōſtitutis; imò de confirmato profitente fidem coram Tyranno; nam omnes hæc munera faciunt ex officio. Sed contra, nego ſequelam, nam in minoribus conſtituti valde remoti ſunt ad conficiendum Sacramentum, nec faciūt vnum quid cum Sacerdote, ſicut faciunt diaconus, & ſubdiaconus; confirmatus verò in profitendo fidem non conficit Sacramentum, nec phyſicè, nec moraliter, idem dicendum de reddenco debitum in peccato mortali; licèt enim ex vi Sacramenti recepti habeant ius ad ſpecialia auxilia gratiæ, vt ritè poſſint obire ſua officia, opus tamen, quod efficiunt non eſt Sacramentum, nec aliquid ad Sacramentum efficiendum ordinatum. Ideò &c.

12 Quæres tertiò. An Epiſcopus conficiens Chriſma, benedicens oleum, aut conſecrans, ſeu benedicens Eccleſiam in peccato mortali peccet mortaliter?

Reſpondeo negatiuè. Sic Amicus diſput. 20. nu. 6. contra Medinam, Cod. de Pœnitentia tract. 1. qu. 6. & contra Lugum, & Gonetum locis citatis docentes peccare Epiſcopum Chriſma conficientem in peccato mortali, licèt hi duo vltimi nobiſcum ſentiant de alijs actionibus. Ratio eſt, quia nullum firmum fundamentum habemus, neque ex auctoritate Conciliorum, & Patrum, neque ex ratione, & ex alia parte, neque Epiſcopus benedicens oleum, aut Chriſma ſe aſſociat Deo, ſicuti dum conficit Sacramenta, neque per has benedictiones producitur gratia, aut tales actiones ſunt tantæ dignitatis, vt exigant gratiam ſanctificātem in illo, qui huiuſmodi actiones efficit; ergo ceſſante fundamento non debemus ex noſtro arbitrio aſſerere eſſe peccatum mortale tales actiones efficere in peccato.

13 Dices cum Lugo: Chriſma, & oleum infirmorum ſunt materia Sacramenti Confirmationis, & Extremæ vnctionis, & ideò illæ actiones ſunt ſacramentales, per quas incipiunt fieri Sacramenta, & ſunt actiones, quæ ſpectant ad Epiſcopum ex officio; ergo ſemper requirunt gratiam. Sed contra hæc ratio nimis probat, & ideò nihil probat; nam probaret etiam, quod conſecrare Eccleſias, & calices in peccato eſſet peccatum mortale, cum & iſtæ actiones ſint propriæ Epiſcopi, quod tamen non cōcedit hic auctor, inſuper probaret, quod afferre aquam, vt quis baptizetur, aut conficere hoſtias, vt conſecrentur, ſit peccatum mortale; cum in his actionibus præparetur materia Sacramēti; quod tamen nullus dicit; ergo ratio allata nulla eſt.

14 Ex hoc infero, quod fungi officio hebdomadarij in choro, aquam luſtralem benedicere, aut concionem habere in peccato non ſit peccatum graue propter rationes allatas. Eadem ratione nec Parochus aſſiſtens matrimonio in peccato mortali peccat, nam ipſe non eſt miniſter, nec ei competit, vt Sacerdos, ſed vt Parochus, qui debet fungi munere Notarij, vel teſtis, ad quod officium peragendum non requiritur gra-

tia,

Digitized by Google

tia; peccant tamen ipſi contrahentes, ſi in peccato contrahant; nam ipſi ſunt miniſtri huius Sacramenti.

15 Quæres quartò. An audire Confeſſiones in peccato mortali, licèt quis habeat animum eliciendi contritionem ante abſolutionem ſit peccatum mortale?

Reſpondeo affirmatiuè. Eſt contra Lugum loco cit. nu. 158. Henriquez lib. 6. cap. 18. num. 6 Dianam tom. 1. tract. de circumſtantijs aggrauantibus reſolut. 47. & alios apud ipſum. Eſt tamen Ludouici de Ponte tom. 4. de Chriſtiana perfectione, tract. 5. cap. 3. Gonet. loco citat. num. 108. & Arriagæ nu. 11. & plurium aliorum. Ratio eſt, quia in illa auditione incipit Sacramentum, & eadem eſt pars Sacramenti, & in illa auditione miniſter ſe aſſociat Deo tamquam inſtrumentum eius ad cauſàdam gratiam; omnes enim partes Sacramenti concurrunt ad gratiam cauſandam; aſſociare autem ſe Deo tamquam inſtrumentum, & miniſtrum eius ad gratiam cauſàdam in peccato mortali, ſemper mortale eſt, vt dictum fuit.

16 Dices ex Lugo, Sacerdos in illa actione tantùm paſſiuè ſe habet, & non agit, & talis confeſſio eſt ſolùm actus pœnitentis, non ipſius Confeſſarij; ergo non peccat, niſi dando abſolutionem in peccato mortali, vel imponendo pœnitentiam, quia tunc Sacerdos agit. Sed contra; quia Confeſſarius audiendo confeſſionem debet attendere, & iudicare grauitatem peccatorum, & ea diſcernere, vnde ſi nullo modo attenderet, vel dormiret, confeſſio eſſet repetenda; ſed attentio eſt actus poſitiuus, ſicuti etiam eſt iudicare de grauitate peccatorum; ergo falſum eſt, quod dicit Lugus, quod in auditione tantùm merè paſſiuè ſe habeat Sacerdos.

17 Adeſt etiam in miniſtro obligatio non mutandi materiam, & formam, ſed de hac ſufficienter dictum eſt ſupra in quæſt. 1. & in tractatu 5. de actibus humanis loco ſupra cit. in principio articuli, ideò nil amplius hic addendum eſt.

18 Quæres quintò. An miniſter in in peccato mortali exiſtens, vt conferat Sacramentum teneatur præmittere confeſſionem?

Reſpondeo ſufficere contritionem: ita communiter DD. Ratio eſt, quia obligatio confeſſionis eſt ſolùm, quando quis debet recipere Sacramentum Euchariſtiæ, vt docet Trid. quo ad Sacramenta verò adminiſtranda ſufficit ſtatus gratiæ per contritionem.

ARTICVLVS VIII.

An licitè peti poſſint Sacramenta ab iniquo miniſtro.

1 Certum eſt non licere petere Sacramenta ab eo, qui vel notorio defectu auctoritatis, vel ex malitia inualidè Sacramentum collaturus eſt, vnde non licèt petere abſolutionem ab eo, qui iuriſdictionem non habet, nec baptiſmum ab hæretico non vtente debita forma, aut omittente aliquid ex neceſſarijs, hoc enim eſſet petere aliquid in ſe malum, quod numquam licet; nam in primis peterem aliquid, quod eſt ex ſe inutile, eo quod non poteſt effectum intentū cauſare, & eſſet irriſio grauis Sacramenti verùvnde fatentur omnes hoc numquam licere.

2 Difficultas igitur eſt de miniſtro; qui validè quidem collaturus eſt Sacramentum, ſed non niſi cum peccato id daturus eſt: in duplici autem differentia eſſe poteſt huiuſmodi miniſter; nam alius eſt præciſus ab Eccleſia, ſed toleratus alius præciſus, & non toleratus: miniſter præciſus, & non toleratus eſt ille, qui per ſententiam Iudicis nominatim fuit publicatus pro hæretico, ſchiſmatico, apoſtata, excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto; vel qui fuit publicè condemnatus de crimine, cui ipſo facto annexa eſt excommunicatio, vel publici clerici percuſſor, vel randem, qui per ſententiam Iudicis fuit degradatus; præciſus verò, & toleratus eſt quicumq; excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, dummodo non nominatim, ſed per ſententiam generalem à iure, vel ab homine latam, præterea criminoſus, vt publicus concubinarius, hæreticus, apoſtata, quamdiu non declaretur per ſpecialem ſententiam, percuſſor clerici non manifeſtus, & irregularis, ſed occultus. Hoc colligitur ex Concilio Cōſtantienſi in conſtitutione edita à Martino V. in gratiam, & fauorem fidelium, quæ conſtitutio refertur à D. Antonino 3. p. tit. 25. cap. 2. à Caiet. Cabrera, & alijs hic quæſt. 64. art. 6. diſp. 2. per talem autem conſtitutionem miniſtri non tolerati ſunt illi, qui nominatim ſūt excommunicati &c. aut publici clericorum percuſſores, quorum factum nulla tergiuerſatione queat celari; & qui nō ſunt huiuſmodi cenſentur tolerati.

3 Hic autem aduertendum, quod tempore D. Tho. omnes prorſus excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti non erant tolerati ab Eccleſia, vt ipſe D. Th. docet hic q. 64. ar. 6. ad 2. imò ſecundùm

Digitized by Google

ius antiquum non erat licitum intereſſe miſſæ clerici concubinarij, vt conſtat ex cap. *Si qui ſunt*, diſt.81. & cap. *Præter*, & cap. *Nullus*, diſt.32. & ex alijs locis: vnde D.Thom. quodlib.11.ar.8. & Nauarr. in ſumm.cap.22.nu.4. & cap.25.nu.80. docent intereſſe miſsæ clerici concubinarij eſse mortale; verũ huiuſmodi iura per talem conſtitutionem Martini V. & per conſuetudinẽ ſunt abrogata. His poſitis.

4 Concluſio prima. Si non adſit neceſſitas, vel vtilitas non eſt licitum petere Sacramenta, vel illa recipere ab iniquo miniſtro, ſiue non tolerato, ſiue tolerato. Sic Cabrera hic q.64.diſp.2.§.2. Nugnus, Suarez diſp.18. Arriaga diſp. 20.ſec.2. & communiter Doctores. Ratio huius eſt, quia præbere alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis, & peccati, eſt peccatum ſcandali; ſed petens, aut recipiens Sacramenta ab iniquo miniſtro præbet ei occaſionem peccandi; ergo peccat. Confirmatur; quia quis petens, aut recipiens Sacramenta ab iniquo miniſtro paruipendit cenſuras Eccleſiæ, irrogat iniuriam Sacramento, & communicat alieno peccato: ſed hęc omnia ſunt peccata in ſe; ergo &c.

5 Concluſio ſecunda. Si non adſit extrema neceſſitas non licèt petere, aut recipere Sacramentum à miniſtro præciſo, & non tolerato; ſecus verò in articulo mortis, & extremæ neceſſitatis. Prima pars probatur: quia non poſsum petere, aut recipere ab aliquo licitè, quod ipſe non poteſt licitè adminiſtrare; ſed ſi non ſit extrema neceſſitas miniſter præciſus, & non toleratus, non poteſt licitè Sacramentum adminiſtrare; ergo nec poſſum ab illo licitè illud petere, aut recipere; maior patet; nam petendo eſsem illi occaſio ruinæ ſpiritualis, & eſset cooperatio ad ipſius peccatum; probatur modo minor, quia ſi non ſit extrema neceſſitas, talis ab Eccleſia eſt prohibitus grauiter Sacramenta adminiſtrare, & circa Sacramentum Pœnitentiæ caret iuriſdictione, defectu cuius non poteſt fieri validum Sacramentum; vnde ſi peterem, quod mihi adminiſtraret Sacramentum Pœnitentiæ, peterem; quod conficeret Sacramentum inualidum. Confirmatur; quia non ſolùm nõ licet tali miniſtro adminiſtrare aliquod Sacramentum, ſed etiam mihi prohibitum eſt communicare cum illo, præcipuè in adminiſtratione Sacramẽtorum; ergo ab huiuſmodi miniſtro præciſo, & non tolerato, numquam licitum eſt extra caſum extremæ neceſſitatis petere, aut recipere aliquod Sacramentum.

6 Secunda pars probatur: quia in tali caſu, vt docet Trident. ſeſſ.14.can.7. quilibet Sacerdos poteſt quoslibet pœnitentes à quibuſuis cenſuris, & peccatis abſoluere, & omnis verus Sacerdos habet iuriſdictionem, & poteſt validè adminiſtrare Sacramentum, & Eccleſia cenſetur cum eo diſpenſare, vt valeat licitè abſoluere, ſi eliciat actum contritionis; ergo cum elicere actum contritionis ſit in eius poteſtate, & ego habeam neceſſitatem Sacramenti, non tantùm poſsum, ſed etiam teneor petere, nam peto rem mihi nõ modo vtilem, ſed neceſsariam, & quæ licitè poteſt ab huiuſmodi miniſtro fieri.

7 Dices adultus poteſt iuſtificari per actum contritionis; ergo non debet, nec poteſt petere Sacramentum pœnitentiæ, imo nec Sacramentum baptiſmi pro ſe, quia ſufficienter poteſt iuſtificari per votum ipſius, & contritionem; nec pro infante, quia ipſe poteſt talem infantem baptizare. Sed contra: quia quod non obſeruetur præceptum recipiendi baptiſmum, & Sacramentum pœnitentiæ ſola impotentia obſeruandi tale præceptum excuſat: ſed in dato caſu poteſt obſeruari huiuſmodi præceptum, & licitè poteſt adminiſtrari Sacramentum, vt diximus; ergo in prędicto caſu articuli mortis tenemur illud petere, & Sacramentum recipiendo præceptum obſeruare. Contra ſecundò: quando concurrunt duo præcepta diuinum, & eccleſiaſticum præferendum eſt diuinum Eccleſiaſtico; ſed præceptum de recipiendo Sacramentum, & de petendo illud in articulo mortis eſt diuinum, præceptum verò de non petendo, vel recipiendo Sacramentum à miniſtro præciſo, & non tolerato eſt tantùm Eccleſiaſticum; ergo diuinum in tali articulo obſeruandum eſt. Neque quod dicitur de infante obeſt, nam licèt poſſit adultus, qui petit baptiſmum pro infante, baptizare illum, nihilominus, ſi non ſit ſacerdos, vel ſaltẽ diaconus nõ poteſt illũ baptizare ex officio, & ex alia parte in extrema neceſſitate licitum eſt petere baptiſmũ etiã ab hæretico, vel ab alio extra Eccleſiam exiſtẽte vt habetur ex 24.q.1.cap. *Si quem forte &c.*

8 Concluſio 3. A miniſtro præciſo, ſed tolerato, non ſolùm in caſu neceſſitatis licèt petere, & recipere Sacramentum, ſed etiam extra caſum neceſſitatis, ſi adſit rationabilis cauſa, qualis eſt vtilitas ſpiritualis propria, licitum eſt petere, & recipere Sacramentum. Quod in caſu neceſſitatis ſit licitum ſequitur à fortiori ex dictis ſupra concluſione præcedenti de miniſtro præciſo, & non tolerato; etenim, ſi licitum eſt in tali caſu caſu petere, & recipere Sacramentum, imo ſi teneor illud petere, & recipere à mini-

Digitized by Google

miniſtro præciſo, & non tolerato; multo magis tenebor illud petere, & recipere à miniſtro tolerato, licèt præciſo.

9 Quod verò licitum ſit illud petere, & recipere etiam extra caſum neceſſitatis, ſi adſit rationabilis cauſa probatur. Quia licitum eſt mihi, ex rationabili cauſa petere, & recipere, quod in ſe honeſtum eſt, & mihi vtile, & quod poteſt ab alio dari ſine peccato: ſed petere Sacramentum, & illud recipere in ſe honeſtum eſt, & mihi vtile, & poteſt à miniſtro præciſo, ſed tolerato dari ſine peccato, ſi prius conteratur de peccato, & proponat ſe ſubijcere Eccleſiæ; ergo exiſtente rationabili cauſa poſſum à miniſtro præciſo, ſed tolerato Sacramentum petere, & recipere. Confirmatur ex D. Thom 2.2. quæſt.43. art.7. & 8. vbi docet, quod non eſt dimittenda ſpiritualis vtilitas, etiamſi quis præuideat aliquem ex tali actione bona ſcãdalum accepturum: & ex eò, quod diximus de peccatis poſſe fœminam ire ad Eccleſiam ad audiendum ſacrum, vel concionem, nec eſſe obligatam manere domi, aut carere concione, etiamſi ſciat ab alio turpiter concupiſcendam, quia in tali caſu non præbet ſcandalum, ſed vtitur iure ſuo, & ſcandalum eſt tantùm paſſiuum, non actiuum; ergo etiam eodem modo hic dicendum, præſertim cum receptio gratiæ ſacramentalis ſit maior vtilitas, quam audire ſacrum, aut concionem.

10 Dices. Nõ eſt licitum petere, quod non eſt licitum ab alio dare: ſed nõ eſt licitum excommunicato dare Sacramentum antequam abſoluatur à cenſura, niſi in caſu extremæ neceſſitatis; ergo neque erit licitum Sacramentum ab illo petere, niſi in caſu extremæ neceſſitatis; eſſet enim cooperari ipſius peccato; vnde, ſi excommunicatus non poteſt ſacrificium conficere, niſi incurrendo irregularitatem, & peccando; ita nec poteſt alia Sacramenta adminiſtrare. Sic arguit Cabrera loco citato cõcluſione 6. Sed contra: quia concluſio noſtra procedit de miniſtro præciſo, ſed tolerato, qui per pœnitentiam ſit contritus antequam miniſtret Sacramentum, & non poſſit impetrare abſolutionem, vel quia ſuperior ſit abſenſens, vel ob aliam cauſam; quo caſu ſicuti mihi licitum eſt petere propter rationabilem cauſam, ita & illi erit licitum dare, hæc enim ſunt correlatiua, quæ ſibi correſpondent; vnde falſum eſt miniſtrum contritum, & qui pœnitentiam egit non poſſe dare petenti licitè Sacramentum; etiamſi non poſſit celebrare, niſi prius ſaltem indirectè abſoluatur; & diſparitas eſt, quia vt licitè quis adminiſtret Sacramentum, ſufficit, ſi ſit in gratia; vt tamen conſecret debet prius confiteri; & hoc à fortiori ſi ſit aliqua cenſura inodatus; de reliquo, ſi ſupponatur miniſter pœnitentiam egiſſe, ſed non potuiſſe abſolutionem obtinere, quia ſuperior eam denegauit, tunc do manus; nam eſſet petere aliquid, quod hic, & nunc licitè dari non poſſet. Sententia contraria in quo ſẽſu admittenda.

11 Quæres primò, an licitum ſit petere Sacramentum à próprio parocho excommunicato, ſed tolerato, ſi poſſum illud obtinere ab alio?

Reſpondeo negatiuè, eſt contra plures Doctores, qui dicunt licere petere à proprio, nõ ab alio, quia proprius tenetur illud dare nõ alius. Eſt tamẽ Suar diſp. 18. ſec.2. Arriagæ loco cit ſec. 3. Cabreræ concl.3. & aliorum; & probatur, nam licèt non peccem contra iuſtitiam petendo, pecco tamen contra charitatem; nam non licèt vti iure proprio ſine rationabili cauſa: ſed nulla eſt rationabilis cauſa petendi à proprio parocho, ſi poſſum eamdem vtilitatem habere petendo illud Sacramentum ab alio, qui non ſit excommunicatus; ergo non poſſum in tali caſu à propro parocho illud petere: Addo, quod eſſet irreuerentia Sacramenti, ſi peterem fieri ab excõmunicato quod poteſt fieri cum eodem fructu, & vtilitate mea ab alio.

12 Quæres 2. An ſi duo ſint miniſtri præciſi, ſed tolerati, & vnus ſit paratus dare, alius non v. g. quia primus eſt expoſitus in confeſſionali, alius non, debeam potius petere illud Sacramentum à parato, quam ab alio?

Reſpondeo ceteris paribus me debere petere à parato. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod video ipſum paratum, etiamſi paulò ante viderim ipſum peccantem, nihilominus poſſum exiſtimare, ipſum pęnituiſſe, & nunc eſſe diſpoſitum; tum quia, ſi ambo ſint in peccato, qui paratus eſt, iam ſe exhibet ad miniſtrandum Sacramentum, quod non facit alter; ergo ſi eamdem poſſum conſequi vtilitatem tam ab vno, quam ab alio, potius à parato, qui minus cenſetur peccare ſuppoſita priori voluntate, quam ab alio, debeo petere Sacramentum.

13 Quæres tertiò. Quanta debeat eſſe vtilitas, vt poſſim à malo miniſtro Sacramentum petere?

Reſpõdeo cum Suar. diſp. 18. ſec. 1. Arriaga diſp. 20. ſec. 2. & alijs ſufficere augmẽtũ gratiæ, quod per Sacramentũ recipio. Ratio eſt, quia vt ego licitè poſſim aliquam actionem facere, ſufficit, ſi in ſe ſit bona, & mihi vtilis, nec ego debeo cum meo damno relinquere actionem,

Digitized by Google

quæ in ſe honeſtiſſima eſt; nam ſi alij inde ſumant occaſionem peccandi ſibi imputent, cum ex eorum malitia, & merè per accidēs ex bono opere ſequatur; ſed petere Sacramentum propter augmentum gratiæ eſt mihi vtile, & in ſe honeſtum; ergo non debeo hoc relinquere ex hoc, quod præuideam ſacerdotem peccaturum illud conferendo; nam ſibi imputet miniſter, ſi indignè illud adminiſtrat, cum poſſit pœnitere, & illud ſine peccato adminiſtrare. Vide quæ dicta ſunt de peccatis quæſt. 2. art. 9. num. 8.

ARTICVLVS IX.

Qualis ſit obligatio non miniſtrandi Sacramenta indignis.

1 DVpliciter aliquis poteſt eſſe indignus Sacramenti, vel primò, quia ſit incapax illud recipiendi, vt ſi fœmina vellet ſuſcipere ſacros ordines, vel aliquis non baptizatus vellet recipere cetera Sacramenta: vel ſecundò, quia ſit capax recipiendi Sacramentum, ſed per peccatum hic, & nunc ſe reddit indignum. Si de indigno primo modo loquamur. Certum eſt numquam licere, quia hoc eſſet tentare conficere Sacramentum contra inſtitutionem Chriſti Domini, quod ex ſe patet eſſe illicitum. Quæſtio igitur eſt de indigno ſecundo modo, qui ſit vere capax recipiendi Sacramentum, ſed propter peccatum, vel cenſuram aliquam Eccleſiæ ſit indignus Sacramentum recipiendi. Hic autem indignus poteſt eſſe vel publicus peccator, vel occultus, & tam vnus, quam alter poſſunt Sacramentum petere publicè, vel occultè.

2 Tripliciter autem poteſt quis eſſe publicus peccator, vt habetur ex cap. *Quæſitum de cohabitatione Clericorum, & mulierum*, vbi Gregorius IX. dicit peccatum eſſe publicū, ſeu notorium, quod eſt *per ſententiam, ſeu per confeſſionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quod tergiuerſatione aliqua celari non poſſit*. & ſub hoc comprehenditur, ſi quis publicum officium, aut artem exerceat, cuius officium ſit peccatum mortale, vt ſunt mæretrices publicæ, & publici vſurarij. Addit Bonac. diſp. 1. q. 6. p. 4. de Sacramentis quando fama alicuius delicti, & delinquentis orta ex ſufficientibus indicijs innotuit maiori parti oppidi, vel parochiæ, vel Collegij, in quo peccator degit; ſed verè hæc non eſt ſufficiens, vt habetur ex cap. *Tua nos de habitatione Cleric. & mul.* niſi ſit coniuncta cum euidentia facti, aut publica ſententia iudicis, vel propria confeſſione in iudicio facta: quare vt hoc modo, quo dicit Bonacina aliquod delictum ſit publicum, debet conſtare euidenter, quod delictum ſit factum, & deinde, quod ex fama, quæ oriatur ex ſufficientibus indicijs innoteſcat maiori parti oppidi, parochiæ, vel Collegij, quod eiuſmodi delictum ſit à tali perſona patratum; vel per publicam iudicis ſententiam, vel per propriam confeſſionem in iudicio; occultus autem peccator eſt ille, cuius delictum nullo ex his modis cognoſcitur. His poſitis.

Peccator publicus quis ſit

3 Concluſio prima. Occulto peccatori publicè petenti non eſt denegandum Sacramentum. In hac concluſione omnes Doctores conueniunt. Probatur quia non licet punire delictum priuatum publica pœna: ſed delictum eſt priuatum, & occultum; ergo non poteſt publica pœna puniri, ſi quis autem peccatorem occultum priuaret Saramento, dum publicè petit, ipſum puniret publica pœna, nam priuaret ipſum iure, quod habet ratione baptiſmi recipiendi Sacramentum. Confirmatur primò non eſt licitum fieri actionem ex qua ſequatur ſcandalum in proximo; ſed ſi quis denegaret Sacramentum peccatori occulto publicè petenti ſequeretur ſcandalum in proximo; nam adſtantes, vel iudicarent temerè ipſum petentem habere peccatum graue, vel malè iudicabunt de miniſtro Sacramentum negante; ergo peccatori occulto publicè petenti Sacramentum negandum non eſt. Confirmatur 2. ex facto Chriſti Domini, qui Sacramentum Euchariſtiæ dedit Iudæ, quem ſciebat indignè Sacramentum ſuſcepturum; & tamen, quia erat peccator occultus, illum communicauit; ergo cum facta Chriſti Domini ſint regulæ miniſtrorum, ſi Chriſtus Iudæ peccatori occulto præbuit Sacramentum, etiam peccatori publicè petenti, ſi eius peccatum eſt occultum non eſt denegandum iuſtè Sacramentum.

4 Obijcies primò. Si non poteſt denegari Sacramentum peccatori occulto publicè petenti, maximè quia ratione baptiſmi habet ius petendi Sacramenta: ſed mortale tollit hoc ius petendi Sacramentum: ergo iuſtè denegabitur.

Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem, mortale occultum tollit ius petendi occultè, concedo minorem, petendi publicè, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: explico reſponſionem mortale priuatum tollit quidem ius in ipſo petendi ſiue publicè, ſiue priuatè, quia petendo cum mortali ſemper peccat; at ſuppoſito, quod petierit publicè, habet ius,

quod

Digitized by Google

quod ei non denegetur publicè, quia habet ius, quod non puniatur pęna publica propter delictum priuatum & ideo non poteſt miniſter illi Sacramentum denegare.

5 Obijcies ſecundò. Per hoc quod miniſter deneget Sacramentum peccatori occulto publicè petenti nullum ſequitur ſcandalum, & ex alia parte euitatur peccatum ſacrilegæ ſumptionis; ergo miniſter tenetur denegare Sacramentum peccatori occulto etiam publicè petenti: probatur antecedens; nam vel nomine ſcandali intelligitur quædam admiratio in circumſtantibus, vel occaſio aliqua peccandi; ſed occaſio peccandi nulla datur ex eo, quod quis deneget Sacramentum, imò impeditur peccatum ſacrilegæ ſuſceptionis; neque admiratio eſt tanti facienda, vt propterea debeat indigno Sacramentum adminiſtrari; ergo peccatori priuato etiã publicè petenti eſt denegandum Sacramentum.

Reſpondeo negando antecedens; ſequitur enim ſcandalum in circumſtantibus ex actione mea mala, nempe ex actione diffamatiua peccati occulti petentis, non licet autem vlli peccatum, nec minimum committere, vt euitetur peccatum ſecuturum alterius; nam ex tali denegatione punitur publicè pœnitens propter peccatum occultum, quod non licet; vnde actio illa eſt in ſe mala; ſi autem actio eſt in ſe mala, & ex ea circumſtantes ſumunt occaſionem iudicandi talem reijci propter peccatum, iam eſt occaſio diffamandi tale peccatum priuatum, & quod circumſtantes ſcandalizentur temere iudicando: fateor quidem, quod propter ſolam admirationem, ſi nihil aliud obſtaret poſſet denegari; nam cum tali admiratione poſſent circumſtantes iudicare, præſertim ſi miniſter eſſet maximè auctoritatis, quod hoc faceret ad probandum ſpiritum pœnitentis; at numquam euitatur, quod actio illa non ſit mala ex hoc, quod pœna publica puniret delictum occultum, quod numquam licet, cum ſit diffamatio peccati occulti.

6 Obijcies tertiò. Concurrentibus duobus præceptis, maius ſemper debet præualere, & obſeruari: ſed maius præceptum eſt, quod quis non ſacrilegè recipiat Sacramentum, quam quod proximi diffametur in generali aliquod peccatum; ergo illud præualere debet, & obſeruare miniſter, & per conſequens ei denegare Sacramentum, etiam ſi publicè petat.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: concurrentibus duobus præceptis maius ſemper debet obſeruari, ſi aliud ſimul obſeruari non poteſt: concedo maiorem; ſi ambo obſeruari poſſunt, maius tantùm obſeruari debet, & præualere, nego maiorem, ambo enim obſeruari debent: concedo poſtea minorem, & nego conſequentiam; nam miniſter poteſt vtrumq; obſeruare, & ideò ad vtrumq; tenetur.

7 Dices. Eſt impoſſibile, quod miniſter vtrumq; præceptum obſeruet; etenim vel denegat Sacramentum, vel non denegat; ſi denegat; ergo facit contra ius, quod habet occultus peccator, nè ei denegetur, dum publicè petit Sacramentum, & aliquo modo diffamat peccatum occultum; ſi non denegat; ergo cooperatur ſacrilegæ ſumptioni: ſed maius peccatum eſt cooperari ſacrilegæ ſumptioni, quàm facere cõtra ius, quod habet occultus peccator, dum publicè petiit, aut quam aliquo modo diffamare peccatũ occultũ; ergo potius debet denegare Sacramentum, quàm cooperare ſacrilegæ fictioni. Sed contra reſpondeo, & nego antecedens; ad probationem dico, quod ſi non denegat vtrumq; præceptum obſeruat; nam in primis non facit contra ius, quod habet occultus peccator nè ei denegetur, dum publicè petijt; nec vllo modo diffamatur eius peccatum occultum; neque cooperatur ſacrilegæ ſumptioni, ſed quantum eſt ex ſe facit actionem bonam, & ad quam tenetur, & ſacrilega ſumptio ſequitur tantùm ex libera voluntate, & malitia ſuſcipientis, cum poſſit illud Sacramentum rectè recipere eliciendo actum contritionis, & agendo pœnitentiam.

8 Obijcies quartò. Si occultè ſciam aliquem velle occidere proximum, vel ſe ipſum, vt euitetur hoc peccatum poſſum licitè diffamare malam voluntatem illius; ergo etiam licitum erit diffamare in generali peccatum proximi nè irrogetur irreuerentia grauis Sacramento, aut nè ſe ipſum quis ſpiritualiter interficiat per ſacrilegam ſumptionem.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt prima, quia ſecundùm lumen naturæ magis teneor ſeruare vitam innocentis, quam ſeruare famam peccatoris occulti; & etiam reſpectu eiuſdem peccatoris magis præponderat vita ipſius, quam fama, vnde poſſum diffamare eius voluntatem, vt ſaluem vitam: ſecunda diſparitas eſt, quia niſi diffametur; vita, vel alterius, vel ipſius, qui vult ſe ipſum interimere, periclitabitur; quod non euenit in propoſito, quia etiam ſi non diffametur, poteſt talis peccator Sacramentum ſumere ſine peccato, ſi volue

rit

Digitized by Google

rit conteri, vnde ſi non conteratur, & Sacramentum recipiat, ex ſua malitia ſolùm recipit, nec miniſter ad id cooperatur.

9 Obijcies quintò. Si ſciam etiam ſecretò aliquem ſumere velle Euchariſtiam, vt eam poſtea conculcet; vel proijciat in locum immundum, teneor eam illi negare, etiam ſi ex hoc ſequatur eius infamia; ergo etiam ſi ſciam velle indignè communicare, tenebor eidem negare communionem, quia eam ponit in indigniori loco, quam ſit ſterquilinium.

Reſpondeo, quod ille, qui vult communicare, vt ponat in ſterquilinio hoſtiam, vel vult hoc facere ſecretò, vel publicè, ſi publicè, teneor illi negare communionem, quia ſic conſulo etiam eius honori, & vitæ, quæ facilè periclitaretur, ſi incideret in manus ſuperiorum; ſi verò vult ponere in ſterquilinio ſecretò, adhuc debeo eam negare, quia magis præponderat reuerentia extrinſeca, quę debetur Sacramento, quam illa aliqualis diffamatio, quod petens ſit peccator. Neque eſt eadem ratio de eo, quem ſcio velle indignè communicare; nam in iſto extrinſeca reuerentia adeſt, & ſi peccat, eſt, quia vult, cum poſſit cõteri, & dignè Sacramentum recipere, & cum peccatum dependeat à voluntate peccantis non poteſt impediri à miniſtro: at conculcatio illa exterior Sacramenti, vel quod ponatur in ſterquilinio poteſt impediri, & ideò debet in tali caſu Sacramentum denegare.

10 Quæres primò. An peccatori occulto petenti publicè poſſit à Sacerdote dari hoſtia non conſecrata?

Reſpondeo negatiuè ita communiter DD. nam in primis per talem ſumptionem non excuſatur à peccato, quia ipſe putat ſumere hoſtiam conſecratam: tum quia eſſet periculum idololatriæ; nam adoraretur, ac ſi ibi eſſet Chriſtus; tum quia falsò diceret Sacerdos: *Corpus Domini noſtri &c.* quare id nullo modo licitum eſt.

11 Quæres ſecundò. An non ſolùm proprius Parochus, ſed etiam alij Sacerdotes teneantur dare Euchariſtiam occulto peccatori publicè petenti?

Reſpondeo, quod vel ille petit communionem circa tempus Paſchæ, quo tempore eſt præceptum communicandi, vel extra tempus Paſchatis, quo tempore non vrget præceptum cõmunicandi; ſi intra tempus, in quo vrgeat præceptum, vel iſte petit in Sacriſtia communionem, v.g. & tunc dico, quod tam Parochus, quàm alius poſſunt ſe excuſare, & facile, abſque eo quod diffametur peccatum illius; nec Parochus tenetur, niſi in Paſchate dare communionem: ſi verò quis ad altare publicè communicet, & accedat ille occultus peccator, & publicè petat, tam Parochus, quàm alius tenetur illi dare communionem. In Paſchate verò ſi petat à Parocho publicè in Sacriſtia, vel in alio loco, tenetur Parochus dare, quia ad id tenetur ex officio; nec pro alijs habet locum quæſitum; quia ſoli Parochi poſſunt communionem dare pro ſeruando præcepto communicandi in Paſchate. Ita Sotus, Ledeſma, Suarez, Arriaga, & alij locis citatis.

11 Concluſio ſecunda. Si peccator occultus occultè petat Sacramentum eſt ei denegandum. Eſt contra Sotum in 4. diſt. 12. quæſt. 1. ar. 6. qui ſuſtinet non eſſe negandam Euchariſtiam occulto peccatori occultè petenti; præſertim, ſi illam petat à proprio Prælato tempore neceſſitatis, ſecus ſi ab alieno Sacerdote etiam tempore præcepti; vel à proprio extra tempus neceſſitatis; noſtra tamen concluſio eſt communis ceterorum Doctorum, Sic D. Thom. in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 5. D. Bonauent. ar. 2. quæſt. 4. Durand. q. 5. Nugnus infra q. 80. ar. 6. Suarez, Coninchus, Arriaga, Amicus, & alij locis citatis, Bonauent. de Sacrament. diſp. 1. q. 6. punct. 4. & alij apud ipſum. Probatur ex illo Matth. 7. *Nolite dare ſanctum canibus*; ergo tunc debet negari Sacramentum. Ratio eſt, quia eatenus non debet negari peccatori occulto publicè petenti; quia eius famæ detraheretur, & poſſet ſequi ſcandalum; at in caſu propoſito nihil eius famæ detrahitur; ergo eſt deneganda; & hoc verum eſt, etiam ſi petat coram duobus, vel tribus, vel pluribus, qui omnes ſciant eius peccatum; nam nihil detrahitur eius famæ, cum omnes id ſciant.

13 Dices ex Soto: non ſolùm danda eſt communio peccatori occulto publicè petenti, nè infametur, ſed etiam, quia ratione baptiſmi habet ius petendi Euchariſtiam: ſed hoc ius non amittit peccator per peccatum occultum; ergo etiam ſi occultè petat ei deneganda nõ eſt. Sed contra: quia peccator occultus per occultum crimen amittit priuatum ius ad communionem, vnde ſiue petat à Parocho, ſiue ab alijs eſt illi deneganda, imò magis Parochus debet eam denegare, cum ei incumbat cura animæ ipſius.

14 Quæres primò. Quid ſi occultus peccator petat communionem à Sacerdote coram tribus, vel quatuor, qui ſciant eius peccatum, & vno, vel duobus, qui id neſciant;

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo non eſſe denegandam. Ratio eſt allata pro prima concluſione; nam non debet diffamari apud illum, qui eius peccatum ignorat; contrarium videtur docere Henriq. lib.8. de Euch. cap.59. quatenus docet eſſe negandam, ſi petat coram Sacerdote, & eius miniſtro tantùm, ex eo, quod miniſter non cenſeatur alius à ſacrificante; ſed verè hæc ratio non ſubſiſtit cum verè ſit diuerſus etiam moraliter.

15 Dices tamen non minus tenetur Sacerdos non diffamare petentem, quã ſe ipſum: ſed dando Euchariſtiam peccatori coram tribus, vel quatuor, qui ſciũt eius peccatum infamaret ſe ipſum tamquam miniſtrum indignum miniſtrantem; ergo cum in tali caſu magis teneatur curare famam propriam, quam alienam, debet negare Euchariſtiam. Sed contra, quia miniſter poteſt monere eos, qui ſciunt peccatum petentis, hoc feciſſe, ne infamaret petentem apud alium, qui id neſciebat, vnde iudico probabilius tali ſic petenti non poſſe negari Sacramentum.

16 Quæres 2. An ſi quis Sacerdos ſciat peccatum pœnitentis, qui accedit ad confeſſionem, & reticet tale peccatum, debeat ei denegare abſolutionem, præſertim ſi interrogatus de illo, neget ſe tale peccatum habere?

Reſpondeo nõ poſſe, & hoc eſt peculiare in hoc Sacramento, quia eo ipſo, quod aliquẽ admiſit ad confeſſionem ei debet credere, tàm pro ſe, quàm contra ſe, & hoc præſertim poſtquam audiuit alia peccata, quia ex tunc acquiſiuit ius, vt detur ei abſolutio.

17 Quæres 3. An ſi quis ſciat peccatum alicuius ſolùm ex confeſſione, poſſit illi denegare Euchariſtiam, ſi poſt confeſſionem priuatè illam petat. v.g. quis audiuit confeſſionem alicuius, cui Confeſſarius non dedit abſolutionem, quia non eſt diſpoſitus, eo quod ſit in occaſione proxima, deinde ſtatim accedit ad Sacramentum Euchariſtiæ; an poſſit ei negare Euchariſtiam?

Reſpondeo non poſſe: eſt contra quamplurimos Doctores, quos citat Sanchez lib.4. de matr. diſp.16. num.2. & in particulari contra Suarez diſp.67. ſect.3. de Euch. Tabienam v. *communio* §. 52. Victoriam in ſumma num.86. & alios; eſt tamen Gabrielis in 4. diſt.9. qu.2. art.3. Nugni infra quæſt.80. art.6. diff.2. Sanchez de matrimonio loco cit. & aliorũ apud ipſum, Amici hic diſp.30. num.22. Arriagæ diſp.21. ſect.2. nu.10. & hanc iudico debere teneri non contrariam. Ratio eſt, quia non licet abſq; expreſſa licentia pœnitentis de peccatis ipſius in cõfeſſione auditis extra confeſſionem, loqui, illum corripere, aut monere, vel minimo ſigno oſtendere huiuſmodi peccatum eſſe auditum: ſed ſi quis negaret Euchariſtiam propter peccatum in confeſſione auditum, illum corriperet, & aliquo ſigno oſtenderet ſe hoc facere propter peccatumauditũ; ergo nullo modo hoc licet. Poterit quidem, ſi verè non eſt Sacerdoti commodum, hanc cauſam aſſignare, vel aliam rationabilem, ex qua moueatur ad non dandam communionem, & hoc dò priori ſententiæ: at Parochus dum in Paſchate tenetur ex officio, vel Sacerdos celebrat, ſi peccator, cuius indignitatem tantùm ex confeſſione cognoſcit, petat communionem, tenetur eam illi dare, nec poteſt eam negare.

18 Dices ex Suarez. Si habeam apud me enſem alicuius, quem ſcio ex confeſſione me velle occidere; poſſum talem enſem illi negare, & me abſcondere, ne occidar; quia hæc non eſt reuelatio confeſſionis; ergo etiam negare communionem, quia non per hoc reuelatur confeſſio. Sed contra reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia negatio dandi enſem poteſt prouenire à pluribus cauſis, quas quilibet facilè excogitare poteſt, ne reddat, & eodẽ modo dico, ſi quis ſe abſcondat; at quando volumus celebrare non ſolemus vlli negare communionem, niſi indigno, vnde ſi negaretur eſſet virtualis reuelatio confeſſionis, quod numquam licitum eſt.

19 Concluſio 3. Peccatori publico ſiue priuatè, ſiue publicè petenti ſemper eſt denegandum Sacramentum. Eſt communis DD. & in hoc caſu vrget præceptum Chriſti Matth.7. *Nolite dare Sanctum canibus.* Ratio eſt, quia miniſtri ſunt tantùm diſpenſatores myſteriorum Dei, vt docet Apoſtolus, & per cõſequẽs debent prudẽter, & fideliter ea adminiſtrare: imprudenter antẽ ea adminiſtrarẽt præbẽdo ea publico peccatori. Tum quia ratio cur licitum ſit dare ea occulto peccatori publicè petenti eſt, ne ſequatur infamia in petente, aut adſtãtes ſcandalizentur: ſed hæc ratio ceſſat in peccatore publico; nam eius delictum iam eſt diffamatum, & ex alia parte, ſi publicè peteret, & ei daretur, ſcandalizaretur adſtantes, qui ſciunt ipſum eſſe publicum peccatorem, & indignum; ergo &c.

20 Quæres 1. An ſi publicus peccator doleat de peccatis poſſit admitti?

Reſpondeo extra caſum mortis non poſſe publicè, niſi publicè pœniteat. Eſt communis. Ratio eſt, quia ſi publicè admitteretur, ſemper ſequeretur ſcan-

dalum

dalum in adſtantibus, qui cognoſcunt eſſe publicum peccatorem; excipitur tamen caſus mortis, quia tunc præualet extrema neceſſitas, & ſcandalum poteſt facilè tolli publicando ipſum pęnituiſſe. Dixi non poſſe publicè, quia ſi occultè pœniteat, poteſt ei occultè miniſtrari, quia in tali caſu datur digno, & nullum ſequi poteſt ſcandalum.

21 Quæres 2. an ſi delictum verè non ſit publicum, nihilominus aliquis ſit grauiter ſuſpectus de aliquo crimine, & tanta ſit grauitas ſuſpicionis, vt moralem quandam certitudinem inducat, Sacramentum ſit ei denegandum?

Reſpondeo affirmatiuè propter eaſdē rationes in concluſione tertia adductas. Sic Suarez de Euch. diſp.66. ſect.6. Coninchus quæſt.80.art.6. Bonac. loco cit. Arriaga dicta diſp.21. num.28. & plures alij: Si tamen ſuſpicio ſit leuis, & temeraria, imo etiam probabilis non debet ei negari, quia cum ſint probabilitates hinc inde de aliquo facto faciunt illud dubium, vt de conſcientia diximus: in dubio autem melior eſt conditio poſſidentis, & poſſeſſio ſtat in fauorem rei; Excipitur tamen caſus mortis; nam etiamſi aliquis ſit verè, & grauiter ſuſpectus de crimine, & ipſe dicat ſe eſſe innocentem, videtur ei credendum; vnde ſi Sacramentum petat non eſt ei negandum ob magnam ipſius neceſſitatem. Sic Suarez, & Arriaga locis citatis.

22 Quæres 3. An ſi delictum non ſit publicum, ſed nihilominus ſit multis notum, an ſit ei denegandum Sacramentum? v.g. delictum non eſt publicum illis modis, quibus in articuli principio diximus, ſed nihilominus ſcitur à multis, quæritur quot debeant eſſe viri, qui illud ſciant ad hoc, vt ei licitè denegetur Sacramentum?

Reſpondeo, quod aliqui volunt ſufficere, quod ſex ſciant delictū, alij volunt ſufficere decē, quia decem ſufficiunt ad conſtituendā Parochiam: at probabilius dicendum eſt cū Soto, Suarez, Arriaga, & alijs in hoc non poſſe certam regulam tradi; ſed ſtandum eſſe prudentum iuditio; nam publicum, & ſecretum ſunt termini reſpectiui; ex quo fit, vt quod ſcitur à ſex, vel octo in parua villula, cenſeatur ibi publicum, quod ſi ſciatur etiam à decem in magna Ciuitate, adhuc cenſeatur occultum.

23 Non approbo tamen caſum, quem Arriaga admittit, nempe, quòd ſi totum Monaſterium ſciat delictum alicuius Religioſi; & nihilominus ſi celebrante aliquo concio eius delicti, talis accedat coram ſecularibus, & petat Euchariſtiam, debeat ipſum communicare; Dico enim eſſe ei denegandam; quia talis eſt indignus, nec poteſt talis Sacerdos cooperari ſacrilegæ eius ſumptioni: nec ſequitur ex hoc diffamatio ipſius apud ſęculares: tum quia ſęculares optimè ſciunt Religioſos multoties ad virtutis experimentum id facere: tum quia ſibi imputet talis, ſi imprudenter acceſſit, ex quo poſſit aliquo modo eius fama in vniuerſali denigrari; cum iam in Monaſterio pro publico peccatore habeatur; vnde non videtur ſibi conſtare Arriaga; nam docet pauló ante quod ſi delictum ſit publicum in vna Ciuitate, etiam denegandum ſit Sacramentum alibi, vbi delictum non eſt notum, quia iam ille amiſit ius in bonam famam, & reuerentia Sacramenti exigit, ne illam famam hic, & nunc conſideremus; vel ergo debet affirmare cum Soto in 4. diſt.12. qu.1. art.6. Nugno qu.80. art.6.diff.3. Henriquez de Euch. cap.57. Coninch. locis cit.& alijs licere publico peccatori in vna Ciuitate dare Sacramentum in alia, vbi eius peccatum non agnoſcitur; vel etiam negare eſſe licitū dare Sacramentum religioſo, cuius delictum publicum eſt in Monaſterio, licèt occultum apud ſęculares.

24 Dici tamen poteſt pro Arriaga eſſe diſparitatem de religioſo, & ſęculari, quod delictum ſęcularis publicum in vna Ciuitate de facili fiet etiam publicum in alia, quod non euenit de delictis religioſi: ſecundò quia licèt eius fama non præponderet, præponderat tamen fama religionis, quæ per delictū etiam vnius religioſi denigratur. Sed contra vtinam hoc eſſet verum, quod delictum religioſi publicum in vno monaſterio, non perueniret ad ſęculares, cùm experientia conſtet contrarium ſępiſſimè fieri; neq; fama religionis præponderat, etenim fama obſeruantiæ religioſæ non in hoc conſiſtit, quod nullus vmquam in ea delinquat, ſed quod non delinquat impunitè; ſecus etiā ſi religioſus atrociſſima crimina patraret nō deberet publicè puniri, vt ſeruaretur fama religionis, quod dici nequit; ſaluatur enim fama per hoc, quod minima etiam impunita non relinquit; vnde ſi ſęculares viderent aliquem religioſum repelli à communione, non per hoc iudicarent ſcelus aliquod enorme patraſſe; ſed potiùs iudicarent exactam regularum obſeruantiam in tali religione vigere ex hoc, quod ſuperior non permittat ſuos religioſos ſine debita obedientia ad Sacramenta accedere. In hoc autem, quæ infamia religioni inuritur?

25 Quæres 4. An quæ huc vſque diximus de Sacramēto Euchariſtiæ debeat

Digitized by Google

intelligi etiam de baptiſmo, & ordine?

Reſpondeo diuerſam eſſe rationem de his duobus Sacramentis; nam Baptiſmus cum detur ad delenda delicta, poteſt dari cuicumque peccatori, ſiue publico, ſiue priuato, dummodo non conſtet ipſum nolle deſerere huiuſmodi delicta, & deinceps chriſtianè viuere. Dixi dummodo non conſtet ipſum nolle deinceps deſerere huiuſmodi peccata, nam ſi interrogatus diceret ſe velle priſtinam vitam ſequi, non deberet baptizari propter iam dicta.

26 Quo ad Ordinem verò: cum Epiſcopus teneatur inquirere de aptitudine in ſcientia, & moribus conſecrandi, nec vllus poſſit ordinari ſine præuio examine, & teſtimonio de vita, moribus, & alijs requiſitis, neque detur omnibus, poteſt hoc Sacramentum denegari, etiamſi crimen ſit occultum. Hocque conſtat ex cap. *Ad aures* de tempor. ordinand. vbi decernitur non debere ordinari quempiam religioſum ſuo ſuperiore contradicente, eo quod ſuperiores poſſunt ſcire aliqua peccata ſecreta ſubditorum; nec religioſi ex eo, quod ſint tales, habent ius ad ordines, niſi dependenter ab obedientia, quam profeſſi ſunt.

27 Poſſet hic inquiri, an eadem ſit ratio de Parocho matrimonio aſſiſtenti, & an ſi ſciat eſſe contrahentes indignos poſſit nihilominus aſſiſtere. Verùm quo ad hoc, vel Parochus ſcit adeſſe aliquod impedimentum inter contrahentes ſiue impediens, ſiue dirimens etiam ſecretum, & tunc non poteſt aſſiſtere, ſed debet deferre ad Epiſcopum, ad quem ſpectat iudicare; vel ſcit aliquod aliud peccatum, ratione cuius indignè contrahunt, & ſic poteſt aſſiſtere, quia eſt tantùm teſtis, nec ipſe adminiſtrat, ſed miniſtri ſunt contrahentes; vnde ſolùm merè paſſiuè, & permiſſiuè ſe habet. Sic Sanchez lib.2.de matr.diſp.15.Lugo diſp.8. hic ſect.13. Arriaga diſp.21.ſect.6 De ipſis contrahentibus verò eſt diuerſa ratio, ac de alijs miniſtris; nam non tantùm miniſtrant, ſed etiam recipiunt Sacramentum, vnde diuerſimodè loquendum; ſed de hoc videantur de matrimonio tractantes.

ARTICVLVS X.

Qualis intentio requiratur in ſuſcipientibus Sacramenta.

1 INtentionem ex parte miniſtri requiri, vel actualem, vel virtualem art.5.& 6.huius quæſtionis oſtendimus; nunc videndum eſt, an ex parte ſuſcipientis Sacramentum requiratur aliqua intentio, & qualis ſit ſufficiens.

2 Certum in primis eſt intentionem non eſſe neceſſariam in infantibus reſpectu illorum Sacramentorum, quorum ſunt capaces, licet enim potuerit Chriſtus inſtituere Sacramenta, vt nullus ſit eorum capax ſine intentione illa ſuſcipiendi, & conſequenter infantes fore incapaces omnium Sacramentorum; nihilominus conſtat ex vſu totius Eccleſiæ præſertim circa baptiſmum, Chriſtum in infantibus, & eadem eſt ratio in perpetuò amentibus, non requiſiſſe hanc intentionem in ipſis, ſed validum eſſe baptiſma, etiamſi nullam ipſi habeant intentionem, in hoc ſupplente ipſa Eccleſia; vnde certiſſimum eſt paruulos verè recipere baptiſmum, & eius effectum nempe characterem, & gratiam, etiamſi in ipſis non poſſit eſſe voluntas baptiſmum recipiendi; Ex baptiſmo autē deducitur argumentū efficax ad probandum, quod etiā ad recipienda reliqua Sacramenta, quorū ſunt capaces nempe Confirmationem, & Ordinem nō requiratur intentio. Ratio autem cur paruuli poſſint recipere baptiſmum ſine voluntate illud recipiendi, non autem adulti, in quibus ſupponitur ſemper actuale, adducitur ab Innocentio III. *in cap. maiores de Bapt.* dicente. *Originale igitur, quod ſine conſenſu contrahitur ſine conſenſu per vim remittitur Sacramenti: actuale verò quod conſenſu contrahitur ſine conſenſu minimè relaxatur.* Extremæ vnctionis verò paruuli non ſunt capaces, non ob defectum voluntarij præciſè, ſed quia in ipſis non ſupponuntur peccata actualia, ad quorum reliquias delendas eſt inſtituta; quare paruuli ſunt incapaces Extremæ vnctionis non ſolùm ob defectum materiæ, vt vult Arriaga hic diſp. 22. ſect.1. Sed etiam ob defectum voluntarij; nam peccata actualia non relaxantur ſine conſenſu: ex cap. *Maiores* nuper citato.

3 Difficultas modo inſurgit de adultis, an ſcilicèt in ipſis requiratur aliqua intentio, vt validè recipiant Sacramenta; de quo variæ extant ſententiæ.

Prima opinio eſt Gloſſæ in cap. Maiores de Baptiſmo prope finem, hæc docet, baptiſmum recipi, etiamſi adultus corde contradicat, dummodò dicat ore ſe conſentire.

Secunda eſt Caiet. infra quæſt.68.ar.7. Ledeſmæ in 4. 1. p. quæſt.9.art.7. Serræ quæſt.68.art.7. & quorundam aliorum, hæc vult ad receptionem baptiſmi ſufficere, quodquis non habeat voluntatem

contrariam etiamſi non habeat, nec habuerit vmquam voluntatem recipiendi baptiſmum.

Tertia communis ſententia vult ad valorem Sacramenti requiri conſenſum poſitiuum adulti, qui illud recipit, qui tamen conſenſus in aliquibus caſibus ſufficit ſi ſit habitualis, nempè, quod aliquando habuerit actum, quo illud concupierit, & quem per actum contrarium non retractauerit, imo etiamſi ſit extortus ex metu cadente in conſtantem virum. Sic Nugnus infra quæſt.68 art.7. Gonet. diſp.3. de baptiſmo art.2. Suar. in præſenti diſp.14.ſect.2.Vaſquez diſp.157. cap.2. Scotus in 4. diſt.4. qu.2. Lugus hic diſput 9. ſect,7. Amicus diſp.11. de baptiſmo ſect.6. Arriaga loco cit. ſect.2.& communis Theòlogorum.

4 Concluſio 1. Ad recipiendum validè Sacramentum non ſufficit, ſi adultus, neque conſentiat, neque diſſentiat, ſi ante nullum actum habuit, quo Sacramentum deſiderauerit. Probatur ex Concilio Carthaginenſi 3. cap.34. vbi habetur. *Aegrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimoniũ hi, qui ſui sũnt dixerint baptizentur.* Et idem habetur ex Concilio Arauſ. 1. can.12. & D. Aug. lib.4. de Baptiſ. cap.24. habet. *Si pro eo, qui reſpondere poteſt alius reſpondeat, non ad idem valet. Ex qua regula illud Euangelij dictum eſt, quod omnes, cum legitur, naturaliter monet, ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.* Accedit D. Tho. qui quæſt.68. art.7. ad 2. dicit. *Si adulto deeſſet intentio recipiendi baptiſmum eſſet rebaptizandus.* Idem habetur ex Rituali Romano Pauli V. vbi prohibetur baptizari eum, qui adultus cum ſit, numquam habuit voluntatem baptiſmi.

5 Probatur ratione. In ſuſceptione Sacramentorum contrahitur obligatio per Baptiſmum, quod quis ſit ſubditus Eccleſiæ, & obſeruet omnia, quæ per legem Chriſti mandantur; per Confirmationem, & Ordinem conſtituitur illa Sacramenta recipiens in perpetuo ſtatu: in Matrimonio oritur mutua obligati: in Pœnitentia pœnitens ſe ſubijcit, vt reus, & per Extremam vnctionem debent deleri peccata propria voluntate contracta: Sed eſt contra lumen naturale, quod quis ſine propria voluntate ſubeat huiuſmodi obligationes; ergo ſemper in receptione Sacramentorum aliquis conſenſus requiritur.

6 Concluſio 2. Intentio requiſita ad recipienda Sacramenta eſt, vel intentio præcedens non retractata per actum contrarium, & solùm habitualiter permanens, vel interpretatiua, vel intentio etiam coacta ex metu cadente iu conſtãtẽ virum, ſiue hic metus ſit iuſtè, ſiue iniuſtè incuſſus: patet hoc ex Concilijs ſupradictis Carthaginenſi, & Arauſicano, & ex cap. maiores, vbi permittuntur baptizari ij, qui in amentiam inciderint, vel in morbum, & reſpondere non poſſint, dummòdo actum aliquem elicuerint, quo baptiſmũ deſiderauerint & idem dicendum deSacramento Ordinis, & Confirmationis, poſſent enim validè dari amenti: vel dormienti, ſi ante petierint; licèt hoc non eſſet licitum, quia horum Sacramentorum non eſt neceſſitas, & ex alia parte dignitas horum Sacramentorum exigit, vt cum debita decentia dentur, & cum ſolitis cæremonijs; Sacramentum autem Extremæ vnctionis poteſt, & debet dari ijs, qui illud non petierunt, & idem dicendum cum Lugo, Vaſquez, & alijs locis citatis de Euchariſtia, ſi iam quis ſupponatur in gratia, & illam petere non poſſit.

7 Ratio huius eſt, quia ad ſuſcipiendum baptiſmum minor intentio requiritur, quam ad dandum, & idem de alijs Sacramentis, dicẽdũ eſt; nam homo concurrit tantùm paſſiuè in recipiendo Sacramentum, dum verò quis adminiſtat concurrit actiuè; & ideò maior intentio requiritur in conferente, quam in recipiente Sacramenta: an verò intentio habitualis, & interpretatiua ſufficiat in matrimonio, & pœnitentia dicemus in ſolutione argumentorum; cum ſit de ipſis ſpecialis difficultas.

8 Obijcies primò pro Caietano dictum cap. maiores de baptiſmo, vbi habetur. *Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, quando obicem contraria voluntatis non inuenerit:* ſed qui neque conſentit, neque diſſentit non ponit obicem contrariæ voluntatis; ergo recipit Sacramentum.

Reſpondeo Pontificem ſe clarè explicare, quod requiratur aliqua intentio, vel per præteritum actum non retractatum, vt in amentibus, & dormientibus, qui ante petierunt, vel per actum elicitum ex metu, vt de illis, qui vt effugiant mortem recipiunt Sacramentum, vel de Cathecumenis, qui prius habuiſſent propoſitum Baptiſmi; ex his præmiſſis deducit poſtea illam conſequentiam, *Tunc ergo Characterẽ &c.* quæ, vt ſit bona, debet eſſe ex præmiſſis deducta; nẽpe tũc obicem non adeſſe, quando aliquando fuit voluntas Sacramenta recipiendi, vnde talis auctoritas magis probat noſtram concluſionem, quam infirmet.

9 Obijcies 2. Intentio non requiritur in paruulis; ergo neque in adultis.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo negando conſequentiam; nam adulti ætatem habent, & poſſunt habere intentionem, cuius ſunt incapaces paruuli, vnde &c.

10 Obijcies 3. Ex Florentino, & Trid. tria requiruntur ad conficiendum Sacramentum materia, forma, & intentio miniſtri; ergo non requiritur intentio ſuſcipientis.

Reſpondeo Concilia enumerare ea tria, quia eſſentialiter in omnibus requiruntur, intentio autem ſuſcipientis non requiritur in paruulis reſpectu eorum Sacramentorum, quorum ſunt capaces, nec in receptione Euchariſtiæ, quæ extra vſum eſt Sacramentum.

11 Obijcies 4. Sacramentum Extremæ vnctionis datur ijs, qui ſubitò vſum rationis amiſerunt, etiamſi antea non petierint; ergo non requiritur conſenſus, & intentio recipiendi Sacramentum, ſed ſufficit, quod quis non ponat obicem.

Reſpondeo etiam in hoc caſu præceſſiſſe actum; nam qui Chriſtiano more vixit, & qui Sacramēta ſuo tempore recepit, præſumitur etiam velle catholicè mori; & Eccleſiæ Sacramentis iuuari.

12 Dices. In Sacramento pœnitentiæ non ſufficit, quod quis chriſtiano more vixerit, & Sacramenta ſuo tempore frequentauerit, vt ſi ſubitò perderet vſum rationis, poſſit confeſſarius illum abſoluere, ſed requiritur, quod hoc Sacramentum petierit, vel ſaltem det aliquod ſignum; ergo vel non ſufficit, quod quis more chriſtiano vixerit vt poſſit in Sacramentum adminiſtrari; vel hoc debemus etiam dicere de pœnitentia.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia Sacramentum pœnitentiæ eſt per modum iudicij, & ipſa accuſatio peccatorum externa eſt materia proxima Sacramenti, & ideo non poteſt dari abſolutè abſolutio, niſi materia adſit, nec ſufficit intentio interior, quia de internis niſi manifeſtentur, non iudicat Eccleſia: Sacramentum autem Extremæ vnctionis, cum adſit materia, & forma; etiam ſi quis ſubitò vſum rationis amiſerit, & nullum ſignum dederit, debet Parochus illud adminiſtrare abſolutè cum ſufficiat intentio interna.

13 Lugus aliam rationem aſſignat; nempe quod pœnitens debet implorare officium iudicis, vt iudicium poſſit inchoari. Sed contra cur iudex non poterit ſaltem inchoare, & perficere iudicium ex officio, licèt, non poſſit in tali caſu ad inſtantiam partis, ſi nullum ſignum dedit. Siſtendum igitur eſt in data reſponſione, quia accuſatio externa requiritur tamquam materia, quod non eſt in alijs Sacramentis; & ſi non requireretur tamquam materia proxima, etiā intentio ſufficiens ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ eſſet vita Chriſtiana præterita: an verò vita Chriſtiana præterita, ſit ſufficiens ad dandam abſolutione ſub conditione, dicam infra ſuo loco.

14 Obijcies 5. Si voluntas generalis, qua quis voluit Chriſtiano more viuere ſufficit ad Extremam vnctionem; ergo etiam ad Euchariſtiam; ergo ſi quis caſu comederet hoſtiam conſecratam putans eſſe ſimplicem panem reciperet fructum Euchariſtiæ, quod dici non poteſt; ergo &c.

Reſpondeo ſufficere quoque ad Euchariſtiam, vnde antiquitus in primitiua Ecoleſia dabatur etiam pueris recenter baptizatis, & poteſt dari ijs, qui ſubitò, correpti vſum rationis amiſerunt quando abſque irreuerentiæ periculo fieri poteſt, atque etiam amentibus in articulo mortis, quando ante habuerunt vſum rationis, & ſupponuntur ſine peccato, & poſſunt illam ſumere ſine irreuerentia: nego tamen ſecundam conſequentiam, & diſparitas eſt, quia homo, qui chriſtianæ vixit, præſumitur in tali caſu mortis velle iuuari Eccleſiæ Sacramentis, at non præſumitur velle recipere Sacramentum, quando caſu comedit hoſtiam conſecratam, putans eſſe panem. Ideò &c.

15 Quæres primò an ſi Iudeus, aut Gentilis habeat actum attritionis ex metu inferni, & poſtea ſubito corripiatur, & amittat vſum rationis, poſſit validè, & fructuosè baptizari.

Reſpondeo necdum poſſe baptizari eſt contra Coninchum q.64.ar.8. n.103. eſt tamen Suarez diſp. 14. ſec. 2. Lugi diſp.9. ſec.7. & Arriagæ hic diſp.22. ſec.4. Ratio eſt, quia, vt gentilis, vel Iudeus cenſeatur velle Sacramentum baptiſmi debet velle ſubire onus ſeruandi omnia præcepta Eccleſiæ: nullus autem adultus præſumitur velle ſubire hoc onus & velle mutare religionem, in qua natus eſt, niſi facto prius diligenti examine.

16 Quæres 2. An eadem intentio, quæ ſufficit ad recipienda alia Sacramenta, ſufficiat etiam ad recipiendum Sacramentum Matrimonij.

Reſpondeò affirmatiuè, ſic Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 12. Lugus, & Arriaga locis citatis. Quare contrahentes poſſunt dupliciter conſiderari, vel vt miniſtri, & ſic debent habere intentionem actualem, vel ſaltem virtualem, vel vt ſubiecta recipientia Sacramentum matrimo-

Digitized by Google

trimonij, & ſic, licèt quando celebratur in præſentia coram Parocho, & teſtibus, quia miniſtrando ſemper habent intentionem actualem, vel ſaltem virtualem; etiam illud recipiendo eamdem habeant quia dũ vnus vult miniſtrare illud alteri, vult etiam viciſſim ab alio illud recipere, cũ conſiſtat in mutuo conſenſu; quare ſi vt miniſtrans habet intentionem vel actualem, vel ſaltem virtualem, etiam vt recipiens illam habet: Nihilominus dari poteſt caſus, in quo, quãdo quis recipit, non habeat intentionem, neque actualem, neque virtualem, ſed ſit omnino diſtractus, vt ſi quis ſcribat literam, qua quis dicat *Ego trado me tibi, & accepto te in meam*, & mulier viciſſim reſcribat, *Ego etiam trado me tibi, & accepto te in meum* nihilominus non eſt perfectus contractus, donec notitia ad primum perueniat; ſed dum peruenit, & perficitur Sacramentum poteſt eſſe quod mulier ſit diſtracta, vel dormiat, & tamen ſolùm tunc recipit Sacramentum; ergo etiam in recipiente hoc Sacramentum, vt recipiens eſt, non requiritur alia intentio, quam habitualis, ſicuti in alijs Sacramentis.

17 Poteſt hic tractari de numero Sacramentorum nouæ legis: ſed conſtat de fide eſſe ſeptem. Conuenientiæ huius numeri poſſunt videri apud Doctores. Ratio verò à priori eſt Chriſti Domini voluntas, qui ſic inſtituit. Et hæc de toto hoc tractatu de Sacramentis in communi ſint ſatis.

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS.

DE VENERABILI EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

SACROSANCTVM Euchariſtiæ Sacramētum omnium Sacramentorum maximum, quod proinde à D. Dionyſio cap. 3. de Eccleſiaſtica hierarchia dicitur: *Conſumatio, ac perfectio Sacramentorum omnium*, in quo Saluator noſter è terris aſcenſurus ad Patrem amoris ſui diuitias omnes effudit, pignus æternæ gloriæ, quod Sponſæ ſuæ Eccleſiæ in hac miſeriatum valle peregrinanti reliquit, miraculorum ab ipſo factorum maximum; cum non ſolùm ſit ſignum, & cauſa gratiæ, vt cetera omnia Sacramenta nouæ legis, ſed etiam ipſum fontem, & auctorem gratiæ contineat; ita vt, qui dignè ipſum ſuſcipit, idem cum Chriſto efficiatur, inquit Gregorius Niſſenus in cap. 3. Eccleſiaſt. vbi ſic habet: *Ob hanc enim cauſam in eſcam ſe nobis proponit is, qui ſemper eſt, vt accipientes illum in nobis id efficiamur, quod ipſe eſt.* Tractat autem D. Thomas de hoc auguſtiſſimo Sacramento tertio loco, eo quod cum ſit cibus perfectorum, debuit homo prius regenerari per Baptiſmum, deinde per Confirmationem reduci vſq; ad ſtatum virilem, in quo ſtatu conſtiſtitutus accipit Euchariſtiæ alimoniam, quæ perfectorum cibus eſt. De hoc Sacramento agit Angelicus ā quæſt. 73. vſque ad 84. Nos totum hunc tractatum octo quæſtionibus concludemus, quarum prima erit de Euchariſtia ſecundùm ſe: Secunda de materia neceſſariò requiſita ad ipſum Euchariſtiæ Sacramentum conficiendum: Tertia de eiuſdem tranſubſtantiatione: Quarta de modo, quo Chriſtus eſt in Euchariſtia: Quinta de accidentibus Euchariſticis: Sexta de forma: Septima de effectibus, & vſu Euchariſtiæ: Octaua denique erit de Miſſæ ſacrificio; ſicq; plenam de hoc ſacratiſſimo myſterio eo modo, quo in terris habere poſſumus, tractationem habebimus.

QVÆSTIO I.

De Euchariſtiæ Sacramento ſecundùm ſe.

ORdo doctrinæ poſtulat, vt prius ab vniuerſalioribus incipiamus, quare de Euchariſtiæ Sacramento tractaturi, prius videndum eſt, an ſit, ſimul breuiter hæreſes, quæ contra huius Sacramenti veritatem inſurrexere indicantes, deinde explicabimus quid ſit, quem ordinem Angelicus Præceptor tradidit, prius de Sacramento ſecundùm ſe, deinde de materia, forma, modo, quo exiſtit, & effectibus eius diſputādo; quod & nos ipſum ſcquentes præſtabimus.

ARTICVLVS I.

An detur verum Euchariſtiæ Sacramentum.

1 NOmine Sacramenti Euchariſtiæ intelligimus ſpecies conſecratas panis, & vini in ſe continentes verum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & inquirimus, an detur tamquam verum Sacramentum; quod, vt clarè appareat, breuiter prius indicabimus errores, qui circa hoc diuiniſſimum Sacramentum à Sathana inuenti ſunt, mox veritatem catholicam, & quid ſecundùm fidem tenendum ſit explicabimus.

2 An aliqui ex antiquis hæreticis negauerint Euchariſtiam eſſe Sacramentum? Suarez hic tom. 3. diſp. 39. affirmat, cui nouiſſime ſubſcribit Paſſerinus hic. Com. 1. cap. 1. qui probabilius eſſe dicit Archonticos altaris myſterium negaſſe ex Epiph. hæreſ. 40. Meſſalianos dixiſſe nullius eſſe roboris, ex Theodoret. lib. 4. hiſto. cap. 10. Petrobruſianos ſectatores Petri de Bruis negaſſe Chriſtum dediſſe alijs poteſtatem conficiendi Euchariſtiam. Vaſquez verò hic diſput. 157. cui conſenrit Lugus, docet nullum hæreticum hucuſq; negaſſe Euchariſtiam eſſe Sacramentum, imò dicit etiam ipſum Mahomethum capit. 4. Alcorani fateri hoc eſſe Sacramentum venetatione dignum, ex Prateolo lib. 11. Elenchi hęreſum, verb. Mahometus, ſed quidquid ſit de hoc, an fuerint aliqui hæretici, qui negauerint Euchariſtiam eſſe Sacramentum, vel non.

3 Certum in primis eſt, plures hæreticos circa Euchariſtiam erraſſe, nam Berengarius Andegauenſis Diaconus primò docuit, Euchariſtiam eſſe ſolummodò ſignum corporis Chriſti, & ibi non adeſſe verum corpus, & ſanguinem Chriſti; quem errorem abiurauit ſub Nicolao II. vt habetur de conſecr. diſt. 2.

po-

Digitized by Google

poſtea ad vomitum redijt, & profitebatur quidem adeſſe corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, ſed tranſubſtantiationem negabat aſſerens ſimul cum corpore, & ſanguine Chriſti adeſſe ſubſtantiam panis, & vini, quem errorem in Concilio Romano ſub Gregorio VII. ſolemniter abiurauit. Hunc errorem Lutherus amplexus eſt, quem plures eius diſcipuli in Germania ſequuntur, qui propterea *Impanatores*, ſeu *Paniſtæ* vocantur. Negat etiam Lutherus in confectione Euchariſtiæ in miſſa verum ſacrificium confici, quem errorem à diabolo ſe didiciſſe fatetur. Quare Petrus Faber Iuriſconſultus illi obiurgat, quod non poteſt Lutherus ſicuti Apoſtolus loqui dicendo: *Quod accepi à Domino hoc tradidi vobis*; ſed debet dicere: *Quod accepi à diabolo hoc tradidi vobis.* Vvaldenſes verò, Vvicleph, Caluinus, Occolampadius, Zuinglius, Petrus Martyr, & alij ſectarij negant veram, & realem præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, & ſolùm volũt eſſe ſignum præſentiæ Chriſti. Iconomaci anno Domini 700 dicebant, nullam aliam imaginem eſſe adorandam, præter illam, quam Chriſtus Dominus inſtituit, quæ eſt Euchariſtia; vnde ex Suarez volebant Chriſtum eſſe ibi tamquam in imagine. Alij dicebant in Euchariſtia eſſe quidem realiter Chriſtum, ſed eo modo tãtùm, quo eſt in omnibus rebus, & hi dicti ſunt vbiquetarij; Alij volebant panem, & vinum aſſumi hypoſtaticè à Verbo diuino, & proinde propter communicationem idiomatum dici de pane, & vino eſſe corpus Chriſti Domini, & alij fuere errores de hoc diuiniſſimo Sacramento.

4 Concluſio. Catholica veritas eſt Euchariſtiam eſſe verum, & proprium Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini verè continens corpus, & ſanguinem Chriſti Domini. Quoad primam partem, quod nimirum Euchariſtia ſit verum, & proprium Sacramentum, definita fuit hæc veritas in Concilio Lateranen. in cap. firmiter. In Florentino in decreto vnionis, & Trid. tum ſeſſ. 7. can. 1. tum ſeſſ. 13. per totam, & ſeſſ. 21. in Carthag. 3. cap. 28. & 29.

5 Probatur ratione: vt aliquid ſit verum, & proprium Sacramentum requiritur, quod ſit ſignum ſacrum ſenſibile practicum gratiæ ſanctificantis: ſed huiuſmodi eſt Euchariſtia: nam Ioan. 6. dicitur: *Panis, quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Species autem panis, & vini ſunt quid ſenſibile; & vita eſt gratia, quæ ſignificatur: ergo Euchariſtia eſt verum, & proprium Sacramentũ, & de hac veritate ex Vaſquij, & Lugi opinione nullus vnquam hæreticus dubitauit.

6 Secunda pars eſt etiam de fide definita in pluribus Concilijs in Niceno primo anno 330. celebrato. In ſecũdo, ſeu quod idẽ eſt, in ſeptima Synodo Oecumenica, in Epheſ. in epiſt. Cyrilli ad Neſtorium à Concilio approbata, in Vercellenſi ſub Leone IX. In Turonenſi ſub Victore II. in Romano ſub Nicolao II. & alio ibidem ſub Greg. VII. in quibus Berengarius publicè ſuam hereſim abiurauit. In Lateraneſi ſub Innocentio III. In Florentino in decreto vnionis, ac demum in Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. vbi habetur: *Principio docet Sancta Synodus, ac apertè, & ſimpliciter profitetur in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento poſt panis, & vini conſecrationem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri:* Quibus verbis omnium ſectariorum errores iugulat: dum enim ait poſt conſecrationem, deſtruit errorem vbiquetariorum; dum docet ibi eſſe Chriſtum Dominum verum Deum, & verum hominem ſubſtantialiter, reicit errorem impanationis: dum ait eſſe ibi Chriſtum verè, & realiter, damnat Iconomacos, & Caluiniſtas, qui dicunt Chriſtum eſſe ibi tantùm in ſigno.

7 Probatur hæc eadem veritas ex perpetua traditione, & conſenſu totius Eccleſiæ ſiue Latinæ, ſiue Græcæ, quæ ſemper intactam hanc veritatem retinuit, & contra errores inſurgentes ſemper validè dimicauit, ex loco ſcripturæ Ioann. 6. ſupra adducto. Vnde D. Hilarius lib. 8. de Trinitate: *De veritate carnis, & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus, nunc enim, & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt.* Matth. 26. *Accipite, & comedite hoc eſt corpus meum.* Quod teſtimonium eſt adeò clarum, vt Lutherus ipſe contra Carloſtadium, Zuinglium, & alios negantes realem Chriſti præſentiam in Apologia de Cœna Domini, & alijs in locis acriter inuehatur; Verùm opus non eſt Lutheri teſtimonio ad hanc veritatem probandam, cum ex tot Concilijs, ſcripturis, & innumeris Sanctis Patribus habeatur.

8 Obijciunt primò Hæretici plures auctoritates ſcripturæ. Ioann. 6. cum dixiſſet Chriſtus: *Caro mea verè eſt cibus.* Et Et, videret quoſdam ſcãdalizatos de eo, quod dixerat, ſtatim ſubdit: *Spiritus eſt,*

qui

Digitized by Google

qui viuificat caro autem non prodeſt quicquam: verba, quæ locutus ſum vobis ſpiritus, & vita ſunt: ac ſi diceret non debetis hæc, vt ſonant, intelligere, ſed ſpiritualiter tantùm, & ſola fide caro Chriſti eſt ſumenda, non realiter manducanda. Sic arguit Zuinglius, quod exiſtimat hoc argumentum inſolubile.

Reſpondeo cum D. Auguſtino tract. 27. in Ioann. Carnem dici non prodeſſe quicquã non ſimpliciter, ſed quomodo illi intellexerunt, viſibiliter ſcilicet intelligendo carnem *Quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodò ſpiritu vegetatur: Accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum; nam ſi caro non prodeſſet, Verbum caro non fieret*, Et paulò poſt: *Sicuti illi intellexerunt carnem, non ſic ego do ad manducandum carnem meam.* Quare verba Chriſti ſunt ſpiritus, & vita ratione materiæ, de qua tractant, quia nimirum ſunt de carne ſua ſpirituali, & viuifica, quæ non viſibiliter, & ſub propria ſpecie, ſed inuiſibiliter, & ſub ſpecie panis eſt recipienda; vnde apparet Zuinglij argumentum nullum eſſe.

9 Obijciunt ſecundò. Varia loca ſcripturæ: 1. Matth. 26. dicitur Chriſtum accepiſſe panem, benedixiſſe, fregiſſe, ac diſcipulis dediſſe; ergo ſi panem accepit, fregit, & dedit diſcipulis; etiam ſolùm panem manducauerunt Apoſtoli: 2. Apoſt. ad Cor. 10. & 11. appellat Euchariſtiã panem; & Marci 14. dixit Chriſtus poſt conſecrationem calicis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum in regno Dei*; ergo ſi poſt conſecrationem adhuc eſt panis, & vinum, non poteſt Euchariſtia eſſe corpus, & ſanguis Chriſti.

Reſpondeo ad primum locum cum D. Ambroſio lib. 4. de Sacramentis cap. 5. vbi habet: *Antequam conſecretur, panis eſt; vbi autem Chriſti verba acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Denique audi dicentem: Accipite, & edite ex eo omnes: Hoc eſt corpus meum.* Ex quo patet reſponſio ad primum locum, verum enim eſt, quod ante conſecrationem accepit panem, & benedixit, ac fregit, ſed poſt conſecrationem dedit, dicẽdo eſſe corpus ſuum; ſicuti etiam in communi ſermone frequenter accidit, vt multa verba ſimul referantur ad eumdem caſum, licèt res eadem non perſeueret, vt ſi quis dicat hominem vidi, percuſſi, ſepeliui; hæc tria verba ad eumdem hominem referuntur, & tamen nullus dicet ex hoc, quod quis ſepelierit hominem viuum, licèt viuum viderit, & percuſſerit, ita in propoſito. Ad ſecundum, & tertium locum dico adhuc vocari panem, & vinum, quia adhuc remanent ſpecies panis, & vini; ſicuti Gen. 18. & Actorum 1. quia Angeli habebant ſpeciem hominis, vocantur viri. Ita &c.

10 Obiiciunt tertiò. Verbum *eſt* ſumitur in pluribus locis ſcripturæ pro ſignificato, & repræſentato; vt 1. ad Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus*; & in Euangelio de ſe dicit Chriſtus: *Ego ſum vitis vera; ego ſum oſtium.* In quibus locis tantùm metaphoricè dicitur de Chriſto, quod ſit petra, vitis, oſtium; ergo etiam hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, tantùm metaphoricè ſumi debent.

Reſpondeo, quod licèt in ſcriptura verbum *eſt* accipiatur aliquando pro ſignificato, & repręſentato; attamen quãdo hoc modo ſumitur conſtat vel ex contextu, vel auctoritate Eccleſiæ, vel communi expoſitione Patrum, vel euidenti ratione, quod metaphoricè ſumi debeat; quare ſi Chriſtus dicitur petra, etiam ſubditur: *Omnia in figura contingebant illis*; ſi dicit Chriſtus, quod ſit vitis, ſtatim dicitur de diſcipulis, quod ſint palmites, & tamen certum eſt Apoſtolos non eſſe cõuerſos in palmites. Idem dico, dum dicitur *oſtium*, quod non poteſt intelligi de oſtio materiali; in propoſito autem nihil eſt, ex quo colligatur Chriſtum fuiſſe metaphoricè locutum, imò communis expoſitio Patrum, perpetua traditio, & Eccleſia ipſa, ad quam ſpectat verum ſenſum explicare ſcripturæ, ſemper docuit Chriſtum in inſtitutione Euchariſtiæ cum omni proprietate fuiſſe locutum.

11 Obijciunt quartò. Euangeliſtæ poſt illa verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſubdunt: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*; vel vt Lucas cap. 22. & Apoſt. 1. ad Corint. 10. habent: *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Sed hoc perinde eſt ac dicere: *Hic calix, & hic panis nil aliud ſunt, quam memoriale quoddam noui pacti, quod mea morte confirmo in Cruce per effuſionem ſanguinis mei.* Cum quibus concordant illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo non ſignificant ibi non verum corpus, & ſanguinem Chriſti.

Reſpondeo negando minorem; nam ex illis verbis, non ſolùm colligitur Euchariſtiam ordinari ad repræſentandam paſſionem Chriſti, ſed etiam corpus, & ſanguinem ſub illis ſpeciebus conſtitui, & ordinari ad formandum pactum nouæ legis, & ad reducendum in memoriam ſacrificium Chriſti cruentum.

12 Obijciunt quintò. Varios Patres, primò Tertullianum lib. 4. contra Marcionem cap. 40. vbi explicans illa verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*: ſic ait: *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus*

ſuum

Digitized by Google

ſuum fecit dicendo, Hoc eſt corpus meum, ideſt figura corporis mei; ſecundò Auguſtinum pluribus in locis, vt tract.26. in Ioan. vbi habet. *Quid paras ventrem, & dentem, crede, & manducaſti*. in Pſal.3. *Chriſtus adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis, & ſanguinis ſui figuram commendauit, & tradidit diſcipulis*; & idem docet alijs in locis cum alijs Patribus.

Reſpondeo primò in vniuerſali ad Patres, quod ipſi vocant quidem interdum Euchariſtiam figuram, & ſignum Corporis Chriſti, ſed accipiunt ſolas ſpecies, & Symbola externa, quæ ſunt figuræ corporis Chriſti, & cum hoc ſtat, quod ſub illis ſpeciebus verè contineatur corpus Chriſti, & hanc eſſe mentem Patrũ patet ex Auguſtino de Conſecr. diſt.2. can. *Vtrum ſub figura*; vbi habet: *Corpus Chriſti, & veritas, & figura eſt. Eſt veritas, dum Corpus Chriſti, & ſanguis ex panis, & vini ſubſtantia efficitur. Figura verò eſt, quod exterius ſentitur*. Et eamdem explicationem dant alij Patres; ex quo patet ad locum Tertuliani, & ad 2. Auguſtini dico, ipſum velle ſacramentalem manducationem nihil prodeſſe, niſi animo diſpoſito quis accedat, nam ſi quis indiſpoſitus accedat, iuditium ſibi manducat, vt inquit Apoſtolus, quare cum Patres verba Chriſti Domini accomodant ſpirituali manducationi per fidem, vel per gratiam non excludunt ſenſum proprium, ſed docent requiri fidem, & gratiam, vt ſit fructuoſa. Cum videntur detrahere reali præſentiæ, & manducationi Chriſti, excludunt tantùm modum ordinarium præſentiæ, & manducationis, quomodo intelligebãt Capharnaitæ: cum dicunt corpus Chriſti eſſe cibum ſpiritualem, ſolùm contendunt Corpus Chriſti, licèt percipiatur ore, non percipi tamen vt nutriatur corpus, ſed anima: cum dicunt Corpus Chriſti tantùm manducari à fidelibus, loquuntur ſolùm de manducatione fructuoſa: demùm cum affirmant Chriſti corpus tangi, & dentibus atteri, volunt ſolùm cum emphaſi quadam affirmare veritatem huius myſterij, quia nimirum corpus Chriſti eſt intimè coniunctum cum illis accidentibus, quæ alterantur, & conteruntur, ac ſi ibi adeſſet propria eorum ſubſtantia.

13 Obijciunt 6. rationibus: De ratione ſigni eſt vt ſignatum ſit abſens: ſed Euchariſtia eſt ſignum Corporis Chriſti; ergo hoc debet eſſe abſens: probatur maior, nam ſignum, & ſignatum ſunt oppoſita; ergo non poſſunt eſſe ſimul.

Reſpondeo negando maiorem; nam ſignificari non conuenit rei quatenùs eſt abſens, ſed quatenùs occulta: ſic opera miraculoſa Chriſti ſignificabant eius Diuinitatem, quæ tamen erat præſens, & baptiſmus ſignificat regenerationem ſpiritualem per gratiam, quæ tamen tunc ponitur, cum fit ablutio: vnde rectè D. Tho. opuſc.58. cap.11. docet, quod ſicut ſignum ex hominum impoſitione duplex eſt, aliud, quod tantùm ſignificat rem, vt circulus apertus eſt ſignum vini venalis, aliud, quod continet id, quod ſignificat, vt artocreas, quod ſignificat carnes, & eas continet. Ita Sacramentum, quod eſt ſignum ex impoſitione Dei duplex eſt, aliud, quod tantùm ſignificat, vt Sacramenta legalia, aliud continens id, quod ſignificat, vt Sacramenta nouæ legis, & inter cetera Sacramentum Euchariſtiæ, non tantùm habet ſignificare gratiam, ſed etiam Corpus Chriſti, quod ſub ſpeciebus continetur; & ad hoc videtur alludere illud Eccleſ. 36. *Innoua ſigna, & immuta mirabilia*; quaſi dicatur, quia Sacramenta vetera non continent gratiam, quam ſignificant, fac noua, quæ contineant gratiam, quam ſignificant.

14 Obijciunt 7. Data reali præſentia Chriſti in Euchariſtia multa ſequuntur abſurda eius maieſtate indigna, nam eſſet ſubiectus innumeris contumelijs, & fœditatibus, quibus neceſſariò ſubiacet quilibet cibus, & quas inferre poteſt hominum improbitas.

Reſpondeo negando ſequelam, nam cum Chriſtus in Euchariſtia non ſit modo paſſibili, & externo, ſed modo impaſſibili, & indiuiſibili, nullo modo lædi poteſt, nec fæditatibus ſubiacet, ſed omnia iſta penes ſpecies ſolùm fieri poſſunt. Sic ſol in cęno ſine ſordibus volutatur, & ſi quis occidat corpus, animam tamen non poteſt occidere, ita fęditates, quæ poſſunt ab improbis fieri contra Euchariſtiam, ſpecies tantùm afficient, non Chriſti corpus. Vnde Cyprianus de Cœna Domini. *Integer erogatur, diſtributus non demembratur, incorporatur, & non iniuriatur, recipitur, & non includitur*.

15 Arguunt præterea, quod idem corpus non poſſit eſſe in pluribus locis, quod diuiſibile non poteſt poni in indiuiſibili; & plura alia ex phyloſophia ducta. Verùm hæc nullo modo implicare ſuppono ex phyloſophia, dum inquiritur, an idem corpus poſſit poni, & replicari in pluribus locis, & plura poſſint poni in eodem loco; vnde non opus eſt in iſtis ſoluendis immorari; & ſi aliqua occurrent explicanda, infra, prout ſe dederit occaſio, explicabuntur.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLO II.

An Sacramentum Euchariſtiæ ſint ſpecies conſecratæ, vel corpus Chriſti, vel vtrumque ſimul.

1 SAcramentum Euchariſtiæ eſſe diuerſum ab alijs Sacramentis patet; quia, vbi eſt diuerſa materia, & diuerſa forma, ibi eſt diuerſum Sacramentum: ſed diuerſa eſt materia, & forma Sacramenti Euchariſtiæ ab alijs Sacramentis, vt de ſe patet; ergo etiam eſt diuerſum Sacramentum. Et ſic ſemper Florent. Trid. & alia Concilia de Euchariſtia tamquam de Sacramento ab omnibus alijs diuerſo loquuntur.

2 Dices tamen diuerſitas Sacramētorum deſumitur ex diuerſo fine, propter quem Sacramenta inſtituta ſunt: Sed finis Euchariſtiæ non eſt diuerſus à fine Confirmationis; ergo ſaltem in fine non diſtinguitur à Confirmatione: probatur minor; nam Confirmatio ordinatur ad augendam, & confirmandam vitam ſpiritualem: ſed etiam Euchariſtia ordinatur ad eamdem augendam, vel confirmandam; ergo in hoc fine non diſtinguuntur.

3 Mirum quam varij ſint Doctores in hoc ſoluendo argumento, cum tamen re vera nullius ſit momenti; etenim Confirmatio datur ad augendam, & confirmandam vitam ſpiritualem, ſed non vniuerſaliter ad omne opus, ſed preſertim ad profitendam fidem in lucta contra Tyrannos, & per modum corroborationis, & vnctionis, ſicuti antiquitus luctatores vngebantur; Euchariſtia verò datur ad augendam, & corroborandam vitam ſpiritualem per modū cibi; qui ſicuti aptus eſt corroborare omnes vires; ita Euchariſtia corroborat vniuerſaliter ad omnes fere præcipuas actiones vitæ ſpiritualis efficiendas ad amorem, ad ſpem, ad fidem, ad patientiam, ad temperantiam, ad fortitudinem, ad caſtitatem, humilitatem &c. & ad mortem, tum in martyrio, tum extra ſubeundam.

4 Certum inſuper eſt hoc Sacramētum eſſe cæterorum omnium præſtantiſſimum: colligitur ex Trident. ſeſſ. 7. can. 3. vbi definit Sacramenta non eſſe inter ſe paria, ſed vnum alio excellentius; & ſeſſ. 13. cap. 3. docet hoc in Euchariſtia eſſe excellens, & ſingulare, quia continet Chriſtum, quod alia Sacramenta non habent. Idem habetur ex can. *Nihil de ſacrificijs de conſecra. diſt. 2.* vbi Gloſa hoc expreſsè tradit: tum quia vt dicit Trid. loco cit. cap. 2. in hoc Sacramento *Diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit memoriam faciens mirabilium ſuorum*; & in hoc maximè eluceſcit omnipotentia Dei, vnde ob hanc cauſam ante illius inſtitutionem dixit Ioan. *Sciens Ieſus, quod omnia dedit ei Pater in manus*: tum quia varijs figuris fuit præfiguratum, quod eſt ſignum eius excellentiæ: tum quia varijs nominibus nominatur; dicitur enim Euchariſtia idest bona gratia; dicitur communio, eo quod nos vniat, & connectat in charitate, & cum Chriſto; dicitur Synaxis, eo quod populus religionis, & cultus cauſa ad eum ſumendum cōgregari ſoleat; quare ſicuti ad manifeſtandam Regis, vel Principis excellentiam varijs titulis illum nominamus; ita ad manifeſtandam excellētiam huius Sacramenti varijs nominibus fuit inſignitum. Et ſic docet D. Tho. ſupra quæſt. 65. art. 3. & communiter DD. His poſitis.

Euchariſtia omniū Sacramentorum præſtantiſſimū.

5 Vvaldenſis tom. 2. de Sacramentis cap. 21. vult totam eſſentiam huius Sacramenti conſiſtere in ſola, & reali Chriſti præſentia.

Scotus in 4. diſt. 8. quæſt. 1. docet Sacramentum Euchariſtiæ adæquatè conſiſtere in ſolis ſpeciebus panis, & vini, & Corpus Chriſti, & ſanguinem, quæ continentur in hoc Sacramento non conſtituere hoc Sacramentum neque partialiter, neque totaliter, Scotum ſequitur Lauræa tom. 1. in 4. diſp. 17. ar. 2. eſt etiam Nugni hic dub. 2. Ioann. à S. Tho. hic diſp. 26. art. 2. Gonet. de Euch. diſp. 2. art. 1. qui citat Sotum in 4. diſt. 8. quæſt. vnic. art. 1. & dicit eſſe communem Thomiſtarum.

D. Tho. in 4. diſt. 8. qu. 1. art. 2. ad 2. & opuſc. 58. cap. 17. Caiet. infra qu. 75. art. 1. Capreolus in 4. diſt. 8. art. 3. ad 1. Suarez diſp. 42. ſect. 3. Vaſquez diſp. 167. cap. 5. & 6. Lugo diſp. 1. ſect. 2. Amicus diſp. 15. de Euch. nu. 27. Arriaga diſp. 4. de Sacram. in genere ſect. 5. Eſparza lib. 10. quæſt. 64. Paſſarinus quæſt. 73. com. 1. art. 1. cap. 4. & plures alij docent Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter includere non tantùm ſpecies, ſed etiam corpus, & ſanguinem Chriſti.

6 Concluſio. Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter, & adæquatè conſiſtit in ſpeciebus conſecratis, & corpore Chriſti. Prima pars, quod hoc Sacramentum eſſentialiter includat ſpecies conſecratas probatur; quia Sacramentum eſſentialiter eſt ſignum ſenſibile rei ſacræ ſanctificantis homines: ſed ſpecies conſecratæ ſunt huiuſmodi; ergo ſpecies conſecratæ eſſentialiter ſunt requiſitæ ad conſtituendum hoc Sacramentū. Confirmatur: illud eſſentialiter requiritur ad conſtituendum aliquid, quo

Digitized by Google

poſito illud intelligitur, & quo ablato id per ſe primò non intelligitur: ſed poſitis ſpeciebus conſecratis, ſaltem partialiter intelligitur Sacramentum, ablatis ſpeciebus conſecratis non intelligitur Sacramentum; ergo ſpecies conſecratæ eſſentialiter requiruntur ad conſtituendum Euchariſtiæ Sacramentum: ſicuti enim, quia ad conſtituendum album requiruntur eſſentialiter albedo, & ſubiectum, & albedine ſublata non intelligitur ſubiectum album, optimè probatur albedinem eſſe eſſentialiter requiſitam ad conſtituendum album, ita cum ablatis ſpeciebus conſecratis amplius non intelligatur Sacramentum Euchariſtiæ, ſequitur, quod eſſentialitèr requirantur ad Sacramentum Euchariſtiæ conſtituendum.

7 Dices hoc argumento nimis probari; etenim probatur ſpecies conſecratas eſſe adæquatè Sacramentum; quod probatur: quia illud eſt adæquatè Sacramentum, cui adæquatè conuenit definitio Sacramenti: ſed ſpeciebus conſecratis ex prima probatione poſita conuenit adæquata definitio Sacramenti; nam ſunt ſignum rei ſacræ ſanctificantis homines; ergo ipſæ ſpecies ſunt adæquatè Sacramentum. Sed contra quia aliud eſt, quod ſpeciebus conſecratis conueniat definitio Sacramenti, vt ſic, & hoc concedo: aliud, quod eis conueniat adæquata definitio ſpecifica Sacramenti Euchariſtiæ, & hoc eſt falſum, quemadmodum, ſi de animali, quod eſt in homine dicam, quod ſit viuens ſenſibile, ipſum adæquatè definio vt animal eſt, non verò adæquatè, vt tale animal eſt, nempè rationale; ita in propoſito dicendum eſt; nec enim Sacramentum Euchariſtiæ eſt tãtùm ſignum ſenſibile rei ſacræ ſanctificantis homines, ſed eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis homines per modum refectionis, & cibi ſpiritualis: ſpecies autem ſolæ non ſunt per modum refectionis ſpiritualis ſine corpore Chriſti; nam ſi ſub ſpeciebus non eſſet corpus Chriſti, ſed eſſent ſolæ ſpecies, ipſæ non eſſent cauſæ gratiæ.

8 Secunda pars; quod etiam corpus Chriſti eſſentialiter requiratur ad conſtituendum Sacramentum Euchariſtiæ ab Amico, & Paſſarino probatur ſic. Hoc Sacramentum eſſentialiter eſt ſacrificium, ſeu eſt eſſentialiter ſacrificium incruentum repræſentatiuum ſacrificij cruenti in ara Crùcis perfecti; ſed de eſſentia ſacrificij eſt, quod conſtet ſpeciebus ſenſibilibus, & corpore Chriſti; ergo etiam de eſſentia Sacramenti eſt, quod conſtet ex ſpeciebus ſenſibilibus, & corpore Chriſti: minor probatur ex cap. *Hoc eſt* de Conſec. diſt. 2 vbi dicitur. *Hoc ſacrificium duobus conſtare viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini Noſtri Ieſu Chriſti carne, & ſanguine*; & idem colligitur ex Trid. ſeſs. 22. cap. 1. & 2. Sed contra hæc ratio non probat, quia Euchariſtia non tantùm eſt Sacramentum, quando conficitur in Miſsa, in qua eſt verum ſacrificium, ſed etiam poſt Miſsam, quando ſeruatur in Altari, etiam extra ipſius vſum, vt definit Trid. & tamen tunc non eſt ſacrificium; ergo bene ſtat, quod de eſſentia ſacrificij noſtri ſit corpus, & ſanguis Chriſti, quia id, quod offertur, & hoſtia, quæ mactatur eſt Corpus Chriſti; & nihilominus corpus, & ſanguis non ſint de eſſentia Sacramenti, ſed tantùm effectus.

9 Probatur igitur primò ex Triden. quod ſeſs. 21. cap. 3. habet. *Fatendum eſſe etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi*; ex quo ſic argumentur ideò communicantes ſub altera tantùm ſpecie verum Sacramentum ſumunt per Concilium, quia ſub vna tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum ſumunt: ſed hæc ratio Concilij non probaret, ſi corpus, & ſanguis Chriſti non ſpectarent ad eſſentiam huius Sacramenti; ergo fatendum eſt corpus, & ſanguinem Chriſti ſpectare ad eſſentiam huius Sacramenti: probatur minor; nam ſi ſub altera tantùm ſpecie contineretur tantùm corpus, vel ſanguis, ſeù non contineretur integrè Chriſtus, quoad fructum attinet aliqua gratia defraudarentur fideles ſub altera tãtùm ſpecie communicantes, quo propterea fructu non defraudantur per Concilium, quia ſub altera tantùm ſpecie integrè Chriſtus accipitur; ergo euidens ſignum eſt, Concilium ſupponere, quod non tantùm ſpecies, ſed etiam Chriſti corpus, & ſanguis ſint de eſſentia Euchariſtiæ: hæc conſequentia probatur: quia id eſt de eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ, quod eſt cauſatiuum gratiæ in tali Sacramento: ſed per Concilium adductum corpus Chriſti, & ſanguis ſunt cauſatiua gratiæ in recipientibus Euchariſtiam; ergo corpus, & ſanguis Chriſti ſunt de eſſentia Euchariſtiæ.

10 Probatur 2. ex eodem Trident. ſeſs. 13. vbi docet: *Sumi hoc Sacramentum tamquam ſpiritualem animarum cibum*. Et cap. 5. & can. 6. definit hoc Sacramentum eſse adorandum adoratione latriæ: ſed non poteſt eſse cibus ſpiritualis ratione ſpecierum, quia ipſæ ſunt materiali modo, nec ſpecies adorantur ado-

ratione

Digitized by Google

ratione latriæ, ſed coadorantur; ergo hoc Sacramentum ratione corporis, & ſanguinis Chriſti eſt cibus ſpiritualis, & adoratur adoratione latriæ; & conſequenter non tantùm ſpecies, ſed etiam Chriſti corpus,& ſanguis ſunt de intrinſeca ratione Euchariſtiæ.

11 Probatur 3. ex Patribus; nam Damaſcenus lib.4. cap.14 habet *Quia compoſiti ſumus ex duplici natura, datus eſt nobis cibus, qui eſt Dominus noſter, & ſub ſpecie panis nobis proponitur*. Irenæus lib 4. cap.34. dicit, *Euchariſtiam duabus rebus conſtare terrena, & cæleſti*. D. Ambro. lib. de ijs, qui initiantur cap.9. *Sacramentum, quod accipis Chriſti ſermone conficitur, & in illo Sacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti; non ergo corporalis eſca eſt, ſed ſpiritualis*; & idem habet Concilium Florent. quod docet, hoc Sacramentum confici verbis: ſed ſpecies non conficiuntur, ſed corpus Chriſti Domini, & complexum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti; ergo totum hoc complexum eſt Sacramentum.

12 Probatur 4. Ratione. In eo eſſentialitèr conſiſtit Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſignum cauſatiuum gratiæ per modum cibi ſpiritualis; ſed ſolæ ſpecies non ſunt ſignum cauſatiuũ gratiæ per modum cibi ſpiritualis, ſed totum complexum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti; ergo totum hoc complexum eſt Euchariſtiæ Sacramentum.

13 Obijcies 1. in cap. *cum Marthæ de celebratione Miſſarum* habetur, quod ſpecies ſunt Sacramentum tantùm, corpus Chriſti eſt res, & Sacramentum, rem verò tantùm eſſe gratiam cibantem. Ex quo ſic argumentor: illud, quod eſt ſignatum non poteſt eſſentialiter conſtituere ſignum, ſeu ſignum non poteſt conſtitui tale à ſignato: ſed corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus eſt ſignatum; nam eſt res, quæ ſignificatur per ſpecies, vt ex dicto cap. habetur, & docent Patres paſſim; ergo corpus Chriſti non poteſt eſſe pars conſtitutiua Sacramenti: ſicuti enim baptiſmus non conſtat ex ablutione, & charactere, quia character eſt res ſignata per ablutionem; ita nec Euchariſtia poteſt conſtitui in ratione Sacramenti per Corpus Chriſti; cum corpus Chriſti Domini ſit res ſignata per Sacramentum Euchariſtiæ.

Reſpondeo,quod in tali capite à Pontifice ſpecies vocantur Sacramentum tantùm, quia ipſæ ſunt ſignum, & corporis Chriſti præſentis, & gratiæ, & nullo modo ſignificantur: corpus Chriſti dicitur res, quia ſignificatur per ſpecies, & eſt Sacramentum; quia ſignificat gratiam cibantem: gratia autem eſt res tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat: vnde duplici titulo ſpecies ſunt Sacramentum; ſicuti etiam hæc vox Sacramentum æquiuocè ſumi poteſt, & in propoſito caſu dupliciter; nam ſpecies dicuntur primò Sacramentum impropriè hoc eſt ſignum rei occultæ, nempe corporis Chriſti occultati ſub ſpeciebus: ſecundò dicuntur Sacramentum propriè, vt hic ſumitur; hoc eſt ſignum, & cauſa gratiæ ſanctificantis: corpus autem Chriſti, licèt ſit ſignatum, hoc eſt, ſit res occulta ſignificata per ſpecies; nihilominus eſt ſignum, & cauſa gratiæ ſanctificantis ſimul cum ſpeciebus; vnde verè ſimul cum ſpeciebus conſtituit Sacramentum, hoc eſt ſignum, & cauſam gratiæ ſanctificantis. Quare ad argumentum in forma. Quod eſt ſignatum non poteſt conſtituere ſignum, ſub ea ratione, ſub qua eſt ſignatum, concedo maiorem: ſub alia, nego maiorem: ad minorem: dico corpus Chriſti eſſe ſignatum, vt quid occultum eſt; at ipſum in ordine ad gratiam ſanctificantem producendam ſimul cum ſpeciebus eſſe verum ſignum practicum cauſatiuum gratiæ; & ideò eſſe de eſſentia Sacramenti; quare tollenda eſt æquiuocatio nominis Sacramenti, in qua æquiuocatione tota vis fundatur, qua ablata, ruit argumentum, vt de ſe patet. Nec inſtantia de charactere eſt ad rem; nam character in baptiſmo non eſt ſignum practicum gratiæ, ſed tantùm res occulta, ratione cuius dicitur res, & Sacramentum; res quidem, quia ſignificatur, Sacramentum verò, quia eſt res occulta; & non eſt ſignum cauſatiuum gratiæ, vt eſt corpus Chriſti. Equiuocatio tollenda.

14 Obijcies 2. ex Trid. ſeſſ.13. cap.1. Corpus Chriſti dicitur contineri in Sacramento Euchariſtiæ: ſed ſi Corpus Chriſti Domini eſſet de eſſentia Euchariſtiæ, non poſſet dici, quod contineretur in hoc Sacramento; ergo non eſt de eſſentia: probatur minor; nam nihil continetur in ſeipſo.

Reſpondeo negando minorem; nam ſicuti anima dicitur eſſe in corpore, ita Corpus Chriſti dicitur eſſe ſub ſpeciebus, & in hoc Sacramento, licèt propriè propter rationem allatam dici non poſſit Corpus Chriſti contineri ſub hoc Sacramento: ſicuti enim non rectè dicitur materia, continetur ſub compoſito, benè autem ſub forma, ita nec rectè dicitur Corpus Chriſti continetur ſub hoc Sacramento; vnde Trid. loco citato di-

Digitized by Google

cit; Corpus Chriſti eſſe in hoc Sacramento ſub ſpeciebus.

15 Obijcies 3. De ratione Sacramenti, vt ſic,eſt quod ſit ſignum ſenſibile practicum cauſatiuum gratiæ; ergo etiam de ratione cuiuſcumque Sacramenti in ſpecie eſt, quod ſit ſignum ſenſibile practicum gratiæ: ſed Corpus Chriſti vt eſt in Sacramento non eſt ſignum ſenſibile; ergo non eſt Sacramentum.

Reſpondeo me poſſe concedere totum argumentum; verùm ex hoc nihil ſequitur contra nos; nam non dico, Corpus Chriſti eſſe Sacramentum in ſpecie, ſed eſſe partem Sacramenti, & ſimul cum ſpeciebus conſtituere Sacramentum in ſpecie, non debet autem id; quod conuenit toti, conuenire partibus, vt patet in hoc argumento: de ratione compoſiti phyſici eſt eſſe materiale;ergo etiam de ratione compoſiti humani, quod continetur ſub compoſito phyſico vt ſic,eſt, quod ſit compoſitum materiale: ſed anima rationalis non eſt materialis; ergo non eſt compoſitum,quod totum veriſſimum eſt: at ſicuti ſtat optimè cum hoc, quod anima ſit de eſſentia compoſiti phyſici materialis, licèt ipſa non ſit materialis, ita optimè ſtat, quod Corpus Chriſti ſit pars eſſentialis Sacramenti ſenſibilis, licèt ipſum per ſe non ſit ſenſibile; vt igitur aliquid pars ſit alicuius Sacramenti ſenſibilis, ſufficit, ſi ſit per accidens, ſeu per aliud ſenſibile, non per ſe; vt patet in contritione in Sacramento pœnitentiæ, quæ per ſe non eſt ſenſibilis, & eſt tantùm ſenſibilis per confeſſionem, & tamen eſt vera pars Sacramenti pœnitentiæ; ita & in propoſito dicendum eſt.

16 Dices ex Laurça. Ad hoc vt aliquid ſit ſenſibile per accidens, ſeu per aliud, debet illud aliud immittere ſpeciem illius: ſed nec verba conſecrationis, nec ſpecies panis, & vini immittunt ſpecies corporis Chriſti in ullum ſenſum; ergo Corpus, & Sanguis Chriſti, neque etiam per accidens ſunt ſenſibilia; & aſſignat diſparitatem de contritione, quod hæc poteſt eſſe ſenſibilis per confeſſionem, quia poteſt tali energia, & emphaſi circumſtantiari, vt immittat ſpecies doloris in ſenſum. Hæc ille. Sed contra, quia contritio eſt actus internus ſpiritualis, ſupernaturalis, & indiuiſibilis, ergo nullo modo poteſt immittere ſpeciem ſui ad ſenſum; nam ſenſus nullo modo poteſt cognoſcere ſpirituale; eſſe igitur ſenſibile per accidens nihil eſt aliud niſi quod illud aliud tranſmittat ſui ſpeciem ad ſenſum, qua poſita intellectus tamquam per ſpeciem alienam cognoſcit illud,quod ipſe occultum eſt, nec per ſenſum cognoſci poteſt; quo modo ſicuti per confeſſionem externam intellectus cognoſcit contritionem internam, & ſpiritualem; ita audita forma conſecrationis, & viſis ſpeciebus, intellectus per fidem apprehendit ſub illis ſpeciebus eſſe Corpus Chriſti.

17 Obijcies 4. Si Corpus Chriſti ſpectat ad eſſentiam Sacramenti Euchariſtiæ, debet ad illud ſpectare, vel vt materia, vel vt forma: ſed non poteſt ad illud ſpectare, neque vt materia, neque vt forma; ergo nullo modo.

Reſpondeo Corpus Chriſti poſſe habere rationem materiæ, & formæ reſpectu diuerſorum; nam comparatum ad verba conſecrationis ſimul cum ſpeciebus habet rationem materiæ; comparatum verò ad ſpecies poteſt habere rationem formæ, eo quod eas ſanctificat, & eſt quid nobilius; poteſt etiam habere rationem materiæ, quia in complexo accidentali id, quod habet rationem materiæ eſt nobilius. En quo modo Corpus Chriſti poſſit ad eſſentiam Sacramenti Euchariſtiæ pertinere.

18 Obijcies 5. Omnia Sacramenta ſunt inſtrumenta ſeparata Dei: ſed Corpus, & Sanguis Chriſti ſunt inſtrumenta coniuncta; ergo non ſunt Sacramentum, neque pars Sacramenti: Sic arguit Gonet.

Reſpondeo quod Sacramenta ſecundùm quod ſunt ſenſibilia per ſe ſunt ſeparata, non autem omnes partes eſſentiales Sacramentorum; adhuc ergo Sacramentum Euchariſtiæ prout includit ſpecies, & formam conſecrationis eſt inſtrumentum ſeparatum, licèt non ſit ſtrumentum ſeparatum, prout includit Corpus Chriſti; nec maior probatur à Goneto, vnde ſicuti facilè dicitur; ita etiam facilius negatur.

19 Ex dictis Colligas, quid hoc Sacramentum dicat in recto, & pro quo ſupponat, de quo plures varia dicunt; ſed immerito in re clara, & in quæſtione, quæ non poteſt eſſe, niſi de puro nomine: dico ergo, quod ſicuti compoſita phyſica dicunt in recto materiam, & formam ſimul v. g. compoſitum humanum eſt anima, & corpus ſimul, & artefactum eſt ſubiectum, & forma artificialis ſimul; ita hoc Sacramentum ſunt ſpecies conſecratæ, & Corpus, & Sanguis Chriſti; & pro hoc toto ſupponit, quando dicitur Sacramentum Euchariſtiæ: poteſt tamen in ratione ſigni ſenſibilis aliquando ſupponere tantum pro ſpecie-

Digitized by Google

ſpeciebus, quia ratio ſigni ſenſibilis per ſe conuenit ſpeciebus, & ſic intelligitur illud Angelici Doctoris, quod in ſolemnitate Corporis Chriſti canit Eccleſia. *Fracto demum Sacramento &c* nam Corpus Chriſti non frangitur, ſed ſolę ſpecies; verùm tunc inadæquatè tantùm ſupponit pro Sacramento, ſcilicet pro Sacramento ſenſibili non pro adæquato Sacramento, quæmadmodum communiter dicitur Petrus fuit vulneratus, etiamſi bracchium tantùm vulneratum fuerit, ita in propoſito.

ARTICVLVS III.

An conſecratio ſit pars intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ.

1 Quæſtio non eſt de tanſubſtantiatione ipſa, ſed de verbis ipſis conſecrationis, quæ dicuntur forma Sacramenti Euchariſtiæ; an ſcilicet huiuſmodi verba ſint de eſſentia ipſius Sacramenti Euchariſtiæ, vt Sacramentum eſt; dixi vt Sacramentum eſt, quod eſt tale etiam permanens independenter ab vſu, & dicitur conſeruari, deferri, &c. Nam ſi accipiatur vt Sacrificium, quod conſiſtit in exteriori imolatione, & oblatione victimæ, certum eſt, quod conſecratione imolatur, & offeretur Chriſtus ſub ſpecie panis, & vini, vt infra dicemus ſuo loco. Dixi etiam, quod non eſt quæſtio de ipſa tranſubſtantiatione, nam de ipſa eſt peculiaris quæſtio, quam infra explicabimus.

2 Prima ergo ſententia negat verba conſecrationis eſſe partem eſſentialem Sacramenti Euchariſtiæ. Sic Scotus in 4. diſt. 8. q. 1. Lauræa tom. 1. in 4. diſp. 17. art. 2. & Scotiſtæ communiter. Capreolus in 4. diſt. 8. art. 3. ad 9. Vaſquez diſp. 167. cap. 3. Amicus hic diſp. 15. num. 21. Paſſarinus qu. 73. art. 1. num. 35, qui quamplures alios allegat, quam probabilem cenſet Suarez diſp. 42, ſec. 2.

Secunda ſententia affirmat verba conſecrationis eſſe partem eſſentialem Sacramenti Euchariſtiæ: eſt Nugni hic qu. 73. art. 1. diff. 2. con. 6. Ioan. à S. Thom. de Sacr. in communi qu. 60. diſp. 22. ar. 6. Gonet ibidem diſp. 1. art. 7. licèt contrarium doceat diſp. 2. de Euchar. num, 27. Suarez loco citato, Lugi de Euch. diſp 1. ſec. 4. & 5. Arriagæ de Sacram. diſp. 4. ſec. 2. Valentiæ diſp. 3 qu. 1. p. 2. Eſparzę lib. 10. qui 64. & aliorum.

3 Concluſio. Verba conſecrationis ſunt forma, & pars intrinſeca, & eſſentialis conſtitutiua Sacramenti Euchariſtiæ. Probatur 1. Ex Concilio Florentino, quod dicit omnia Sacramenta perfici rebus tamquam materia, verbis tamquam forma,, & D. Thom. ſupra q. 60. at. 6. ad. 2. habet. *Ex verbis, & rebus fit quoddammodo vnum in Sacramentis, ſicuti ex materia, & forma, in quantùm ſcilicet, per verba perficitur ſignificatio rerum*, & Caietanus ibidem dicit quod Conciliũ Florẽtinũ dum determinauit Sacramẽta perfici rebus tamqam materia, & verbis tãquã forma *Canonizauit omnia Sacramẽta perficirebus tãquã materia, & verbis tãquam forma:* ſed Euchariſtia eſt vnum ex ſeptem Sacramentis, & forma eſt pars intrinſeca, & eſſentialis cuiuſcumque compoſiti; ergo verba conſecrationis ſunt de intrinſeca ratione Sacramenti Euchariſtiæ. Vnde Pontifex ibidem dicit, formam Euchariſtiæ eſſe verba conſecrationis.

4 Dices. Ita Pontifex Eugenius in Concilio Florentino dixit formam Euchariſtiæ eſſe verba conſecrationis, ſicuti dixit panem, & vinum eſſe materiam: ſed certum eſt panem, & vinum non eſſe materiam intrinſecam Sacramenti Euchariſtiæ, ſed tantum extrinſecam, & remotam; ergo etiam verba non ſunt froma intrinſeca, ſed extrinſeca. Sed contra: quia ideo debemus aſſerere panem, & vinum eſſe materiam remotam, quia fides nos docet poſt conſecrationem non manere ſubſtantiã panis, & vini, & cõſtat materiam ſæpè in ſcholis vſurpari pro materia remota, vt patet de peccatis, quæ ſunt materia remota ſacramenti pœnitentiæ, & ſunt materia deſtruenda per formam abſolutionis, ſicuti panis, & vnum ſunt materia conuertenda in Corpus Chriſti: at nulla forma datur, quæ non ſit intrinſeca ipſi compoſito, quodcumque illud ſit; ergo cum verba conſecrationis ſint forma Euchariſtiæ, erunt etiam pars intrinſeca, & eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ.

5 Probatur 2. Concluſio. Illud eſt de eſſentia alicuius Sacramenti, quod conſtituit illud formaliter, & determinat in ratione ſigni ſenſibilis practici gratiæ: ſed verba conſecrationis determinant ſpecies, & illas conſtituunt formaliter in ratione ſigni ſenſibilis practici gratię; nam ſpecies panis, & vini ſine verbis hoc non ſignificant; ergo verba conſecrationis ſunt pars eſſentialis, & intrinſeca ipſius Sacramenti. Confirmatur. Illud eſt de eſſentia alicuius Sacramenti quo poſito ſimul cum alijs requiſitis intelligitur Sacramentum, & quo ablato, & omnibus alijs poſitis Sacramentum non intelligitur: ſed poſitis verbis conſecrationis, ſpeciebus panis, & vini cum corpore Chriſti intelligitur Sacramen-

tum

tum Euchariſtiæ; ſolis verbis ablatis, Sacramentum Euchariſtiæ non intelligitur; ergo verba conſecrationis ſunt de eſſentia ipſius Sacramenti Euchariſtiæ.

6 Dices: Verba requiri, vt ponatur ibi corpus Chriſti, ceterum, ſi ibi à Deo poneretur corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſine verbis, adhuc ibi eſſet idem Sacramentum cauſatiuum gratiæ. Sed contra: quia Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile hominibus cauſatiuum gratiæ: ſed ſi à ſolo Deo ibi poneretur corpus Chriſti ſub ſpeciebus non eſſet ſignum ſenſibile gratiæ; nam nullo modo diſtinguibilis eſſet ille panis à non conſecrato; nec aliquid daretur, quod demonſtraret illud, quod de facto verba illa demonſtrant. Quod ſi Deus alio modo demonſtraret Chriſti præſentiam, ille alius modus ſpectaret ad conſtitutiuum Sacramenti, & eſset Sacramentum inadæquatè diſtinctum ab eo, quod de facto eſt.

7 Obijcies primò. Non poteſt aliquid eſſe cauſa efficiens alicuius effectus, & forma illius: ſed verba conſecrationis ex Concilio Florentino in decreto vnionis ſunt cauſa efficiens huius Sacramenti; inquit enim Concilium de verbis conſecrationis: *Quia ipſorum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur.* Et rationem addens, dicit: *Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*; ergo ſi verba conſecrationis ſunt cauſa efficiens huius Sacramenti non poſſunt eſſe forma.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: verum equidem eſt, quod idem ſub eadem ratione non poteſt eſſe cauſa efficiens alicuius effectus, & forma ipſius; falſum ſi ſub diuerſa ratione ſumatur; vt patet de anima rationali, quæ in nutritione eſt cauſa efficiens nutritionis, deinde conuerſo alimento in ſubſtantiam aliti, eſt forma ipſius; ita in propoſito verba ſunt cauſa efficiens inſtrumentalis ponendi ſub ſpeciebus corpus, & ſanguinem Chriſti; at ipſis poſitis, ſimul cum ipſis, & ſpeciebus tamquam forma conſtituit Sacramentum Euchariſtiæ.

8 Dices: Anima rationalis, licèt poſſit eſſe cauſa efficiens nutritionis, non tamen poteſt eſſe cauſa efficiens nutrimenti conuerſi in ſubſtantiam aliti; ſed huius eſt tantùm cauſa formalis: ſed per Concilium verba conficiunt hoc Sacramentum; ergo verba non poſſunt eſſe forma huius Sacramenti. Sed contra: quia quando Concilium dicit, per verba confici hoc Sacramentum, non intendit verba eſſe cauſam efficientem productiuam totius Sacramenti, ſed tantùm corporis, & ſanguinis Chriſti, quæ dicuntur Sacramentum, quia res occultæ ſunt, & ſunt partes præcipuè huius Sacramenti, vnde accipit partem pro toto; & hoc patet; nam ſpecies panis, & vini ſpectant eſſentialiter ad hoc Sacramentum, & tamen non producuntur iſtæ ſpecies, producitur ergo effectiuè per verba corpus Chriſti cũ ſanguine, quo producto reſultat Sacramentum conſtans ex ſpeciebus panis, & vini, & corpore, & ſãguine Chriſti tamquam partibus materialibus, & verbis conſecrationis tamquam forma.

9 Obicies ſecundò. Illud eſt de eſſentia alicuius Sacramenti tamquam forma, qua poſita ſimul cum alijs requiſitis ponitur Sacramentum, & qua ablata, etiam ſi alia remaneant non remanet Sacramentum: ſed pereunte forma conſecrationis, adhuc remanet Sacramentum Euchariſtiæ, quod conſeruatur in ſacrario, adoratur, & defertur; cum tamen verba nec conſeruari, nec adorari, nec deferri poſſint, nam ſtatim poſt prolationem pereunt; ergo verba non ſunt forma huius Sacramenti, aut pars intrinſeca ipſius in facto eſſe, ſed tantùm dicuntur forma, quia ſunt certa, & determinata verba, quæ ſub certa, & determinata forma habent virtutem conſecrandi, & ponendi ibi corpus Chriſti.

Reſpondeo ad maiorem: quod ad hoc, vt aliquid ſit forma alicuius Sacramenti, ſufficit, ſi ipſa poſita ſimul cum alijs requiſitis ponatur Sacramentum, & ipſa ablata tam formaliter, quàm moraliter, & virtualiter pereat Sacramentum, ceterum cum Sacramentum ſit ens compoſitum morale, vt ipſum permaneat, ſufficit ſi forma virtualiter, & moraliter permaneat: diſtinguo poſtea minorem: pereunte forma conſecrationis formaliter, adhuc remanet Sacramentum Euchariſtiæ, concedo minorem; pereunte forma conſecrationis, tam formaliter, quàm virtualiter, & moraliter adhuc remanet Sacramentum Euchariſtiæ, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia; etenim licèt deſinant verba formaliter, adhuc remanent virtualiter in effectu in ſpeciebus conſecratis, & moraliter: hæc autem perſeuerantia moralis ſufficit ad conſtituendum Sacramentum, & licèt verba in ſe non dicantur conſeruari, deferri, & adorari; totum tamen conſeruetur, defertur, & adoratur; & certè ſicuti aqua, & oleum dicuntur benedicta à benedictione præcedente, & aliquis peccator ab actu præterito peccati, quia tam benedictio, quàm actus peccati cenſentur moraliter perſeuerare; Ita Sacramentum Euchariſtiæ con-

Digitized by Google

conſtituitur tale à verbis conſecrationis moraliter, & virtualiter perſeuerantibus.

10 Dices ex Conincho qu. 78. art. 2. Permanentia moralis ſolum conuenit actibus voluntatis; ergo non habet locũ in verbis, quæ ſunt purè quid phyſicum. Sed contra; nego antecedens, vt patet in benedictione aquæ, olei, & balſamo, & in Confeſſione facta heri, quæ cenſetur hodie perſeuerare. & pro peccatis heri confeſſis, poteſt hodie quis à Sacerdote, qui peccatorum recordatur, abſolui.

11 Obijcies tertiò. Illud eſt pars intrinſeca alicuius Sacramenti, quod eſt ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis; ſed verba non ſignificant gratiam ſanctificantem, ſed tantùm præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus, quam efficiũt; ergo verba non ſunt pars intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ.

Reſpondeo negando minorem; nam non ſolùm habent verba efficere præſentiam, ſed etiam ſignificare gratiam, & illam ſimul cum ſpeciebus, & corpore Chriſti efficere, totum enim Sacramentum à Chriſto inſtitutum eſt, vt ſignum gratiæ; & præſcindendo à verbis, ſpecies illæ, & corpus Chriſti non habent, quod ſint ſignum ſenſibile gratiæ; nam præſcindendo à conſecratione, non poſſet diſcerni vna hoſtia conſecrata ab alia non conſecrata; ſpecies igitur, corpus Chriſti, & verba conſtituunt vnum perfectum ſignum gratiæ ſanctificantis.

12 Obijcies quartò. In tantùm verba per nos ſunt de eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ, in quantùm moraliter perſeuerant: ſed in tantùm moraliter perſeuerant, in quantùm non ſunt retractata; ergo etiam non retractatio erit de eſſentia Euchariſtiæ.

Reſpondeo negando minorem, ſi loquamur de non retractatione miniſtri; nam facta conſecratione, etiam ſi miniſter retractet ſuam voluntatem, & deſideret conſecrationem non eſſe, adhuc tamen Sacramentum permanet, ſicuti poſita benedictione aquæ, etiam ſi poſtea retractet ſuam intentionem, & velit eam non eſſe benedictam, adhuc remanet benedicta, quia effectus iam eſt productus, & quamdiu durat, quantumuis miniſter retractet, cenſetur durare, nec dependet amplius ab ipſius voluntate, vt duret, vel non. Si verò loquamur de non retractatione Dei, certum eſt, quod ſi Deus nollet conſeruare corpus Chriſti ſub Euchariſtia poſſet, ſubtrahendo ſuum concurſum; at hoc non fieri à Deo habemus ex communi conſenſu fidelium, & Doctorum, quod ibi permaneat, quoad vſque deberet remanere ſubſtantia panis, & vini; vnde illa non reuocatio Dei non eſt quid intrinſecum Sacramento, ſed actus Dei extrinſecus, & inſenſibilis, & ideò nullo modo ſpectans ad eſſentiam Sacramenti Euchariſtiæ. Plura de hac non reuocatione habent Arriaga diſput. 4. cit. ſec. 3. & Lugo ſect. 5. ſed non eſt in hoc immorandum.

ARTICVLVS IV.

An vſus Euchariſtiæ ſit de eſſentia huius Sacramenti.

1 SVppono cum communi Doctorum tranſubſtantiationem ipſam non eſſe partem intrinſecam Sacramenti Euchariſtiæ, contra Lugum hic diſput. 1. ſect. 6. contrarium tenentem, & probatur, tranſubſtantiationem non eſſe de eſſentia. Actio productiua cibi non eſt cibus; ergo neque actio productiua corporis Chriſti per modum cibi ſpiritualis, eſt cibus ſpiritualis. Et confirmatur, quia tranſubſtantiatio eſſentialiter eſt tranſitus à ſubſtantia panis, & vini in ſubſtantiam corporis Chriſti; vnde eſſentialiter in ſuo conceptu adæquato includit ſubſtantiam panis, & vini, quæ deſinit, & ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, quæ producitur, vt infra dicemus, vel aduenit, vt cum alijs loquar; ſed Sacramentum Euchariſtiæ non includit tamquam partem intrinſecam ſubſtantiam panis, & vini, vt fides docet, & nos infra ſuo loco probabimus; ergo neque includit eſſentialiter tranſubſtantiationem tamquam partem intrinſecam: patet conſequentia; nam ſic includeret etiam ſubſtantiam panis, & vini, quam eſſentialiter includit tranſubſtantiatio.

2 Dices cum Lugo: in hoc ſenſu tranſubſtantiationem vtique non eſſe de eſſentia, ſeu non eſſe de eſſentia ſub ratione primæ poſitionis corporis Chriſti ſub ſpeciebus, ſed eſſe de eſſentia, quatenus eſt conſecratio corporis Chriſti ſub ſpeciebus, ſeu eſſe de eſſentia vnionem corporis Chriſti cum ſpeciebus. Sed contra, quia hinc ſequitur tranſubſtantiationem formaliter non eſſe de eſſentia; nam tranſubſtantiatio eſt formaliter tranſitus à ſubſtantia panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti. Probatur modo, quod neque, vt conſecratio eſt, formaliter ſit de eſſentia; nam hæc eſt complexum ex actu diuinæ voluntatis, & corpore, & ſanguine Chriſti ſub ſpeciebus; ſed actus diuinæ voluntatis non eſt quid intrinſecum Sacramento; ergo neque conſecratio adæquatè ſumpta: neque vnio illa cor-

Digitized by Google

la corporis Chriſti ſub ſpeciebus; nam probabilius eſt non dari talem vnionem, vt infra ſuo loco videbimus; ergo ad ſummum deducitur ex Lugi ratione, quod corpus, & ſanguis Chriſti ſint de eſsentia Sacramenti, quod libentiſſimè concedo; at hoc non eſt tranſubſtantiatio, vt de ſe patet.

3 Circa propoſitam verò difficultatem. Hæretici noſtri temporis ſentiunt vſum eſse de eſsentia Euchariſtiæ, ita vt aliqui ſentiant Chriſtum in Euchariſtia non contineri ante vſum, alij non contineri Chriſtum, niſi dependenter ab vſu futuro; quem errorem damnat Trid. ſeſs. 13. can. 4. dicens: *Si quis dixerit peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantùm in vſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt, & in hoſtijs, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur, vel ſuperſunt non remanere verum corpus Domini; anathema ſit.* Hoc poſito. Inquirunt Theologi, quomodo vſus ſpectet ad Sacramentum Euchariſtiæ.

4 Aureolus apud Capreolum in 4. diſt. 8. art. 2. cenſet vſum eſse partem Sacramenti Euchariſtiæ. Gabriel verò ibidem cenſet eſse aliud Sacramentum diuerſum; non eſse tamen octo Sacramenta, quia ad idem reducitur.

Communis tamen ſentẽtia, quam docet D. Tho. infra q. 78. ar. 1. ad ſecũdum, & alibi, quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, Scotus, & Scotiſtæ, Suarez diſp. 42. ſect. 4. Vaſquez diſp. 167. cap. 3. Lugo, Arriaga, & ceteri omnes negat ſumptionem eſse de eſsentia Euchariſtiæ.

5 Concluſio. Vſus, ſeu perceptio Euchariſtiæ non eſt de eſsentia ipſius Sacramenti Euchariſtiæ, ſed eſt tantùm conditio, ſine qua non cauſat gratiam. Probatur primò ex Trid. quod ſeſs. 13. cap. 3. habet: *Illud excellens in Euchariſtia, & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt.* Et Trid. & alia Concilia, & Patres loquuntur de Euchariſtia tamquam de vero Sacramento ante vſum; vt dum Trid. docet aſseruari, circumferri, adorari ante vſum. Confirmatur; quia miniſter conficiens hoc Sacramentum eſt ſolus Sacerdos, vt definiunt Concilia: ſed ſi in vſu conficeretur Sacramentum, aut vſus eſset pars eſsentialis Sacramenti, etiam alij poſsent eſse miniſtri; ergo &c.

6 Probatur ſecundò. De ratione Sacramenti perfecti, & adæquatè ſumpti eſt eſse ſignum ſenſibile practicum cauſatiuum gratiæ: ſed Euchariſtia ante vſum eſt ſignum practicum ſenſibile cauſatiuum gratiæ; ergo ante vſum eſt perfectum Sacramentum: ſicuti enim cibus antequam ſumatur eſt verus cibus, quantùm eſt ex ſe cauſatiuus nutritionis, ita ſpecies conſecratæ cum corpore Chriſti verè ſunt cibus ſpiritualis animæ cauſatiuus quantùm eſt ex ſe gratiæ ſanctificantis, etiam antequam ſumatur.

7 Dices. Hinc probari Euchariſtiam eſse eſsentialiter Sacramentum ante vſum; non autem probari vſum non eſse partem integralem; quemadmodum Sacramentum Pœnitentiæ eſt eſsentialiter Sacramentum poſita abſolutione, & tamen adhuc ei deeſt pars integralis, nempe ſatisfactio. Sed contra, quia pars propriè integralis Sacramenti Pœnitentiæ non eſt ſatisfactio, quæ peragitur data abſolutione; nam hoc Sacramentum conſiſtit tantùm in vſu, & perficitur à Sacerdote, dum datur abſolutio; vnde illa pœnitentia, quæ iniungitur à Sacerdote pœnitenti, non eſt pars integralis, quæ à Trid. requiritur tamquam pars materialis, quatenus poſtea data abſolutione perficitur à pœnitente, ſed eſt pars quatenus à Sacerdote iniungitur, & à pœnitente acceptatur, cum propoſito illam adimplendi, quod totum fit ante abſolutionem; quare ſi poſtea pœnitens ex negligentia, vel etiam data cauſa pœnitentiam non adimpleret, non per hoc faceret propriè mutilum pœnitentiæ Sacramentum, ſed tantùm impropriè, quatenus faceret contra præceptum ei à Confeſsario iniunctum, ad quod præceptum adimplendum tenetur, vt dicam de pœnitentia; ergo è contra cum Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtat in vſu; & Concilia, & Patres, & Theologi communiter loquantur de ipſo, vt perfecto ante vſum, verè erit tale ante ſumptionem. Notat Arriaga Trid. ſeſs. 13. c. 3. diceret *Sacramentum perfici ante vſum,* & ly *perfici,* denotare Sacramentum eſse in ſe perfectum: ſed verè in tali loco Tridentini non reperiuntur huiuſmodi verba, vt legenti ipſum patet.

8 Probatur ſecunda pars: quia illa eſt conditio alicuius cauſæ, quæ requiritur, vt cauſa cauſet, & ipſa non influit in effectum, ſicuti applicatio ignis ad lignum eſt conditio, cur ignis comburat, & ipſa non comburrit: ſed eodem modo ſe habet ſumptio in Euchariſtia; eſt enim applicatio Sacramenti iam facti ſubiecto, in quo poſſit producere gratiam; ergo ſumptio, ſeu vſus Euchariſtiæ eſt tantùm conditio neceſsaria ad

hoc,

Digitized by Google

hoc, vt Sacramentum cauſet gratiam in anima.

9 Obijcies 1. Chriſma, & oleum infirmorum aſſeruantur in Eccleſia, & circumferuntur: ſed hæc nō ſunt Sacramenta, niſi quando adhibentur; ergo etiam Euchariſtia non erit Sacramentum, niſi quando ſumitur.

Reſpondeo negādo conſequentiam; quia alia tantùm conficiuntur, dum applicantur, cuius ſignum eſt, quod tunc proferuntur verba: at Euchariſtia, dum datur fidelibus non conficitur, ſed ſupponitur, quia continet corpus Chriſti, quod non habent alia; ideò &c.

10 Dices ſupponi quidem Sacramentum Euchariſtiæ, vt eſt ſignum ſenſibile corporis Chriſti occulti, non verò ſupponi, vt eſt ſignum ſenſibile practicum gratiæ ſanctificantis, niſi in vſu. Sed contra: quia vt aliquid ſit ſignum ſenſibile practicum gratiæ non eſt neceſse, vt actu illam conferat, ſed tantùm, quod ſit aptum conferre gratiam, ſpecies autem conſecratæ ſimul cum corpore Chriſti ſunt aptæ cauſare gratiam poſita ſola conditione applicationis. Ideò &c.

11 Obijcies 2. Illud eſt Sacramentū Euchariſtiæ, quod Chriſtus Dominus in cœna inſtituit, & mandauit fieri illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem*: ſed illis verbis mandauit fieri totam actionem præcedentem ſignificatam illis verbis; *accepit panem, benedixit, &c.* ergo Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in aggregato illarum actionum.

Reſpondeo negando maiorem, ſi vniuerſaliter intelligatur de omni eo, quod Chriſtus mandauit, & inſtituit fieri; nam non ſolùm mandauit Sacramentum, ſed etiam ea, quæ ad ſumptionem eius, vſum, & conſecrationem ſpectant; vnde illud tantùm eſt Sacramentum, quod Chriſtus conſecrauit in corpus, & ſanguinem ſuum.

12 Obijcies 3. Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile ſacrum, ſeu cęremonia ſacra ſenſibilis, & practica gratiæ: ſed ſpeciēs Euchariſtiæ, vt exponuntur in altari, vel vt conſeruantur in pixide non ſunt cęremonia ſacra ſenſibilis, & practica gratiæ; ergo ſpecies in altari conſeruatæ non ſunt Sacramentum.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile, ſeu cœremonia ſacra practica gratiæ in actu primo, concedo maiorem: in actu ſecundo, nego maiorem: deinde diſtinguo minorem, quo ad primam partem ſpecies Euchariſtiæ, vt in pixide conſeruantur, non ſunt cœremonia ſacra, ſi phiſicè, & ſecundùm ſe ſpectentur, concedo minorem: vt includunt conſecrationem moralitèr perſeuerantem nego minorem: & practica gratiæ, iterum ſubdiſtinguo in actu primo, nego hanc partem minoris; in actu ſecundo, concedo eandem partem minoris; ergo &c. nego conſequentiam.

13 Obijcies 4. Illud eſt verum Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſignū ſenſibile, ſeù cęremonia ſacra ſenſibilis, & practica gratiæ: ſed ſumptio Euchariſtiæ eſt ſignum ſenſibile, ſeu cęremonia ſacra ſenſibilis, & practica gratiæ; ergo ſumptio Euchariſtiæ eſt verum Sacramentum.

Reſpondeo negando minorem: ſumptio enim eſt tantùm conditio, quæ requiritur ad hoc, vt Euchariſtia cauſet gratiam, ſicuti approximatio ignis eſt tantùm conditio, ad hoc vt comburrat, ita ſumptio eſt conditio ad hoc, vt Sacramentum iam factum cauſet gratiam; ſicuti enim ſumptio cibi non eſt cauſa nutritionis, ſed tantùm conditio, & cibus eſt, qui cauſat nutritionem; ita ſumptio Euchariſtiæ eſt tantùm conditio, & Euchariſtia ipſa, quæ eſt cibus ſpiritualis, cauſat gratiam.

14 Dices: non minus cibus ſpiritualis cauſat nutritionem ſpiritualem, quā medicina ſpiritualis cauſet ſanitatem ſpiritualem: ſed Extrema vnctio, quæ eſt per modum medicinæ ſpiritualis eſſentialiter includit ſumptionem; ergo etiam cibus ſpiritualis eſſentialiter includit ſumptionem.

Reſpondeo negando conſequentiam, ſequitur enim tantùm, quod potuerit Chriſtus ita cibum ſpiritualem Euchariſtiæ conſtituere in vſu, & ſumptione ipſius, ſicuti conſtituit medicinam ſpiritualem Extremæ vnctionis in vſu: at contrarium habemus ex Trid. ex quo conſtat Sacramentum Euchariſtiæ eſſe tale ante vſum; Extremam autem vnctionem non eſſe talem, niſi in vſu; & à poſteriori etiam id colligimus; nam dum applicatur Euchariſtiæ Sacramentum, tunc nec requiruntur verba miniſtri, nec requiritur ſpecialis miniſter; vnde antiquitus etiam ipſi communicantes accipiebant hoc Sacramentum ex ſe, & certè ex diſpenſatione Pontificis hoc poteſt fieri: at conficere Euchariſtiam nullus poteſt, niſi Sacerdos, qui ſolus etiam eſt miniſter Extremę vnctionis, qui dum hoc Sacramentum adminiſtrat materiam applicat, & formam determinatam profert, Sacramentumq; conficit.

15 Quæres an ſi miraculosè hoſtia conſecrata poneretur in ſtomacho, &

ore non ſumeretur, deberet producere gratiam? vt de quodam Comite narrat Salmeron tom.3. tract.33. qui morti vicinus, cum non poſſet propter frequentes vomitus ſumere Euchariſtiam, quam ardentèr optabat, dum ſupra pectus eius reuerentèr poſita fuiſſet, eo diuinitus aperto, eam in ſe recepit.

Suarez diſput.63. ſect.7. dicit talem in prædicto caſu non recepturum gratiam. Lugus loco citato num.117. eſſe nouum aſſerere in tali caſu hominē recepturum gratiam; Arriaga verò nihil certi poſſe decidi, niſi diuinando; & ſiue vnum, ſiue aliud dicatur non per hoc eludi difficultatem, cur contactus in ſtomacho non ſit cauſa, ſed ſolùm conditio, cum idem poſſit fieri argumentum.

16 Reſpōdeo igitur, in ſimili caſu talē non recepturum gratiam ex opere operato; quia hanc promiſit Deus reali manducationi, non alteri contactui; caſum autem illum adductum fuiſſe ad ſolamen illius animæ ardentèr præſentiam Chriſti in Euchariſtia deſiderantis, ex qua præſentia potuit magis per actus charitatis meritorios Chriſto præſenti copulari; ceterum manducationem eſſe tantùm conditionem, tum propter rationes adductas patet; tum quia ſumptio illa, nec phyſicè, nec moralitèr eſt cauſa gratiæ, ſed Sacramentum eſt, quod continet in ſe gratiam, & illam cauſat; & ſumptio illa eſt pura conditio.

ARTICVLVS V.

An Sacramentum Euchariſtiæ ſit vnum ſpecie atoma, vel multiplex ſpecie.

1 GAbriel in 4. diſt.8. quæſt.2. art.2. Maior ibidem videntur docere Sacramentum ſub ſpecie panis eſſe diuerſum ſpecie à Sacramento ſub ſpecie vini.

D. Tho. hic, & communiter omnes alij ſcholaſtici docent Sacramentum Euchariſtiæ tàm ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini, eſſe vnum ſpecificè ſimplicitèr, licèt poſtea ſint diuerſi in probanda hac vnitate.

2 Sacramentum Euchariſtię ſub duplici ſpecie conficitur, nempè ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini: inſuper ſub ſpecie panis ex vi verborum continetur corpus Chriſti tantùm, ſanguis ibi ponitur per concomitantiā; & è contra ſub ſpeciebus vini continetur ex vi verborum ſanguis, corpus verò per concomitantiam; quare ſi in triduo mortis Apoſtoli conſecraſſent ſub ſpeciebus panis fuiſſet tantùm corpus, & ſub ſpeciebus vini tantùm ſanguis: tertiò certum eſt, ſpecies vini, & ſpecies panis, ſi phyſicè conſiderentur inter ſe differre ſpecie, ſicuti eodem modo differunt conſecrationes panis, & vini, color enim; ſapor, & odor panis ſpecie differunt à colore ſapore, & odore vini; imo etiam in ipſo vino color, ſapor, & odor vini albi non ſunt, ſicuti color, ſapor, & odor rubei: quartò certum eſt, tàm Sacramentum ſub ſpecie panis cauſare gratiam, quam Sacramentum ſub ſpecie vini. Quare quæſtio eſt vtrum hæc omnia moralitèr, & in ratione ſigni Chriſti, & gratiæ debeant dici vnum Sacramentum ſpecie, an verò duo Sacramenta ſpecie diuerſa.

3 Concluſio. Euchariſtia, ſi præciſè conſideretur ex parte ſpecierum conſecratarum, & materialiter, eſt plura Sacramenta ſpecie, ſi conſideretur verò formaliter ex parte corporis Chriſti, & formaliter, vt conuiuium eſt, eſt vnum ſpecie. Prima pars probetur, quia in Miſſa corpus, & ſanguis dicuntur Sacramenta in numero plurali. *Quem tam pura, & ſancta refecerunt Sacramenta.* idem habetur can. *Sacramenta de conſecra. diſt.*1. *& can. Comperimus.* Et ratio eſt, quia quando plura ſpecie diuerſa concurrunt ad conſtituendum vnum, illud vnum eſt inadæquatè plura, inadęquatè vnum: ſed ad conſtituendum hoc Sacramentum plura ſpecie diuerſa concurrunt; ergo hoc Sacramentum eſt inadæquatè plura inadæquatè vnum: etenim hoc Sacramentum eſſentialitèr includit ſpecies ſacramentales, & corpus Chriſti; quatenùs ergo includit corpus Chriſti, cum ſemper idem ſit numero, tam ſub ſpeciebus panis, quàm ſub ſpeciebus vini, erit vnum; quatenùs verò includit ſpecies ſacramentales; cum iſtæ ſint diuerſæ ſpecie, erunt plura Sacramenta.

4 Secunda pars nimirum, quod, ſi hoc Sacramentum conſideretur formalitèr, & moralitèr, vt conuiuium eſt, ſit vnum ſpecie, probatur: quia vt aduertit D. Tho. ex Ariſt. 5. Metaph. text.9. Vnum poteſt eſſe triplicitèr, indiuiſibilitate, continuatione, & perfectione: ſicuti ergo ad conſtruendam domum, vel ad perficiendum conuiuium, licèt plura diuerſa ſpecie requirantur; tamen ſimplicitèr dicitur vna domus, & vnum conuiuium; ita licèt plures ſpecie diuerſæ, & diuerſæ conſecrationes requirantur ad conficiendum hoc Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & ſub ſpeciebus vini, nihilominus omnia hæc integrant vnum conuiuium ſpirituale. Confirmatur, quia ex Florentino, & Trid. definitum eſt Sacramenta eſſe tantùm

ſeptem:

Digitized by Google

ſeptem : ſed ſi Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, & ſub ſpeciebus vini eſſent diuerſa ſpecie Sacramenta non eſſent tantùm ſeptem, ſed octo, vt de ſe patet; ergo fatendum eſt, tàm ſub ſpeciebus vini, quàm ſub ſpeciebus panis, quatenùs conſtituitur vnum perfectum conuiuiũ ſpirituale, eſſe vnum ſpecie Sacramentũ.

5 Dices 1. ex Vaſquez diſ.73.cap.1. poſſe dici Sacramenta eſſe tantùm ſeptem, quia Sacramentum Euchariſtiæ eſt vnum in genere, quod poſtea diuiditur in duas ſpecies. Sed contra, quia, vt notant communitèr Doctores : ſic poſſemus dicere Sacramenta omnia eſse vnum in genere, vel duo, vnum viuorum, aliud mortuorum; & Trid. æquiuocè fuiſset locutum, nam Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Extrema vnctio, & Matrimonium ſunt quinque ſpecies atomæ; vnde malè dixiſſet eſse ſeptem, hoc eſt, quinque ſpecies atomas, & duo genera, ſub quibus includantur diuerſæ aliæ ſpecies atomæ; etenim, cur non debuiſset enumerare omnes ſpecies atomas, vel ſolùm numerare diuerſa genera? maneat ergo Euchariſtiam in ratione conuiuij eſse vnum ſpecie atoma perfectum Sacramentum.

6 Dices 2. In refectione corporali non tantùm requiritur cibus, ſed etiam potus, qui diuerſos præbent effectus; ergo etiam in Euchariſtia cibus, & potus diuerſos producent effectus. Sed contra reſpondeo, concedendo antecedens, & negando conſequentiam : diſparitas eſt, quia in ſpiritualibus nõ diſtinguitur cibus à potu, ſed refectio fit ſemper per eamdem gratiam habitualem; nõ enim eſt duplex indigentia in anima, ſicuti in corpore, in quo eſt fames, & & ſitis ratione duplicis appetitus; ſed fames, & ſitis ſpiritualis extinguuntur per eamdem gratiam; vnde Matth. 5. dicitur. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Et D. Auguſt. tractat.25. docet in ſpiritualibus famem, & ſitim non diſtingui.

7 Obijcies 1. Si Sacramentum Euchariſtiæ eſset vnum ſpecie atoma tàm ſub ſpeciebus panis, quam ſub ſpeciebus vini, non fuiſset neceſsè ipſum inſtituere ſub vtraque ſpecie, ſed fuiſset ſufficiens Sacramentum inſtituere, vel ſub ſpeciebus panis, vel vini; ergo cũ Chriſtus Euchariſtiã inſtituerit ſub vtraq; ſpecie, ſignũ eſt in duas ſpecies atomas diſtingui.

Reſpondeo, quod ſuffeciſset quidem in ordine ad ſanctificationem noſtram; nõ verò in ordine ad perfectam refectionem, ad paſſionem Chriſti, & ad gloriam ſignificandam; nam melius ſignificatur perfecta refectio per cibum, & potum, quam per cibum, aut potum tantùm; meliùs etiam ſignificatur paſſio Chriſti per effuſionem ſanguinis; & etiam gloria expreſſiùs ſignificatur, cuius hoc Sacramentum eſt pignus, quia melius exprimitur perfecta ſacietas, quam Sancti habebunt in gloria.

8 Obijcies 2. Sacramentum Euchariſtiæ, eſt pignus gratiæ, & gloriæ : ſed diuerſum eſt pignus corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, ac ſit ſanguis ſub ſpeciebus vini; etenim ſi Rex in morte ſua relinqueret, vel corpus ſuum, vel ſanguinem in pignus alicuius dignitatis, vel hæreditatis acquirendæ, vel vtrumque ſimul, non poſset negari, quin ſanguis eſset pignus diuerſum à corpore, licèt corpus, & ſanguis hoc pignus magis exprimerent; ergo etiam licèt corpus, & ſanguis Chriſti ſint pignus magis expreſsum, nihilominus tàm corpus, quàm ſanguis ſunt pignus ſufficiẽs; cum igitur ſunt duo pignora ſpecie diuerſa, duo etiam erunt Sacramenta ſpecie.

Reſpondeo Sacramentum non conſtitui in ratione Sacramenti per hoc, quod ſit pignus gratiæ, vel gloriæ, vt vult Arriaga, ſed per hoc, quod ſit ſignum practicum gratiæ ſanctificantis, quare cum tàm corpus, quàm ſanguis ſint ſignum eiuſdem gratiæ ſanctificantis per modum cibantis, & reficientis; hinc eſt, quod licèt ſpecies ipſæ panis, & vini ſint diuerſæ, nihilominus integrant vnam perfectam refectionem, & vnum conuiuium, vt ſæpè dictum eſt.

9 Obijcies 3. Concilia, & Patres vocant Euchariſtiam Sacramenta in numero plurali; ergo cenſent eſse plura, & ſpecie diſtincta Sacramenta.

Reſpondeo ſic vocari, ſi hoc Sacramentum inadæquatè ſumatur, & materialitèr ex parte accidentium panis, & vini, quæ plura ſunt, vt explicatum fuit in concluſione, ceterum in ratione perfecti conuiuij vnicum eſt ſpecie Sacramentum.

10 Obijcies 4. Illud eſt perfectum Sacramentum, quod continet totum id, quod requiritur ad totalem rationem Sacramenti : ſed tàm ſpecies panis, quàm ſpecies vini continent totum id, quod requiritur ad totalem rationem Sacramenti; ergo ſunt duo Sacramenta.

Reſpondeo hinc probari eſse duo Sacramenta materialiter, & ratione ſpecierum panis, & vini, non autem formaliter in ordine ad perfectam refectionẽ ſpiritualem, nam hoc Sacramentum, non tantùm includit ſpecies, ſed etiam corpus, & ſanguinem Chriſti, & hoc totum eſt ſignum gratiæ cibantis; vnde cum tàm ſub ſpeciebus panis, quàm vini ſit idem corpus, & ſanguis Chriſti,

& omnia hæc conſtituant vnicum ſignum morale gratiæ cibantis; hinc eſt, quod formaliter, tàm ſub ſpecie panis, quàm vini eſt vnicum ſpecie atoma Sacramentum.

11 Quæres an plures hoſtiæ ſint vnũ numero Sacramentũ, vel plura numero?

Hæc quæſtio potius eſt de nomine, quam de re, quæ nihilominus Doctores in varias diuiſit ſententias; nam aliqui volunt deſumi vnitatem numericam huius Sacramenti à diuerſa morali ſumptione, ita vt ſi quis plures hoſtias vnica ſumptione ſumat vnicum numero dicatur ſumere Sacramentum: alij volunt deſumi ex diuerſa numero gratia, quam Sacramentum producit; alij quod tot numero ſunt Sacramenta, quot ſunt ſpecies diſtinctæ, & ſeparatæ: alij demum, quod tam ſub ſpeciebus omnibus panis, quam vini eſt vnicum numero Sacramentum, quia in omnibus idem Chriſtus eſt, & huius opinionis eſt Lugo, eo quod exiſtimet hoc Sacramentum dicere in recto ſolùm Corpus, & Sanguinem. In hac quęſtione; quæ vt dixi eſt de nomine.

12 Reſpondeo phyſicè, & inadæquatè deſumi à diuerſitate ſpécierum diſcontinuatarum vnde tot numero erunt Sacramenta, quot ſunt ſpecies conſecratæ diuerſæ, cuilibet enim conuenit definitio Sacramenti: dixi inadæquatè, & ex parte ſpecierum, nam ſic ſunt plura numero Sacramenta, quia plures ſunt ſpecies: at ratione rei contentæ, ſcilicet Chriſti, cum hic ſit ſemper idem in omnibus, vnicum ſemper Sacramentum erit in omnibus hoſtijs, ſiue conſideretur Chriſtus ſub ſpeciebus panis, ſiue vini. Hæc per ſe videntur clara explicatis terminis.

13 Si verò moraliter loquamur, dico diuerſitatem numericam Sacramenti deſumi ex diuerſis ſumptionibus moraliter non interruptis; ſic enim moraliter illę ſpecies cenſentur vnicum Sacramentum, quia omnes ordinantur ad producendam eamdem numero gratiam cibantem, & ad vnam, & eamdem refectionem ſpiritualem.

4 Dices: Sumptio non eſt de eſſentia Sacramenti; ergo à diuerſis ſumptionibus non poteſt deſumi diuerſitas numerica Sed contra aliud eſt, quod ſumptio non ſit de eſſentia Sacramenti, & hoc verum eſt; aliud quod poſita ſumptione diuerſa, tamquam conditione, illę ſpecies non cenſeantur diuerſum Sacramẽtũ ex eo, quod ſunt cauſatiuæ diuerſæ gratiæ cibantis numero, & hoc falſum eſt; dicimus enim poſita diuerſa ſumptione morali, ſpecies illas, non cenſeri vnum Sacramentum numero, quia diuerſæ gratiæ cibantis numero ſunt ſignificatiuæ, & hoc ſufficit.

ARTICVLVS VI.

An Sacramentum Euchariſtiæ ſit neceſſarium ad ſalutem tam paruulis, quam adultis.

1 NOn poteſt hæc difficultas rectè explicari, niſi prius explicemus diuerſitatem, quæ intercedit inter neceſſarium neceſſitate medij, & neceſſarium neceſſitate præcepti, in quorum terminorum aſſignanda differentia variant omnino Doctores, & antiqui de hac re ex profeſſo non tractarunt, ſed nunc plures Doctores, pręſertim Societatis differentiã aliquam inter neceſſarium neceſſitate medij, & neceſſarium neceſſitate præcepti aſſignare conantur.

2 Laurça diſp. 6. de Sacra. art. 2. & diſp. 25. ar. 1. num. 2. citans D. Thom. 3. p. quæſt 65. ar. 4. & Scotum in 4. diſt. 5. qu. 2. & diſt. 17. qu. vnica de Pœnitentia negat dari vllam diuerſitatem inter neceſſitatem præcepti, & neceſſitatem medij, ſed vult, quod omne, quod eſt neceſſarium neceſſitate medij, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, & e contra; vnde admittit tãtùm duplicem neceſſitatẽ nẽpe neceſſitatẽ ſimpliciter, ideſt eã ſinequa ſalus haberi nõ poteſt, & neceſſitate ad melius eſſe, ideſt qua re poſita facilius & melius ſalus haberi poteſt, Laurçæ conſentit Paſſarinus hic q. 73. art. 3. à num. 3. ex quo deducunt baptiſmum eſſe neceſſarium ſimpliciter, quia ſine illo ſalus haberi non poteſt, idem dicunt de pęnitentia ſed ſuppoſito peccato; alia verò Sacramenta volunt ſingulis non eſſe neceſſaria, niſi ad melius eſſe.

Communiter tamen alij Doctores docent eſſe diuerſam neceſſitatem medij à neceſſitate præcepti. Sic Ioan. à S. Th. hic diſp. 26. art. 4. Gonet. diſp. 2. de Euc. ar. 4. Vaſquez diſp. 169. cap. 1. Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 31. ſec. 1. Lugo diſp. 3. de Euc. Arriaga diſp. 29. de Euc. ſec. 2. Coninch. qu. 68. art. 2. licèt diuerſi poſtea ſint in explicando, quomodo neceſſitas pręcepti diſtinguatur à neceſſitate medij.

3 Concluſio prima. Ponenda eſt aliqua diuerſitas inter neceſſitatem medij, & neceſſitatem præcepti. Probatur: ea ſunt diuerſa aliquo modo, quæ peculiari & diſtincto modo concurrunt ad ſalutem; ſed ea, quę ſunt neceſſaria neceſſitate medij diuerſo modo concurrunt ad ſalutem, ac ea, quæ ſunt neceſſaria tantùm neceſſitate præcepti: ergo aliquo modo ſunt diuerſa: maior patet; probatur minor: baptiſmus, & pęnitentia

tentia

tentia, quæ dicuntur neceſſaria neceſſitate medii diuerſo modo concurrunt ad ſalutem noſtram, ac concurrat reſtitutio rei alienæ, vel obſeruatio alicuius præcepti; nam baptiſmus, & pœnitentia, quando exiſtunt dant primam gratiam, & poſitiuè influunt in ſalutem: reſtitutio verò non eſt cauſa per ſe gratiæ, neque primæ, neque ſecundæ, ſed eſt tantùm remouens prohibens, & nullo modo influit in ſalutem: ſed hoc eſt diuerſo modo concurrere; ergo admittenda eſt diuerſitas inter neceſſitatem medij, & præcepti. Confirmatur: Ideo baptiſmus eſt neceſſarius in re, vel in voto, quia quando exiſtit vel in ſe, vel in voto in actu contritionis, eſt cauſatiuus gratiæ: ſed reſtitutio rei alienæ v.g. nec in ſe eſt cauſatiua gratiæ, nec eſſentialiter, vt eſt in voto; ergo diuerſo modo concurrit ad ſalutem baptiſmus, vel eius votum, quam concurrat reſtitutio, vel eius votum: maior patet: probatur minor; nam ſi quis habeat rem alienam, ſed ſine peccato, dum illam reſtituit, aut habet votum illam reſtituendi, non per hoc iuſtificatur, ſi ſit in peccato mortali; nam poteſt actu naturali, & habere deſiderium illam reſtituendi, & actu naturali illam reſtituere, quo caſu certè in obſeruatione illius præcepti, nulla gratia cauſatur in ſubiecto; e contra verò, quando quis actu recipit baptiſmum, aut per actum contritionis habet votum ipſius, ſemper cauſatur gratia; ergo diuerſo modo concurrunt ad ſalutem ea, quę ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ac ea, quę ſunt tantùm neceſſaria neceſſitate pręcepti. Confirmatur 2. ſi quis omittat ex ignorantia inculpabili obſeruantiam alicuius præcepti non per hoc damnabitur; & ſi omittat, etiam ex ignorantia inculpabili aliquod, quod ſit medium neceſſarium ad ſalutem, nihilominus damnabitur; ergo adeſt diuerſitas.

4 Obijcies primò. Ideo baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij ad ſalutem, quia requiritur, vel in re, vel in voto ad cauſandam primam gratiam: ſed ſi quis ſit in peccato mortali, vt reſurgat requiritur, quod in re, vel in voto velit obſeruare omnia pręcepta; ergo eodem modo eſt neceſſaria ad ſalutem obſeruantia præceptorum, ac baptiſmus.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, vt reſurgat requiritur, quod in re, vel in in voto velit obſeruare omnia præcepta, ita vt obſeruantia, vel votum talium præceptorum cauſent primum gratiam; nego minorem; ita vt ſe habeant tamquam remouens prohibens, concedo minorem; ergo &c. negatur conſequentia.

5 Dices votum obſeruandi omnia præcepta includitur in contritione; ſed contritio eſt cauſatiua gratiæ; ergo ſaltem votum obſeruantiæ præceptorum eſt cauſatiuum gratiæ.

Reſpondeo diſtinguendo minorem contritio eſt cauſatiua gratiæ, vt actus pœnitentiæ eſt, concedo minorem, vt votum eſt obſeruandi præcepta, nego minorem, vt ſic enim eſt tantùm remouens prohibens; quod patet; nam ſi quis ſit iuſtus, debet obſeruare precepta, & habere voluntatem illa non tranſgrediendi, & tamen poteſt ſine augumento gratiæ habere voluntatem naturalem obſeruandi præcepta, & ea actu obſeruare, vt actu facere reſtitutionem.

6 Obijcies 2. Quod remouet obicem peccati eſt medium neceſſarium ad ſalutem: ſed obſeruantia præceptorum remouet obicem peccati; ergo eſt medium neceſſarium ad ſalutem; ergo, quę ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ſunt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti, & è contra.

Reſpondeo negando minorem; nam medium neceſſarium debet poſitiuè influere, & cauſare primam gratiam, vt dictum eſt, vnde ſi omittatur etiam inculpabiliter, adhuc talis peribit, quod non euenit in obſeruantia præcepti, vt dictum eſt. Ideo &c.

7 Obijcies 3. Quod eſt neceſſarium neceſſitate medij eſt tale, vt ſine eo non poſſit haberi ſalus: ſed ſacramenta omnia, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti ſunt talia, vt ſine ipſis non poſſit haberi ſalus; ergo omnia erunt neceſſaria neceſſitate medij.

Reſpondeo negando minorem; nam neceſſaria neceſſitate medij ita ſunt neceſſaria, vt nullo modo poſſit haberi ſalus ſine eis in re, vel in voto; Sacramenta autem, quæ ſunt neceſſaria tantùm neceſſitate præcepti non ſunt huiſmodi; nam ſi quis ſit in gratia, & moriatur antequam inſtet præceptum recipiendi talia Sacramenta, ſine ipſis, & ſine voto ipſorum ſaluatur, vt patet in pueris decedentibus cum ſolo baptiſmo, aut etiam in adultis, qui ſtatim poſt baptiſmum moriuntur. Ideo &c. Hac difficultate breuiter explicata.

8 Occurrit modo decidendum. An Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; nam ipſam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, vt aliquo tempore ſumatur, certum eſt apud omnes, loquendo tamen de neceſſitate medij; certum etiam eſt non eſſe medium abſolutè neceſſarium ad ſalutem; nam poterat Deus nos iuſtificare, & ducere in vi-

in vitam æternam, etiam ſi hoc Sacramentum non inſtituiſset; loquimur ergo de neceſſitate ex ſuppoſitione, quod Chriſtus tale Sacramentum inſtituerit, an ſit medium neceſſarium omnibus ad ſalutem.

9 Suppono ad euidentiam ex D. Thom. hic art. 3. rem huius Sacramenti ſcilicet gratiam, & vnionem cum Chriſto eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, non quatenus producitur per hoc Sacramentum; nam etiam quatenus habetur per baptiſmum, vel per Sacramentum Confeſſionis, vel extra Sacramentum per contritionem eſt ſufficiens ad iuſtificationem: dicitur tamen talis gratia res Sacramenti Euchariſtiæ per quandam appropriationem; nam cum vnio cum Chriſto eſſentialiter requiratur ad ſalutem, & hæc vnio ſit proprius effectus huius Sacramenti, talis gratia, prout vnit nos Chriſto, dicitur res huius Sacramenti. Sic habet D.Thom. hic art. 3. Hoc poſito quæſtio præſens eſt, an Euchariſtia ipſa ſit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem omnibus, vel in re, vel in voto.

10 Et quidem in re non eſſe neceſſariam Euchariſtiam ad ſalutem docet expreſsè D. Thom. hic ar. 3. & pluribus alijs in locis, quem ſequuntur communiter Doctores, diuiſi ſunt tamen inter ſe in definiendo, an ſit neceſſaria in voto.

11 Sotus in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 11. Syluius ad hunc ar. Ioan. à S. Thom. diſp. 26. art. 4. Gonet. diſp. 2. de Euch. art. 4. & communiter Thomiſtæ docent, Euchariſtiam eſſe neceſſariam in voto neceſſitate medij, verùm hoc votum non debere eſſe explicitum, & formale, ſed ſufficere implicitum, & virtuale, quod imbibitur in ſuſceptione baptiſmi, & aliorum Sacramentorum.

Caiet. tamen hic, Suarez diſp. 40. ſec. 1. & 2. Vaſquez diſp. 173. Coninch. ſuper hunc ar. Lugo diſp. 3. ſec. 2. Lauræa tom. 1. in 4. diſp. 25. ar. 1. nu. 5. Arriaga diſput. 29. ſec. 2. ſubſec. 4. & plures alij negant Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medij in re, vel in voto.

12 Concluſio ſecunda. Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medij, neque paruulis, neque adultis ad ſalutem, ſiue in re, ſiue in voto. Probatur prima pars de paruulis ex Triden ſeſſ. 21. cap. 4. vbi habetur: *Denique ſancta Synodus docet paruulos vſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem; ſiquidem per baptiſmi lauacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt*; & in can. 4. idem definit. Et ratio eſt; quia ad ſalutem ſufficit iuſtificatio per gratiam ſanctificantem: ſed per Baptiſmum infantes iuſtificantur, & in illa ætate iuſtificationem amittere non poſſunt, cum ſint incapaces peccati; ergo paruulis nullo modo eſt neceſſaria Euchariſtia.

13 Secunda pars de adultis probatur. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medij adultis ad ſalutem, quod ex ſua primaria inſtitutione eſt cauſatiuum primæ gratiæ; propter hanc enim rationem baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem, ſiue in re, ſiue in voto, quia cum per baptiſmum detur prima gratia, ſine illa non poteſt haberi ſalus; Pœnitentia verò eſt neceſſaria lapſis poſt baptiſmũ; quia etiam ipſa eſt, quæ dat primam gratiam: ſed Euchariſtia non eſt inſtituta ad dandam primam gratiam; nam vel adultus quis baptizatur, & ſic iuſtificatur, vel infantes baptizati ſunt, & poſtea peccant, & ſic iuſtificari debent per pœnitentiam, qua iuſtificatione habita, ſi moriantur ſalutem conſequentur; ergo Euchariſtia nõ eſt neceſſaria neceſſitate medij adultis ad ſalutem.

14 Dices: Si quis bona fide accedat ad Sacramentum Euchariſtiæ attritus exiſtimans ſe nullum peccatum habere, cum tamen re vera ſit in peccato, hic per Euchariſtiam recipit primam gratiam; ergo ſaltem in hoc caſu erit medium neceſſarium ad ſalutem. Sed contra conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam ad hoc, vt aliquid ſit medium neceſſarium ad ſalutem, debet ex natura ſua, & ex propria ratione eſſe ordinatum ad dandam primam gratiam, quomodo non eſt in prædicto caſu Euchariſtia, quæ tantùm per accidens produxit primam gratiam, non per ſe, ideò &c.

13 Tertia pars, quod non ſit neceſſaria in voto probatur; quia tunc aliquid eſt neceſſarium in voto, quando in re ipſa illud ſuſcipi non poteſt, & eſt cauſatiuum primæ gratiæ: ſed Euchariſtia non eſt neceſſaria in re ipſa, vt ſupra probatum fuit; ergo neque in voto: tum quia in paruulis non poteſt eſſe huiuſmodi votum, cum ſint illius incapaces; in adultis autem ad hoc, vt aliquid ſit neceſſarium in voto, non ſufficit, quod votum ipſius, nempe contritio, vel baptiſmus conducat poſitiuè ad primam gratiam, ſed requiritur, quod illud, quod hoc modo eſt medium neceſſarium cõducat per ſe poſitiuè ad primam gratiam: huiuſmodi autem non eſt Euchariſtia, quæ tantùm per ſe conducit ad augmentum gratiæ; ergo &c. Confirmatur: quia Euchariſtia ex ſua inſtitutione

Digitized by Google

tione eſt per modum cibi,& dat gratiam nutritiuam: ſed cibus, & nutritio ſupponunt primam gratiam, & vitam ſpiritualem; ergo numquam Euchariſtia eſt medium neceſſarium ad habendam primam gratiam.

16 Dices primò. Saltem Euchariſtia eſt neceſſaria ad perſeuerantiam; nam moraliter, qui diu vult abſtinere ab hoc Sacramento, cadet in mortale. Sed contra; fateor quidem Euchariſtiam eſſe vtiliſſimam ad perſeuerādum, vt docet Trid. at ſimpliciter nullum eſt peccatum, ad quod vitandum non ſufficiat gratia Dei; quare aliud eſt, quod Euchariſtia conferat vberiora auxilia, nè quis cadat, aliud eſt, quod perſeuerantia ipſa ſit effectus huius Sacramenti; primum eſt verum, ſecundum falſum; cum poſſit haberi perſeuerantia ſine Euchariſtia per auxilia, & ſpecialem Dei protectionem.

17 Dices ſecundò. Hæc verificari de Sacramenti reali ſuſceptione, non de ſumptione in voto. Sed contra, quia votum Euchariſtiæ, vel debet eſſe in fidelibus, vel in Eccleſia,vel in baptiſmo: non eſt in ipſis fidelibus; nam infantes ſunt incapaces voti, non in Eccleſia nam ſi haberet tale votum daret infantibus Euchariſtiam, quod tamen non facit: neque in baptiſmo; nam baptiſmus non eſt votum Euchariſtiæ, niſi lato modo: neque hoc votum debet eſſe in adultis, nam in Hiſpania, & Gallia, Eccleſia conſentiente, ex Nauarr. in man. cap. 21. damnatis ad mortem non præbetur Euchariſtia, quæ tamen ſi eſſet neceſſaria neceſſitate medij deberet dari; quia Sacramentum Pœnitentiæ ex eo, quod eſt neceſſarium in voto, ſi adſit commoditas debet re ipſa ſuſcipi: ſed damnatis ad mortem etiam ſi adſit commoditas non datur in Hiſpania, & Gallia, & hoc conſentiente Eccleſia; ergo fatendum eſt nullo modo neque in voto eſse neceſsariam neceſſitate medij. Idem dicendum de illo,qui poſt ſumptum viaticum incidit in mortale: hic enim non tenetur iterum ſumere viaticum, imò multoties non poterit, nec debet dari,& pœnitentia eſt ſufficiens.

18 Obijcies primò. Ideò baptiſmus eſt neceſsarius ſimpliciter omnibus neceſſitate medij, quia Ioann.3. vniuerſaliter habetur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt &c.* Sed etiam Ioann.6. habetur de omnibus: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ergo etiam Euchariſtia eſt neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medij ad ſalutem.

Reſpondeo negando conſequentiam; non enim eodem modo ſe habent illa verba; nam de baptiſmo intelligitur neceſſitas ſimpliciter, & medij; eo quod ille ſit, qui dat vitam ſpiritualem, ſine qua haberi non poteſt ſalus: at Euchariſtia ſupponit vitam; cum autem de fide ſit, quod habenti vitam ſupernaturalem gratiæ,debeatur ſalus; hinc deducitur, quod talia verba dicta à Chriſto ſint tantùm ſignificatiua præcepti, ac ſi diceretur, niſi audias miſſam, vel niſi reſtituas, non eris ſaluus. Dici poteſt ſecundò talia verba intelligi de manducatione ſpirituali, eo quod nullus conſequi poſſit ſalutem, niſi ſit vnitus Chriſto, qui effectus per appropriationem tribuitur Euchariſtiæ; & in hoc ſenſu intelligi debent Patres, vt Cyrillus lib.3. in Ioann.cap.37.& lib.4.cap.10. dum dicit: *Vt diſcerent, ſi mortem effugere vellent, neceſſe eſſe de illo pane participare.* Ciprianus, Iſidorus,& alij: verum primus ſenſus adductus eſt proprius, & litteralis.

19 Obijcies ſecundò. Huic Sacramento tribuitur reſurrectio glorioſa corporum, vt patet ex verbis Chriſti: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et Cyrillus lib.10. in Ioann habet: *Non potuiſſe aliter corruptibilem hanc naturam corporis ad incorruptibilem vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur*; & idem habent plures alij Patres, quos affert Suarez diſp.64.ſec.2.

Reſpondeo. Reſurrectionem glorioſam tribui huic Sacramento ratione gratiæ, quæ nos vnit Chriſto, & quia ſummopere iuuat ad præſeruandum à peccatis;ceterum in ſe non eſt medium neceſsarium ad conſequendam reſurrectionem, vt patet de pueris decedentibus cum ſolo baptiſmo, qui glorioſi reſurgent,& tamen nec in re, nec in voto hoc Sacramentum receperunt.

20 Obijcies tertiò. D. Thom. qui hic art.3. docet Euchariſtiam eſse conſumationem, & finem Sacramentorum, & pueros ſuſcipere in voto Euchariſtiam, quia dum ſuſcipiunt baptiſmum, ſicuti fide Eccleſiæ credunt. ita etiam per baptiſmum deſiderant Euchariſtiam; & idem alibi hoc repetit; ergo ſaltem in voto eſt neceſsaria Euchariſtia.

Reſpondeo, D. Thom. expreſsè docuiſse contrarium ſupra quæſt.65. art.4. neque hic eſt vllo modo ſibi contrarius, ſed hic tantùm docet, hoc Sacramentum eſse finem omnium Sacramentorum, & vitæ ſpiritualis, eo quod contineat Chriſtum, qui eſt finis, & quia omnia Sacramenta producunt gratiam, quæ nos vnit Chriſto, hæc autem vnio ſpeciali ratione tribuitur huic Sacramen-

Digitized by Google

cramento, & ſicut finis cauſat in intentione, quia eius intentio præſupponitur ante electionem medij; ita ſecundùm appropriationem poteſt dici neceſſarium omnibus in voto tamquam finis, eo modo, quo explicat Angelicus Præceptor: ceterum propriè, neque in voto eſt neceſſarium, quia votum propriè ſignificat deſiderium alicuius rei; hoc autem deſiderium Euchariſtiæ non eſt neceſſe neceſſitate medij, vt ſit in aliquo ad ſalutem conſequendam; & ſolum neceſſitate præcepti, ſcilicet inſtante præcepto eſt neceſſarium, quod ſuſcipiatur in re, vel in voto, ſicuti eſt neceſſaria obſeruantia omnium aliorum præceptorum.

21 Obijcies quartò. Non minus eſt neceſſaria nutritio ſpiritualis ad vitam ſpiritualem, quam corporalis ad corporalem: ſed corporalis eſt neceſſaria neceſſitate medij ad vitam corporalem; ergo & ſpiritualis ad ſpiritualem: atqui nutritio ſpiritualis habetur per Euchariſtiam, ergo Euchariſtia eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem.

Reſpondeo conceſſo primo argumento, ad ſubſumptum, quod non omnis nutritio ſpiritualis habetur per Euchariſtiam; poteſt enim haberi per actus virtutum, & per alia Sacramenta; & ideò ſimpliciter non eſt neceſſaria Euchariſtia, ſicuti in corporali non eſt potius neceſſarius vnus cibus, quam alius.

22 Quæres. Cur ſicuti adultis eſt neceſſaria Euchariſtia ex vi præcepti, non ſit etiam paruulis hoc modo neceſſaria?

Reſpondeo, hoc eſſe præceptũ Eccleſiaſticum, quod ex ſola volũtate Eccleſiæ dependet, quæ præcepit, vt in Paſchate communicent adulti; licèt enim ſit præceptum diuinum communicare; attamen Chriſtus nõ determinauit tempus, neque perſonas, ſed hoc fecit Eccleſia. Et cur paruuli non teneantur ad communionem, eſt, quia non poſſunt dijudicare corpus Chriſti, vt vult Apoſtolus 2. ad Cor. 11.

QVÆSTIO II.

De materia Sacramenti Euchariſtiæ.

CVm ſupra dictum ſit, hoc Sacramentum includere ſpecies conſecratas, & corpus, & ſanguinem Chriſti; hinc meritò in hac quæſtione agendum eſt de materia, ex qua conficitur tam corpus, quàm ſanguis Chriſti Domini.

ARTICVLVS I.

Qualis debeat eſſe materia, ex qua conficitur Euchariſtia.

1 PLures fuere errores circa materiam Euchariſtiæ, nam Artotyritæ offerebant panem, & caſeum: Cataphrygæ, & Peputiani offerebant panem confectum ex farina, & ſanguine infantis, quem de toto corpore eius minutis vulneribus eliciebant. Gnoſtici, & Manichei, qui ex pane humano ſemine conſperſo corpus Chriſti conficiebant. Ophitæ panem, quam ſerpens lambuerat pro conſecrato habebant. Aquarij ſolum aquam conſecrabant. Alij in lacte conſecrabant. De his erroribus paſſim in hoc loco tractant Doctores, & omnes eruditè enumerat Paſſarinus hic q. 74. art. 1. com. 4. Sed veræ iſtæ hæreſes nullum, vel apparens habent fundamentum.

2 Concluſio prima. Panis, & vinum ſunt materia propria huius Sacramenti: eſt de fide in multis Concilijs, ſed præſertim in Florentino in decreto Eugenij, & Triden. ſeſſ. 13. cap. 1. 3. & 4. & ex cap. *Cum Marthæ, de celebratione miſſarum*; hocq; conſtat ex perpetuò vſu Eccleſiæ, & ex facto Chriſti Domini; nam illa materia eſt adhibenda, quam ipſe conſecrauit: ſed Chriſtus conſecrauit in pane, & vino, vt conſtat ex Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. ergo &c. Congruentiæ variæ afferũtur à D. Th. Prima, nam in hoc Sacramento traditur corpus, & ſanguis Chriſti in ordine ad refectionem ſpiritualem; ergo conueniens fuit tradi ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ ſunt inſtituta ad corporalem refectionem: Secunda, quia hoc Sacramentum eſt Sacramentum amoris, & vnionis, quemadmodum igitur ex pluribus granis fit panis, & ex pluribus accynis fit vinum; ita etiam fideles de hoc Sacramento participantes charitate inter ſe, & cum Chriſto vniuntur.

3 Concluſio ſecunda. Solus panis triticeus eſt materia ſufficiens, & neceſſaria Sacramenti Euchariſtiæ. Ita communiter Doctores, & habetur expreſsè in Florent. in decreto Eugenij vbi de hoc Sacramento dicitur: *Cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite.* Vnde de hoc non eſt ampliùs dubitandum.

4 Ex quo colliges panem confectum ex granis, quæ non continentur ſub tritico non eſſe materiam ſufficientem ad conficiendam Euchariſtiam; hinc certum eſt panem confectum ex hordeo, millio, panico, auena, fructibus, & le-

Digitized by Google

& leguminibus non eſſe materiam ſufficientem; nam talis panis non eſt ex tritico; ex Concilio autem requiritur panis triticeus.

5 Vtrùm verò panis confectus ex ſiligine, quam Hiſpani vocant *Centeno*, Itali *Segala* ſit materia ſufficiens? Diuus Thomas hic ad ſecundum affirmat, quẽ ſequitur Ferr. 4. cap. 69. Nugnus hic dub. 1. Sylueſter ver. Euchariſtia, Gonet. hic diſp. 3. nu. 6. Paſſarinus art. 3. com. 6. cap. 1. num. 8. & plures alii apud ipſum; probãt communiter hoc, quia ſiligo eſt eiuſdem ſpeciei cùm tritico; tum ex ſimilitudine magna, quæ eſt inter triticum, & ſiliginem, tum ex eo, quod ſi ſeminetur triticum in pluribus regionibus naſcitur ſiligo; ex quo deducunt, quod ſit eiuſdem ſpeciei, quia omne ſimile generat ſibi ſimile. Tertiò, quia fere per per totam Europam ex ſegala fit panis vſualis. Sed verè hæ rationes non probant, non vltima; nam ex Maijzzo in Indijs occidentalibus communiter fiebat panis vſualis, & tamen talis panis non erat materia; neque ex eo, quod ſæpè ſeminatur triticum, & naſcitur ſiligo; nam ſæpè etiam ex tritico puro naſcitur lolium, vel auena, vel aliud, quæ tamen ſunt ſpecie diuerſa; neque ex ſimilitudine hoc colligitur, nam panis ex ſiligine eſt diuerſi odoris, coloris, & ſaporis; vnde ad ſummum talis panis eſt materia dubia, in qua non eſt licitum conſecrare. Sic Suarez, Vaſquez, & plures alij, quos ſequitur Ioan. à S. Tho. diſp. 27. ar. 2.

Siligo eſt materia dubia.

6 An ſpelta, ſeu panis ex ſpelta confectus ſit materia ſufficiens? Affirmatiuè tenuerunt Albertus diſt. 11. ar. 7. Argentinas ar. 1. Paludanus, Caietanus hic art. 3. & quidam alij. Sed re vera dubium eſt, quid intelligatur nomine ſpeltæ; ſi nomine ſpeltæ intelligatur Tiſa, ſeu Biada, certum eſt non eſſe materiam ſufficientem, quia hæc eſt potius pabulum iumentorum, quam triticum, neq; de hac loquuntur auctores. Speltæ igitur nomine, de qua auctores citati loquuntur, puto eſſe ſpeciem quandam tritici, & habet grana ferè ſimilia tritico noſtro, ſed coloris quodammodo nigrioris, & tantillo minora tritico, & panis, qui ex his granis conficitur eſt ſimillimus in ſapore, & odore illi, qui ex tritico conficitur, ſed leuioris nutrimenti; & ſi ſpeltæ nomine prædictum granum intelligatur, hoc puto verè eſſe triticum, & conſequenter materiam ſufficientem. Sic etiam Arriaga diſp. 30. nu. 5. verùm ſi ſpeltæ nomine quid aliud intelligatur, certum eſt non eſſe triticum, nec ſufficientem materiam. Sic communiter Doctores.

Spelta quid ſit.

7 Concluſio tertia. Materia Euchariſtię debet eſſe panis triticeus confectus ex aqua naturali ſolùm. Eſt contra Caietanum in hoc articulo 3. qui videtur docere, quòd panis confectus ex alia aqua, quam communi, v. g. roſacea ſit ſufficiens; & contra Arriagam diſp. 30. ſect. 2. qui probabile iudicat, quod ſi loco aquæ ponatur lac, & cum lacte fiat panis, talis materia ſit ſufficiens; noſtra tamen concluſio eſt S. Thom. infra ar. 7. ad 3. Ioann. à S. Thom. diſp. 27. ar. 2. Paſſarini hic com. 6. cap. 2. qui quamplures alios citat, Scoti in 4. diſt. 11. q. 6. Laurcę de Euchariſtia diſp. 28. nu. 9. Suarez diſp. 44. ſect. 2. Vaſquez diſp. 70. cap. 2. Probatur ratione, quia illa ſola materia eſt valida, & apta ad conſecrationem, qua vſus eſt Chriſtus: ſed Chriſtus vſus eſt pane communi, & vſuali ex aqua naturali confecto, vt conſtat ex perpetuo vſu, & conſuetudine Eccleſiæ; ergo ſolùm panis communis, & vſualis ex aqua naturali confectus eſt materia apta ad conſecrationem.

8 Dices cum Caietano, & Arriaga: liquor in maſſa farinæ tantùm deſeruit ad vniendas partes farinæ, qui poſtea, dum panis coquitur totus euaneſcit; ergo ſiue ex aqua roſacea, ſiue ex lacte coagmentetur panis, ſemper erit panis vſualis, & aptus conſecrationi, & ſimiles panés ſunt panes vſuales, qui in pluribus locis, vt tales adhibentur in menſa. Sed contra, quia panis non tantùm conſtituitur intrinſecè ex farina, ſed etiam ex aqua; ergo ſi ponatur aqua diuerſæ ſpeciei, vel lac non conſtituetur panis eiuſdem ſpeciei adæquatè cum pane, quo vſus eſt Chriſtus, & vſuali; & falſum eſt totum illum humorem euaneſcere in furno vi caloris, ſed conglutinatur, & augmentatur cum farina; ſi igitur non eſt panis vſualis, & eiuſdem ſpeciei adęquatè cum pane, quo vſus eſt Chriſtus, ſequitur, quod non ſit materia apta, vel ad minimum eſt dubia, vt docet Lugus hic diſp. 4.

9 Limitant tamen Doctores concluſionem poſitam, vt non habeat locum quando aqua roſacea, vel lac, vel huiuſmodi ponitur in tam modica quãtitate, vt nullo modo amittat rationem panis communis, & vſualis: in tali enim caſu eſſet materia ſufficiens, licèt non eſſet licita, quia eſſet contra conſuetudinem Eccleſiæ, quæ ſemper vſa fuit pane azimo, vel fermentato vſuali ſine admixtione cuiuſcumq; alterius. Si verò tantùm lactis, ſacchari, butiri, olei, mellis, vel huiuſmodi ponatur, vt poſt coctionem maneat eius odor, & ſapor non

Si remanet odor olei, vel butiri, &c. non eſt panis, ſed placenta.

Yy erit

Digitized by Google

erit materia apta, quia eſſet potius placenta, quam panis, vt notant Suarez, Vaſquez, Paſſarinus, & alij communiter.

10 Limitant ſecundò concluſionem ſi panis conficiatur ex farina triticea cui ſit admixta alia farina, vel hordei, vel millij, vel huiuſmodi alterius ſpeciei; nam ſi maior pars ſit farina triticea, adhuc panis eſt triticeus, & vſualis; ſi verò tanta ſit farina v.g. hordei, ac ſit farina triticea non erit materia apta, quia talis non eſſet panis vſualis, & triticeus, & quo vſus eſt Chriſtus.

11 Concluſio 4. Paſta, vel laganum non eſt materia apta, ſed debet eſſe panis igne coctus. Eſt communis Doctorum. Probatur, quia paſta, vel laganum non eſt panis communis, & vſualis, quali vſus fuit Chriſtus, ſed materia apta ad conſecrationem debet eſſe eiuſdem rationis cum illa, qua vſus fuit Chriſtus, & debet habere eumdem vſum, ergo ſi paſta, vel laganum nòn eſt huiuſmodi, neque materia apta.

12 Neque officit ſi dicatur, quod paſta non differt ſpecie à pane, & ideo ſit apta materia conſecrationis. Contra enim eſt, nam ſiue ſit diuerſæ ſpeciei, vt multi Thomiſtæ contendunt, ſiue ſit eiùſdem ſpeciei, vt Scotiſtæ volunt; nihilominus fatendum eſt paſtam non habere vſum panis, nec moraliter cēſeri panem; ideoque tam in vna, quam in alia opinione non eſt materia apta, quia apta materia eſt panis vſualis, non aliud.

13 Secunda pars, quod debeat eſſe igne coctus patet, quia ſolus panis igne coctus habet rationem panis, & propter eamdem rationem debet eſſe igne aſſus. non elixus; quia tantùm panis igne aſſus habet rationem panis.

14 Ex his Colligas primò. Quod ſi mica panis cocti digitis comprimatur, & reducatur in maſſam adhuc erit materia ſufficiens, quia verè eſt panis coctus, ſicuti Hoſtia etiamſi madefiat adhuc eſt panis, & retinet conſecrationem. Sic Lugus loco cit. num. 5.

15 Colligas 2. panem confectum ex amydo non eſſe materiam aptam eſt contra Maiorem, & Paludanum in 4. diſt. 11. eſt tamen D. Thom. Scoti, Lauræ, Lugi locis citatis, & communis Theologorum. Ratio eſt, quia triticum antequam fiat amydum corrumpitur, neque talis panis retinet vſum, & communem ſaporem panis. Ideo &c.

16 Concluſio 5. valida eſt conſecratio ſiue fiat in azimo, ſiue fermentato, eſt de fide contra Græcos contendentes ſolùm in fermentato validè conſecrari & eſt definita in Florentino in decreto vnionis vbi habetur. *Definimus in azimo ſiue fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici.* Probatur ratione, quia vterque panis eſt eſſentialiter, & ſimpliciter panis, & habet eumdem vſum, & nomen, ſicuti vinum album, & nigrum eſſentialiter vinum ſunt, & idem vſui deſeruiūt; ergo erunt ſufficiens materia Euchariſtiæ. Confirmatur de azimo in particulari, nam de fermentato omnes concedunt; etenim Chriſtus celebrauit Paſcha prima die azimorum, quo tempore non licebat Iudeis vti pane fermentato, vt conſtat Exodi 12. tum quia etiamſi Chriſtus anticipaſſet celebrationem Paſchæ, vt contendunt Græci; nihilominus Chriſtus ſeruauit omnes cæremonias, & leges illius Paſchæ, inter quas vna erat, vt azimo pane tantùm vterentur; ergo ſi Chriſtus tales leges, & cæremonias in celebratione Paſchæ ſeruauit, ſolùm pane azimo vſus eſt, & in azimo conſecrauit, ſequitur, quod conſecratio in azimo non ſolùm ſit ſufficiens, ſed & conuenientior, cùm ſic Chriſtus conſecrauerit.

17 Concluſio 6. Græci tenentur conſecrare in pane fermentato, & Latini in azimo. Hoc ſtatutum fuit à Leone IX. in Epiſtola ad Michaelem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum; & in motu proprio Beati Pij V. qui incipit, *Prouidentia Romani Pontificis* anno 1566. vbi habetur. *Quibuſuis preſbyteris tam Græcis, quam Latinis præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac perpetuæ ſuſpenſionis à diuinis, pœnis, diſtrictius inhibemus, vt deinceps preſbyteri Græci, præſertim vxorati, Latino more, & Latini græco ritu, huiuſmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quouis prætextu, miſſas, & alia diuina officia celebrare, vel celebrari facere non præſumant.*

18 Quæres primò. An inſtante neceſſitate audiendi miſſam in die feſto, vel communicādi infirmum poſſit Græcus deficiente fermentato conſecrare in azimo, vel Latinus deficiente azimo conſecrare in fermentato.

Reſpondeo non licere ita communiter Doctores contra Lauræam diſp. 18. n. 44. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, ſed per pœnitentiam poteſt quis iuſtificari, & ſaluari; ergo non poteſt quis, vt communizet moribundum, ſi Græcus eſt, conſecrare in azimo, & ſi Latinus in fermentato, cum præceptum ſit in contrarium, nec communio in articulo mortis ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. Neque poteſt quis Latinus conſecrare in fermentato, aut Græcus in azimo, vt populus audiat

audiat miſſam in die feſto; nam hoc præceptum audiendi miſſam non obligat, niſi cum debitis circumſtantijs; ergo cũ non liceat in prædictis caſibus ſacrũ facere ſine veſtibus ſacris, ſine lumine, aut altari ſacro, aut ſine ieiunio, neque etiam licebit, ſi non adſit materia determinata ab Eccleſia.

19 Dices ex Lauræa. Præceptum communicandi moribundum, & audiendi miſſam in die feſto ſunt præcepta charitatis, & religionis; ergo debent præualere præcepto de obſeruatione ritus, & debet præſumi, quod in tali caſu Pontifex diſpenſet. Sed contra: nego conſequentiam, nam ex hoc ſequeretur, quod etiam non ieiunus, aut carens veſtibus ſacris poſſet celebrare, quia hoc tantùm eſt præceptum de obſeruatione ritus: ſunt igitur præcepta charitatis, & religionis, ſed quæ non obligant, niſi in debitis circumſtantijs; nam communio in articulo mortis non eſt medium neceſſarium ad ſalutem, nec obligat, niſi cum commodè haberi poteſt; nec præceptum audiendi miſſam obligat, niſi adſit, qui poſſit licitè, & cum debito ritu, & cultu celebrare.

20 Quæres 2. An Sacerdos Latinus in Eccleſia Græca, & Græcus in Latina poſſint, ille in fermentato, hic in azimo conſecrare.

Ledeſma relatus à Suarez diſp. 44. ſec. 4. vult Græcum tranſeuntem per Eccleſias Latinas, ſi vult conſecrare, debere conficere in azimo. Lauræa verò loco citato vult poſſe Græcum conſecrare in azimo, vt ſe conformet Eccleſię Latinæ; non verò viceuerſa Latinum poſſe conficere in fermentato, vt ſe conformet Græcæ.

21 Reſpondeo primò. Quod in templis Græcorum, quæ ſunt inter Latinos, & in templis Latinorum, quæ ſunt inter Græcos, numquam licèt, aut Gręcis conſecrare in azimo, aut Latinis in fermentato. Ita Suarez loco cit. Gonet diſp. 3. de Euch. ar. 1. & communiter Doctores; hocque deducitur clarè ex locis adductis in concluſione 5. & habetur clarè ex Eugenio IV. in literis vnionis, vbi habetur. *Vnum quemque ſacerdotem debere conficere Euchariſtiam in azimo vel fermentato iuxta ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem.*

22 Dices ex Lauræa: præciſo ſcandalo, ſi Gręcus vellet conficere in azimo, vt ſe conformet Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt omnium caput, & quæ pręcipit, vt conſecratio fiat in azimo, licitè id faceret; nam ſolùm permittit Græcis vt conſecrent in fermentato propter eorum renitentiam; ergo ſicuti meliùs facerent Græci, ſi omnes ſe conformarent Romanæ Eccleſiæ, & conſecrarent in azimo; ita bene faceret, ſi aliquis vellet ſe conformare Eccleſiæ Romanę, & conſecraret in azimo. Sed contra: quia Eccleſia Romana non ſolùm permittit Græcis conſecrare in fermentato, ſed etiam hoc præcipit, vt patet ex locis adductis Florentin, & B. Pij V. ergo non erit licitum Græco conſecrare in azimo, ſicuti nec Latino conſecrare in fermentato; fateor quidem, quod ſi tota Eccleſia Græca peteret à Pontifice poteſtatem conſecrandi in azimo, & Papa hoc illi concederet, licitè hoc faceret, at ſtantibus prohibitionibus adductis, quælibet Eccleſia tenetur ſeruare ſuum ritum, cum hoc præceptum ſit.

23 Reſpondeo 2. Probabilius eſt peregrinanti Græco inter Latinos, vel Latino inter Græcos non licere, neque Græco conficere in azimo, neque Latino in fermentato. Sic Gonet loco cit. Suarez & alij. Ratio eſt, quia in motu proprio B. Pij V. præcipitur, tam Græcis, quam Latinis vt ſeruent proprium, ritum & talè præceptum afficit perſonas, quæ ſemper, in quocumque loco ſint, ad tale præceptum obligantur. Dixi probabilius eſſe, nam iuxta caput *Illa autem* diſt. 12. ex Auguſtino ſumptum, poſſet quis, ſi vellet conformari ritui, & conſuetudini eorum, inter quos peregrinatur, (dummodo in ijs locis non adſint templa Græcorum pro Græcis, vel Latina pro Latinis, vt ſupra dictum fuit) conſecrare, vel Græcus in azimo, vel Latinus in fermentato.

24 Quæres 3. An in aliquo caſu teneatur ſacerdos Latinus conſecrare in fermentato, & Græcus in azimo.

Reſpondeo teneri in caſu; quo quis poſt conſecrationem, tum hoſtiæ, tum calicis aduerteret panem á ſe conſecratum eſſe corruptum; nam in tali caſu teneretur alium panem conſecrare; quare ſi daretur caſus, quod Latinus non poſſet habere alium panem, quam fermẽtatum: nec Græcus niſi azimum, teneretur ille in fermẽtato, hic in azimo perficere ſacrificium. Ratio eſt, quia datur præceptum diuinum de perficiendo ſacrificio, quod ſemper præualet Eccleſiaſtico, & ideo illud obſeruandum. Sic Gonet loco cituto, & puto communem, licèt in terminis apud alios non inuenerim.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Qualis debet eſse materia conſecrationis calicis,

1 VInum eſt altera pars materiæ, ex qua hoc Sacramentum confici debet, quare hic videndum eſt, quale debeat eſse hoc vinum, & an debeat eſse purum, vel mixtum.

2 Concluſio 1. Vinum de vite ſolùm eſt materia conſecrationis calicis. Eſt de fide definita in Cõcilio Carthag. 3. cap. 24. in Lateranenſi in cap. *Firmiter*, in Florentino in litteris vnionis, & in Trident. Et probatur, quia illa eſt materia conſecrationis calicis, qua Chriſtus vſus eſt, & quam diſtribuit Apoſtolis: ſed ex perpetua traditione Eccleſiæ Chriſtus vinum de vite conſecrauit, & diſtribuit Apoſtolis; ergo vinum de vite eſt materia conſecrationis calicis; & fuiſse vinum de vite illud, quod Chriſtus conſecrauit, colligitur etiam ex illis verbis Chriſti. Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.*

3 Ex his ſequitur primò, vinum ex granatis, vel ex alijs fructibus non eſſe materiam huius Sacramenti. Secundò agreſtum expreſſum ex vuis immaturis, & acetum non eſſe materiam huius Sacramenti; illud quidem, quia nondum eſt vinum; hoc autem, quia eſt corruptum. Vinum verò aceſcens, quamuis poſſit eſſe materia, eſt tamen peccatum grauiſſimum in illo conſecrare, ex D. Tho. hic ad 2. Tertiò vinum in ipſis vuis exiſtens non eſſe materiam conſecrationis; ità communitèr Doctores, licèt varient in aſſignanda ratione, miſſis tamen varijs rationibus, quæ plures patiuntur difficultates. Dico ideò non poſſe conſecrari, quia in vuis non habet rationem vini, ſed cibi, & fructus, cuius ratio eſt, quia ſic communiter omnes iudicant; vnde qui comedit vuam frangit ieiunium, non verò, qui bibit vinum; neque in hac re morali debemus attendere ad rem phyſicam, ſed ad illud, quod moralitèr exiſtimatur; moralitèr autem vinum in vuis cenſetur cibus, non potus, ſeu vinum. Quartò Loram Italicè, *Aquaticcio*, quæ fit ex aqua poſtquam iam vuæ ſunt expreſsæ non eſse materiam, quia hæc non exprimitur ex vuis, ſed eſt mera aqua corticibus vuarum infuſa. Sic communitèr Doctores. Notat tamen Suarez diſp. 45. hoc non poſſe vniuerſaliter definiri; nam diuerſis modis fit, aliquando enim parum muſti extrahitur, & deinde aqua ſuperimponitur, vnde retinet etiam colorem, & ſaporem vini, quare, an ſit materia apta, iudicandum erit in praxi, an communitèr iudicetur vinum nec ne, & ſi iudicatur, erit materia, ſecus ſi è contra: ſemper tamen illicitum erit, vti tali materia, eo quod ſit dubia. Sic Suarez loco citato, & communitèr Doctores. Quintò liquor, qui communitèr dicitur *Aqua vita*, licèt factus ſit ex vino non eſt materia apta; quia moralitèr non eſt vinum, ſed quid moralitèr diuerſum.

Cur vinum in vuis nõ poſſit conſecrari.

4 Quæres 1. An vinum congelatum ſit materia apta pro conſecratione.

Duæ in hoc ſunt ſententiæ; prima negat eſſe materiam aptam. Sic Armilla v. Euch. num. 9. Angles qu. 1. de Euch. ar. 5. diff. 3. Nugnus hic dub. 2. Ledeſma 1. p. quæſt. 15. artic. 5. dub. 2. Valentia diſp. 6. qu. 2. punct. 1. Secunda ſententia affirmat eſſe materiam aptam. Sic Syluester v. Euchariſtia, Angelus v. Miſſa num. 23. Suarez diſp. 45. ſect. 1. Vaſquez diſput. 175. cap. 2. Lugo diſput. 4. ſect. 1. Laurea tom. 1. in 4. diſp. 18. art. 3. Paſſarinus quæſt. 74. art. 4. com. 7. n. 12. & alij.

5 Reſpondeo, quod vel vinum eſt tantùm congelatum in aliqua ſuperficie & tunc dico eſse materiam aptam; ſi verò eſt totalitèr congelatum, & in glaciem durum verſum, dico eſse materiam dubiam, quam non licet conſecrare; Ratio primæ partis reſponſionis eſt clara, quia adhuc eſt verum vinum, & habet vſum vini. Secunda pars probatur, quia ſæpè, ſi vinum perfectè congeletur, & poſtea liquefiat apparet ipſum nimio frigore fuiſſe corruptum; ergo ſic illud conſecrare numquam eſt licitum, nam eſt ſaltem materia dubia, vt notat Gonet; tum propter rationem allatam; tùm propter opinionum diuerſitatem.

6 Dices ſi vinum poſt conſecrationem congeletur debet liquefieri, & ſumi cum reuerentia tamquam ſanguis Chriſti, vt dicitur in cap. *In Sacramento* de Conſecra. diſt. 2. & in Miſſali Romano de defectibus Miſſæ; ergo poterit etiam conſecrari, Reſpondent Doctores communitèr, negando conſequentiam, eo quod poſſit habere diſpoſitiones ſufficientes ad retinendum ſanguinem; licèt non poſſit habere ad conſecrationem: Adderem, quod tale vinum deberet priùs liquefieri, & ſumi, & ſi dum ſumitur, cognoſcatur adhuc eſſe verum vinum, & non corruptum, ſacrificium eſse perfectum, neque aliud requiri; ſi autem quis experiretur per congelationem vinum fuiſſe corruptum, deberet apponere aliud vinum, & conſecrare, vt ſacrificium perficeretur. Ex quo apparet numquam licitum eſse conſecrare

vinum

Digitized by Google

vinum vndequaque congelatum, cum ſit materia dubia.

7 Quæres 2. An muſtum poſſit validè conſecrari. Reſpondeo affirmatiuè ità D. Tho. hic ad 3. & communitèr Doctores; ratio eſt, quia eſt ſimplicitèr vinum, licèt non perfectè purgatum. Vnde in cap. *Cum omne crimen.* de Conſecr. diſt. 2. dicitur ſi neceſsè fuerit poſse botrum in calice exprimi, & aqua miſceri, & ita confici; & muſtum in ſcriptura dicitur vinum, Iſa 49. *Quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur*; & Act. 2. *Muſto pleni ſunt iſti.*

8 Quæres 3. An poſſit conſecrari in ſucco expreſso ex vuis paſſis, in quo cenſent aliqui conſecrare Abiſſinos in Aetiopia degentes?

Reſpondeo probabiliùs eſse non eſse materiam aptam. Ita Lauræa loco cit. Ratio eſt: quia talis liquor non habet nec vſum, nec ſaporem vini, ſed eſt veluti humor viſcoſus, & tenax. Si tamen vuæ non eſsent nimis paſsæ, ſed liquor, qui exprimeretur haberet ſaporem, & vſum vini, & iudicaretur vinum, vtiq; eſset materia ſufficiens. Sic Gonet, & alij.

9 Concluſio 2. Vino conſecrando admiſcenda eſt ex præcepto Eccleſiæ aqua naturalis, & in modica quantitate. Eſt contra errorem Armenorum, qui exiſtimabant aquam non eſse vino conſecrando admiſcendam, vt conſtat ex decreto fidei in Conc. Florent. Probatur ex Trid. ſeſs. 22. cap. 7. vbi dicitur. *Monet S. Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent*; & in margine Concilij citantur Synodus 6. cap. 32. Concilium Carthag. 3. cap. 14. Brachar. 3. c. 1. cap. *cum Martha* §. *quæſiuiſti*, & alia loca, in quibus hæc veritas docetur.

10 Rationes, cur aqua vino admiſceatur, adducit Trid. eodem loco dicens. *Tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur; tùm etiam quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit, & cum aqua in Apocalypſi B. Ioannis populi dicantur; ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur.* Poteſt addi, apponi in vino aquam ad ſignificandam gratiam, quæ eſt aqua ſaliens in vitam æternam, & ad exprimendam duplicem Chriſti naturam diuinam ſcilicèt, & humanam. Quod verò aqua debeat eſse in modica quantitate, habetur ex conſuetudine Eccleſiæ, & ex Florentino vbi dicitur, *eſſe miſcendum paululum aquæ, & aquam modiciſſimam.* Ratio verò, cur aqua debeat eſse modiciſſima eſt, quia materia ſimplicitèr neceſsaria conſecrationis eſt vinum, ſed ſi multum aquę quis miſceret non remaneret vinum, ſed fieret quid tertium, ergo modica aqua eſse debet, vt poſt infuſionem aquæ totum illud cenſeatur eſse moralitèr vinum, & habere vſum vini.

11 Quæres 1. A quo tempore inceperit hoc præceptum in Eccleſia apponendi aquam in vino in conſecratione calicis?

Reſpondeo ſemper in Eccleſia Dei ſolitum fuiſse miſcere aquam vino in cōſecratione calicis, & hoc habitum fuiſse ex traditione Apoſtolica, primùm verò, qui præcepit aquam eſse vino miſcendam fuiſse Alexandrum Papam I. Eſt hæc reſponſio contra Valentiam in præſenti diſp. 6. qu. 2. p. 1. & aliquos alios; eſt tamen communis Thomiſtarum, & in particulari Ioan. à S Tho. hic diſp. 27. art. 3. Suarez diſp. 45. ſect. 2. Vaſquez diſp. 177. cap. 1. Lugi diſp. 4. de Euch. ſect. 2. & certa; & quidem eſse præceptum Eccleſiæ non diuinum clarè probatur ex Trid loco cit. ſeſs. 22. cap. 7. vbi dicit. *Monet S. Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent*; vnde de hoc poſt talem definitionem non videtur eſse dubitandum. Quod verò hoc habitum ſit ex traditione Eccleſiæ ex Patribus, & ex Apoſtolis. Probatur ex Alexandro Papa 1. Epiſt. 1. cap. 4. vbi habet. *Non enim debet vt à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in calice Domini, aut vinum ſolùm, aut aquam ſolùm, offerri.* Et in lectione officij eiuſdem Pontificis habetur. *Vinum autem aqua miſceri iuſſit.*

12 Dices Cyprianus lib. 2. Epiſt. 2. & refertur de Conſecrat. diſt. 2. cap. *ſic in ſacrificando.* Vult contra diuinum mandatum fieri, ſi aqua vino non miſceatur. Sed contra, quia infra habet. *Si quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc ſeruauit, & tenuit, quod nos Dominus facere, & exemplo, & magiſterio ſuo docuit: poteſt ſimplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi*; vnde Cyprianus non intelligitur de mandato Chriſti ſtrictè ſumpto, ſed latè, prout omne factum Chriſti, mandatum dici poteſt, quia ab ipſo vt ab exemplari dimanat in nos; & Eccleſia poſtea ſtrictè præcipit. Vaſquez fatetur Cyprianum in contraria fuiſse ſententia; verùm ſatius eſt ipſum explicare de mandato latè ſumpto, vt dictum fuit.

13 Quæres 2. Quanta debeat eſse aqua vino miſcenda?

Reſpondeo in Concilio Triburienſi cap. 19 dici. *Quod duæ partes ſint vini, tertia aquæ.* Sed Florentinum in decreto docet *modiciſſimam aquam eſſe miſcendam*; certè quęlibet paruitas aquæ etiam gutta eſt

ta eſt

Digitized by Google

tæ eſt ſufficientis, & ſolùm in hoc debet attendi ne tanta aqua infundatur, quod deſinat eſse vinum vſuale; vt Io: à S. Tho. Suarez, Lugus, & communitèr Doctores docent; etenim, ſi tanta aqua infunderetur, quod communitèr, & moralitèr non exiſtimaretur vinum, talis materia non eſset ſufficiens; vnde ſatiùs eſt modicam aquam infundere, præſertim, ſi vinum ſit debile.

14 Aqua verò, quæ infunditur debet eſse naturalis, vt habetur in cap. *In quadam noſtra*. de celebratione Miſsarum; & poteſt infundi à Subdiacono in Miſſis ſolemnibus, vt habetur in rubricis Miſſalis Romani, vel ab ipſis Sacerdotibus in Miſſis priuatis, & tutiſſimum eſt infundere aquam poſt Euangelium, licèt alij contendant eſse miſcendam ante Miſsam; ſed praxis Eccleſiæ Romanæ tutiſſima eſt.

ARTICVLVS III.

An aqua mixta vino immediatè conuertatur in ſanguinem.

1 Celebris eſt hiſce temporibus hæc quæſtio, nempe, an aqua poſſit conuerti immediatè in ſanguinem Chriſti, an verò requiratur, vt priùs vertatur in vinum, & poſtea conuertatur in ſanguinem. Innocentius III. cap. *cum Marthæ de celebratione Miſſarum* §. *Quæſiuiſti etiam*; tres refert ſententias, quæ tunc temporis inter Theologos circumferebantur. Prima eſt, quod vinum vertatur in ſanguinem, & aqua vertatur in illam aquam, quæ exiuit de latere Chriſti. Secunda, quod aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinē, cum in vinùm tranſeat mixta vino, licèt phyſici contrarium aſſeuerent, qui aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari. Tertia, quod aqua neque conuertatur in vinum, neque in ſanguinem ſed maneat circumfuſa cum vino, & maneat in propria ſubſtantia, & ſolùm vinum conuertatur in ſanguinem; ex his autem opinionibus Papa probabiliorem approbat ſecundam; & circa hanc ſecundam ſententiam duæ ſunt celebres opiniones.

2 Prima eſt communis Thomiſtarum Nugni, Porrectæ, Syluij, & aliorum hic quæſt.74. art.8. Ioan. à S. Tho. diſp.27. art.3. Gonet diſput.3. de Euch. art.4. Paſſarini quæſt.74. art.8. com.11. à cap.1. vbi quamplurimos citat. eſt Scoti in 4. diſt.11. quæſt. vlt. Laurææ diſp.18. de Euch. art.5. Suarez diſp.45. ſect.4. Vaſquez diſp.178. Arriagæ diſp.31 de Euch. Amici diſp.16. ſect.2. & plurium aliorum. Hæc docet aquam prius conuerti in vinum antequam conuertatur in ſanguinem.

Secunda ſententia eſt Cardin. Alani lib.1. de Euch. cap.13. Ianſenij in concordia c.181. Salmeronis tom.9. tract.14. in Euang. Peſantij hic quæſt.74. art.9. diſp.2. Toleti lib.2. Sum. c.25. Coninch. tom.1. de Sacra. quæſt.74. art.8. Ioan. Baptiſtę Scortię lib.4. de ſacrificio cap.1 num.14. Pauli Areſij Epiſcop. Derthonen. peculiari de hoc opuſculo edito, vbi quamplurimas experiētias adducit probantes aquam non conuerti in vinum, Cardinalis de Lugo diſput.4. de Euch. ſect.3. & 4. Eſparzæ lib.10. quæſt.62. & plurium aliorum, hæc docet aquam mixtam vino, etiamſi non conuertatur priùs ſubſtantialitèr in vinum, immediatè conuerti in ſanguinem.

3 Vinum, & non aquam eſſe materiam conſecrationis calicis conſtat ex dictis ſupra art. præcedenti concluſione prima, huic autem vino ex Eccleſiæ præcepto modica aqua miſcenda eſt; duplicitèr autem aqua poteſt fieri vinū, vel quia phyſicè conuertatur in vinum, eo modo, quo lignum conuertitur in ignem, vel tantùm moralitèr conuertatur in vinum, eo quod poſt mixtionem, cum parua ſit, & modiciſſima aqua, & vinū ſit in multò maiori quantitate, totum illud moralitèr cenſeatur vinum, & habere nomen, & vſum vini: prima ergo ſententia exigit, quod aqua phyſicè cōuertatur priùs in vinum ad hoc vt poſſit conuerti in ſanguinem Chriſti; ſecunda verò negat hoc eſſe neceſſarium, ſed docet ſufficere conuerſionem moralē aquæ in vinum, ad hoc vt poſſit fieri ſanguis Chriſti.

Duplicitèr poteſt dici quod aqua conuertatur in vinū

4 Concluſio. Non eſt neceſse, vt aqua phyſicè vertatur in vinum, vt conuertatur in ſanguinem, ſed ſufficit, quod moraliter, id, quod eſt in calice, reputetur vinum, & habeat nomen, & vſum vini. Hæc concluſio poteſt probari tum rationibus phyloſophicis, tum theologicis, tum auctoritate.

5 Prima ratio phyloſophica ſit huiuſmodi. Si aqua poſset conuerti in vinum, ſequeretur, quod per infuſionem aquæ in vinum hoc poſset facilè augeri cum ijſdem viribus, & ſpiritibus, quos habebat antequā ei infunderetur aqua: ſed experientia ipſa conſtat, quod per quamlibet aquæ infuſionem debilitatur vinum; ergo ſignum eſt aquam numquam conuerti in vinum: minor, & conſequentia conſtant: probatur igitur ſequela maioris: in omnibus alijs conuerſionibus, quando aliquid verè, & phyſicè in aliud conuertitur etiam recipit in

ſe ſimul

Digitized by Google

ſe ſimul ſeum forma omnia alia accidentia, quæ ſunt propria illius, in quod conuerſum eſt, vt patet de ligno, dum fit ignis, de nutrimento, dum fit caro, de ſucco attracto è terra, dum fit arbor, & ſic de reliquis; ergo etiam, ſi aqua verè, & phyſicè conuertitur in vinum, deberet hoc retinere omnes vires, & ſpiritus vini, quos priùs habebat; ergo cum experientia conſtet contrarium, fatendum eſt numquam aquam poſſe naturalitèr in vinum phyſicè conuerti.

6 Dices cum Paſſarino, Coqueto, & alijs, quod mixta quando agunt in aliud etiam repatiuntur ſecundùm qualitates, quas habent, & ſic ſemper qualitates eius diminuuntur; quod non euenit de elemento, quia quando elementum agit in aliud, non repatitur, niſi ſecundùm eam qualitatem, ſecundùm quam agit, & ideò, ſi vincit, aliud in ſe conuertit, & perfectè ſuperat, & ſecundùm qualitatem ſuam facilè ad ſuum ſtatum ſe reducit. Sed contra quia ideò elementum facilè ſe reducit ſecundùm qualitates ad ſuum ſtatum; quia alio conuerſo forma ipſius exigit proprias qualitates in tali, & tanto gradu: ſed etiam in mixtis forma exigit proprias qualitates in tali, & tanto gradu; ergo eadem paritas: Contra ſecundò: quando nutrimentum conuertitur in ſubſtantiam carnis, in tali carne conuerſa ſunt omnia accidentia, & omnes qualitates carnis, quæ ſunt in viuente conuertente, & idem apparet in omnibus veris conuerſionibus phyſicis; ergo etiam, ſi aqua conuerteretur in vinum, vinum illud deberet retinere omnes qualitates ſpiritoſas, quas prius habebat, vel ſaltèm de facilè deberet poſſe eas recuperare; & tamen experientia conſtat, deperdi, debilitari, & numquam recuperari; ergo fatendum eſt, aquam numquam phyſicè verti in vinum.

7 Secunda ratio eſt Lugi, & ſic poteſt proponi. Quod exigit ex natura ſua produci per virtutem nutritiuam, non poteſt naturalitèr alio modo produci; ſicuti ſanguis, quia elaboratur in iecore animalis, & ibi virtute nutritiua producitur, non poteſt ſeparatus ab animali guttam aquæ in ſanguinem tranſmutare: Sed vinum eſt ſuccus ſubſtantiæ viuentis elaboratus intra vuam per vitutē nutritiuam; ergo ſi ponatur extra vuam non poterit neque guttam vnam aquæ in eius ſubſtantiam phyſicè conuertere. Accedunt plures, & variæ experientiæ, quas doctè, & eruditè adducit, Areſius, ex quibus probatur, aquam in vino poſitam numquam phyſicè in vinum conuerti, ſed varijs experiētijs poſse extrahi. Et certè ſi ſit vas ex Edera confectum, & in eo ponatur vinum purum, totum remanet intra vas, ſi verò huic vino miſceatur parum aquæ, hæc per porros ipſius vaſis paulatim exit.

8 Dices cum Goneto, & alijs id, quod exit, vel per artem chymicam ſeparatur à vino, non eſse aquam, ſed aqueum humorem, qui eſt quodamodo ſimilis aquæ, & realiter eſse ſubſtantialitèr vinum, non ſatis excoctum; vel ſecundò eſse quidem aquam, quæ de nouo generatur, & à vino extrahitur. Sed contra, quia, ſi in vaſe ex Edera elaborato ponatur vinum purum, nullo modo exit; ſi verò ponatur in eodem vino parum aquæ, hæc ſtatim exit; ergo non eſt humor, qui ſit ſubſtantialitèr vinum, ſed aqua, quæ exit; de nouo verò generari aquam gratis dicitur, vt vis argumenti effugiatur; cum tamen eadem experientia conuincatur.

9 His tamen non obſtantibus, ſentio huiuſmodi rationibus, & experientijs ſolidè non probari concluſionem noſtram theologicam; nam certum eſt vinum ſolùm eſſe materiam conſecrationis calicis, & aquam ſolùm ex præcepto Eccleſiaſtico debere infundi, & totum, quod eſt in calice conuerti in ſanguinem Chriſti; igitur ſi theologicè non poſsemus probare concluſionem deberemus corrigere rationem naturalem, & dicere cum auctoritatibus primæ ſententiæ, aquam prius conuerti phyſicè in vinum, vt poſſit conuerti in ſanguinem; ſicuti enim, ſi lumine naturali tantùm diſcurramus, fatemur accidentia non poſse ſtare ſine ſubiecto; verum lumine fidei illuſtrati cognoſcimus in hoc Sacramento accidentia eſse ſine ſubiecto; ita licèt, ſi ſiſtamus in pura ratione naturali, aqua non poſſit conuerti in vinum, nihilominus ex hoc myſterio; cum habeamus tantùm vinum de vite eſse materiam calicis, & ex alia parte adſit præceptum Eccleſiæ, quod vinum modiciſſima aqua miſceatur, vt totum, quod eſt in calice ſit materia, deberemus dicere hoc eſse, quia aqua mixta vino tranſit in vinum; nec enim concluſiones theologicæ ſolùm rationibus naturalibus debent probari, aut eorum veritas à rationibus naturalibus pēdet, ſed ad ſummum rationibus naturalibus confirmantur, quando iſtæ non pugnant cum reuelatione, ſecus ſi pugnant, rationes debent corrigi; & multò faciliùs hoc deberemus dicere in præſenti materia, vbi tot ſapientiſſimi Doctores aſserunt, aquam poſse in vinum conuerti, etiam in ratione naturali ſiſtendo, Probanda igitur eſt concluſio, &

ſio, & auctoritate, & rationibus theologicis, quibus poſitis rationes naturales adductæ, & plures aliæ, quæ adduci poſſent, pro confirmanda noſtra concluſione inſeruient.

10 Probatur igitur concluſio, primò ex cap. *Cum Marthæ, de celebratione miſſarum.* Vbi Innocentius III. relatis tribus ſententijs concludit, dicens: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquã cum vino in ſanguinem tranſmutari, vt expreſſiùs eluceat proprietas Sacramenti; nam cum aquæ multæ ſint populi multi; ideò vino aqua vnitur, vt Chriſto populus adunetur.* Ecce, quod Innocentius dum ex mente propria loquitur, non dicit eam eſſe probabiliorem, quæ aſſerit aquam in vinum conuerſam tranſire in ſanguinem, ſed dicit eam eſſe probabiliorem, *Quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*, nec requirit conuerſionem, ſed ſolùm, quod vino aqua vniatur, vt expreſſiùs eluceat proprietas Sacramenti.

11 Dices: Innocentius dixit: *Inter prædictas opiniones &c.* ſed opinio, quam ipſe approbat eſt ſecunda ab ipſo relata; hæc autẽ dicebat, aquam in vinum conuerti; ergo ex mente Pontificis approbatur opinio, quæ aſſerit aquam in vinum conuerti. Sed contra, quia quando Pontifex illam opinionem retulit, non tãtùm dixit, aliquos ſentire aquam in vinum conuerti, ſed etiam dixit phyſicos contrarium aſſerere; quare dum ſuam poſtea poſuit, nec phyſicos, neque alios contrarium dicentes nominauit, ſed tãtùm dicit eam eſſe probabiliorem, *Quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*; & vt fiat hæc tranſubſtantiatio, nihil aliud requirit, niſi vnionem aquę cum vino: ſed poteſt eſſe vnio aquę cum vino, abſque eo, quod aqua vertatur in vinum; ergo poſita vnione poteſt fieri tranſubſtantiatio abſque eo, quod prius aqua in vinum conuertatur.

12 Probatur ſecundò ex Patribus. Damaſcenus lib. 4. fidei, cap. 14. habet: *Non poteſt panem ſuum ipſius corpus facere, & vinum, & aquam ſanguinem?* Et idem habet infra: *Propoſitionis panis, vinumq; & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus Sancti ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus, & ſanguinem Chriſti.* Ambroſ lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Vinum, & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione.* Et cap. 5. *Ante verba Chriſti calix eſt vini, & aquæ plenus; vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* Alia teſtimonia refert Lugus loco citato; & plura alia Baronius ad annum 1188. inter quæ ſunt verba Paſchalis lib. de corpore, & ſanguine Chriſti, cap. 11. dicentis: *Aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertatur in ſanguinem.* Et Petri Bleſenſis tract. de Euchariſtia cap. 14. *Poſt conſecrationem ſanguis bibitur, quia in ſanguinem mutatur aqua.* Et Hidelberti apud eumdem: *Aqua in ſanguinem vertitur.* Et plures aiij idem docent, ergo ex Patribus clarè probatur non eſſe neceſſe aquam phyſicè verti in vinum ad hoc, vt vertatur in ſanguinem.

13 Verùm hæc ratio ex auctoritate Patrum deducta, facit quidem probabilem noſtram concluſionem, quod non ſit neceſſe aquam verti phyſicè in vinum ad hoc, vt vertatur in ſanguinem; ſed efficaciter non probat intentum; nam reſpondent auctores contrarię ſententię, Patres intelligi per ampliationem, dum dicunt aquam verti in ſanguinem, nempe id, quod prius fuerat aqua, & quæ verſa fuit prius in vinum, eſſe conuerſam in ſanguinem; ſicuti Ioann. 2. dicitur; *Vt guſtauit Architriclinus aquam vinum factam.* Vbi vinum iam factum vocat aquam; ita in propoſito dicendum eſt. Accedit, quod materia huius Sacramenti eſt vinum, & aqua tantùm eſt ex præcepto Eccleſiæ apponenda: Eccleſia autem non poteſt decernere pro materia huius Sacramenti, niſi id, quod ſtatutum fuit à Chriſto, cum ſupra ſubſtantiam Sacramentorum non habeat poteſtatem, vt definit Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. ſicuti ergo, & nos tenemur reſpondere talibus auctoritatibus dicendo, Patres intelligi, quod id, quod phyſicè eſt aqua, ſed per mixtionem cum vino facta eſt moraliter vinum, & habet nomen, & vſum vini, conuertitur in ſanguinem; ita ipſi dicunt de conuerſione phyſica aquæ, quæ prius in vinum vertitur antequam conuertatur in ſanguinem.

14 Probatur igitur tertiò ratione fundamentali. Materia conſecrationis calicis, vt definiunt Concilia, et docent communiter Doctores eſt vinum eiuſdem rationis cum illo, quo vſus eſt Chriſtus in conſecratione calicis in ſuprema illa Cœna, ſed vinum, quo vſus fuit Chriſtus, fuit vinum de vite, cui aqua mixta fuit, vt colligitur ex Trid. ſeſſ. 2. 2. cap. 7. vbi docet aquam eſſe vino miſcendam, eo quod *Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur.* Et ex liturgia S. Baſilij, vbi habetur: *Similiter calicem vini nati è vite poſtquam cœnauerunt accepit, miſcuitq; aquis, gratias egit, dicens &c.* Et in liturgia B. Iacobi Apoſtoli: *Similiter poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino, & aqua, ac adſpiciens in Cœlum, ac oſtendens tibi Deo Patri, gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis, dicens &c.* Ergo vinum aqua

mixtum

Digitized by Google

mixtum eſt materia conſecrationis calicis: hoc certum eſt, neque negatur ab auctoribus contrariæ ſententiæ, & ſolum in hoc diſcrepant, quod dicunt aquam prius fuiſſe phyſicè in vinum conuerſam antequam à Chriſto conſecraretur, vnde probandum eſt, non eſſe neceſſe, quod aqua phyſicè conuertatur in vinum, vt vertatur in ſanguinem; probatur autem ſic.

15 Certum eſt ſecundum omnes Theologos, & praxim Eccleſiæ, quod totum illud, quod continetur in calice ante conſecrationem vertatur in ſanguinem: tum quia totum, quod eſt in calice adoratur vt ſanguis Chriſti, tum quia, ſi totum, quod eſt in calice ſumatur à Sacerdote adhuc remanet ieiunus; ſed non eſt certum, aquam in vinum fuiſſe phyſicè conuerſam; nam multi hoc negant eſſe poſſibile, & ab illis, qui hoc iudicant poſſibile, nihilominus fatentur requiri tempus, vt poſſit fieri cōuerſio; qui tamen multoties non adeſt, vt in caſu, quo quis conſecrauit acetum, vel aquam loco vini, debet de nouo apponere vinum, & modicam aquam, & deinde ſtatim conſecrare, & ſumere; & ita feciſſe Chriſtum videtur colligi ex liturgiis Iacobi, & Baſilij; ergo quod illud totum, quod eſt in calice, vertatur in ſanguinem non poteſt dependere ab hoc, quod aqua prius vertatur phyſicè in vinum; hæc vltima conſequentia patet; nam quod eſt certum nō poteſt dependere ab illo, quod minus certum eſt, imò incertum, & dubiū: Sed certum eſt totū, quod eſt in calice verti in ſāguinem; incertum, an aqua phyſicè vertatur in vinum; ergo quod vertatur in ſanguinem totum, quod eſt in calice non poteſt dependere ab hoc, quod aqua vertatur phyſicè in vinum.

16 Probatur quartò. Illud eſt materia certa conſecrationis calicis, quod moraliter totū eſt vinum, habetq; vſum, & nomen veri vini; ſed vinum modicè lymphatum eſt verè, & ſimpliciter vinum, habet vſum; & nomen veri vini; ergo vinum modicè lymphatū eſt materia conſecrationis calicis. Sic Sap. 6. vinum mixtum dicitur ſimpliciter vinum; ſic enim habetur: *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Et Matth. 26. de calice mixto aqua dixit Chriſtus: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Ecce quod Chriſtus vocat genimen vitis calicem mixtum ex vino, & aqua; ergo illud vinum, cui modica aqua eſt admixta, eſt ſimpliciter vinum, & genimen vitis.

17 Dices forſan: ſic vocari à Chriſto, quia aqua iam erat conuerſa phyſicè in vinum. Sed contra eſto, quod aqua fuerit iam conuerſa phyſicè in vinum, nihilominus phyſicè totum illud non eſſet de genimine vitis, cum aliquid ſit ex aqua, nec ſit generatum ex vite; & tamen Chriſtus ſimpliciter illud vocat de genimine vitis; ergo etiam licèt non ſit phyſicè conuerſa aqua, ſed tantùm moraliter in vinum; ſeu ſit vinum lymphatum, verè, & popriſſimè illud eſt vinum, habet nomen, & vſum vini, & per conſequens vera materia erit conſecrationis calicis.

18 Obijcies primò. Innocentius III. in cap. *Cum Marthæ, de celebratione miſſarum &c.* dicit illam eſſe probabiliorem opinionem, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari: ſed hæc eſt ſecunda, quam ipſe enumerauit, & hæc docet, aquam in vinum tranſire; ergo ex mente Pontificis aqua primum in vinum tranſit, quam tranſeat in ſanguinem. Confirmatur hanc eſſe mentem Pontificis; ex eo, quod docet de Altaris myſterio cap. 31. vbi habet: *Aqua tranſit in ſanguinem, ea ſcilicet ratione, quod aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem in ſanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum tranſire cum multo vino modicum aquæ infunditur?* ergo ex mente Pontificis aqua debet prius tranſire in vinum, quam in ſanguinem.

Reſpondeo, Pontificem ſtare pro nobis, vt patet ex dictis ſupra in probanda concluſione. Ad confirmationem: dico mentem ipſius eſſe, quod aqua per admixtionem cum vino moraliter fit vinum; & habet nomen, & vſum vini; & hoc indicat Pontifex, dum dicit non abſolutè aquam tranſire in vinum, ſed ea ratione, qua aqua tranſit per admixtionem cum vino: vnde Pontifex potius nobis vbique fauet, quam ſit contrarius.

19 Obijcies ſecundò. Ex Concilio Florentino materia calicis: *Eſt vinum de vite*, cui modiciſſima aqua miſceri debet: ſed non ab aliud potuit Concilium determinare modiciſſimam aquam eſſe debere, niſi quia debet conuerti in vinum; ergo ex mente Concilij aqua prius vertitur in vinum, quam in ſanguinem; & hanc eſſe mentem Concilij Florentini ex eo probatur; quia correxit id, quod Cōcilium Prouinciale Tribirienſe cap. 19. ſtatuerat, nempe tertiā partem aquæ eſſe vino admiſcendam.

Reſpondeo, mentem Concilij eſſe, ideò modiciſſimam aquam eſſe admiſcendam, quia vinum, quod conſecratur debet eſſe moraliter verum vinum, & habere nomen, & vſum veri vini de vite, quod non eueniret, ſi multa aqua

admiſceretur; nam tunc non cenſeretur moraliter vinum, & propter hoc correxit Concilium Triburienſe; nam aliquando vinum eſt debile, & ſi tertia pars eſſet aquæ, multoties non cenſeretur vinum, & ideò, vt verum ſemper remaneat vinum, ſtatuit modiciſſimam debere eſſe aquam; neque de conuerſione phyſica aquæ in vinum Concilium vllo modo curauit.

20 Obijcies tertiò. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. dicit, ſubſtantiam vini conuerti in ſanguinem Chriſti: *Manentibus dumtaxat ſpeciebus vini*; ergo per Concilium aqua ante conſecrationem vertitur in vinum, ſecus remanerent etiam ſpecies aquæ. Confirmatur, quia ſi remaneret aqua, poſſet ſeparari; ergo tunc ſub ſpeciebus aquæ remaneret ſanguis: probatur conſequentia ex Trid. ſeſſ. 13. can. 3. vbi definit: *Si quis negauerit in Euchariſtia Sacramento ſub vtraque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſcumq; ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.*

Reſpondeo 1. Intentum Concilij eſſe definire contra hæreticos contendentes poſt conſecrationem verè corpus, & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia non contineri; nec loquitur de conuerſione aquæ, quia de hoc cum ipſis non erat controuerſia.

Reſpondeo ſecundò, nomine ſubſtantiæ vini, Concilium intelligere vinum verum, & vſuale, & quod re vera moraliter iudicatur vinum, etiam ſi ſit modicè lymphatum; hoc enim totum eſt propriè vinum, & tale nominatur à ſcripturis, vt ſupra dictum eſt; & habemus exemplum in pane; Si fieret ex maiori parte farinæ triticeæ, & ex modica farina millij, vel hordei, adhuc ille eſt verus panis triticeus, & eſt materia conſecrationis corporis, & quamuis panis cōfectus ex ſola farina millij, vel hordei non ſit materia apta, nihilominus totus panis, cui ſit admixtum parum farinæ millij, vel hordei, eſt verè, & propriè triticeus, & eſt materia apta conſecrationis; ita & in propoſito dicendum eſt, & ſic verè Concilium dicit: *Manentibus dumtaxat ſpeciebus vini*, quia ſpecies, tum vini puri, tum vini lymphati, ſunt ſpecies veri vini, & non aquæ. Ad confirmationem dico, dato caſu, quod ſpecies aquæ ſepararentur à ſpeciebus vini, eo ipſo ibi deſinere eſſe ſanguinem, & poni, ſeu reproduci ſubſtantiam aquę, ſicuti etiam ad conficiendum panem requiritur aqua, & ex farina triticea, & aqua fit panis, & tamen ſi aqua à pane ſepararetur, ſub illa non eſſet corpus Chriſti; ita & in propoſito; & ratio eſt, quia Chriſtus manet ſub ſpeciebus tantùm, quantùm manent ſpecies panis, & vini; in tali autem caſu, quo fieret ſeparatio ſpecierum aquæ à ſpeciebus panis, vel vini; tales ſpecies non eſſent ampliùs ſpecies panis, vel vini, ſed tantùm aquæ; ideò ſub illis non contineretur Chriſtus. Neque Concilium eſt contra nos; nam ſolùm intendit, quod per meram ſeparationem partium non deperditur Chriſti præſentia ſub ſingulis: at quando per ſeparationem deperdunt, quod ſint ſpecies panis, vel vini; vtiq; ſub illis ampliùs Chriſtus non eſt.

21 Obijcies quartò. Si aqua non vertitur phyſicè in vinum ante conſecrationem, maximè quia aqua non poteſt verti phyſicè in vinum, vt colligitur ex experientijs, & rationibus phyſicis; ſed gutta aquæ vino mixta diuiditur in tenuiſſimas partes, vt verè non poſſit reſiſtere actiuitati vini; & Ariſtoteles 1. de Generatione cap. 5. & D. Thom. infra q. 77. ar. 8. dicit: *Gutta aquæ multo vino permixta tranſit in ſpeciem vini.* Et idem docet Cathechiſmus Beati Pij V. mandato compoſitus; ergo verè dicendum eſt, aquam tranſire in vnum phyſicè.

Reſpondeo, quidquid ſit de quæſtione philoſophica, an aqua poſſit conuerti phyſicè in vinum, nec nè, alijs affirmantibus, alijs mordicus id negantibus, dico noſtram concluſionem theologicam non dependere ab illa phyſica, ſed ſuſtineo ſi aqua phyſicè vel moraliter ante conſecrationem vertatur in vinum, totum illud, quod eſt in calice, ſiue phyſicè ſit conuerſum in vinum, ſiue tantùm moraliter, per conſecrationem verti in ſanguinem, quia totum, quod eſt in calice adoratur adoratione latriæ, vt docet D. Thomas hic quæſt. 74. artic. 8. & quia ſi ſumatur à Sacerdote adhuc eſt ieiunus; ergo ſiue phyſicè conuertatur aqua in vinum, ſiue tantùm moraliter, totum conuertitur in ſanguinem. Cuius verò ſint opinionis circa quæſtionem phyſicam D. Thom. & Ariſt. cenſeo eos inclinare in partem affirmatiuam, nempe, quod aqua poſſit conuerti phyſicè in vinum; licèt plures alij hoc negent. Dixi circa quæſtionem phyſicam Diu. Thom. ſenſiſſe aquam phyſicè poſſe verti in vinum; tum propter locum adductum; tum quia in 4. diſt. 11. q. 2. ar. 4. quæſt. 1. idem videtur ſupponere; Cæterum circa concluſionem theologicam, clarè docet hic art. 6. in ſacrificio offerri vinum aqua permixtum & ar. 3. docet farinam aliquam, quæ non ſit triticea mixta triticeæ non obeſſe conſecrationi, quia, *Quod eſt modicum quodammodo abſumitur à plurimo.* Farina autem hordeacea

cea v.g. per admixtionem non conuertitur in farinam tritici ſicuti nec puluis argenteus conuertitur in aurum per hoc, quod miſceatur cum maiori quantitate pulueris aurei.

22 Ex dictis hoc vnum certum tenendum eſt, modiciſſimam aquam eſse apponendam in calice, & hoc præſertim; ſi vinum ſit debile, quia quod conſecratur debet eſse vinum, vel phiſicè tale, vel ſaltem moraliter: ſi autem magna quantitas aquæ apponeretur in vino præſertim debili non cenſeretur vinum.

23 Ex dictis etiam colliges, quid dicendum ſit de farina millij, vel hordei admixta farinæ triticeæ, an ſit materia conſecrationis. Si enim parua eſt farina hordei, vel millij, & multò maior triticea, adhuc eſt panis vſualis triticeus, & per conſequens materia conſecrationis: ſecus ſi tanta eſset, vt eſt farina tritici, vel tanta vt non cenſeatur panis triticeus tunc enim non eſset materia conſecrationis. Sic communiter doctores adhunc articulum.

24 Quæres 1. An, ſi gutta aquæ miſceretur vino poſt inchoata verba conſecrationis, verteretur in ſanguinem.

Reſpondeo negatiuè. Ita Suarez diſp. 45. ſec.4. Lugo diſp.4. ſec.4. Arriaga diſp. 31. ſec.4. Paſſar. com. 12. cap.4. num. 72. Bonac. & alij contra Nugnum in præſenti qu. 74. ar. 8. Vaſquez diſp. 201. n.42. & alios. Ratio eſt, quia materia debet eſse præſens, dum demonſtratur per pronomen *hic*: ſed ſi non eſt infuſa gutta aquæ, dum dicitur *hic*, non eſt præſens; ergo neque verificatur forma, neque transſuſtantiatur.

26 Quæres 2. An, ſi vera eſset ſententia, quod aqua debeat verti phyſicè in vinum antequam vertatur in ſanguinem, ſi poſt conſecrationem à ſpeciebus vini alteretur, conuertatur in ſanguinem, vel in vinum?

Reſpondeo quod conuertetur in vinum, non in ſanguinem. Ratio eſt, quia forma conſecrationis iam habuit ſuum effectum; tum quia ſpecies agunt, vt virtutes vini, ac ſi vinum ibi eſſet ad vini generationem. Ita Suarez loco citato Bonacina diſp. 4. quæſt. 2. par.4. Paſsarinus loco citato n.70. & alij.

ARTICVLVS IV.

An materia conſecranda debeat eſſe præſens miniſtro ſub certa quantitate.

1 POſt explicationem materiæ capacis conſecrationis, nunc debemus explicare circumſtantias, quæ requiruntur ad validam conſecrationem, quæ ad tres reducuntur, nempe ad præſentiam, determinationem, & quantitatem, circa quas varij caſus poſſunt deduci.

2 Concluſio prima: Materia conſecranda ita debet eſse moraliter præſens, vt poſſit demonſtrari pronomine hoc, vel hic: Eſt communis Doctorum. Probatur, quia materia conſecrationis ita debet eſse præſens, vt ſupra ipſam intelligamus cadere formam, & eamdem verificari: ſed niſi poſſit demonſtrari pronomine *hoc*, vel *hic* non intelligimus, quod forma verificetur, aut ſupra ipſam materiam cadat; ergo debet eſse ita moraliter præſens, vt poſſit demonſtrari pronomine hoc, vel hic.

3 Ex hoc deducitur primò non poſſe conſecrari materiam exiſtentem poſt parietem, quia humano modo illa materia non poteſt deſignari pronomine *hoc* & *hic*: conſiderandum autem eſt, an corpus interpoſitum ſe habeat, vt proximum continens, ſeu operiens; an verò abſque huiuſmodi habitudine interponatur; nam hoc ſecundò modo moralem præſentiam excludit, vnde quis exiſtens ad portas clauſas ſui cubiculi non poteſt conſecrare vinum, aut panem in cubiculo exiſtentia propter rationem adductam, poterit tamen conſecrare pixidem clauſam, aut calicem, vel caniſtrum panis coopertum, & huius rei ratio deſumitur ab hominum acceptione; quia cubiculum non ſolet accipi pro re contenta, ſicuti accipitur calix, ciſta & huiuſmodi. Sic Nugnus hic qu.74. art.2. Gonet diſp.3. ar. 5. Suarez diſp.43. ſec.5. Vaſquez diſp. 171. cap. 4. Lugo diſp. 4. n.121. Arriaga diſp.31. ſec. 4. Paſsarinus qu. 74. ar. 2. num.77. & plures alij apud ipſum. Contra Maiorem, Bernal de Sacramentis diſp.29. ſec. 2. num.11. cui videtur conſentire Diana p. 10. tract. 16. reſ.40. contendentes, quod ſi medio aliquo ſenſu percipiatur talis materia, poſſit conſecrari, etiamſi ſit poſt parietem, vt ſi odor percipiatur, vel videatur; verùm non eſt diſcedendum à priori ſententia; nam licèt talis materia videatur, aut eius odor percipiatur, nihilominus, ſi ſit poſt parietem, non demõſtratur pronomine hoc, vel hic ſed dicitur illud, vel ille. Excipio taman cum Vaſquez, Arriaga, Paſsarino, & alijs locis cit. caſumquo quis tangat materiã poſt parietem exiſtentem, vt ſi brachio extenſo panẽ, vel calicẽ tangat; & ratio eſt quia quod tangitur phyſicè præſens eſt tangenti, & ibi aliquis eſse cenſetur, vbi eſt per partem ſuam; quia totus locus hominis eſt ille, qui eum, & omnes eius partes continet.

Digitized by Google

4 Deducitur 2. Non ſufficere præſent iam per aliquam partem materiæ adhoc vt poſſit tota conſecrari. Sic Suarez diſp. 43. ſec. 5. Lugo diſp. 4. ſec. 7. Arriaga loco cit. contra Vaſquez diſp. 171. cap. 4. Paſſarinum, Gonetum, & alios locis citatis. Ratio eſt eadem, quia debet materia poſſe determinari per pronomen *hoc* & *hic*: ſed ſi aqua maris eſſet vinum non poſſet nihilominus quis exiſtens Venetijs per ly *hic* deſignare mare Balticum, vel Ia͏pponicum, cum tamen omnia iſta maria continuentur; ergo non ſufficit præſentia vnius partis materiæ ad hoc, vt poſſit conſecrari, niſi tota ſimul præſens ſit. Sic nec poſſet aliquis conſecrare totum panem exiſtentem in foro, quia panis exiſtens in loco diſſito à ſacerdote, v.g. in extremitate fori, non eſſet hic panis, ſed ille.

5 Dices Si quis ſit in littore maris, & dicat hæc aqua, verum dicit, etiamſi intelligat de tota aqua maris, & hoc cum proprietate ſermonis; ergo ſi mare totum eſſet vinum poſſet totum illud conſecrare: nam de toto illo verificaretur forma. Sed contra, quia falſum eſt quod quis in litiore maris dicendo hanc aquã, poſſit intelligi etiam de aqua maris Baltici, aut Iapponici, ſi dum dicit *hæc aqua* ſit Venetijs; nam aqua maris Baltici, & Iapponici, eſt illa aqua, non hæc. Ideo &c.

6 Deducitur 3. Quamcumque materiam aptam in quacumque magna quantitate exiſtat, dummodo ſit præſens; & poſſit demonſtrari per pronomen *hoc* & *hic* poſſe conſecrari; vnde ſi Deus poneret mihi præſentem infinitam materiam panis, ſed penetratam, ita vt omnes partes mihi cenſerentur moraliter præſentes, poſſem omnem illam materiam ſimul conſecrare. Ratio eſt; quia de tota illa materia verificaretur forma. Sic D. Thom. hic ar. 2. Gonet loco cit. & communiter alij: contra Alenſem, Paludanum, & quoſdam alios aſſerentes, materiam conſecrandam eſſe determinatam quoad quantitatem: eo quod materia conſecranda ſumi debet in ordine ad vſum fidelium, propter quod hoc Sacramentum fuit inſtitutum. Sed contra hæc ratio eſt falſa, quia Euchariſtia eſt Sacramentum etiam præſcindendo ab vſu, vt definit Trid & ad hoc vt conſecretur materia, ſufficit, quod poſſit verificari forma; fateor quidem eſſe illicitum maximam quantitatem panis, aut vini conſecrare: at hic loquimur de validitate tantùm.

7 Deducitur 4. Non poſſe conſecrari materiam longè diſtantem, licèt Sacerdos illam videat 5. non requiri contactum materiæ, quia ſine contactu poteſt eſſe vera præſentia 6. non eſſe neceſſariam viſibilitatem materiæ ab ipſo ſacerdote; Vnde refert Sotus ſe vidiſſe Tridenti quemdam Epiſcopum cæcum, qui ex diſpenſatione Papæ, quotidie celebrabat. Ratio eſt iam adducta; & ſic communiter docent Doctores.

8 Concluſio 2. Vt conſecratio ſit valida, debet determinari quantitas, tam continua, quam diſcreta materiæ, ſcilicet panis, & vini. Si Durand. in 4. diſt. 11. qu. 7. Syluester V. Euchariſtia n. 8. Nugnus hic qu. 74. art. 2. dub. vltimo; Paſſarinus ibidem n. 4. Gonet loco cit. n. 81. Suarez, Vaſquez, Lugo, Arriaga, & alij locis citatis. Probatur: quia debet verificari forma: ſed non verificaretur, niſi eſſet determinata quantitas; ergo debet eſſe quantitas determinata: maior patet: probatur minor: nam in forma ſunt illa pronomina *hoc* & *hic*, quæ certam, & determinatam materiam ſignificant.

9 Porro hæc materiæ determinatio ſit ex agentis intentione; quæ intentio, vt diximus de Sacramentis in communi, eſt eſſentialiter neceſſaria ad conficiendum quodcumque Sacramentum; igitur ex miniſtri intentione debet determinari, quæ & quanta debeat eſſe materia, quam quis vult conſecrare.

10 Ex prædicta concluſione colligitur primò, quod ſi quis habeat v. g. decem hoſtias ante ſe poſitas, & intendat conſecrare tantùm octo, non determinando in particulari, quas velit conſecrare, nulla eſt conſecrata. Secundò ſi quis intendat conſecrare dimidiam partem hoſtiæ non determinando quam partem, nulla pars eſt conſecrata; idem dicendum, ſi quis intenderet conſecrare aliquas partes proportionales. Ratio eſt, quia tunc materia non eſt determinata. Sic Durandus, Syluester, Suarez diſp. 43. ſec. 6. Gonet diſp. 3. art. 5. Lugo diſp. 4. ſec. 7. & propter eamdem rationem dico, quod ſi quis habeat ante ſe plures hoſtias, & dicat intendo conſecrare illam, quam Deus vult, nullam eſſe conſecratam, quia illa non poteſt demonſtrari pronomine *hoc*. poſset tamen ſi voluntas Dei manifeſta fieret miniſtro, de qua hoſtia ſit; tunc enim poſset demonſtrari pronomine *hoc*. Ita Lugus citato loco. Suarez, Vaſquez, Paſſarinus & alij.

11 Dices poteſt ſacerdos applicare ſacrificium miſſæ pro ea anima, quam Deus nouit; ergo & conſecrare eam hoſtiam, quam Deus voluerit eſſe conſecratam. Sed contra conceſſo antecedente, nego conſequentiam diſparitas eſt, quia

Digitized by Google

quia ſacrificium eo ipſo, quod eſt oblatum, ſufficit quod à Deo applicetur cuicumque voluerit, quemadmodum enim ego poſsum dare nummum alicui relinquendo in poteſtate ipſius, vt det ipſum in eleemoſynam cuicumque voluerit; ita in ſacrificio dicendum eſt; at in confectione Sacramenti intantùm poſſum conſecrare in quantùm verba habent determinatam ſignificationem circa materiam determinatam; quare ſi ignorem materiam, nulla erit conſecratio; ex hoc ſoluitur alia obiectio de eo, qui vellet abſoluere à duobus venialibus, quæ Deus nouit; dico enim à nullo abſoluere, quia intentio debet eſse circa determinatam materiam.

Alius caſus ſimilis.

12 Colligitur ſecundò: quid dicendum ſit ad illum caſum, qui pluries ſolet accidere: Sacerdos defert ad altare non tantùm hoſtiam, ſed etiam plures particulas in pixide v. g. conſecrandas; tempore tamen conſecrationis ſolùm recordatur hoſtiæ, quam habet in manibus, non aliarum, ſiue aliæ ſint in pixide, ſiue ſuper corporale, an omnes cenſeantur conſecratæ?

Reſpondeo enim cnm diſtinctione, nam vel ſunt aliæ hoſtiæ, ſeù particulæ ſuper aram ſacram, & corporale, vel ſunt extra, hoc eſt relinquuntur extra aram, & corporale; ſi primum omnes hoſtiæ ſunt conſecratę; ſi verò ſecundū, non ſunt conſecratæ. Sic Syluеſter v. Euchariſtia. Suarez diſp.43. ſect.6. Gauant. noſter in Rubr. Miſs. par.3. tit.7. num.4. Reginaldus lib.29. cap.2. nu.19. Palaus tract.27. par.6. num.3. Diana p.3. tract.6. reſol.103. Paſſarin. loco cit. & alij contra Angelum v. Euch. num.27. Nauarr. cap.25. num.91. & Leandrum tract.8. quæſt.73. Prima pars noſtræ reſponſionis probatur, quia ad verè conſecrandum ſufficit intentio virtualis, & quod materia ſit præſens: ſed in tali Sacerdote, qui habuit intentionem conſecrandi omnes illas particulas durat intentio virtualis, & tales particulæ ſunt præſentes; ergo omnes ſunt conſecratæ. Secunda pars probatur, quia in Sacerdote conſecrante non debet præſumi intentio irreligioſa, & mala, ſeu peccaminoſa: ſed velle conſecrare aliquas particulas exiſtentes extrà aram ſacram ſacrificij, & extrà corporale eſt actio irreligioſa, mala, & peccaminoſa; ergo hæc non debet præſumi in Sacerdote conſecrante; minor patet; quia non eſt licitum cōſecrare materiam exiſtentem extrà aram ſacram, & corporale, eſſet enim velle facere contra ritum, & præceptum Eccleſiæ.

Omnes particulæ ſuper aram præſentes conſecrantur.

13 Nota tamen primam partem noſtræ reſponſionis debere intelligi, modò, dum Sacerdos conſecrat, non habeat expreſſam intentionem, quæ virtualem excludat; vt ſi conſecrando actu intenderet conſecrare tantùm illam hoſtiam, quam præ manibus habet, & nullam aliam; nam ſi huiuſmodi intentionem haberet, etiamſi alias particulas obtuliſset, & eſsent ſuper aram, & corporale; nihilominus non eſsent conſecratæ; quia intentio miniſtri reſtringitur ad ſolam hoſtiam, quam habet in manibus, & excludit omnes alias; ergo aliæ non eſsent conſecratæ. Sic Paſſerin. loco cit. & alij.

Exceptio.

14 Quæres 1. an illæ guttæ vini maneant conſecratæ, quæ vel ſunt extra calicem, vel in calice ſunt ſeiunctæ à vino, quod eſt in fundo calicis.

Reſpondeo primò guttas extra calicem exiſtentes non eſse conſecratas. Ità communitèr Doctores ſequenti numero citandi. Ratio eſt, quia ſi Sacerdos intenderet guttas extra calicem exiſtentes conſecrare, grauitèr peccaret, & contra præceptum Eccleſiæ, & contra debitam reuerentiam debitam tanto Sacramento; quæ intentio peccaminoſa nullo modo debet præſumi in Sacerdote conficiente; ergo nullo modo cenſentur conſecratæ, niſi Sacerdos haberet tam peruerſam voluntatem illas etiam conſecrandi, quam tamen ordinariè nullus habet.

15 Reſpondeo 2. Probabiliùs eſse guttas, quæ ſnnt in calice ſeiunctas à vino, quod eſt in fundo calicis non remanere conſecratas. Sic Suarez, & Reginaldus locis cit. Layman lib. 5. tract.4. cap.2. num. 15. Gauant. 3. p. tit.7. nu.4. Leander tract.8. quæſt.76. qui citat Coninch. Toletum, & Rodriquez. contra Bonac. diſp.4. quæſt.2. par.5, num 7. & Chamerotam de Euchar. cap.6. dub.6. Ratio huius eſt quia intentio Sacerdotis debet eſſe intentio conſecrandi vinum mixtum aqua: cum hoc ſit præceptum Eccleſiæ: ſed guttæ vini ſeiunctæ à vino exiſtente in fundo calicis non ſunt vinum mixtum aqua; ergo non remanent conſecratæ.

16 Ne tamen erret Sacerdos in cōſecratione, non debet coarctare ſuam intentionem in his ſubtilibus diſquiſitionibus, ſed debet habere intentionem faciendi, quod communitèr intendit Eccleſia Romana, cui ſe conformare debet. Sic Laiman. loco cit. Paſſarinus ibidem Tambur. de ſacrif. Miſſæ lib.2. cap.21. num.29. & habendo diuerſam intentionē eſt ſe exponere periculo errandi, quod non licet.

Qualis debeat eſse Sacerdotis conſecrantis intentio.

17 Quæres 2. An fragmenta illa mi-

nima

Digitized by Google

nima hoſtiæ inhærentia, ſed non continua cenſeantur conſecrata?

Reſpondeo probabiliùs eſse conſecrata. Sic Leander tract.8. quæſt.77. ſecutus Hurtadum, & Dicaſtillum diſput.2. d. 12. num.223. apud Paſſarinum qu.74 art.2. num.14. qui tenet contrarium. Ratio reſponſionis eſt, quia omnia habent rationem veri panis triticei, omnia ſunt præſentia, & intentio conſecrandi fertur in totam illam materiam; ergo omnia illa remanent conſecrata: tum quia ex vſu Eccleſiæ diligentèr perquiruntur, & tamquam ſacra ſumuntur; tum quia intentio cenſecrandi debet eſse determinata, non vaga, ſecus nulla eſſet cenſecratio; ergo non poteſt Sacerdos conſecrare dicendo volo conſecrare in hac hoſtia quidquid eſt continuum, non quod videt Deus, vel Angelus eſſe tantùm contiguum, nam non eſſet materia Sacerdoti determinata; vnde ſicuti nulla eſſet conſecratio, ſi quis diceret volo conſecrare ex duabus hoſtijs, quas præſentes habeo ſolùm vnam, quam Deus maluerit; quia tunc materia non eſt determinata, nec poteſt ab ipſo Sacerdote deſignari per pronomen hoc; ita neque in propoſito caſu, cum ipſe neſciat, quæ materia ſit coniuncta, & continua, quænam tantùm contigua.

18 Quæres 3. An ſi particulis conſecratis immiſcerentur aliquæ non conſecratæ, quas certò quis ſciret non eſſe conſecratas, & poſtea non poſſit dignoſci quænam ſint conſecratæ, & quæ non; poſſint huiuſmodi particulæ cõſecrari?

Reſpondeò, quod ſi Sacerdos dicat conditionatè: *volo conſecrare quidquid hic eſt, ſi non eſt conſecratum*, poteſt etiam illas non conſecratas conſecrare; ſi verò abſolutè dicat: *volo illas non conſecratas conſecrare*, tunc dico non remanere conſecratas.

19 Prima pars eſt communis, quia iam non conſecratæ ſimul demonſtratæ ſunt cum alijs; vnde ſicuti, quando quis conſecrat quidquid eſt in pixide, conſecrat omnes particulas etiam, quæ ſunt ſubtus alias, quia omnes determinantur per modum vnius; ita etiam in propoſito dicendum eſt. Secunda pars eſt contra Paſſarinum loco cit. num.26. eſt tamen Cardinalis de Lugo diſput.4. ſect.7. num.136. quem ſequitur Arriaga diſp.30 ſect.4. Ratio eſt, quia debet determinatè verificari pronomen, *Hoc*. Sed ſi neſciam quænam ſit conſecrata, quænam non, non poſſum per pronomen, *Hoc*, deſignare non conſecratam; ergo numquam poſſum illam conſecrare. Sicuti enim inter centum homines non poſſum dicere hic eſt Princeps; ſi illum non agnoſco, ità in propoſito.

20 Dices poteſt quis conſecrare dimidiam hoſtiam, etiamſi non poſſit mathematicè deſignare illam medietatem; ergo etiam hoſtiam non conſecratam, quam ſcio reperiri inter conſecratas. Sed contra nego conſequentiam: diſparitas eſt; quia dum volo hanc medietatem hoſtiæ conſecrare, moralitèr illam deſigno, & determino, nempè vel partem dexteram, vel ſiniſtram: at hoſtiam non conſecratam cum conſecratis confuſam nullo modo poſſum deſignare. Ideò &c.

ARTICVLVS V.

An qualibet paruitas materia poſſit validè conſecrari.

1 EGimus in ſuperiori de termino materiæ, quoad magnitudinem, nunc quædam pauca circa paruitatem agendum eſt; & hic ſermo eſt de validitate Sacramenti; nam eſſe illicitum velle minimum panis ſeparatũ conſecrare, docent communiter Doctores; eo quod intentio miniſtri debeat ſubordinari intentioni Eccleſiæ, quæ hoc Sacramentum conficit, & conſeruat in vſum fidelium: minimum autem vini, aut panis non eſt aptum, vt manducetur, vel ſumatur à fidelibus.

2 Cõcluſio 1. Quælibet parua quantitas panis, & vini, dummodò ſit ſenſibilis, poteſt validè conſecrari. Eſt communis Doctorum contra Sotum, qui vult poſſe conſecrari etiam minimum, quod nullo modo ſit ſenſibile. Probatur prima pars. Illud poteſt validè conſecrari, quod eſt panis, & vinum: Sed quælibet quantitas panis, & vini verè eſt panis, & vinum; ergo quælibet poteſt validè conſecrari. Confirmatur dũ hoſtia conſecratur, non tantùm conſecratur tota hoſtia, ſed omnes illius partes, quamuis infinitæ ſint, conſecrantur; ita vt ſub qualibet parte totus Chriſtus contineatur; ergo etiam, ſi aliqua pars ſit ſeparata ab alia, dummodò panis ſit, vel vinum, & poſſit à miniſtro deſignari, poterit conſecrari; conſequentia patet; nam quælibet eſt panis, & vinum.

3 Dices in Sacramento baptiſmi nõ quælibet paruitas aquæ eſt apta ad baptizandum; ergo neque quælibet quantitas panis, & vini eſt apta materia ad conſecrandum. Sed contra eſt diſparitas; quia aqua Baptiſmi debet eſſe apta ad abluendum; vnde ſi ſit ita parua, vt non poſſit eſſe apta ablutioni, neque etiam eſt apta ad baptizandum: at materia

teria

Digitized by Google

teria Euchariſtiæ, cum hæc non conſiſtat in vſu, ſed tantùm, quod ſit panis, & vinum, quod conuertatur in corpus, & ſanguinem Chriſti; eo ipſo, quod eſt panis, & vinum, etiamſi ſit modiciſſima materia, eſt apta vt conſecretur.

4 Secunda pars probatur, vt aliquid ſit conſecrabile, debet poſſe demonſtrari per pronomen *hoc*, & *hic*: ſed quod nullo modo eſt ſenſibile, nō poteſt demonſtrari; ergo nec conſecrari. Confirmatur: quia de ratione Sacramenti eſt, quod ſit ſignum ſenſibile; ergo quodlibet Sacramentum debet eſſe ſenſibile; quidquid enim dicitur de ſuperiori, etiam de omni inferiori dici debet; ſicuti quidquid eſt de eſſentia animalis, eſt de eſſentia cuiuslibet ſpeciei, quæ ſub animali continetur.

5 Dices, hanc rationem non probare intentum; etenim homo eſt ſpecies animalis, & tamen quidquid conuenit animali, non conuenit omnibus partibus hominis ſeiunctim ſumptis, nam nec corpus hominis eſt viuens ſenſibile, neque anima ſecundùm ſe eſt ſenſibilis, & ſufficit; quod totum ſit ſenſibile; ergo etiam licèt materia Sacramenti Euchariſtiæ non ſit ſenſibilis, ſufficit, ſi ſit ſenſibilis per formam, & quod totum conſtans ex materia, & forma conſecrationis ſit ſenſibile. Sed contra; eſto hoc non probet vniuerſalitèr, quod quidquid dicitur de ſuperiori, debeat dici de partibus inferioris; hoc tamen verum eſt in Sacramentis, vt experientia conſtat in omnibus; omnia enim alia Sacramenta, vt conſideranti patet, ſunt ſigna ſenſibilia, tàm ſecundùm materiam, quàm ſecundùm formam; ergo etiam de hoc Sacramento Euchariſtiæ idem dicendum; præſertim cum debeat demonſtrari materia per pronomen *hoc*, & *hic*, ideò &c.

6 Tractant etiam hic Doctores aliā difficultatem; an validè poſſit conſecrari dimidium minimi panis v.g. vel vini. Supponunt enim panem, & vinum non poſſe in indiuiſibili conſeruari, ſed habere aliquod minimum naturale, infra quod exiſtere non poteſt, hoc poſito inquirunt primò, an dimidium minimi panis ſeparatum poſſit validè cōſecrari; ſecundò, an ſaltèm hoc dimidium minimi poſſit vnitum cum alijs validè cōſecrari. Ego exiſtimo hanc ſecundam difficultatem eſſe inutilem, quod optimè notant Cardinalis de Lugo, & Arriaga hic diſp. 30. num. 26. etenim vel de facto non dantur huiuſmodi minima panis, & vini, vel ſi dantur, ita erit ſubtilis huiuſmodi diuiſio, vt non poſſit ab homine illa dimidia pars minimi demonſtrari; quod ſi demonſtrari non poteſt, nec etiam poterit validè conſecrari. Nè tamen videar effugere difficultates, breuitèr recenſebo opiniones, deinde quid probabiliùs ſit aperiam.

7 Suarez hic diſp 43. ſect. 7. Lugo diſp. 4. ſect. 6. ſentiunt, quod poſſit validè conſecrari dimidium minimi, quam probabilem cenſet Arriaga diſp. 30. n. 26.

8 Concluſio 2. Dimidium minimi naturalis non poteſt validè conſecrari, ſi ſit ſeparatum ab alio dimidio. Probatur: ad validam conſecrationem Euchariſtiæ requiritur, quod materia ſit panis, & vinum: ſed ſub dimidio minimi naturalis panis, vel vini non poteſt conſeruari panis, & vinum; ergo nec validè poteſt fieri conſecratio.

9 Dices poteſt Deus adhuc conſeruare ſubſtantiam panis ſub dimidio minimi; ergo tunc poterit conſecrari. Sed contra; nego conſequentiam; nam non ſolùm debet Deus conſeruare ſubſtantiam panis, ſed etiam accidentia propria panis, vt poſſit conſecrari, vnde ſi Deus conſeruaret ſubſtantiam panis ſub ſpeciebus olei non poſſet ibi conſecratio fieri; ergo, cum in dimidio minimi non conſeruetur quantitas requiſita ad ſubſtantiam panis, non poterit conſecrari, quia pronomen, *hoc*, denotat accidentia propria panis. Hoc vnum aduerto, plures Doctores negare, panem, & vinum habere huiuſmodi minima phyſica & conſequenter dicunt, quod data quacumque ſeparatione, dummodò pars ſeparata ſit ſenſibilis, poteſt validè illa conſecrari; vnde concluſio intelligenda eſt ſuppoſito, quod dentur iſta minima phyſica panis, & vini.

10 Concluſio 3. Dimidium minimi vnitum, etſi poſſit demonſtrari, non poterit tamen validè conſecrari. Dixi etſi poſſit demonſtrari; nam de facto in diuiſione tàm ſubtili moralitèr nō poteſt aliquis deſignare partem, quam vellet conſecrare, vt diſtinctam ab alia, quam non vult conſecrare, quod ſi non poteſt deſignare, nec poterit conſecrare, quia vt dictum fuit ſupra, conſecratio debet cadere ſuper materiam certam, & determinatam.

11 Probatur concluſio. Illud poteſt conſecrari validè, quod eſt panis: ſed data tali ſententia de minimis phyſicis panis, talis ſubſtantia, quæ eſt ſub dimidio minimi, non eſt panis; ergo neque poterit validè conſecrari: maior patet: probatur minor: Si materia conſecratio-

Digitized by Google

ſecrationis eſſet aliquid heterogeneum v. g. pomum, dimidium pomi non eſſet pomum, ſicuti neque caput Leonis eſt Leo: ſed data ſententia de minimo phyſico, panis eſſet aliquod heterogeneum; ergo dimidium minimi non eſſet panis. Confirmatur, quia omne viuens eſt heterogeneum; ergo quod conficitur ex materia rei viuentis eſt heterogeneum; etenim, quia Leo eſt aliquod heterogeneum, ſi tota materia Leonis reducatur in puluerem talis puluis reſoluta ex carne, oſſibus, neruis, & huiuſmodi erit heterogenea: ſed triticum, & vua ſunt quid heterogeneum; ergo & farina, quæ ex omnibus partibus tritici, & vinum, quod ex partibus vuæ educitur erunt aliquod heterogeneum; ergo & panis, qui conficitur erit talis: ſed in heteregeneis caput Leonis non eſt Leo, & dimidium pomi non eſt pomum; ergo dimidium minimi panis, aut vini, non eſt panis, aut vinum.

12 Dices illud dimidium panis non eſſe panem ſecundùm ſe, & eſſe panem inadequatè, vt vnitum cum alio dimidio minimi. Sed contra etiam caput Leonis ſecundum ſe non eſt Leo, & vt coniunctum cum alijs partibus conſtituit Leonem, & tamen quia eſt heterogeneum quid, numquam poteſt dici, quod caput Leonis ſit Leo; ergo etiam cum panis, & vinum ſint quid heterogeneum, numquam dimidium minimi phyſici panis poteſt dici panis, nec dimidium vini vinum.

13 Quia tamen exiſtimo cum communioni, non dari iſta minima phyſica panis, & vini, & nullam eſſe tam paruam quantitatem, quæ non poſſit eſſe, & appellari panis, vel vinum; ideò dico, quemlibet paruam quantitatem panis, & vini, dummodò, aliquo ſenſu demonſtrabilis ſit, poſſe validè conſecrari, vt conſtat ex dictis in Concluſione prima. Et ſatis de hac difficultate, cum parum interſit, an dimidium minimi ſeparati poſſit conſecrari, nec ne; tum quia incertum eſt, an dentur iſta minima, & probabiliùs eſt non dari; tum quia eſto darentur, quis vmquam cognouit, vel cognoſcere potuit aliquid panis eſſe minimum phyſicum ipſius, ita vt ſub minori non poſſit eſſe panis?

QVÆSTIO III.

De conuerſione panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini.

ALIQVI Doctores tractant hic plures quæſtiones phyloſophicas, vtrum idem corpus poſſit eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis, quid ſit conuerſio, quid ſpatium imaginarium, quid ſit vbi, quo aliquid conſtituitur in loco, quæ omnia proſus, vel ſunt philoſophica, vel exactè à Phyloſophis tractantur, quare ex induſtria his omnibus omiſſis, ea explicabimus, quæ propria ſunt huius myſterij; etenim, cum egerimus de materia remota, quæ tranſit, nempè de pane, & vino, nunc de reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in hoc Sacramento remanentis, & de modo, quo fiat præſens, hoc eſt de ipſa conuerſione panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, quæ conuerſio ab Eccleſia, & Tridentino vocatur tranſubſtantiatio, agendum eſt.

ARTICVLVS I.

An tota ſubſtantia panis, & vini conuertatur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti.

1 COnuerſio definitur communitèr, quod ſit *tranſitus vnius rei in aliam*; vnde debet verſari ſemper inter duos terminos poſitiuos, quorum vnus dicitur terminus *à quo*, alius *ad quem*, vt cum lignum conuertitur in ignem, lignum eſt terminus *à quo*, ignis terminus *ad quem*; quare quando iſti termini non ſunt poſitiui, nec etiam datur propriè cöuerſio, vt dum aer de tenebroſo, fit lucidus; nam tenebræ non ſunt quid poſitiuum.

2 Hinc ſequitur, quod in conuerſione ſemper interueniant duæ mutationes, vna poſitiui in negatiuum, alia negatiui in poſitiuum; vt in propoſito caſu de conuerſione ligni in ignem; lignum tranſit de eſſe lignum in non eſſe ligni, ignis verò è contra tranſit de non eſſe ignis ad eſſe ignis. Quare conuerſio alia eſt ſubſtantialis, alia accidentalis, alia partialis, alia totalis; ſubſtantialis partialis eſt, cum vna forma ſubſtantialis tranſit in aliam, vt cum ex ligno fit ignis: vel ſi diuinitus mutaretur

tur

Digitized by Google

tur materia ligni in materiam ignis,hæc tamen naturaliter numquam datur; accidentalis cum forma accidentalis mutatur in aliam, vt cum ex calido fit frigidum, vel è contra: totalis denique cum tota ſubſtantia mutatur in aliam, vt cum ex pane fit corpus Chriſti,& hęc mutatio dicitur tranſubſtantiatio, & de hac loquimur in præſenti,& quærimus, an tota ſubſtantia panis, & vini conuertatur in corpus, & ſanguinem Chriſti;ita vt tota ſubſtantia panis, & vini deſinat eſſe ſub accidentibus ; & loco ſubſtantiæ panis, & vini ſub ijſdem accidentibus ſuccedat ſubſtantia corporis, & ſanguis Chriſti.

3 Chriſti corpus,& ſanguinem poſt conſecrationem eſſe in hoc Sacramento realiter vidimus in articulo primo quæſtionis 1. eſſe de fide, vbi etiam poſuimus errores hæreticorum, qui circa realem Chriſti pręſentiam in hoc Sacramento errauerunt. Multi tamen dantur hæretici, qui licèt realem Chriſti præſentiam in hoc Sacramento admittant, errant tamen in ea explicanda, & circa hoc plures ſunt errores.

4 Primus igitur error eſt, quod remaneat ſubſtantia panis, & vini ſimul cum ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti, & huius erroris auctor fuit Berengarius,quem ſecuti ſunt Lutherus,& alij hæretici noſtri temporis, & dicti ſunt auctorem companationis.

Secundus error eſt, quod in hoc Sacramento remaneat ſubſtantia panis, & vini ſimul cum corpore, & ſanguine Chriſti, quia ſcilicet corpus, & ſanguis Chriſti ratione Verbi ſint vbique, quare iſti hæretici non ſolùm dicunt corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe in hoc Sacramento ſimul cum pane, & vino, ſed etiam eſſe in omnibus locis, ſicuti in omnibus locis eſt Verbum.Sic Vbiquiſtæ, quos ſequuntur Ioann. Brentius in Apolog. pro Confeſſ. Vvtemberg. *tract. de Cana Domini, & lib. de duabus naturis.* Matthias Illiricus,& ferè omnes Lutherani.

Tertius error eſt, quod panis, & vinum remaneant hypoſtaticè vnita Verbo diuino. Quiſnam verò fuerit huius erroris auctor ignoratur, licèt à multis tribuatur Valeramo, alij Ruperto. Huius hæreſis meminit Algerus lib. 1. de hoc Sacra- cap.6. Suarez, Vaſquez, Bellarm.& ad longum Paſſerinus hic q.75. art.2.nu.31.

Quartus error fuit, illam materiam ſolùm conſecrari,quam ſumpturi eſſent boni. Quintus omnem quidem materiã conſecrari, ſed cum ſumitur ab indignis ſtatim iterum conuerti in panem.

5 Ex Catholicis verò Durandus in 4.diſt.11.q.3. nu.5. ſenſit remanere materiam panis informatam anima Chriſti, eo modo, quo alimentum in nutritione informatur forma aliti. Alij remanere formam panis, & vini, de hac opinione D. Thom. hic art. 6. ſed auctores non nominantur. Alij remanere exiſtentiam panis poſt conſecrationem. Sic tenuit Gotfridus quodlib. 8. q.17. & indicauit probabilem Bannes 1.part. q.4. ar.2. Alij remanere ſubſiſtentiam.

6 Concluſio prima. Nihil ſubſtantiæ panis, & vini manet poſt conſecrationem, ſed totum conuertitur in corpus, & ſanguinem Chriſti. Sic communiter DD.omnes catholici nunc, & eſt de fide definita in varijs Concilijs. In Concilio Romano ſub Gregorio VII. in quo Berengarius ſuum errorem retractauit. In Later. ſub Innoc. III. In Conſtantienſi ſeſſ. 8. vbi damnatur error Vvicleffi aſſerentis ſubſtantiam panis manere in Sacramento. In Florent. in inſtructione Armeniorum. Et demum in Trid. ſeſſ. 13. can. 2. vbi habetur : *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini, vna cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritq; illam mirabilem, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, remanentibus dumtaxat ſpeciebus panis,et vini &c. anathema ſit.*

7 Probatur ratione D.Thom. Si poſt conſecrationem maneret panis, nõ poſſet verè dici, hoc, quod in manibus habetur, eſt corpus Chriſti: ſed verè Chriſtus dixit : *Hoc eſt corpus meum*; ergo ſub illis ſpeciebus non poteſt ampliùs eſſe panis : probatur maior : ſi quis oſtenderet crumenam plenam partim auro, partim argento, vel plenam auro,& argento ſimul cum auro penetrato,non poſſet cum veritate dicere, *Hoc eſt aurum*, nam non ſolùm ibi eſt aurum, ſed etiam argentum; ergo etiam, ſi ſub ſpeciebus panis, non ſolùm eſſet corpus Chriſti, ſed etiam ſubſtantia panis falſum dixiſſet Chriſtus dicendo, *Hoc eſt corpus meum.*

8 Dices primò ex Scoto in 4. diſtin. 11. q.3. Durando, Paludano, & alijs ibidem, fieri quidem in hoc Sacramento veram, & realem tranſubſtantiationem, ſeu conuerſionem ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, verùm prædictam tranſubſtantiationem non inferri efficaciter ex præciſa ſignificatione verborum Chriſti : *Hoc eſt corpus meum*, ſed ſolum ex definitione Eccleſiæ, quæ in varijs Concilijs definiuit ſubſtantiam panis, & vini non remanere in hoc Sacramento. Sed contra, quia

Digitized by Google

Trid, ſeſs. 13. cap. 4. habet: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat verè eſſe dixit; ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò hac ſancta Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtãtia panis in ſubſtantiã corporis Chriſti Domini &c.* Ex quo loco ſic argumentor: Id efficaciter probat conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, ex quo Conciliũ ſumpſit efficax fundamẽtum ad determinãdam hanc veritatem: ſed Concilium ex eo, quod Chriſtus dixit id, quod offerebat eſſe verè corpus ſuum, ſumpſit efficax fundamentum ad probandam veram conuerſionem ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; ergo ex verbis Chriſti, quibus verè dixit: *Hoc eſt corpus meum* efficaciter probatur conuerſio totius ſubſtantiæ, panis in ſubſtantiam corporis Chriſti.

9 Dices ſecundò cum Lauræa diſp. 20. de Euchariſtia, art. 5. Per hoc, quod Chriſtus dixerit: *Hoc eſt corpus meum*, non infertur neceſſariò; ergo non adeſt ſubſtantia panis; ergo pręſcindendo à definitione Eccleſiæ ex verbis Chriſti non arguitur, quod ibi non ſit panis: probatur antecedens: quando duplex effectus eſt poſſibilis ad poſitionem alicuius cauſæ alter ipſorum neceſſariò non concluditur, ſed vel vnus, vel alter: ſed eſt poſſibile, quod corpus Chriſti maneat cum ſubſtantia panis, & ſine ſubſtantia panis; ergo, quod maneat ſine ſubſtantia panis, non poteſt colligi, niſi ex definitione Eccleſiæ. Sed contra nego antecedens: ad probationem: aliud eſt, quod illi duo effectus aſſignati ſint poſſibiles, aliud, quod ſint poſſibiles ſtãte veritate verborum Chriſti; primum eſt verum; nam potuit Deus ponere corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, remanente ſubſtantia panis: at in tali caſu non potuiſſet Chriſtus cum veritate dicere: *Hoc eſt corpus meum*, ſed debuiſſet dicere: *Hoc eſt corpus meum, & panis.* Sicuti ſi miſceatur vinum cum ſanguine humano, non poteſt dici cum veritate: *Hic eſt ſanguis*; ſed debet dici: *Hic eſt ſanguis, & vinum*, Cum non poſſint deſignari accidentia, ſub quibus eſt ſanguis, non deſignatis ijs, ſub quibus eſt vinum; cum ſupponatur commixtio, & hæc ſit natura illius pronominis *hoc*, & *hic*, vt deſignent totum, quod ſub accidentibus continetur. Contra ſecundò. Si illa verba: *Hoc eſt corpus meum*, poſſent habere duplicem ſenſum aſſignatum ex eo, quod Chriſtus verè dixit illud eſſe corpus ſuum, non potuit Eccleſia ſibi efficaciter perſuaderi non manere in Sacramento ſubſtantiam panis, ſed conuerti in corpus Chriſti; nam potuiſſet etiam ſibi perſuaderi ibi manere ſubſtantiam panis: ſed ex Concilio habetur, quod, quia Chriſtus dixit verè illud eſſe corpus ſuum, ſemper perſuaſum ſit in Eccleſia Dei fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; ergo verba Chriſti vnicum tantùm habent, & habere poſſunt ſignificatum, non duplex; non enim aliam de hoc habuit reuelationem Eccleſia, ſed ſolùm hoc collegit ex verbis Chriſti; vt patet ex Concilio.

10 Dices tertiò. Non eſt neceſſe, vt pronomen *hoc* deſignet totum id, quod continetur ſub ſpeciebus; ſed poteſt ex intentione loquentis determinari cum omni proprietate verborum ad ſignificandum Chriſti corpus, licèt ibi remaneat ſubſtantia panis; ergo &c. probatur antecedens: poſſumus oſtenſo dolio vini dicere, *Hoc eſt vinum*, etiam ſi ibi adſit ſubſtantia rei continentis, nempe dolij; ergo etiam potuit Chriſtus dicere verè *Hoc eſt corpus meum*, licèt ibi remaneret ſubſtantia panis. Sed contra, quia pronomen *hoc* poteſt applicari, vel ad rem, quæ ex natura ſua, vel arte, vel vſu hominum aliam ſubſtantiam continet; & tunc propriè deſignare poteſt ſubſtantiam contentam ſub alia ſubſtantia, vt in exemplo allato dolij, vel cum dicitur, *hic ſanguis*, non deſtructo calice; vel applicatur rei, quæ non eſt apta ex natura ſua, vel vſu hominum continere aliam, vt eſt panis, & tunc propriè ſignificat ſubſtantiam, quæ ſub illis accidentibus continetur; etenim ly *hoc* deſignat contentum, non quomodocumq; ſed vt demonſtratur per illa accidentia, illa autem accidentia, cum ſint accidentia panis, non poſſunt nõ deſignare panem, quamdiu ſub illis continetur, quia illi inhærent; ergo ſi ibi remanet ſubſtantia panis, panem deſignarent non corpus Chriſti; & ſic ſemper falſa eſſet propoſitio Chriſti; cum igitur propoſitio Chriſti ſit veriſſima, debemus fateri ibi nullo modo eſſe ſubſtantiam panis: ſicuti enim oſtenſa crumena, in qua ſit aurum, & argentum; non poſſumus cum veritate dicere ſimpliciter, *Hoc eſt aurum*; ita ſi ſub illis accidentibus eſſet etiam ſubſtantia panis, non poſſet Chriſtus cum veritate dicere, *Hoc eſt corpus meum.*

11 Concluſio ſecunda. Subſtantia panis non manet hypoſtaticè vnita in hoc Sacramento Verbo diuino. Eſt certiſſima, & deducitur ex præcedenti; nam ſi non remanet ſubſtantia panis; ergo neque remanet vnita; nam ad hoc, vt vniatur, debet eſſe. Confirmatur 1. quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. can. 2. defi-

Digitized by Google

deſinit remanere dumtaxat ſpecies panis, & vini; ergo ſubſtantia panis non poteſt remanere vllo modo vnita. Confirmatur ſecundò; nam vel illa vnio facta eſſet immediatè inter naturam ſubſtantialem panis, & Verbum, vel inter Chriſti corpus, & naturam panis; non primum, quia ſic quotidiè fieret hæc vnio, & impanatio, qua nihil videtur abſurdius: tum quia, ſi hoc ita eſſet, maximè vt verificari poſſet illa locutio Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, cum ly *hoc* deſignet panem, non poſſit autem corpus Chriſti prædicari de pane, niſi panis ſit Verbo vnitus: ſed etiam data vnione hypoſtatica panis ad Verbum, panis non poſſet prædicari de corpore Chriſti; aut corpus Chriſti de pane; ergo nullo modo eſt ponenda hæc vnio, & ad nihil inſeruiret: probatur minor; nam modo eſt vnita natura humana cum Verbo, cum quo identificatur natura diuina, & tamen eſt falſa iſta propoſitio: *Natura diuina eſt corpus Chriſti*, ſicuti & iſta: *Corpus Chriſti eſt Deus*, vel *Eſt natura diuina*; ergo etiam ſi daretur talis vnio, quam fingunt inter Verbum, & panem, non per hoc poſſet dicere Chriſtus, *Panem eſſe corpus ſuum, aut vinum ſanguinem ipſius.*

12 Ex his conſtat falſam eſſe ſententiam Durandi in 4. diſt. 11. q. 3. aſſerentis remanere materiam panis, & vini; ſecundò falſas etiam eſſe ſententias aſſerentes remanere formam, vel exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam; cum Concilium Tridentinum clarè definiat fieri in hoc Sacramento conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, & vini, in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, remanentibus dumtaxat accidentibus; ergo ſi remanent dumtaxat accidentia, nihil ſubſtantiæ panis remanet; & ſic neque materia, neque forma, neque exiſtentia, neque ſubſiſtentia, aut indiuiduatio panis, & vini remanent, cum hæc omnia ſpectent ad ſubſtantiam ipſius.

13 Dices tamen: in tantùm non remanet panis, in quantùm conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti: ſed ſubſiſtentia non conuertitur in ſubſiſtentiam corporis Chriſti, quia hæc eſt diuina, in quam nihil poteſt conuerti; ergo ſaltem ſubſiſtentia permanet. Sed contra nego conſequentiam, nam ſubſiſtentia deſinit eſſe non per hoc, quòd conuertatur in ſubſiſtentiam corporis Chriſti, ſed quia deſtructa ſubſtantia panis, vel vini, etiam ſubſiſtentia deſinere debet; quare ſicuti ſubſiſtentia Verbi eſt tantùm per concomitantiam in hoc Sacramento, non ex vi verborum, vt infra explicabimus; ita ſubſiſtentia panis, vel vini deſinit eſſe non ex vi conuerſionis formaliter, ſed per concomitantiam, quia ſcilicet deſinit natura panis, ſine qua non manet ſubſiſtentia.

14 Obiiciunt primò Hæretici. Hoc Sacramentum ſæpe in ſcriptura dicitur panis; ergo verè ibi adeſt panis, licèt etiam adſit caro Chriſti, ratione cuius aliquando dicitur caro.

Reſpondeo hoc Sacramentum aliquando vocari panem, vel quia ex pane conficitur, vel quia intuentium oculis, cum caro ſit, panis videatur, vel quia vſum panis retineat cibando, & nutriendo, vel quia terminus *ad quem* ſæpe retinet nomen, quod illi conueniebat ſub termino *à quo*; ſic de Heua Geneſ. 2. dicitur: *Hoc nunc os de oſſibus meis*. Ex alia verò parte, cum hoc Sacramentum ſæpius dicatur panis cum addito, nempe panis vitæ, cœleſtis, ſuperſubſtantialis, his ſatis indicatur non eſſe verum panem, ſed verum corpus Chriſti. Idem poteſt reſponderi, dum in ſcriptura ſanguis Chriſti dicitur vinum.

15 Obiiciunt ſecundò. Quædam Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus videntur aſſerere poſt conſecrationem ſubſtantiam panis in Euchariſtia remanere, vt Gelaſij in lib. de duabus naturis, ſic loquentis: *Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti diuinum eſt, & tamen non deſinit eſſe ſubſtantia panis, & vini.* Chryſoſtomi epiſt. ad Cæſarium Monachum, qui dicit: *Poſt conſecrationem liberari panem ab appellationibus panis, & dignum fieri appellatione Dominici corporis, etiam ſi natura panis in ipſo permaneat.* Theodoreti, qui dialogo 2. ſic ait: *Signa myſtica poſt ſanctificationem à natura propria non recedunt, manent ſiquidem in priori ſubſtantia, figura, forma, &c.*

Reſpondeo, duo prima teſtimonia non eſſe Gelaſij, & Chryſoſtomi, vt rectè oſtendit Canus lib. 6. de locis theologicis cap. vltimo, & communiter Doctores de hoc ſcribentes. Ad Theodoretum aliqui ipſum legunt, non vt obiicitur: *Sed in prioris ſubſtantiæ, figuræ, forma &c.* quo modo ſtat pro nobis, non contra, vt ex ſe patet: ſi autem legatur, vt obiicitur, neque etiam eſt contrarius; nam dicit ſigna myſtica non recedere poſt ſanctificationem à natura propria; at ſigna ſunt accidentia non ſubſtantia panis, nam panis non eſt ſignum, vt de ſe patet; cum ei conuenire non poſſit ſigni definitio; hæc autem ſigna manere in priori ſubſtantia eſt idem, ac manere in priori eſſentia eorum, quo ſenſu eſſentia accidentium dici poteſt ſubſtantia ipſorum, quæ à Græcis *oſia* appellatur, vnde nihil contra nos.

Digitized by Google

16 Obijciunt tertiò. Ex accidentibus, & operationibus colligitur exiſtentia ſubſtantiæ; tum quia Deus homines non decipit; tum quia ex operationibus naturæ humanæ in Chriſto colligitur vera humanitas; ergo ſimiliter ex accidentibus, & operationibus panis, & vini in hoc Sacramento colligitur ſubſtantiam panis, & vini ibi adeſſe.

Reſpondeo antecedens eſſe verum naturaliter loquendo, non verò in ordine ad Dei potentiam; neque hinc ſequitur vlla deceptio, quoniam, vt rectè docet D.Thom. hic ar. 5. ad 2. accidentia, quæ ſenſibus obijciuntur verè exiſtunt; ſubſtantia autem non eſt obiectum ſenſus, ſed intellectus; hic autem per fidem præſeruatur ab errore; è contra verò in myſterio Incarnationis fides, & auctoritas diuina eſt conformis ſenſui; & ideò ex operationibus naturæ humanæ in Chriſto vera colligitur humanitas.

ARTICVLVS II.

An per abſolutam potentiam poſſint eſſe ſubſtantia panis ſimul cum corpore Chriſti.

1 QVæſtio præſens non procedit, an poſſint eſſe, ſimul ſubſtantia panis cum ſubſtantia corporis Chriſti per actionem conuerſiuam, ſicuti modo fit; nam clarum eſt, quod ſi ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, vtique non remanet, ſed quæſtio eſt, an alia actione, quæ non ſit conuerſiua ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, exiſtente corpore Chriſti in Cœlo poſſit nihilominus fieri præſens in Sacramento ſub ſpeciebus panis, & vini, taliter tamen, vt etiam remaneat ibi ſubſtantia panis, & vini.

2 Prima ſententia eſt Capreoli in 4. diſt. 11. q. 5. Palud. q. 2. Ferrar. in 4. contra Gentes cap. 63. D. Bonauent. in 4. diſt. 11. quæſt. 3. ar. 1. Gonet. diſp. 4. art. 1. nu. 19. Nugni hic q. 75. art. 2. diff. 3. & aliorum, quos citat Paſſarinus hic art. 2. hæc vult implicare contradictionem, quod corpus Chriſti poſſit poni in hoc Sacramẽto ſimul cum ſubſtantia panis, & vini; Nugnus tamen, & Paſſarinus volunt tantum hanc opinionem eſſe probabilem, cum & contrariam probabilem iudicent.

Secunda ſententia eſt Caiet. hic q. 75. ar. 2. Scoti in 4. diſt. 10. q. 1. & diſt. 11. q. 3. Durand, quæſt. 1. Suarez diſp. 49. ſect. 1. & plurium aliorum; hæc docet nullam eſſe implicantiam, & per conſequens poſſe Deum ponere corpus Chriſti in Euchariſtia remanente corpore in Cœlo, ſicuti modo eſt, & remanẽte ibi ſubſtantia panis, & vini.

3 Concluſio eſt cum hac ſecunda ſententia. Probatur; potentiæ diuinæ concedendum eſt quidquid non inuoluit contradictionem; ſed nulla, vel leuis contradictio apparet in hoc, quod corpus Chriſti conſtituatur præſens remanente ſubſtantia panis, & vini; ergo hoc Deo nullo modo eſt denegandum; probatur conſequentia, hæc implicantia ſi eſt, vel oritur ex eo, quod quantitas corporis Chriſti non poſſit eſſe cum quantitate panis; & hoc non; quia duo corpora poſſunt ſimul penetrari in eodem loco, & de facto nunc quantitas corporis Chriſti eſt, vbi adeſt quantitas panis; ergo ex hoc capite nulla eſt repugnantia, quæ per Dei potentiam vinci non poſſit; vel oritur ex eo, quod non poſſimus aſſignare actionem, qua ibi ponatur corpus Chriſti, ſi non ſit per conuerſionem; & neque hæc ratio vllo modo probat; nam poſſet conſtitui præſens per hoc, quod reproducatur à Deo ſub illis ſpeciebus, & penetratiuè cum ſubſtantia panis, abſque eo, quod Deus ceſſet à conſeruatione ſubſtantiæ panis; ergo &c.

4 Objicies primò cum D. Th. art. 2. & in 4. diſt. 11. q. 1. ar. 1. quæſtiunc. 1. Impoſſibile eſt, quod aliquid ponatur alicubi, vbi prius non erat, niſi per loci mutationem, vel per alterius conuerſionem in ipſum; ſed Corpus Chriſti non poteſt poni in Sacramento per loci mutationem, quia ſic deſineret eſſe in Cœlo, ergo debet poni præſens per conuerſionem; ſed implicat poni per conuerſionem, niſi deſtruatur ſubſtantia panis; ergo implicat poni Corpus Chriſti in hoc Sacramento cum ſubſtantia panis.

Reſpondeo negando maiorem; poteſt enim aliquid poni præſens in aliquo loco per hoc, quod ibi replicetur, ſiue hæc replicatio debeat fieri per reproductionẽ, ſiue alio modo, de qua quæſtione infra, dũ inquirèmus terminum actionis tranſubſtãtiatiuæ; quicquid enim ibi dicemus hic applicari poteſt. Neque D. Thom. eſt contrarius loquitur enim de facto contra hereticos; ſic autem Chriſtus fit præſens per conuerſionem ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti, quomodo certè debet deſinere ſubſtantia panis. Sic explicant D. Thom. Caiet. Sotus, & plures alij, tum ex Thomiſtis, tum ex alijs.

5 Inſtabis hæc repticatio, vel fit per creationem, & hoc non, quia quod præexiſtit non poteſt creari, vel per adductionem, & neque hoc, quia, quod adducitur, debet tranſire per medium,

& re-

Digitized by Google

& relinquere terminum à quo, ergo tantùm per conuerſionem; nulla enim alia actio poteſt excogitari; ſi verò fiat per conuerſionem; ergo non poteſt remanere ſubſtantia panis.

Reſpondeo hanc actionem non eſſe propriè creationem, propter rationem adductam, ſed eſſe replicationem ipſius corporis in aliquo loco; an verò hæc dicenda ſit actio adductiua, vel productiua, dicetur infra.

6 Obijcies 2. Si Corpus Chriſti fieret præſens ſiue conuerſione, vel eſſet præſens per ſuam ſubſtantiam, vel per quantitatem, vel per vtrumque ſimul; non ſecundum, aut tertium, quia alioquin eſſet præſens quantitatiuè; neque primum, quia ſubſtantia materialis, vt abſtrahit à quantitate, non poteſt fundare aliquod genus præſentiæ, cum abſtrahat à contactu.

Reſpondeo Corpus Chriſti fore præſens ſubſtantiæ panis per ſuam ſubſtantiam, & quantitatem, quæ conſequitur ſubſtantiam, non tamen eſſet præſens quantitatiuè, ſed indiuiſibiliter correſpondendo accidentibus panis.

ARTICVLVS III.

An deſitio panis, & vini ſit adnihilatio.

1 HÆc quæſtio potius eſt de nomine, quam de re; nam omnes catholici fatentur, (paucis exceptis, de quibus egimus art. 1. huius quæſtionis,) nihil ſubſtantiæ panis, & vini remanere, ſed deſinere; an verò propter hoc talis deſitio dicenda ſit anihilatio, nec ne, quis non videat eſſe puram quæſtionem de nomine, vnde nulla cenſura notari poteſt ea opinio, quæ aſſerit deſitionem panis eſſe adnihilationem, quid quid dixerit Sotus in 4. diſt. 9. qu. & ar. 4. cum hæc ſit opinio grauium Doctorum, qui de facto nunc eam defendunt.

2 Maior in 4. diſt. 11. qu. 1. Ocham qu. 6. dub 7. Gabriel qu. 1. Scotus citatus à Lauræa diſp. 20. de Euch. ar. 6. plures Scotiſtæ, & alij ſuſtinent deſitionem panis eſſe adnihilationem, hancque probabilem etiam cenſet Arriaga diſp. 35. ſec. 5. ſubſec. 2.

D. Thom. hic ar. 3. Caietanus, Nugnus, Syluius, Porrecta, ibidem Gonet diſp. 4. de Euch. ar. 3. Paſſarinus com. 15. & plures alij Thomiſtæ. Suarez diſp. 50. ſec. 7. Vaſquez diſp. 183. cap. 2. Amicus diſp. 18. ſec. 7. Lugus diſp. 7. ſec. 12. Arriaga loco citato, & communiter DD. negant talem deſitionem eſſe adnihilationem.

3 Concluſio. Deſitio panis, & vini in Euchariſtia non eſt propriè adnihilatio. Probatur concluſio ab aliquibus ſic. quia aliquid ſubſtantiæ remanet; ergo non adnihilatur. Sed contra hæc ratio ſupponit falſum; nam in articulo primò vidimus ex definitione Concilij Tridentini remanere dumtaxat accidentia.

4 Probatur à Ledeſma ſic, quam rationem approbat Arriaga. Remanent accidentia, quæ poſſunt reputari aliquid panis & vini; ergo verè panis, & vinum non adnihilantur; probatur conſequentia, quia adnihilatio debet tendere in purum nihil. Sed contra, quia adnihilatio apponitur creationi; ergo ſicuti creatio eſt productio entis nullo concurrente ſubiecto, ita adnihilatio erit ſubtractio concurſus conſeruantis rem independenter à ſubiecto: ſed verè deſinit ſubſtantia panis, & vini nullo remanente ſubiecto; ergo adnihilatur. Confirmatur, quia ſi de nouo producatur eadem materia ſubijſdem accidentibus creatur; nam eſſet producatio entis ex nullo præſuppoſito ſubiecto. Verùm nedum ex hoc remanet impugnata ratio allata; nam creatio eſt ex nihilo ſimpliciter; ergo; & adnihilatio debet tendere in nihilum ſimpliciter, quoadusque autem manent accidentia panis, & vini, ſemper remanet aliquid panis, & vini; & ideo nec eorum productiò ſub iiſdem accidentibus eſt creatio, nec deſitio remanentibus accidentibus eſt adnihilatio, quare fateor hanc rationem poſſe ſuſtineri; nam quotieſcumque aliquid remanet rei alicuius, certè res illa non eſt adnihilata, cenſetur autem remanere aliquid panis & vini, dum accidentia ipſa remanent.

5 Probatur modo ratione fundamentali D. Thom. Vt aliquod abſolutè adnihiletur requiritur primò, vt nihil rei, quæ definit eſſe maneat: ſecundò, vt deſitio non habeat ſubiectum permanens poſt illam: tertiò, vt nihil poſitiuum rei deſinenti ſuccedat: defectu primi compoſita materialia, dum corrumpuntur, non dicuntur adnihilari; defectu ſecundi formæ materiales, dum deſiniunt eſſe, non adnihilantur; defectu verò tertii conuerſio vnius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam non eſt adnihilatio.

6 Quia tamen poſſunt aduerſarij reſpondere dicendo, hoc eſſe, quod quæritur, & hoc ipſum debere probari, cur conuerſio totius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam non ſit adnihilatio, cum de facto prior ſubſtantia tota pereat: Sic probatur: Actio deſumit ſuam ſpecificationem, & denominationem à termino *ad quem* vltimato; ſed terminus vltimatus illus

Digitized by Google

tus ilius actionis conuerſiuæ non eſt non eſſe panis, ſed poſitio Corporis Chriſti: ergo cum terminùs vltimatus ſit quid poſitiuum non verò non eſſe panis, talis actio debet denominari poſitiua, & tranſubſtantiatio, vt vocant Concilia, non adnihilatio. Et explicatur magis;nam adnihilatio tendit ad nihilum eſſentialiter, ita vt omnis terminus poſitiuus, qui ſequitur per accidens ſe habeat ad illam: ſed deſitio panis intrinſecè tendit in Corpus Chriſti per conuerſionem; ergo deſitio panis nullo modo eſt dicenda adnihilatio: maior probatur, quia adnihilatio ſecundùm ſe dicit mutationem directè oppoſitam creationi; ergo ſicuti creatio eſſentialiter eſt ex nihilo ſimpliciter, ita adnihilatio tendit in nihilum ſimpliciter: probatur minor primi argumenti: nam ſicuti corruptio aquæ per ſe pendet à generatione aeris v.g. ita deſitio panis per ſe pendet à poſitione Corporis Chriſti. ergo &c.

7 Obijcies primò. Etiamſi productio animæ rationalis per ſe vltimatè tendat ad conſtituendum compoſitum hominis, quia tamen per ſe primò fit ex nihilo verè creatur; ergo à contrario, etiam deſitio panis, quia per ſe primò tendit in nihilum, etiamſi ei ſuccedat Corpus Chriſti, adnihilatur.

Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia productio animæ rationalis eſt actio, realiter diſtincta antecedens productionem hominis, & eſt abſolutè ex nihilo: at deſitio panis eſt actio tendens in Corpus Chriſti, & ideo non eſt adnihilatio.

8 Dices. Deſitio panis fit per ſuſpenſionem diuini concurſus, quo conſeruatur in eſſe; ergo eſt actio diſtincta, & vera adnihilatio. Confirmatur, ſi Deus ſtatueret in inſtanti, quo moritur homo & generatur cadauer, ſuſpendere ſuum concurſum, quo conſeruatur anima rationalis, hæc adnihilaretur, licèt talis adnihilatio eſſet cum productione alterius formæ; ergo etiam cum Deus ad poſitionem Corporis Chriſti ſuſpendat ſuum concurſum, quo conſeruatur panis, deſitio panis erit adnihilatio.

Reſpondeo diſtingueudo antecedens: deſitio panis fit per ſuſpenſionem concurſus diuini in genere cauſæ efficientis præciſè, nego antecedens: fit per ſuſpenſionem concurſus diuini in genere cauſæ efficientis, & per poſitionem Corporis Chriſti in genere cauſæ formalis, eo modo, quo ad poſitionem vnius formæ materialis eſt incompoſſibilis alia, concedo antecedens; ergo eſt adnihilatio; negatur conſequentia; fateor quidem eſſe actionem diſtinctam, ſi inadæquatè ſumatur, quatenus eſt tranſitus de eſſe panis ad non eſſe panis; at adæquatè eſt tranſitus de eſſe panis in Corpus Chriſti, ex quo ſequitur non eſſe panis, quare cum terminus, qui primò intenditur ſit quid poſitiuum, nempe Corpus Chriſti, nullo modo poteſt eſſe adnihilatio. Ad Confirmationem, Arriaga negat antecedens, nam in tali caſu non adnihilaretur, ſed ei ſuccederet alia forma, ſi tamen aliquantulum duraret poſt ſeparationem, & poſtea deſineret in tali caſu fatetur fore adnihilatam: ſed melius negatur conſequentia, & diſparitas eſt, quia anima rationalis etiam ſeparata à corpore debet naturaliter exiſtere, & eſt mutatio diſtincta, ad quam non concurrit productio formæ cadauereitatis:at deſitio panis fit per poſitionem corporis Chriſti, & eſt de ratione talis actionis tranſubſtantiatiuæ, vnde non eſt adnihilatio.

9 Obijcies 2. Si dum deſinit forma materialis,deſineret etiam materia, talis res eſſet adnihilata:ſed hic deſinit, & materia, & forma panis; ergo eſt vera adnihilatio.

Reſpondeo, quod dum deſinit forma cum materia, vel ita deſinit, vt nihil ſuccedat, & ſic fateor eſſe adnihilationem: vel aliquid aliud ſuccedit ſub aliquo termino communi, nempè ſub iiſdem accidentibus, & ſic nego eſſe adnihilationem, huiuſmodi autem eſt deſitio panis per poſitionem corporis Chriſti. Tandem dicas, ne faciamus quæſtionem puram de nomine: ſi per adnihilationem velis intelligere nihil ſubſtantiæ panis, & vini remanere, certè in hoc ſenſu poteſt dici adnihilatio: ſed verè hæc non eſt propria adnihilatio, nam ad hanc propriè ſumptam non ſolùm requiritur, vt nihil remaneat, ſed etiam vt nihil poſitiuum ſuccedat.

ARTICVLVS IV.

Quid ſit præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus.

1 CHriſtum verè, ac realitèr eſſe præſentem ſub ſpeciebus panis, & vini poſt conſecrationem, certum eſt de fide; & colligitur ex Triden. ſeſſ. 13. cap. 1. vbi definitur, Chriſtum verè realitèr, ac ſubſtantialitèr eſſe in hoc Sacramento, qua veritate poſita, inquirunt modo Theologi, quid ſit, & qualis nam ſit hæc præſentia corporis Chriſti?

2 Prima ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 1. & alibi, Lauręæ de Euchariſtia diſp. 21. art. 3. & communis

Scoti-

Digitized by Google

Scotiſtarum, hæc vult præſentiam nil aliud eſſe, quam relationem quandam extrinſecus aduenientem, quam dicunt fieri per actionem conſecrandi. Non multùm ab hac opinione differt Durandus in 4. diſt.11. quæſt.1. qui vult hanc præſentiam eſſe præſentiam ordinis corporis Chriſti ad ſpecies, ratione cuius ita ſe illis exhibet, vt ſine ſui mutatione poſſit in illis, aut per illas vbicumque illæ fuerint operari, ſicuti etiam de Angelis in 1. diſtin.37. qu.1. dixit eos eſſe in loco per præſentiam ordinis. Alij quos ſuppreſſo nomine citat Suarez diſput.47. volunt hanc præſentiam eſſe actionem corporis Chriſti, qua conſeruat ſpecies ſactamentales.

Secunda ſententia communior inter Doctores docet hanc præſentiam eſſe modum quemdam realem abſolutum, ſed in hoc, adhuc diuiſi ſunt auctores, nam alij volunt hunc modum eſſe ſubſtantialem; ſic Nugnus diſp.76. artic.6. diff.2. Gonet. diſp.5. de Euch.art.3. Alij verò, volunt eſſe modum accidentalem de prædicamento vbi, ſic Suarez hic diſp.47. Lugo diſp.5. ſect.7. Amicus diſput.19. ſect.8. Arriaga diſp.32.ſect.1. & plures alij.

Tertia ſententia principalis eſt Nominalium, & omnium illorum, qui negant modos Caiet. hic Aluarez 3. par. diſp.13. Ioan. à S. Tho. in Phyloſ. qu.6. art.3. Paſſarin. hic qu.76.art.4. Coninch. qu.75. art.4. dub.1. Bernal. diſp.31. de Sacra. §. 2. & plurium aliorum, hæc vult hanc præſentiam nihil aliud eſſe, quam complexum reale ipſius corporis Chriſti ſub ſpeciebus; ita vt quemadmodum prius erat præſens ſubſtantia panis ſine alio modo, ita nunc ſit ſubſtantia corporis Chriſti, quæ loco ſubſtantiæ panis ſuccedit; in ordine verò ad locum ſit complexum eiuſdem ſubſtantiæ corporis Chriſti cum ſpatio, ſeu loco.

3 Concluſio prima. Hæc præſentia non eſt ordinis præſentia, neque relatio, neque actio aliqua corporis Chriſti circa ſpecies, neque modus aliquis ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis.

4 Probatur prima pars, quod non ſit præſentia ordinis, vt voluit Durandus; nam hic auctor vult corpus Chriſti ita ſe exhibere præſens ſpeciebus per hanc præſentiam ordinis, vt ſine ſui mutatione poſſit in illis, & per illas vbicumque fuerint operari, eo modo, quo alibi dixit Angelum eſſe vbique per præſentiam ordinis, & animam Chriſti per ſolam eam præſentiam deſcendiſſe ad inferos: ſed hic modus præſentiæ erroneus eſt; ergo nullo modo admittendus: probatur minor; quia hic modus dicit tantùm prçſentiam ſecundùm virtutem, & efficaciam, non rei veritatem, & ſubſtantiam: ſed corpus Chriſti eſſe prçſens ſecundùm virtutē, & efficaciam, non ſecundùm veritatē, & ſubſtantiam eſt contra Trident. quod ſeſs.13. cap.1. definit Chriſtum poſt conſecrationem ſua ſubſtantia eſſe multis in locis nobis præſentem; ergo iſte modus præſentiæ à Durando aſſignatus, vt erroneus eſt reijciendus. Confirmatur: quia ſi Chriſtus exiſtens tantùm in Cœlo vteretur ſpeciebus ad effectus ſupernaturales, diceretur eſſe præſens illis per præſentiam ordinis ſecundùm virtutem, & efficaciam: ſed hæc præſentia non ſaluat veram realem, & ſubſtantialem præſentiam, quam vult Trid. ergo nullo modo admittenda eſt hæc opinio.

5 Secunda pars ſic reijcitur; nam vel per relationem hi auctores intelligunt realitatem quandam aduenientem corpori Chriſti, & hoc non, quia non dantur huiuſmodi relationes, quæ ſint diſtinctæ realitèr à fundamento, & termino, vt probatum fuit in tract. de Trinitate quæſt.2.art.1. vel intelligunt complexum indiſtantiæ corporis Chriſti à ſpatio imaginario, & ſpeciebus ſacramentalibus, quod complexum poteſt vocari relatio; & ſi hoc modo, non diſtinguitur in re hæc opinio à noſtra, quā infra ponemus, malè tamen dicitur relatio; cum hoc eſſe in loco non ſit relatio, ſed quid ſpectans ad prçdicamentum vbi. Reijcitur 2. Si admitteremus relationem eſſe entitatem quandam reſultantem poſito fundamento, & termino; nihilominus in propoſito relatio ipſa non eſſet præſentia, quod ſic probatur. In eo non conſiſtit præſentia, quod reſultat poſita præſentia: ſed hæc relatio reſultaret poſita præſentia Chriſti in ſpatio imaginario indiſtante à ſpeciebus conſecratis; ergo in relatione iſta non conſiſtit præſentia: maior patet: probatur minor: in tantùm reſultat iſta relatio in quantū intelligitur corpus Chriſti indiſtans à ſpatio, & intimè penetratum cum ſpeciebus conſecratis; ergo per prius eſt corpus Chriſti eſſe indiſtans à ſpatio, & eſſe penetratum cum ſpeciebus, quam quod reſultet relatio: ſed eo ipſo, quod corpus Chriſti eſt indiſtans à ſpatio, & penetratum cum ſpeciebus eſt præſens ipſis; non enim diſtat ab ipſis; ergo per priùs eſt adeſſe præſentiam, quam reſultet iſta relatio realis. Et propter eamdem rationem non poteſt eſſe actio corporis Chriſti circa ſpecies, etenim dato, quod detur huiuſmodi actio Chriſti circa ſpecies; nihilominus prius eſt corpus Chriſti eſſe præſens, quam

opere-

Digitized by Google

operetur, ſicuti prius eſt aliquid eſſe alicubi, quam operetur; ergo etiam priùs eſt corpus Chriſti eſſe præſens ſpeciebus, quam operetur circa illas.

6 Dices hanc actionem non eſſe quidem actionem, quam exercet corpus Chriſti erga ſpecies, ſed eſſe actionem conuerſiuam ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti. Sed contra, quia conuerſio panis in corpus Chriſti poteſt eſſe eadem abſque eo, quod corpus Chriſti ſit in hoc loco, & ſemel poſita, adhuc corpus Chriſti mutat locum, ſi ſpecies circumferantur; ergo ipſa nō poteſt eſſe ratio formalis conſtituendi corpus Chriſti præſens loco, & ſpeciebus; vnde aliud eſt, quod prærequiratur illa conuerſio, aliud eſt, quod conuerſio ſit ratio formalis conſtituendi corpus Chriſti in loco, & ſub ſpeciebus; primum eſt verum; at ſecundum falſum eſt, vt de ſe patet, & remanet probatum; & de hoc nos loquimur.

7 Tertia pars, quod hæc præſentia non ſit modus ſubſtantialis, vel accidentalis, ſic reijcitur 1. quia non ſunt ponendę entitates modales ſine neceſſitate: ſed omnes iſti modi ſunt ſuperflui, vt alibi probatum ſuppono, & magis patebit ex probatione noſtræ concluſionis; ergo nullo modo ſunt admittendi. Reijcitur ſecundò, quod non ſit modus ſubſtantialis, quia in hoc Sacramento poſt conſecrationem remanēt dumtaxat accidentia panis, & vini, & ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti, vt definit Trid. ſeſſ. 13. can. 2. ſed ille modus ſubſtantialis, neque ſpectat ad ſubſtantiam corporis Chriſti, neque poteſt eſſe accidens panis, vel vini; ergo non datur ille modus ſubſtantialis in Sacramēto; quod non pertineat ad ſubſtantiam corporis Chriſti probatur, quia vel ſpectat ad ſubſtantiam vt ſubſiſtentia ſubſtantiæ, & hoc non; quia in Chriſto nulla eſt ſubſiſtentia, niſi diuina; vel vt exiſtentia; & neque hoc, quia exiſtentia non diſtinguitur à re exiſtente, ſed eſt vna & eadem res; vel ſpectat ad ſubſtantiam, vt in loco; & neque hoc, quia aliquid eſſe locatum non eſt prædicatum ſubſtantiale, ſed accidentiale; ergo nullo modo eſt admittendus hic modus ſubſtantialis.

8 Concluſio 2. Hæc præſentia corporis Chriſti in ordine ad ſpecies eſt cōplexum ſacramentale ipſius cum ſpeciebus, in ordine verò ad locum eſt complexum ex corpore Chriſti ſpeciebus, & ſpatio.

9 Explicatur concluſio: duplicitèr poteſt conſiderari iſta præſentia corporis Chriſti, vel in ordine ad ſpecies, & hoc modo ſicuti erat illis præſens ſubſtantia panis, & vini penetratiuè cum omnibus ſpeciebus, ita modò eſt ſubſtantia corporis Chriſti, ſecluſa tamen inhærentia accidentium, quia accidentia remanent ſine ſubiecto, nec inhærent vllo modo corpori Chriſti: vel poteſt conſiderari in ordine ad locum, & ſic ſicuti ſubſtantia panis erat præſens per hoc, quod ſimul cum ſpeciebus faceret complexum cum ſpatio; ita nos dicimus corpus Chriſti eſſe præſens, quia ſimul cum ſpeciebus facit complexum locale cum tali ſpatio. Hac explicatione poſita,

10 Probatur concluſio. Eo ipſo, quod intelligimus corpus Chriſti ſub ſpeciebus, præciſo quocumque alio modo, verè intelligimus corpus Chriſti præſens illis, & ſi idem corpus ſimul cum ſpeciebus comparetur ad ſpatium, intelligimus tale corpus in loco; ergo præciſo quocumq; modo per complexum, quo intelligatur eſſe penetratiuè cum ſpeciebus, & per complexum corporis cum ſpeciebus comparatum ad ſpatium, intelligimus corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, & in loco. Confirmatur eo ipſo, quod corpus Chriſti intelligitur eſſe penetratiuè cum ſpeciebus & ſimul cū ſpeciebus in tali ſpatio verè eſt indiſtans à ſpeciebus, & à ſpatio: ſed eſſe indiſtans à ſpeciebus, & ſpatio eſt eſſe præſens ſpeciebus, & ſpatio; ergo eo ipſo, quod intelligitur corpus Chriſti eſſe penetratiuè cum ſpeciebus, & ſimul cum ſpeciebus in tali ſpatio, intelligitur præſens ſpeciebus, & ſpatio.

11 Dices: In tali caſu corpus Chriſti eſſe indiſtans negatiuè non poſitiuè, ſeù eſſe indiſtans materialitèr, & fundamentalitèr, non formalitèr, quo modo tantùm per vbi modale poteſt fieri præſens. Sed contra quia per hoc quod intelligantur paries A. & paries B. albi intelliguntur formalitèr ſimiles; nam ſunt formalitèr tales per formam albedinis; & per hoc, quod duo lapides ſint vnius palmi, ſunt formalitèr æquales; quia habent eamdem formam quantitatis; ergo etiam eo ipſo, quod corpus Chriſti eſt penetratiuè cum ſpeciebus, & ſimul cum ſpeciebus cum tali ſpatio, eſt formalitèr præſens ſpeciebus, & ſpatio, & non tantùm fundamentalitèr. Confirmatur: quod eſt penetratum cum aliquo formalitèr non diſtat ab illo; ergo formalitèr eſt indiſtans ab ipſo; ſed aliquid eſſe formalitèr indiſtans ab aliquo, eſt formalitèr eſſe præſens illi; ergo ſi corpus Chriſti intelligatur penetratiuè cum ſpeciebus, & ſimul cum ſpeciebus in ſpatio, intelligetur formalitèr præſens ſpeciebus, & ſpatio.

12 Obijcies 1. Hæc præſentia corporis

poris

Digitized by Google

poris Chriſti ſub ſpeciebus eſt quid reale in rerum natura, quod prius non erat; ergo eſt modus: probatur conſequentia; quod eſt de nouo in rerum natura, & non eſt, neque corpus Chriſti, neque ſpecies, neque ſpatium locale, debet eſſe diſtinctum ab his omnibus: ſed nihil poteſt intelligi diſtinctum, niſi ſit modus; ergo verè modus eſt.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ad probationem, nego minorem: dico enim hoc eſſe diſtinctum non eſſe ſpecies, neque corpus Chriſti, neque ſpatium, ſi hæc omnia ſumantur ſecũdùm eſſe ſimplex; eſſe tamen hæc omnia, ſi ſumantur ſecundùm eſſe complexum ſacramentale, quod faciunt poſt conſecrationem, quod complexum priùs non faciebant, vt explicatum fuit in concluſione. Contra hanc reſponſionem poteſt inſtari omnibus argumentis, quæ militant contra complexa, quæ tamen ſoluta ſunt varijs in locis, & præſertim in tractatu de Deo vno quæſt. 3. art. 7. & de Incarnatione, dum de vnione Verbi cum natura humana egimus.

13 Obijcies 2. Patres, & Concilia dicũt hanc præſentiam eſſe opus inſigne diuinæ potentiæ; ergo eſt aliquis effectus realis diſtinctus à corpore Chriſti, & ſpeciebus: probatur conſequentia; quia ea diſtinguuntur realitèr, quorum vnum poteſt dari, & datur in rerum natura ſine alio: ſed dantur in rerum natura ſpecies, corpus Chriſti, & ſpatium, & non datur corpus Chriſti ſub ſpeciebus in hoc ſpatio; ergo corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, & in hoc ſpatio eſt aliquid realitèr diſtinctum à corpore Chriſti, ſpecibus, & ſpatio.

Reſpondeo diſtinguendo cõſequens; ex aliquis effectus ſimplex; nego conſequentiam; eſt aliquis effectus, qui ſit complexum reſultans ex his omnibus enumeratis, concedo conſequentiam: dico enim opus inſigne diuinæ potentiæ in hoc conſiſtere, quod corpus Chriſti ponatur ſub ſpeciebus loco panis, & vini, & quod corpus humanum, integrum, & quantùm conſtituatur ibi in indiuiſibili per penetrationem ſuarum partium, & per complexum ſacramentale cum ſpeciebus, & ſpatio: vndè ad probationem, dico dari in rerum natura ea omnia, ſi accipiantur ſecundùm eſſe ſimplex; at ſi ſumantur ſecundùm eſſe ſacramentale, ſeu vt corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus in tali, & tali ſpatio, quod eſt ea ſumere ſecundùm eſſe complexum, nec dantur, nec dari poſſunt, quin corpus Chriſti ſit præſens ſpeciebus, & ſpatio. Ideò &c.

14 Obijcies 3. Corpus Chriſti ita eſt ſub ſpeciebus, vt verè ad motum earum moueatur localitèr, & circumferatur; ergo intercedere debet aliqua vnio cum illis; ſolùm enim complexum locale cum illis non facit, vt ad motum vnius moueatur aliud; ergo datur iſte modus vniens corpus Chriſti cum ſpeciebus.

Reſpondeo negando conſequentiam, ſufficit enim, quod ſit veluti penetratiuè cum illis, ſeu ſuccedat loco ſubſtantiæ panis, vt dum mouentur ſpecies moueatur, & corpus Chriſti.

15 Dices: ſubſtantia panis eſt vnita accidentibus, & ideò mouetur ad motum accidentium; ergo & ſubſtantia corporis Chriſti eſt vnita ſpeciebus, vt ad motum earum moueri poſſit: probatùr conſequentia ex Damaſceno lib. 4. fidei cap. 14. vbi habet. *Quia conſuetudo eſt hominibus comedere panem, & vinum coniugauit eis diuinitatem, & fecit ea corpus, & ſanguinem ſuum.* Quod explicat S. Tho. in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. dicens. *Quod verbum Damaſceni intelligendum eſt quantùm ad ſpecies, quibus corpus Chriſti diuinitati vnitum modo ineffabili coniungitur.*

Reſpondeo concedendo antecedens; & negando conſequentiam, ſi de vnione modali propria loquamur; nam vnio propria, vel eſt formæ cum materia, vel accidentis cum ſubiecto, aut agentis cum paſſo, vel ſuppoſiti cum natura; nulla autem vnio ex his intercedit inter corpus Chriſti & ſpecies; nec enim conſentio cũ Suario, qui admittit vnionem quandam effectiuam, quatenus corpus Chriſti poſitum ſub ſpeciebus effectiuè ſuſtentat accidentia, & accidentia attrahendo conſeruant corpus Chriſti. Etenim corpus Chriſti, quatenus præſentiam ſacramentalem habet, nullam habet efficientiam, nec ſpecies habent vim conſeruandi corpus Chriſti ibi, cum in illud nullo modo agere poſſint; vnde D. Tho. dicit, *eſſe modo ineffabili*. Quare potiùs debet aſſimilari alicui ſubſtantiæ, ſi intra terminos alterius ſubſtantiæ ſine quantitate poneretur, & poſſumus dicere corpus Chriſti eſſe penetratiuè ſub accidentibus panis; ſicuti enim vnum corpus penetrãs aliud eſt intra terminos quantitatis ipſius, & ipſa penetratione illi coniungitur, nec poteſt ab eo diuelli; ita Chriſtus per præſentiam ſacramentalem eſt intra terminos quantitatis panis, vt ab eis ſeparari non poſſit, niſi accidentibus deſtructis; re tamen vera non eſt propriè penetratiuè ſub ſpeciebus, quia non eſt modo quantitatiuo in Euchariſtia; vnde potiùs aſſimilatur

ſubſtantię, ſi intra terminos alterius ſubſtantiæ poneretur; & hæc eſt vnio, quam ponit Damaſcenus, & quam D. Tho. vocat ineffabilem, & nos explicamus per complexum penetrationis corporis Chriſti cum accidentibus, ſeu potius per complexum, quo vna ſubſtantia poneretur in loco alterius, quod myſterium cum clarè explicare non valeamus, meritò à D. Thom. vocatur ineffabile; non verò intentum Damaſceni fuit ponere in hoc myſterio vnionem quamdam modalem, vt ponunt modaliſtæ, cum omnino modi omnes ſint ſuperflui.

ARTICVLVS V.

An præſentia Sacramentalis pendeat à naturali.

1 PRæſentia naturalis, & ſacramētalis in multis conueniūt, & in multis differunt: conueniunt primò, quod vtraque eſt complexum, vtraque eſt terminus motus, vel mutationis, vtraque eſt fundamentum propinquitatis, & indiſtantiæ: differunt autem, quia præſentia ſacramentalis eſt modo indiuiſibili, naturalis modo quantitatiuo excludens aliud corpus in eodem loco, vnde hæc commenſuratur loco, non illa; hinc hæ duæ præſentiæ poſſunt dici differre ſpecie, vt docet D. Thom. in 4. diſt. 10. nam ſicuti præſentia localis Angeli, & corporis differunt ſpecie, ita & præſentia corporis Chriſti ſacramentaliter conſiderati, & in propria, & naturali præſentia; etenim in hac eſt modo quātitatiuo cum partium extenſione, & excludens aliud corpus ab eodem loco, in illa verò eſt modo ſupernaturali ſine actuali extenſione, ita vt totum corpus ſit in omnibus ſpeciebus, & in toto illo loco, & totum ſub qualibet parte, & puncto ſpatij, & ſpecierum. His poſitis.

2 Notandum ad euidentiam propoſitæ difficultatis, quod aliud eſt loqui de naturali præſentia corporis Chriſti, quæ (vt dixi) eſt complexum ex eſſe naturali, & ſpatio, aliud eſt loqui de eſſe corporis Chriſti; hic non comparamus præſentiam ſacramentalem cum eſſe; clarum enim eſt, hoc eſſe neceſſariò requiri; nam cum etiam præſentia ſacramentalis ſit complexum ex corpore Chriſti, & loco, ſi non adeſſet corpus Chriſti vtique eſſentialiter non eſſet præſentia ipſius ſacramentalis: Comparamus ergo præſentiam ſacramentalem cum præſentia naturali, & quærimus an ad hoc, vt habeat præſentiam ſacramentalem, debeat prius habere naturalē; etſi pendet à naturali præſentia, an pendeat eſſentialiter ab illa, vel quomodo.

3 Caietanus quæſt. 76. art. 2. Altiſiodorenſis lib. 4. ſumm. tract. 5. cap. 5. q. 6. & Gonet. diſp. 5. de Euchar. ar. 2. nu. 63. ſuſtinent partem affirmatiuam: docent enim, ita præſentiam ſacramentalem pendere à naturali, vt ſi illa tolleretur, & ſacramentalis tollenda eſſet; imò Caietanus dicit oppoſitum eſſe chimæricum; ſed verè ſi rationes attendantur Caietani, tantùm probant, quod præſentia ſacramentalis dependet ab eſſe corporis Chriſti, quod non negant, qui ſuſtinent contrariam opinionem.

Scot. in 4. diſt. 10. q. 4. Maior. q. 8. Soto q. 1. ar. 2. Ledeſma, Gabriel, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez diſp. 48. ſect. 2. Vaſquez diſp. 192. c. 1. Lugo diſp. 5. ſec. 8. Arriaga diſp. 33. ſec. 1. & 2. Lauræa de Euchariſtia diſp. 21. art. 6. Nugnus q. 76. art. 2. §. *Circa rationem*, & plures alij negant huiuſmodi eſſentialem dependentiam, vel eſſentialem connexionem inter has duas præſentias.

4 Concluſio prima. Sacramentalis præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus eſſentialiter, & intrinſecè non pendet à naturali. Probatur, quia præſentia naturalis non pendet à ſacramentali; ergo nec ſacramentalis à naturali: antecedens patet: tum quia ante inſtitutionem Euchariſtiæ erat in rerum natura præſentia naturalis, & non erat ſacramentalis, & etiam poſt finem mundi erit naturalis non ſacramentalis; imo etiam nunc, ſi conſumarentur omnes hoſtiæ conſecratæ, adhuc remaneret Chriſtus ſecūdùm propriam præſentiam naturalem in Cælo; ergo naturalis non pendet à ſacramentali: probatur ergo prima conſequentia: quod eſſentialiter eſt indifferens ad eſſendum modo naturali quantitatiuò, & modo indiuiſibili, poteſt à Deo poni, vel ſub vno, vel ſub alio, vt Deus maluerit: ſed corpus Chriſti eſt eſſentialiter indifferens, vt ponatur modo naturali, vel ſacramentali, & indiuiſibili; ergo poteſt à Deo poni, vel ſub vno, vel ſub alio, vt Deus maluerit: maior patet; etenim, quia animal eſt eſſentialiter indifferens, vt ſit rationale, vel irrationale, poteſt à Deo poni à parte rei, vel rationale, vel irrationale; & homo, quia eſt eſſentialiter indifferens, vt viuat per comeſtionem carnis, piſcium, vel fructuum, poteſt viuere, vel tantùm comedendo carnes, vel tantùm fructus &c. probatur minor: quia corpus Chriſti non exigit eſſentialiter eſſe modo naturali, & diuiſibili, quod patet; quia ſecus non, poſſet poni in indiuiſibili, & ſacramentali; tum quia de facto,

dum

Digitized by Google

dum exiit ex vtero Virginis, non retinuit locum diuiſibilem, ſed poſitum fuit in indiuiſibili; ergo ſi eſſentialiter non exigit eſſe modo naturali, eſſentialiter erit indifferens ad eſſendum, vel modo naturali, vel ſacramentali.

5 Confirmatur, non repugnat producere corpus penetratum cum alio corpore; ergo nec corpus, quod habeat omnes ſuas partes penetratas, & reductas ad indiuiſibile, imò maius miraculum eſſet producere aliquod corpus penetratum alicubi, & quod ſimul etiam habeat eſſe naturale alibi, quam ſolùm producere idem corpus penetratum in aliquo loco, vel ſub aliquibus accidentibus; quia in priori caſu vltra miraculum penetrationis reperitur aliud, quod idem corpus ſit in pluribus locis; ſequitur ergo clarum, quod ſicuti præſentia naturalis non pendet eſſentialiter à ſacramentali; ita neq; ſacramentalis pendet eſſentialiter à naturali.

6 Concluſio ſecunda. Probabile eſt de facto Deum vti corpore Chriſti ſecundum ſuam præſentiam naturalem conſiderato ad efficiendam præſentiam ſacramentalem. Probatur, quia Chriſtus eſt auctor omnium Sacramentorum; ergo verè ſicuti poteſt vti inſtrumento quocumq; ad conſtituendum ſuum corpus ſub ſpeciebus, potuit etiam vti proprio corpore ſecundùm præſentiam ſuã naturalem conſiderato ad efficiendam præſentiam ſacramentalem; tum quia ſic videtur factum fuiſſe in nocte cœnę. tum quia hoc videntur indicare verba formæ conſecrationis, quæ proferuntur in perſona Chriſti. Ex quo patet præſentiam ſacramentalem non pendere eſſentialiter, & intrinſecè à præſentia naturali, pendere tamen extrinſecè, & in genere cauſæ efficientis inſtrumentaliter concurrentis ad ſacramentalem efficiendam ex Dei beneplacito, qui ita determinauit. Non pendet tamen ex vi præſentis inſtitutionis à Chriſto viuo, ſed tantùm à corpore ſecundùm præſentiam naturalem conſiderato; etenim ſecundùm communem Theologorum potuiſſent Apoſtoli conſecrare in triduo mortis: ſed in triduo mortis non poterat pręſentia ſacramẽtalis pendere à pręſentia naturali Chriſti viui, quia tunc non erat in rerum natura viuus; ergo tantùm poterat dependere à corpore tamquam inſtrumento.

7 Obijcies primò contra primam. Si corpus Chriſti deſineret eſſe extra Sacramentum, deſineret etiam eſſe in Sacramento; ergo ſignum eſt pręſentiam ſacramentalem pendere à naturali: antecedens probatur ex communi conſenſu Theologorum dicentium, quòd ſi Chriſti corpus fieret exanime extra Sacramentum, fieret etiam exanime in Sacramento; ergo ſi deſtrueretur extra Sacramentum, deſtrueretur etiam in Sacramento. Confirmatur, corpus Chriſti tale ponitur in Sacramento, quale eſt extra Sacramentum, ſcilicet paſſibile, vel impaſſibile, viuum, vel mortuum; ergo ſignum eſt ſacramentalem præſentiam habere originem, & dependentiam à naturali.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, dico communem conſenſum Theologorum eſſe, quod corpus Chriſti tale ponitur in Sacramẽto, quale eſt extra Sacramentum ratione concomitantiæ; at poſtquam poſitum eſt, etiam ſi deſtrueretur extra Sacramẽtum poſſet remanere in Sacramento, ſicuti modo ex eo, quod deſinat eſſe in vna hoſtia, non deſinit eſſe in alia, aut in propria naturali præſentia; & ſic patet ad confirmationem; etenim aliud eſt præſentiam ſacramentalem dependere ab eſſe, quod habet Chriſtus, aliud dependere à præſentia naturali; primum vltro concedo, at ſecundum eſt falſum.

8 Obijcies ſecundò. Ex hac reſponſione ſequitur animam Chriſti poſſe ſeparari à corpore extra Sacramentum, & non in Sacramento, & per conſequens poſſe eſſe viuum, & mortuum, ſeu viuũ, & non viuum: ſed hoc implicat contradictionem; ergo nullo modo poteſt eſſe: minor patet; nam eſſet idem corpus, quod eſſet viuum, & non viuum: ſed implicat idem eſſe viuum, & non viuum, vt de ſe patet; ergo implicat animam Chriſti ſeparari à corpore extra Sacramentum, & non in Sacramento.

Reſpondeo concedendo, poſſe animam ſeparari à corpore extra Sacramentum, & non in Sacramento, vel è contra, & de facto, ſi Sacramentum fuiſſet conſeruatum in triduo mortis in Sacramento fuiſſet viuum corpus Chriſti, & in præſentia naturali mortuum: nulla autem eſt in hoc contradictio; nam eſt reſpectu diuerſorum locorum; vnde tunc corpus Chriſti fuiſſet viuum in vno loco; & mortuum in alio; in quo nulla eſt contradictio.

9 Dices primò. Locus eſt quid extrinſecum corpori; & prædicatum viui, vel mortui eſt independens à loco; ergo diuerſitas loci non tollit contradictionem.

Reſpondeo, quod etiam tempus eſt quid extrinſecum corpori, & tamen idem corpus in diuerſo tempore poteſt eſſe viuum, & mortuum, ſeu viuum, & non viuum; & nulla eſt contradictio, quia

quia eſt reſpectu diuerſi temporis, ita licèt locus ſit quid extrinſecum corpori, nulla ſequitur cõtradictio, quod in vno loco ſit corpus viuum, & in alio non; nam ſicuti idem corpus in diuerſo tempore poteſt eſſe viuum, & mortuum ſine vlla contradictione; quia corpus in diuerſo tempore æquiualet duplici corpori; ita in diuerſo loco æquiualet duplici corpori; falſum autem eſt illa prædicata corporis viui, vel mortui eſſe independentia à loco, implicat enim dari corpus viuum, vel mortuum in rerum natura, quod non ſit in aliquo loco; quare ſicuti diuerſum tempus tollit contradictionem, ita & diuerſus locus.

10 Dices ſecundò. Si adnihilaretur corpus extra Sacramentum, deberet etiam adnihilari in Sacramento; ergo ſi fieret exanime extra Sacramentum, deberet etiam mori in Sacramento: antecedens patet; quia ſecus eſſet adnihilatum, & non adnihilatum.

Reſpondeo, quod ſi deſineret eſſe extra Sacramentum, adhuc non adnihilaretur, ſi eſſet in Sacramento; nam ad propriam adnihilationem requiritur, vt nihil rei permaneat, permaneret autem in Sacramento, licèt deſineret eſſe in propria ſpecie. Dixi ad propriam adnihilationem, & nè faciamus quæſtionem de nomine, requiri, vt nihil rei permaneat; ceterum, ſi deſineret eſſe extra Sacramentum, & permaneret in Sacramento, poſſet etiam dici eſſe in propria ſpecie adnihilatum, licèt non poſſet dici abſolutè adnihilatum, cum adhuc habeat eſſe in Sacramento.

11 Obijcies tertiò. Si præſentia ſacramentalis non pendet eſſentialiter à naturali, ſequitur potuiſſe a Deo prius poni in Euchariſtia, quam poneretur in propria ſpecie; ſed hoc implicat; ergo & vnde ſequitur: probatur minor; nam tunc prius eſſet præſens in Euchariſtia, quam eſſet in ſe: ſed implicat aliquid prius eſſe in aliquo loco, quam ſit in ſe; ergo implicat prius eſſe in Euchariſtia, vbi eſſet tamquam in loco, quam ſit in eſſe naturali.

Reſpondeo concedendo ſequelam, & negando minorem: ad probationem nego, quod prius eſſet in Euchariſtia, quam ſit in ſe: in priori enim naturæ prius eſſet in ſe, ſed modo indiuiſibili antequam faceret complexum præſentiæ cum ſpeciebus, & loco, non eſſet autem prius in ſe modo naturali, & extenſo; vnde fit tranſitus ab eſſe ad præſentiam naturalem; dico enim, quod tunc prius eſſet ſub præſentia ſacramentali, quam ſub naturali, non autem prius, quam eſſet in ſe; nam verè produceretur corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, & in priori naturæ prius haberet eſſe in ſe, quam in Sacramento.

12 Hæc dicta ſint ſiſtendo ſemper in dependentia eſſentiali, quam dixi non adeſſe; de facto tamen, quia verba conſecrationis habent vim dependenter ab humanitate Chriſti; & quia, vt dixi in ſecunda concluſione, probabile eſt corpus Chriſti concurrere, vt inſtrumentũ; dicendum eſt, quod ſi deſtrueretur in propria ſpecie, probabile eſt etiam deſtrui in Sacramento, & ſi non eſſet in propria ſpecie, nec poſſet poni ex vi verborum in Sacramento; tum quia, vt dixi, Chriſtus ſe habet, vt cauſa vniuerſalis, qua ablata, particularis non agit; tum quia ſecundùm præſentem inſtitutionem id verba formæ videntur ſignificare, dum dicitur: *Hoc eſt corpus méum*; nam ſemper præſupponunt corpus in propria ſpecie; vnde eſt concludendum, adeſſe dependentim extrinſecam, & vt à cauſa vniuerſali, non autem intrinſecam, & eſſentialem.

13 Obijcies contra ſecundã, vel hęc dependentia ab præſentia naturali Chriſti eſt tamquã à cauſa efficiente phyſica, vel morali: ſed non poteſt eſſe vllo modo; ergo nulla adeſt dependentia; & quidem non poteſt eſſe præſentia naturalis Chriſti cauſa efficiens phyſica; tum quia ſi in triduo mortis Apoſtoli conſecraſſent, verè confeciſſent Euchariſtiam, & tamen Chriſtus tunc non erat in rerum natura: tum quia cauſa efficiens requirit indiſtantiam ad agendum: nunc autem humanitas Chriſti eſt ſecundùm præſentiam naturalem in Cœlo ſummè diſtanti à terra, vbi fit conſecratio; ergo nullam poteſt exercere cauſalitatẽ phyſicam, neque poteſt eſſe cauſa moralis, nam in triduo mortis non erat Chriſtus in rerum natura; quod autem non eſt, nullo modo poteſt eſſe cauſa moralis; nam cauſalitas moralis fundatur in eſſe phyſico.

Reſpondeo, hanc dependentiam à præſẽtia naturali poſſe eſſe, & tamquam à cauſa efficiente phyſica inſtrumentali, & morali: vnde ad primam probationem dico, in triduo mortis non fuiſſe Chriſtum in rerum natura, fuiſſe tamen corpus Chriſti, & hoc poterat eſſe inſtrumentum coniunctum.

Ad 2. dico. Humanitatem Chriſti nunc eſſe in Cœlo, & eſſe diſtantem; at hoc non prohibet, quin poſſit eſſe inſtrumentum Dei vbique præſentis, qui poteſt tali inſtrumento vti ad quidquid non implicat; licèt autem ſit diſtans, eſt tamen intra ſpheram actiuitatis Dei, vnde poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis phy- Quomodo humanitas poſſit eſſe inſtrumentum phyſicum præſentiæ ſacramẽtalis

ſica

Digitized by Google

ſica ipſius. Ad aliam probationem dico; quod ad hoc, vt aliquid ſit cauſa moralis ſufficit ſi aliquando extiterit, vt apprehenſa mouere poſſit.

14 Quæres, an Chriſtus in hoc Sacramento ſit in loco, & quomodo?

Reſpondeo eſſe verè in loco, ſed modo Sacramentali; Quod ſit propriè in loco, patet ex dictis ſupra, & colligitur ex Trid. cap 13. ſeſſ 1. vbi habetur, *Nec enim hæc inter ſe pugnat, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris aſſideat iuxta modum exiſtendi naturalem, & multis nihilominus alijs, in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit*. Quomodo autem ſit vocanda iſta præſentia, certè hęc non eſt circumſcriptiua; quia tunc, aliquid eſt circumſcriptiuè in loco, quando totum eſt in toto loco, & pars in parte. Chriſtus autem hoc modo non eſt in hoſtia; cum ſit totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte. Quare quoad hoc poſſet vocari præſentia definitiua; ſed verè propriè non eſt definitiua, quia eſſe definitiuè alicubi, eſt ita definiri à tali loco, vt non ſit alibi; quod non conuenit præſentiæ Sacramentali Chriſti. Exiſtit igitur, inquit Concilium citatum. *Ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo cogitatione per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus*; hancq; præſentiam non circumſcriptiuam, nec definitiuam; ſed ſacramentalem appellamus.

ARTICVLVS VI.

Quinam ſit terminus productus per actionem conuerſiuam.

1 HÆc eſt præcipua huius tractatus quæſtio, & in Scholis celeberrima, cum difficile admodum ſit aſſignare terminum, qui per hanc actionem conuerſiuam producatur.

2 De fide tamen eſt conuerſionem ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini eſſe veram tranſubſtantiationem. Sic definitum eſt in Concilio Lateranenſe ſub Innocentio III. in Romano ſub Gregorio VII. demum in Florentino, & Trid. ſeſs. 13. cap 4. & can. 2. Ratio eſt, quia tranſubſtantiatio eſt deſitio totius ſubſtantiæ ad poſitionem alterius: ſed tota ſubſtantia panis, & vini deſinit ad poſitionem Corpus, & Sanguinis Chriſti; ergo vera eſt tranſubſtantiatio; quid quid oblatrent hęretici hoc nomen non reperiri in ſcriptura; nam ad hoc vt aliquod nomen verum in fidei myſterijs excogitari poſſit, ſatis eſt, vt detur à parte rei aliquod myſterium, ad quod ſignificandum vſurpatur tale nomen; huiuſmodi autem eſſe Euchariſtiæ Sacramentum, ex dictis patet.

3 Conuerſionis nomine intelligimus tranſitum vnius rei in aliam; & cum dupliciter poſſit vna res tranſire in aliam, vel partialiter, vel totaliter; hinc duplex conuerſio, alia partialis, alia totalis; partialis adhuc duplex, nempe ſubſtantialis, & accidentalis; vel enim vna forma ſubſtantialis conuertitur in aliam, vt dum ex ligno ſit ignis, & habetur conuerſio partialis ſubſtantialis, & coincidit cum generatione ſubſtantiali, vel vna forma accidentalis conuertitur in aliam, vt dum ex frigido ſit calidum, & habetur conuerſio accidentalis coincidens cum generatione accidentali, totalis verò eſt, quando tota vna ſubſtantia conuertitur, ſeu tranſit in aliam, nempe tam ſecundùm materiam, quam formam, & hæc dicitur tranſubſtantiatio.

4 Quatuor autem præcipuæ conditiones requiritur ad veram conuerſionem totalem. Prima eſt, quod verſetur inter terminos poſitiuos, quorum vnus ſit terminus *a quo*, alter terminus *ad quem* nam verè quando aliquid conuertitur, vnum tranſit in aliud. Secunda eſt, quod terminus *a quo* deſinat, & terminus *ad quem* aliquo modo incipiat eſſe de nouo, & hæc etiam conditio deſumitur ex ipſa natura conuerſionis; nam ſi eſt tranſitus vnius rei in aliam, vtique vna res debet aliquo modo deſinere, alia aliquo modo accipere de nouo eſſe. Tertia vt intercedat aliqua connexio inter terminum *a quo*, & terminum *ad quem*; ita vt ex poſitione vnius ſequatur deſitio alterius, ſecus ſi non intercederet hæc connexio, non eſſet conuerſio; vnde ſi Deus adnihilaret lapidem in loco, & in eodem inſtanti produceret alium lapidem, vel in eodem loco, vel alibi, talis productio non eſſet conuerſio, quia nulla eſſet connexio inter productionem lapidis A. & adnihilationem lapidis B. Quarta conditio eſt, quod detur tertium commune vtrique termino, ſub quo communi, terminus *a quo*, & terminus *ad quem* ſibi ſuccedāt, vt de facto hoc commune datur in conuerſione Euchariſtica vbi remanent eadem accidentia panis ſub quibus ſuccedit Corpus Criſti; nam cum conuerſio ſit tranſitus vnius rei in aliam, vt detur iſte tranſitus debet dari aliquod commune ſub quo ſit id, quod tranſit.

In hac quæſtione plures communiter enumerantur ſententiæ & Amicus hic diſp. 18. ſec. 3. octo enumerat; principa-

cipaliores tamen reducuntur ad tres, ſub quibus poſtea ſunt varij modi explicandi.

5 Prima igitur ſententia eſt Scoti in in 4. diſt. 10. Laurçæ diſp. 20. de Euch. ar. 7. Scotiſtarum communiter, Bellar. lib. 3, de Euch. cap. 18. & plurium aliorum, hæc docet terminum huius actionis conuerſiuæ eſſe præſentiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus, & actionem ipſam eſſe adductiuam Corporis Chriſti ad hunc locum. Hęc in re eſt; quam ponit Paſsarinus com. 16. cap. 8. vbi docet non produci per hanc actionem, neque ſpecies, neque Corpus Chriſti, ſed hoc totum, nempe, Chriſti Corpus ſub ſpeciebus, ſeu hoc complexum Sacramentale non productis partibus, & pro hac opinione citat Caietanum, Ferra. Sottum, Ledeſmam, & quamplurimos alios, tum antiquos, tum recentiores.

Secunda ſententia vult eſse Corpus Chriſti, vt ſuccedens loco ſubſtantiæ panis; ita vt terminus huius actionis ſit Corpus Chriſti non abſolutè in ſe, ſed pro vt ex pane. Sic Ioan. à S. Thom. diſp. 28. ar. 2. citans Caiet. & alios. Ad hanc opinionem reducitur id, quod dicit Valentia diſp. 6. qu. 3. nempe eſse ſubſtantialem habitudinem Corporis Chriſti ad accidentia panis; & Amicus, qui aſserit eſse Corpus Chriſti ſuccedens ſubſtantiæ panis in munus ſuſtentandi præciſa inhærentia, ſic loco citato allegans Capreolum, Aureolum, & alios. Alij volunt eſse vnionem ſubſtantialem Corporis Chriſti cũ ſpeciebus; pro hac citatur Soto in 4. diſt. 9. q. 2. Capreolus, & alij.

Tertia ſententia vult terminum huius actionis formalem eſſe ipſam ſubſtantiam Corporis Chriſti; in hac tamen explicanda varij ſunt Doctores; nam aliqui dicunt eſſe quidem Corpus Chriſti, ſed cum illud præexiſtat, dicunt produci hic, quatenus ſupplet ſubſtantiam panis: alij eſſe ſubſtantiam Corporis Chriſti, quatenus in illud eſt conuerſus panis: alij eſſe ſubſtantiam Corporis Chriſti, quæ quidem non recipiat influxum realem, ſed quatenus talis actio apta eſt efficere corpus, ſi non eſſet alibi: alij eſſe Corpus Chriſti, quod ſimpliciter non recipit eſſe, quia eſt alibi, ſed tantùm recipit per modum conſeruationis, ſic Suarez diſp. 50. ſec. 4. qui pro hac ſententia refert Henricum quod lib. 9. quæſt. 8. Alex. Bonauent. Marſilium, & alios. Alij denique docent terminum formalem eſſe Corpus Chriſti de nouo productum. Sic Nugnus quæſt. 75. art. 4. Gonet diſp. 4. de Euch. ar. 2. qui docet eſſe plurium Thomiſtarum, Arriaga diſp. 35. ſec. 3. & citat pro hac opinione Coninchum, Petrum Hurtadum, Tannerum Albertinum, & alios.

6 Concluſio prima. Actio tranſubſtantiatiua panis in Corpus Chriſti non eſt actio adductiua, neqùe terminus formalis illius actionis eſt præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus. Probatur: In hac admirabili conuerſione debet ſaluari tranſubſtantiatio, vt docent Concilia, & Patres: ſed per actionem adductiuam non ſaluatur tranſubſtantiatio ergo conuerſio Euchariſtica non poteſt eſſe actio adductiua: probatur minor: tranſubſtantiatio eſt tranſitus totius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam incompoſſibilem: ſed niſi producatur Corpus Chriſti nòn erit tranſitus totius ſubſtantię panis in ſubſtantiam incompoſſibilem Corporis Chriſti; ergo neque erit tranſubſtantiatio: maior patet: probatur minor: talis eſt actio, & conuerſio, qualis eſt terminus, qui producitur: ſed terminus, qui producitur in hac conuerſione per aduerſarios eſt tantùm præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus: hæc autem eſt accidens quoddam; ergo & conuerſio accidentalis erit, non ſubſtantialis, & tranſubſtantiatio.

7 Dices primò. In conuerſione pręcipuè attendi terminum *a quo*, qui cum ſit ſubſtantia, quæ deſinit, ſufficit vt dicatur tranſubſtantiatio. Sed contra, quia id includit eſſentialiter tranſubſtantiatio, quod exprimitur in eius definitione: ſed in definitione trãſubſtãtiationis non tantùm includitur terminus *a quo*, ſed etiam *ad quem*; definitur enim *tanſitus vnius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam*, vnde, ſi deſineret tantùm ſubſtantia, & non poſſet dici, nec concipi tranſubſtantiatio; ergo verè ad trãſubſtantiationẽ non tantùm debet eſſe ſubſtantia terminus *a quo*, ſed etiam terminus *ad quem*.

8 Dices 2. cum Vaſquez, Cònuerſionem Euchariſticam eſſe tranſubſtantiationem, non quia producatur de nouo ſubſtantia, ſed quia interuenit ordo ſubſtantiarum, quarũ vna ſuccedit alteri, & ideo dici in illam conuerti. Sed contra: quia ſucceſſio vnius ſubſtantiæ loco alterius poteſt quidem dici tranſlocatio, non autem tranſubſtantiatio; nam ſi in loco in quo erat Petrus, qui à Deo deſtruatur, ponatur Paulus, ei quidem ſuccedet in loco, at nulla hic interuenit tranſubſtantiatio, vt de ſe patet; ergo ſola ſucceſſio vnius ſubſtantiæ in loco alterius, quæ deſinit, nullò modo eſt, vel dici poteſt tranſubſtantiatio.

9 Dices 3, cum Lauræa. Si Angelus exiſtat in aliqua parte ſpatij ſibi adæquati, poterit ſe præſentem facere alteri non relicta priori, non per actionem produ-

ctiuam

Digitized by Google

ctiuam, ſed tantùm adductiuam: ergo etiam Chriſtus exiſtens in Cœlo, poteſt fieri præſens in Euchariſtia actione adductiua; & cum hac actione adductiua ſtat, quod vera ſint verba. *Hoc eſt corpus meum*; ſtat quod panis conuertatur in Corpus Chriſti, quod panis deſinat ſecundùm materiam, & formam, quod Corpus Chriſti ſit præſens, & quod terminus ad *quem* panis conuerſi ſit Corpus Chriſti; ergo præter actionem adductiuam nulla alia exigitur. Sed contra: quia Angelus fit præſens per extenſionem quandam in actu ſecundo, quatenus eius virtus apta occupare tantùm ſpatium, ſi ſit tantùm in mediatè ſpatij extenditur ad totam ſphęram ſuam, vnde non poteſt eſſe in partibus diſſitis ſuæ ſphęræ, & non in medio; at de Chriſti Corpore in Euchariſtia hoc dici non poteſt: nam eſt in Euchariſtia, & non in medio; quomodo ergo ibi poſitum fuit, ſi nec ibi productum fuit, nec per medium delatum fuit? Confirmatur hoc, & ſupponamus claritatis gratia, quod Corpus Chriſti ſit tantùm in Cælo ſacerdos conſecret, fit præſens ſubſtantialiter Corpus Chriſti; ergo ſi Corpus Chriſti adducitur; & non reproducitur deberet quoddammodo extendi, & peruenire ad locum, in quo erat ſubſtantia panis; ergo vel debet tranſire per ſpatia intermedia, quod aduerſarij non admittũt, vel debet ibi de nouo produci, & aliter hoc in intelligibile eſt; ſi autem ſine productione non poteſt intelligi corpus præſens, ſequitur quod ſine productione non ſint vera illa verba, *Hoc eſt corpus meum*. quod panis non conuertatur in Corpus Chriſti, & quod hoc non poſſit intelligi pręſens, & tamquam terminus conuerſionis.

10 Cardinalis de Lugo diſp. 7. ſec. 6. n. 28. cum reprobaſſet ſententiam, quæ aſſerit Corpus Chriſti fieri præſens in Euchariſtia per actionem adductiuam; eo quod adductio ſolùm terminatur ad præſentiam localem, quæ non ſufficit ad conuerſionem iſtam, quæ fit in ordine ad ſubſtandum accidentibus; & etiam, quia adductio ſonat Corpus Chriſti venire per motum localem ſucceſſiuum tranſeundo per medium; ponit ſuam ſententiam dicendo, quod talis actio conuerſiua dicitur conſtitutiua Corporis Chriſti ſub ſpeciebus connotando etiam deſitionem ſubſtantialem panis, cum nec deſitio ſecundùm ſe, nec vnito ſecundùm ſe ſit; conuerſio, ſed ad veram conuerſionem requiratur, & deſitio ſubſtantiæ panis, & vnitio Corporis Chriſti ſub ſpeciebus; Deinde totus eſt in probando, quomodo poſſit eſſe vera tranſubſtantiatio, etiamſi non producatur ſubſtantia Corporis Chriſti; quod clarius iam ante docuerat à n. 27. & dicit: Quod panis conuertatur in Corpus Chriſti, non eſt, quod panis deſinat & producatur Corpus Chriſti, ſed eſt, quod ſuccedat Corpus Chriſti ſubſtantię panis, & explicat hoc exemplo generationis hominis, vbi conſiderat duas actiones, alteram qua creatur anima rationalis, alteram, qua vnitur corpori; hinc deducit, quod illa prior, licèt præſupponatur ad generationem hominis, non eſt generatio hominis, ſed generatio eſt altera, qua vnitur corpori; ita à pari in præſenti; etiamſi daretur actio productiua Corporis Chriſti, illa non eſſet conuerſiua, & tranſubſtantiatiua; ſed vltra hanc deberet dari alia actio vnitiua ipſius Corporis Chriſti cum accidentibus & hæc eſſet conuerſiua panis in Corpus Chriſti, quia poſita hac ratione vnitiua intelligitur ſuccedere ſubſtantia Corporis Chriſti ſubſtantiæ panis, quæ deſinit. Sed contra: In hoc myſterio duo debent ſaluari, & quod hæc actio ſit conuerſio tranſubſtantiatiua, & quod Corpus Chriſti fiat præſens in Euchariſtia: ſed ſi non produceretur Corpus Chriſti hæc duo non ſaluantur; ergo debet neceſſariò produci: maior eſt certa, & de fide quoad vtramque partem; Tridentinum enim id deſinit ſeſſ. 13. cap. 1. & 4. probatur ergo minor: vt detur generatio v.g. Petri, non ſufficit, ſi anima ipſius Petri ſit producta exiſtens in cœlo, nam quomodocumque vltimo diſponatur materia in terra, numquam intelligitur generatio, niſi prius anima ponatur indiſtans, & à generante poſſit attingi, quo ad vnionem cum corpore; ergo ſi Corpus Chriſti ſit tantùm in Cœlo, etiamſi deſinat ſubſtantia panis per conſecrationem, numquam poterit vniri accidentibus panis, & ſuccedere loco ſubſtantię panis, niſi ponatur indiſtans ab ipſis accidentibus: ſed niſi producatur, aut adducatur tranſeundo per medium, numquam poterit ſuccedere ſubſtantiæ panis, & ſubſtare accidentibus; ergo cum per aduerſarios Corpus Chriſti non adducatur tranſeundo per medium, vt ſuccedat ſubſtantiæ panis, debet produci.

11 Dices 5. Corpus Chriſti eſt indifferens, vt ſit potius hic, quam alibi, poſito verò vbi ſacramentali, cum eſſentialiter tale vbi eſſe nequeat ſine Corpore Chriſti, etiam eſſentialiter conſtituitur præſens; ideo non eſt neceſſe, quod producatur Corpus, ſed ſufficit, quod producatur vbi, ſeu modus ille præſentię. Sed contra: Corpus Chriſti ſecundùm ſuum naturale eſſe habet ſuam præſen-

Digitized by Google

præſentiam circumſcriptiuam in Cœlo, ſiue hæc præſentia ſit modus, ſiue complexum; ergo eſt determinatũ ad eſſendũ ibi, non indifferens ad eſſendũ potius hic, quam alibi; quando ergo Sacerdos Romæ v. g. conſecrat, hæc præſentia debet poni in corpore Chriſti Romæ, ſeu in corpore Chriſti, quod ſit Romæ ſi non formaliter, ſaltem radicaliter, ſeu quod ſit aptum eſſe Romæ: ſed corpus Chriſti, quod determinatè eſt in Cœlo, non eſt radicaliter Romæ, ſeu aptum eſſe Romæ, niſi vel adducatur, vel producatur; ergo ſine productione numquã poteſt intelligi tranſubſtantiatio, nam per aduerſarios non adducitur de Cœlo in terram.

2 Concluſio ſecunda. Neque terminus actionis tranſubſtantiatiuæ eſt vnio ſubſtantialis corporis Chriſti cum ſpeciebus; neque corpus Chriſti, vt ſuccedens ſubſtantiæ panis. Probatur prima pars, quia corpus Chriſti ſuccedit ſubſtantiæ panis: ſed ſubſtantia panis nullam habebat vnionem ſubſtantialem cum ſuis accidentibus, ſed tantùm illa ſuſtentabat in genere cauſæ materialis, & accidentia inhærebant ſubſtantiæ, quæ vnio nullo modo poteſt eſſe ſubſtantialis, etiam in ſententia admittentium modos; ergo neque corpus Chriſti hanc vnionem ſubſtantialem habere poteſt: tum quia in hoc Sacramento præter corpus Chriſti adſunt dumtaxat accidentia panis, & vini: ſed iſte modus vnionis ſubſtantialis, neque eſſet corpus Chriſti, neque accidentia panis, & vini; ergo non datur; tum quia tertiò, ideò admittitur ab aduerſarijs, vt ſaluetur tranſubſtantiatio; nam cum per ipſos non producatur ſubſtantia corporis Chriſti, debet ſaltem produci hic modus ſubſtãtialis: ſed etiam dato hoc modo non ſaluatur tranſubſtantiatio: nam hæc eſt tranſitus vnius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam, non in modum ſubſtantiæ; ergo etiam dato illo modo, non per hoc ſaluatur tranſubſtantiatio.

13 Probatur ſecunda pars; quia quãdo DD. huius opinionis dicunt terminũ huius actionis eſse corpus Chriſti, vt ſuccedens ſubſtantię panis, vel volũt corpus Chriſti produci, vt ſuccedens ſubſtantiæ panis, vel non, ſi ſic damus manus, & cõueniunt nobiſcum; ſi verò negent produci, de hoc quærimus, quomodo corpus Chriſti poſſit ſuccedere ſubſtantiæ panis, ſi non producatur, nec per motum localem adducatur, vt ipſi fatentur?

14 Concluſio tertia. Terminus formalis actionis tranſubſtãtiatiuæ eſt ſubſtantia corporis Chriſti de nouo producta ſub ſpeciebus. Probatur primò ex Patribus; etenim Cyprianus ſermonẽ de Cœna Domini dixit; *Panis iſte non effigie ſed natura mutatus omnipotentia Dei factus eſt caro*; Et inferiùs loquens de Chriſto, ait: *Qui vſque hodie veriſſimum, & ſanctiſſimum ſuum corpus creat.* Ambroſ. lib. 3. de Sacram. cap. 4. *Panis iſte panis communis eſt ante verba conſecrationis, vbi aduenit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.* Et Aug. relatus in can. *Vtrum ſub figura, de conſecrat. Voluit Dominus hunc panem, & vinum in myſterio verè carnem ſuam, & ſanguinem ſuum conſecratione Spiritus Sancti potẽtialiter creari: vt ſicut de Virgine per Spiritum Sanctum vera caro ſine coitu creatur; ita per eumdem ex ſubſtantia panis, & vini myſticè idem corpus Chriſti conſecretur.* Ex quo loco ſic poteſt formari argumentum. Per Auguſtinum eo modo myſticè conſecratur, & creatur corpus Chriſti in Euchariſtia, ſicuti de Virgine per Spiritum Sanctum vera caro ſine coitu creatur: ſed de Virgine per Spiritum Sanctum vera caro producta fuit; ergo etiam in Euchariſtia verè corpus Chriſti producitur; his addere poſſumus celebrem illam ſententiam, quæ Sancto Auguſtino, & D. Gregorio tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in vtero Virginis Chriſtus quotidiè incarnatur.* Et plures alias Patrum auctoritates adducit Suarez diſp. 50. Quare Ambroſius vtitur exemplo virgæ conuerſæ in colubrum. Cyrillus Hieroſolim. Catheſ. 4. & Cyprianus epiſtol. 63. vtuntur exemplo conuerſionis aquæ in vinum: ſed in cõuerſione aquæ in vinum verè productum fuit vinum; ergo etiam dicendum eſt, quod in Euchariſtia verum Chriſti corpus ſub ſpeciebus producatur.

15 Probatur ratione. Id dicendum eſt in hoc myſterio, quo ſaluemus, & veram præſentiam corporis Chriſti, & veram tranſubſtantiationem: ſed eo ipſo, quod dicimus corpus Chriſti ex pane reproduci ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ſtatim intelligimus veram tranſubſtantiationem, nempe tranſitum ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & veram præſentiam ipſius in hoc Sacramento; & aliter hoc intelligi nequit, vt ſupra ex refutatione aliarum ſententiarum vidimus; ergo dicendum eſt verè corpus Chriſti in Euchariſtia ſub ſpeciebus ſacramentalibus reproduci. Confirmatur, quia ſi non reproducitur, maximè quia implicat rem exiſtentem poſſe iterum reproduci: ſed verè hoc non implicat; ergo dicendum eſt corpus Chriſti in hoc Sacramento reproduci; vt clarè ſic explicemus, & ſaluemus hoc myſterium: maior patet, & conceditur ab aduerſarijs; probatur ergo mi-

Digitized by Google

go minor; Non implicat eumdem numero effectum eſse à pluribus cauſis totalibus in eodem loco, & eodem tempore applicatis; ergo nec etiam implicabit, quod idem producatur per diuerſas actiones in diuerſis locis, & diuerſo tempore; eadem enim eſt paritas; nec maior eſt difficultas in vno, quã in alio.

16 Obijcies primò. Data hæc ſententia ſequitur corpus Chriſti efficere ſeipſum in Euchariſtia: ſed hoc implicat; ergo & vnde ſequitur: ſequela probatur; nam Deus vtitur corpore Chriſti tamquam inſtrumento coniuncto ad ponendum Chriſti corpus in Euchariſtia: probatur ergo minor: nam ſic eſset antequam eſset, nec poſſemus ex effectibus arguere exiſtentiam cauſarum, & & idem dependeret à ſeipſo, quæ omnia ſunt contra rationem, & omnia philoſophiæ principia; ergo dicendum eſt nullo modo corpus Chriſti reproduci.

Reſpondeo, dato id, quod ſuperius diximus eſse probabile, nempe Deum vti ſubſtantia corporis Chriſti tamquam inſtrumento coniuncto ad ponendum eiuſdem corpus in Euchariſtia, etiam nos debere concedere, corpus Chriſti inſtrumentaliter efficere ſe ipſum, non abſolutè, ſed ſub ſpeciebus Euchariſticis; nego autem minorem; neque hoc eſt contra rationem; eſſet enim tantùm in ſe, & naturali modo antequã eſſet in Euchariſtia, reſpectu autem diuerſorum locorum nulla eſt implicantia, quia idem non produceret ſe ipſum abſolutè, ſed tantùm produceret ſe ipſum in tali loco, & ſub talibus ſpeciebus; & eadem ratione idem non penderet à ſe ipſo, ſed idem ſecundùm eſſe ſacramentale dependeret à ſe ipſo ſecundùm eſſe naturale tamquam ab inſtrumento; falſum eſt autem, quod adhuc ex effectibus non deducamus exiſtentiã cauſarum; quare nihil ſequitur contra principia phyloſophica; hæc enim tantùm volunt, quod res non poſſit dare ſibi primum eſſe antequam ſit, nec dependeat à ſe ipſo quoad primam exiſtentiam; at poſtquam res producta eſt; ſicuti Deus poteſt illa vti tamquam inſtrumento ad aliud producendum; ita eadem poteſt vti ad eamdem rem reproducendam in alio loco.

17 Dices, hoc eſſe contra communem conſenſum Patrum, & præcipuè contra D. Auguſtinum, qui in caput primum Ioannis contra Arium colligit Verbum diuinum non eſſe factum, quia omnia per ipſum facta ſunt, quæ collectio nulla eſſet, ſi aliquid poſſet fieri per ſe ipſum inſtrumentaliter.

Reſpondeo tamen ſimiliter, quod Patres loquuntur de prima productione; nam ſi omnia per Verbum facta ſunt, ipſum vtique non eſt factum; nam quod non erat per ſe ipſum fieri non potuit, per quod facta ſunt omnia, ſic concludit Auguſtinus: at poſtquam res eſt, poteſt Deus illa vti, ad eamdem alibi efficiendam, quod non implicat; Verbum autem fieri non potuit, quia præintelligebatur non factum, & Deus, quod autem eſſentialiter eſt non factum, & actus purus, fieri implicat, quia Deus fieri nequit, cum eſſentialiter factus non ſit, nec fieri poſſit.

18 Obijcies ſecundò. Hæc actio ſubſtantialis productiua corporis Chriſti ſola non ſufficit ad conficiendum hoc myſterium ſine alia adductiua, aut conſtitutiua corporis Chriſti ſub ſpeciebus; hæc verò ſufficit ſine illa; ergo hæc tantùm eſt ponenda, non illa: antecedens probatur, quia ſubſtantia corporis Chriſti ſecundùm ſe non conſtituit hoc Sacramentum, neque etiam vt reproducta, ſed tantùm vt ſubſtat, & eſt ſub ſpeciebus loco panis, ſicuti anima rationalis non eſt terminus generationis, vt producta, ſed vt vnitur corpori; ergo etiam ſubſtantia corporis Chriſti, vt producta, non eſſet terminus conuerſionis tranſubſtantiatiuæ, ſed tantùm vt ſubeſt ſpeciebus, loco ſubſtantiæ panis: ſed actio productiua corporis Chriſti, quæ à nobis ponitur, attingit tantùm ſubſtantiam corporis Chriſti, non præſentiam; ergo neceſſaria eſt alia actio, qua fiat præſentia, in hac autem, nempè, quod ſit conſtituta præſens ſub accidentibus, conſiſtit tranſubſtantiatio; ergo ſi hæc ponatur, & non productiua, ſufficit.

Reſpondeo negando antecedens; ad probationem: diſtinguo antecedens: ſubſtantia corporis Chriſti ſecundùm ſe, & vt abſolute reproducta, non conſtituit hoc Sacramentum, concedo antecedens; potuit enim produci de nouo corpus Chriſti, & non reproduci ſub ſpeciebus panis, vel vini, quo caſu certè non eſſet Sacramentum Euchariſtiæ, vt reproducta loco ſubſtantiæ panis, non conſtituit hoc Sacramentum, nego antecedens; nam poſito, quod corpus Chriſti ponatur loco ſubſtantiæ panis, eo ipſo intelligitur complexum cum illis, & cum loco abſque aliquo alio; ſicuti eo ipſo, quod producatur corpus quantum, eo ipſo intelligitur facere complexum cum loco; nam præſentia non eſt aliquid ſimplex ſuperadditum, ſed tantùm complexum conſurgens ex corpore Chriſti, & tali ſpatio ſimul cum ſpeciebus, vt ſupra dictum fuit. Et ex hoc apparet diſparitas de anima; nam hæc non

Digitized by Google

ſufficit, quod producatur, aut quod ponatur indiſtans à corpore, ſed debet eſſe vnita per modum actus corpori,& ad hoc vt vniatur per modum actus, requiritur actio generatiua; quod non requiritur in Sacramento, quia eo ipſo, quod corpus Chriſti ponitur loco ſubſtantiæ panis, eo ipſo intelligitur Sacramentum, & complexum ex ſpeciebus, loco, & corpore Chriſti.

19 Dices. Corpus Chriſti debet ſuccedere loco ſubſtantiæ panis: ſed hæc erat vnita accidentibus; ergo, vt corpus Chriſti intelligatur ſuccedere, debet intelligi vniri ſpeciebus panis: atqui hæc vnio non intelligitur fieri per productionem cõrporis Chriſti; ergo alia noua actio requiritur, qua vniatur; & hæc erit tranſubſtantiatio. Sed contra: nego primam conſequentiam; nam ſecundum fidem Chriſti corpus non eſt ſubiectum ſuſtentans accidentia, vt erat ſubſtantia panis,ſed accidentia manent ſine ſubiecto; vnde nullo modo debet admitti illa vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus, vt ſupra probauimus, ſed ſufficit, quod corpus Chriſti ſuccedat ſubſtantiæ panis eo modo, quo ipſa erat penetratiuè ſub accidentibus præciſa inhærentia; & hoc poſito, præciſo quocumq; modo, aut alia quacumq; entitate ſimplici, vel qualitate, intelligitur Sacramentum Euchariſtiæ ex ſpeciebus, & corpore Chriſti Domini. Addo,quod ſi etiam requireretur hæc vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus, quod tamen falſum eſt, vt dixi, non poſſet vniri, niſi prius reproduceretur indiſtans à ſpeciebus, vnde ſemper requiritur, quod reproducatur.

20 Obijcies tertiò. Illud ſolùm acquirit corpus Chriſti per tranſubſtantiationē, quod ſufficit ad verificanda verba conſecrationis: ſed verba conſecrationis verificantur,etiam ſi ſolùm producatur præſentia corporis Chriſti; ergo corpus Chriſti per tranſubſtantiationem ſolùm acquirit præſentiā nouam,non verò producitur: maior patet;nā verba conſecrationis ſolùm efficiunt, quod ſignificant; ſed ſignificant ſolùm præſentiam; ergo ſolùm præſentiam efficiunt.

Reſpondeo negando minorem; eſt enim de ſubiecto non ſuppoſito, cum implicet intelligere præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus, niſi vel corpus Chriſti moueatur localiter, vel reproducatur; cum ergo certum ſit non moueri localiter, fatendum eſt reproduci. Quare probatio maioris nihil officit; cum non poſſit intelligi præſentia realis corporis Chriſti ſub ſpeciebus, niſi vel moueatur localiter, vel reproducatur, & cū non moueatur localiter dicendum eſt reproduci.

21 Obijcies quartò. Illud producitur de nouo, quod tranſit de non eſſe ad eſſe: ſed corpus Chriſti per conuerſionem Euchariſtiam non tranſit de nō eſſe ad eſſe; ergo non producitur: maior patet: probatur minor,quod ſupponitur eſſe non tranſit de non eſſe ad eſſe; ſed corpus Chriſti ſupponitur eſſe;ergo non tranſit de non eſſe ad eſſe; erit igitur actio conſeruatiua eiuſdem eſſe, non productiua.

Reſpondeo, quod eo modo, quo aliquid tranſit de non eſſe ad eſſe, eo modo etiam producitur:vnde ad minorem corpus Chriſti per conuerſionem Euchariſticam non tranſit de non eſſe ad eſſe ſimpliciter, concedo minorem;non tranſit de non eſſe ſub ſpeciebus ad eſſe ſub ſpeciebus, nego minorem; ergo &c. diſtinguo conſequens: non producitur abſolutè, & ſimpliciter, concedo conſequentiam; non producitur ſub ſpeciebus, & ex pane, nego conſequentiam;an verò dicenda ſit noua actio conſeruatiua, vt vult Suarez, vel productiua,eſſet quæſtio de nomine, de qua parum curandum; melius tamen dicitur productiua corporis Chriſti ſub ſpeciebus, quia verè ibi de nouo recipit eſſe, licèt non diuerſum abſolutè, ſed eſt diuerſum quo ad modum eſſendi ſub ſpeciebus, quod ſufficit,vt dicatur vera productio.

22 Dices. Idem eſſe, quod Chriſti corpus accipit per reproductionem, eſt illud, quod prius habebat, ſecus non eſſet reproductum: ſed hoc eſſe reproductum eſt poſterius eſſe, quod prius habebat; ergo ſecundùm idem eſſe corpus Chriſti eſſet prius, & poſterius ſe ipſo.

Reſpondeo, quod illud eſſe, quod corpus Chriſti accipit per reproductionem eſt idem cum eo,quod accepit per primam productionem, ſed non cum eodem modo eſſendi;nam prius eſt cum modo eſſendi naturali, poſterius cum modo eſſendi ſacramentali, & ſub ſpeciebus panis: vnde non eſt prius ſe ipſo abſolutè, ſed tantùm ſub diuerſo modo eſſendi, quod nullo modo implicat.

ARTICVLVS VII.

An actio conuerſiua panis in corpus Chriſti inducat mutationem in corpore Chriſti, & quædam alia quæſita explicantur.

1 Prima ſententia negat hanc conuerſionem fieri per mutatio-

Digitized by Google

tationem in corpore Chriſti. Sic D.Tho. in 4. diſt.11. quæſt.1. art.3. quæſtiunc.1. & hic quæſt.75. art.4. & communitèr Thomiſtæ, nec non Alenſis, Bonauentura, Richardus, & alij, quos citat Suarez diſp.50. ſect.5.

Secunda ſententia docet fieri aliquam mutationem in corpore Chriſti. Sic Scotus in 4. diſt.10. qu.1. § *quantum ergo*. Nominales, Ocham, Gabriel, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez loco cit. & hanc docet etiam Ioan à S. Tho. hic diſp.28. art.3. vbi notat eſſe potiùs difficultatem de modo explicandi quæſtionem, quam de re.

2 Concluſio. Corpus Chriſti prout eſt in Cœlo per hanc conuerſionem nihil deperdit, neque mutatur, niſi terminatiuè, & acquirendo nouam præſentiam. Prima pars patet; quia per hanc conuerſionem, nec deſerit locum, quem habet in Cœlo, nec mouetur localitèr, aut aliquid aliud deperdit; ergo prout eſt in Cœlo per hanc conuerſionem, non mutatur; & hoc exiſtimo voluiſſe auctores primæ ſententiæ.

3 Secunda pars, quod non mutetur, niſi terminatiuè, etiam explicatis terminis clarè apparet; nam vel mutatio ſumitur propriè, & in rigore, prout importat aliquod ſubiectum aliter ſe habere, ac priùs, vt manus, quæ non eſt calida, & per receptionem caloris fit calida; & in hoc ſenſu etiam clarum eſt, corpus Chriſti non mutari; nam hæc mutatio importat ſubiectum commune vtrique extremo, quod hic non datur, ſed tota ſubſtantia panis perit, & producitur corpus Chriſti: terminatiuè verò corpus Chriſti aliter ſe habet, ac prius, nam verè producitur ſub ſpeciebus panis, ex qua productione conſtituitur in diuerſo loco, ac eſſet prius; nam prius erat tantùm in Cœlo poſt conſecrationem eſt etiam in Sacramento; & hoc modo dicimus terminatiuè mutari; ita enim habet eſſe per hanc conuerſionem vt etiamſi deſineret eſſe in Cœlo ſecundum ſuam præſentiā naturalem, adhuc haberet eſſe in Sacramento.

4 Dices Chriſti corpus eſt in ſtatu gloriæ, & impaſſibile; ergò eſt incapax cuiuſcumque mutationis.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens eſt incapax cuiuſcumque mutationis, qua aliquid deperdat de eo, quod illi conuenit, concedo conſequentiam; eſt incapax cuiuſcumq; mutationis terminatiuè, qua ſacramentalitèr fiat de nouo præſens in Sacramento, nego conſequentiam.

5 Quæres 1. An hæc conuerſio poſſit dici creatio, vel quomodo differat à creatione?

Reſpondeo cum D. Tho. hic qu.75. art.8. Suarez, Ioan. à S. Tho. locis citatis, & alijs non eſſe propriè creationem; eſt quidem ſimilis creationi, vt inquit D. Tho. hic art.3. quia non fit ex præſuppoſito ſubiecto; at propriè non eſt creatio; quia ad creationem non ſolùm requiritur, vt fiat ex non præſuppoſito ſubiecto, ſed etiam ex nihilo; iſta autem conuerſio eſſentialitèr fit ex pane; vnde dicenda eſt conuerſio, & productio, non creatio.

6 Quæres 2. An præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia ſit ſupernaturalis in ſubſtantia, vel tantùm quo ad modum?

Reſpondeo eſſe tantùm ſupernaturalem, quo ad modum. Sic Soto in 4. diſt.10. qu.1. art.4. Arriaga diſp.33. & alij contra Suarez diſp.53. ſect.4. de Lugo diſp.5. ſect.7. Bernal. diſp.23. & plures alios, qui volunt eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia. Probatur tamen; quia hæc præſentia nihil aliud eſt, quam entitas partium corporis Chriſti, quæ ſunt inuicem penetratæ, & ad punctū redactæ omnes, & correſpōdentes loco, & ſpeciebus ſacramentalibus: ſed hoc totum eſt ens naturale cum carentia propriæ extenſionis debitæ, ſeu eſt totum corpus Chriſti naturale per penetrationem ſuarum partium redactum ad indiuiſibile; ergo præſentia corporis Chriſti eſt ſecūdum ſuam ſubſtantiam naturalis, & tantùm ſupernaturalis quo ad modum.

7 Dices 1. Præſentia ſacramentalis non diſtinguitur à carentia extenſionis: ſed carentia extenſionis eſt ſupernaturalis cuicumque corpori; ergo & præſentia erit ſupernaturalis cuicumque corpori. Sed contra: nego antecedens; nam præſentia ſacramentalis non eſt carentia extenſionis, ſed eſt complexum ex partibus corporis Chriſti penetratis, & ad indiuiſibile redactis, ſeu ſub carentia extenſionis ſimul cum loco, & ſpeciebùs ſacramentalibus; vnde cum partes corporis ſint entia naturalia, ſpecies ſacramentales, & locus ſint naturales, & tantùm partium penetratio ſit ſupernaturalis, clarè apparet, quod hæc præſentia ſit tantùm ſupernaturalis quo ad modum.

8 Dices 2. Quod eſt ſupernaturale tantùm quo ad modum poteſt naturalitèr cognoſci ab Angelo, quando exiſtit: ſed hæc præſentia non cognoſcitur; ergo eſt ſupernaturalis in ſubſtantia. Sed contra poteſt negari minor, certè bonus Angelus Chriſti corpus in Euchariſtia videre exiſtimo; forſan Dæmones impedit Deus per miraculum, ne ipſum videant: vel clariùs Angeli vident in Euchariſtia Angeli boni vident corpus Chriſti in Euchariſt.

Digitized by Google

non adeſſe panem, & vident partes corporis Chriſti penetratas, & eſſe ſub ſpeciebus, ſicuti erat ſubſtantia panis præciſa inhærentia; ſicuti enim priùs videbant panem, ita poſt poſſunt videre corpus Chriſti.

9 Quæres 3. Vnde oriatur, quod in hac conuerſione deſinat ſubſtantia panis.

Circa hanc difficultatem variæ ſunt opiniones. Scotus in 4. diſt. 11. qu. 4. & Vaſquez diſp. 181. volunt, panem deſinere ex voluntate Dei; licèt Vaſquez hoc explicet ex veritate verborum, ſed in re idem ſunt; nam deſinere ex veritate verborum eſt deſinere ex eo, quod Deus voluit illa verba debere verificari. Suarez diſp. 50. ſect. 6. vult panem deſinere vi actionis, qua accidentia ſeparantur à pane, quam opinionem plures alij ſequuntur. Nugnus hic quæſt. 75. art. 4. diff. 1. Ioan. à S. Tho. diſp. 28. art. 3. Gonet. diſp. 4. nu. 81. & communitèr Thomiſtæ volunt deſinere, quia ſunt incompoſſibiles terminus *à quo*, & terminus *ad quem*. Arriaga verò diſput. 35. ſect. 3. vult panem deſinere eſſe ſub ſpeciebus ex vi poſitionis corporis Chriſti, eo quod corpus Chriſti repugnet phyſicè in eodem loco cum alio corpore quanto.

10 Reſpondeo cũ Thomiſtis: ideò ſubſtantiam panis deſinere, quia eſt terminus *à quo* incompoſſibilis cum termino *ad quem*. Probatur quia in hac conuerſione ex pane fit corpus Chriſti, & ſubſtantia panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, vt definit Tridentinum: ſed non poteſt ex pane fieri corpus Chriſti, nec ſubſtantia panis poteſt fieri corpus Chriſti, niſi deſinat ſubſtantia panis; ergo ex vi conuerſionis debet deſinere; probatur minor; nam ſi panis ſubſtantia non deſineret, non eſſet conuerſa in corpus Chriſti. Confirmatur implicat vt terminus *à quo* ſit ſimul cum termino *ad quem*: ſed in hac conuerſione ſubſtãtia panis eſt terminus *à quo*, corpus Chriſti eſt terminus *ad quem*; ergo poſito corpore Chriſti non poteſt intelligi ampliùs eſſe ſubſtantiam panis.

11 Ex quo patet nullo modo eſſe admittendam opinionem Scoti, & Vaſquez; etenim ſi intrinſecè hæc incompoſſibilitas oritur ex ipſa conuerſione, non eſt neceſſe recurrere ad voluntatem Dei extrinſecam. Neque eſt neceſsè recurrere ad eam incompoſſibilitatẽ, quam ponit Suarez; nam prius eſt ſubſtantiam panis deſinere, quam ſubſtantia Chriſti poſſit conſeruare ſpecies ſacramentales; etenim, ideò conſeruat, dato quod detur hæc actio conſeruatiua, quia perijt ſubſtantia panis; ergo prius eſt ſubſtantiam panis perijſſe, quam quod corpus Chriſti conſeruet hæc accidentia.

12 Data tamen ſententia, quod quantitas non diſtinguatur à ſubſtantia materiali, poteſt ſuſtineri ratio Arriagæ; nam ſubſtantia panis eſt quanta, & corpus Chriſti eſt quantum; ergo poteſt vnum expellere aliud; quemadmodum enim, ſi quantitas palmaris A. eſſet penetrata cum quantitate palmari B. nihilominus expelleret quantitatem palmarem C. ab eodem loco; ita licet corpus Chriſti ſecundùm omnes ſuas partes eſſe penetratum, non per hoc tamen eſſet penetrabile à ſubſtantia panis.

13 Dices corpus Chriſti eſt glorioſum, & cum dono ſubtilitatis; ergo poteſt penetrare quodcumque aliud corpus. Sed contra: diſtinguo conſequens; ergo poterit penetrare quodcumque corpus, ſi voluerit, concedo conſequentiam: ex natura dotis ſubtilitatis; vel quia ablata ſit exigentia ne corpora penetrentur; nego conſequentiam. Vide dicta in tract. 4. quæſt. 3. art. 17. de ſubtilitate corporis glorioſi.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quælibet res poſſit in aliam conuerti.

1 HÆc difficultas eſt annexa conuerſioni Euchariſtiæ, & per iſtius explicationem magis eluceſcet quæ diximus de conuerſione Euchariſtica.

Prima ſententia eſt Durandi in 4. diſtinct. 11. qu. 2. Aureoli qu. 4. art. 2. Vaſquez diſp. 184. cap. 2. negantium, quamlibet rem poſſe conuerti in quamlibet; diuerſa tamen ſunt horum Doctorum fundamenta, quæ infra afferemus, & ſoluemus.

Secunda affirmat quamlibet rem poſſe conuerti in aliam non ſolùm creatam ſed etiam diuinam, licèt è contra neget Deum poſſe conuerti in creaturam. Sic Cardinalis de Lugo diſp. 7. ſect. 10. & Amicus diſp. 18. ſect. 7.

Tertia ſententia eſt D. Tho. hic. q. 75. art. 4. ad 3. Caiet. ibidem. Nugni diff. 3. Ioan. à S. Tho. diſp. 28. art. 3. & communis Thomiſtarum Scoti in 4. diſt. 11. Bellar. lib. 3. de Euchar. cap. 13. Suarez diſp. 50. ſect. 10. Arriagæ diſp. 34. ſect. 5. hæc negat creaturam poſſe conuerti in Deum, vel Deum in creaturas, affirmat autem quamlibet rem creatam poſſe in aliam conuerti.

2 Concluſio 1. Deus non poteſt cõuerti in creaturam, neque hæc in Deum. Probatur prima pars: quod poteſt conuerti, poteſt deſtrui: ſed Deus eſſentialitèr

Digitized by Google

litèr eſt indeſtruibilis; ergo etiam inconuertibilis: maior patet; nam, quod conuertitur in aliud, non remanet id, quod erat.

3 Secunda pars etiam probatur: ſi aliqua creatura poſſet conuerti in Deum deberet poſſe produci Deus, vt patet ex ſupradictis art.6. huius quæſtionis: ſed Deus nullo modo poteſt produci, cum ſit puriſſimus actus eſſentialitèr improducibilis; ergo ſi non poteſt produci, neque etiam vlla creatura poteſt in ipſum conuerti.

4 Dices 1. Si perſonalitas diuina aſſumeret naturam humanam expellendo ab ipſa, & deſtruendo perſonalitatem humanam; tunc perſonalitas humana eſſet conuerſa in diuinam; ergo aliqua creatura poteſt conuerti in Deum. Sed contra; nego ſequelam, neque enim tunc produceretur perſona diuina, ſed tantùm terminaret, & faceret id, quod faciebat perſonalitas humana, vnde poſſet quidem dici, perſonam diuinam ſuccedere perſonalitati humanæ, non autem perſonam humanam fuiſſe conuerſam in diuinam.

5 Dices 2. Non repugnat panem conuerti in Deum, vt in terminum partialem; ergo neque vt in terminum totalem: probatur antecedens. Si forma Sacramenti Euchariſtiæ eſſet hæc, *Hoc eſt corpus meum Deificatum*, panis partialitèr conuerteretur in Deum; ergo etiam totalitèr poſſet conuerti. Sed contra nego antecedens: ad probationem dico ſenſum illorum verborum fore, quod panis conuerteretur in corpus Chriſti, cui vnita eſset diuinitas, non verò, quod partialitèr conuerteretur in diuinitatem, cum diuinitas nullo modo ſit producibilis, & ideò nec conuertibilis.

6 Dices 3. verè alimentum dicitur conuerti in hominem, licèt non producatur anima rationalis; ergo & perſona creata in perſonam diuinam, licèt non producatur perſonalitas diuina. Sed contra, quia aliud eſt, quod complexum perſonæ creatæ poſſit dici conuerti in complexum, quod fiat à perſona diuina, & hoc concedo, quia hoc eſſe complexum de nouo producitur; aliud eſt, quod aliquid creatũ poſſit conuerti in Deum, vel in aliquid Dei ſecundùm eſſe ſimplex, & hoc falſum eſt; in hoc autem ſenſu nos loquimur; & hoc modo poteſt etiam reſponderi ad præcedentia argumenta.

7 Concluſio 2. Quælibet creatura poteſt per abſolutam potentiam conuerti in aliam. Probatur; Ad conuerſionem requiritur productio termini *ad quem*, & deſitio termini *à quo* ſub aliquo tertio communi: ſed quælibet res creata poteſt produci ſub aliquo tertio communi, & quælibet deſinere; ergo quælibet res creata poteſt conuerti in aliam: minor patet; nam quælibet res creata habet aliquod commune, nempe, vel materiam, vel formam, vel accidentia, & quælibet poteſt produci, & deſtrui ſaltèm per abſolutam potentiam, vt hic loquimur; ergo quælibet eſt conuertibilis in aliam.

8 Obijcies 1. Contra 2. Aug. 7. ſuper Geneſim habet. *Corpus poſſe mutari in ſpiritum, aut naturam incorpoream, nec aliquos ſenſiſſe ſcio, nec fides habet*, & Boetius lib. de duab. nat. & vna perſona habet. *Illa ſola inter ſe tranſmutari poſſunt, quæ habent vnius materiæ communem ſubſtantiam*.

Reſpondeo hos Patres loqui ſpectata Dei potentia ordinaria, non abſoluta, de qua nos loquimur.

9 Obijcies 2. Si quęlibet res poſſe conuerti in quodlibet, ſequitur lapidem poſſe conuerti in Angelum, & è contra: ſed nihil commune datur lapidi, & Angelo; ergo illa numquam eſſet conuerſio.

Reſpondeo concedendo ſequelam, & negando minorem, etenim ſecundùm Caietanum, & alios Thomiſtas ſufficit, quod lapis, & Angelus conueniant in natura entis conuertibilis, vt dicit D. Tho. hic art.4. ad 3. Dico ſecundò in lapide poſſe eſſe accidentia, ſub quibus poteſt poni Angelus, in Angelo verò ſunt habitus, & ſpecies impreſſæ, & ſecundùm probabilem ſententiam ſunt potentiæ diſtinctæ, ſub quibus poſſet poni ſubſtantia lapidis; & hoc ſufficit, vt detur hoc tertium commune neceſſarium ad conuerſionem.

10 Ex his, & ex dictis in præcedentibus colligas quando corpus Chriſti deſinit eſſe in Euchariſtia, eo quod corrumpantur ſpecies panis, & generatur v.g. Vermis, non poſſe dici corpus Chriſti mutari in vermes; ratio eſt, quia ad veram conuerſionem requiritur, quod terminus *à quo* verè deſinat eſſe, & quod detur tertium aliquid commune: corpus autem Chriſti, licèt deſinat ibi eſſe, non tamen abſolutè deſinit, cum ſit alibi; nec dantur accidentia communia; quia accidentia panis recedunt, & noua producuntur. Ideò &c.

Cur Chriſtus quãdo deſinit in Euchariſt. nõ dicatur mutari in vermem.

ARTICVLVS IX.

Quæ prædicata dici poſſint de Chriſto ratione præſentiæ ſacramentalis.

1 QVæſtio præſens videtur coincidere cum illa, quam explicauimus in tractatu de Incarnatione de communicatione idiomatum, & quia ſpecialia prædicata conueniunt Chriſto ratione præſentiæ ſacramentalis, videndum hic eſt quęnam ſint, ne in modo loquendi in hoc myſterio error committatur.

2 De hac quæſtione tractant ad longum Suarez diſput. 4. ſect. 4. & Vaſquez diſp. 195. licèt res non ſit tanti momenti, ſed vt aduertit Arriaga diſput. 33. ſect. 8. eſt ſolùm de modo loquendi.

3 Primò igitur. Omnia prædicata abſoluta, tàm ſubſtantialia, quàm accidentalia ſecundùm ſe Chriſto conuenientia prædicari poſſunt de Chriſto hic exiſtente, non tamen reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè; ſic rectè dicemus de Chriſto, qui eſt in hoc Sacramento, eſse in Cœlo, & ibi exiſtere modo naturali, eſſe immenſum, æternum, ſapientem, pulchrum &c. imò eſſe Deum, & ſapientem poſſunt illi conuenire etiam prout eſt in hoc Sacramento.

4 Secundò. Omnia ſignificantia modum exiſtendi ſacramentalem verè de Chriſto prædicari; talia enim prædicata ſignificant ſolam præſentiam. Sic dicere poſſumus Chriſtum eſſe hic ſubſtantialitèr, realitèr, indiuiſibilitèr, & etiam corporalitèr, & naturalitèr, ſi tamen corporalitèr ſignificat ſolùm præſentiam corporis, & naturalitèr idem ſit, ac verè, & realitèr, ſecus ſi corporalitèr ſignificet naturalem præſentiam corporis, & naturalitèr opponatur modo ſupernaturali.

5 Tertiò. Omnia prædicata denotantia ordinem ad locum poſſunt verè conuenire Chriſto, ſic verè poſſumus dicere de Chriſto, prout eſt in hoc Sacramento, moueri, circumferri, eleuari; nam dum ſpecies mouentur, circumferuntur, & eleuantur, verè etiam corpus Chriſti mouetur &c. Non poteſt tamen dici ſedere, aut ſtare in hoc Sacramento, quia ſeſſio, aut ſtatio denotat præſentiam naturalem, & quod partes ſint extra partes loci, quod verè non conuenit Chriſto, vt eſt in hoc Sacramento. Poteſt tamen dici propriè, Chriſtum in hoc Sacramento manducari, quia hæc vox tantùm denotat motum localem, quo Chriſtus ſimul cum ſpeciebus traijcitur in ſtomachum; ſi tamen manducari ſumatur pro compreſſione partium facta inter dentes, & pro diuiſione illarum inter ſe, non poteſt conuenire Chriſto, quia nullæ partes Chriſti poſſunt comprimi, aut diuidi; cum conſiſtant in indiuiſibili.

6 Similitèr dicimus, corruptis ſpeciebus verè Chriſtum deſinere eſſe hic; nam corruptis ſpeciebus non habet ampliùs complexum præſentiæ cum loco; abſolutè tamen non dicitur deſinere eſſe, quia licèt deſinat eſſe hic, adhuc tamen alibi eſt; neque dici poteſt corrumpi, aut digeri, quia hæc prædicata indicant mutationem ſubſtantialem. Dici tamen poteſt Chriſtum eſſe hic, eſſe alibi, eſſe in Cœlo, in pluribus locis, habitare in tabernaculo, contineri ſub ſpeciebus, quia hæc omnia prædicata conueniunt illi realitèr.

7 Prædicata fractionis, & commixtionis in aliquo ſenſu poſſunt tribui Chriſto in hoc Sacramento, & quidem in Canone Miſſæ dicitur. *Hæc commixtio corporis, & ſanguinis*; nam commixtio aliquando ſumitur per hoc, quod ſimul ponantur aliqua, quare cum poſſit denotare poſitionem corporis ſimul cum ſanguine in calice ſine vlla corruptione, in hoc ſenſu poteſt hoc nomen *mixtio* conuenire corpori, & ſanguini Chriſti; & ſic hoc prædicatum reducitur ad præſentiam localem. Si tamen nomen mixtio denotet aliquam corruptionem, vel reſultantiam alicuius tertij mixti diſtincti, tunc nec ratione ſui, nec ratione ſpecierum illi conuenit. Fractio etiã ſecundùm metaphoram poteſt dici de corpore Chriſti, vnde poteſt dici corpus Chriſti frangi, quia cum fractio non fiat ſine motu locali, quando fit fractio ſpecierum, verè corpus Chriſti mouetur, & ita aliquid participat de fractione; propriè autem fractio ſignificat partium diuiſionem, quæ non habet locum in corpore Chriſti. Eodem modo poſſumus dicere corpus Chriſti tangi, quia cum ſpecies cõparentur ad corpus Chriſti, vt habitus ad rem veſtitam, ſicuti dicitur homo tangi, dum tanguntur eiuſdem veſtes; ita dicimur tangere Chriſtum, tangendo ſpecies; propriè tamen non dicitur Chriſti corpus tangi, quia contactus propriè eſt ſolùm inter res extenſas localitèr, quorum extrema ſunt ſimul, qua ratione nec ipſe ſpecies tangunt corpus Chriſti.

8 Quartò ex mox dictis deducitur, ea prædicata, quæ ſunt propria ſpecierum, v. g. videri, illuminari, eſſe rotundum, quadratum, album &c. propriè non tribui Chriſto Domino, ſicut nec frigefieri, alterari, calefieri, made-

fieri

Digitized by Google

fieri &c. Ratio eſt, quia cum ſpecies non habeant vnionem phyſicam cum corpore Chriſti, denominationes, quæ ſpeciebus ipſis tribuuntur non participantur à corpore Chriſti; non nego tamen, quod aliquæ ex his denominationibus metaphoricè non poſſint tribui, vt videri, & illuminari eo modo, quo numero præcedenti diximus poſſe Chriſtũ tangi; & huius rei ratio eſt, quia ex his locutionibus aliquæ ſunt in vſu hominum, aliæ non.

9 Dices: Berengarius in ſua fidei profeſſione, quæ habetur de conſecrat. diſt. 2. c. *Ego Berengarius &c.* coactus eſt fateri corpus Chriſti vere eſſe in altari, frangi & ſenſibiliter manibus ſacerdotum contrectari, ac dentibus ateri: ſed fidei confeſſio verbis proprijs confici debet; ergo hæc prædicata propriè, & non metaphoricè Chriſti corpori conueniunt. Sed contra, ideo hoc factum eſt, quia, vt notat Innoc. lib. 4. cap. 9. & 10. hic hæreticus antea doloſè fatebatur corpus Chriſti; ſed poſtea explicabat fieri circa ſignum corporis Chriſti, quod verè præſens eſse negabat; & ideo coactus eſt fateri, hæc fieri circa corpus Chriſti, hoc eſt circa Sacramentum, quod conſtat ex ſpeciebus, & ex verò, & reali corpore Chriſti.

QVÆSTIO IV.

De modo, quo Chriſtus eſt ſub ſpeciebus.

DIximus ſupra Chriſtum eſſe realiter præſentem ſub ſpeciebus panis & vini; nunc videndum eſt quomodo ſit præſens, & quanam ratione; etenim cum in Chriſto ſit diuinitas, corpus, anima, ſanguis, & accidentia; & hæc omnia duobus modis poſſint fieri præſentia in hoc Sacramento, ſcilicet vel ex vi verborum formæ Euchariſtiæ, vel per concomitantiam; videndum eſt, an hæc omnia fiant præſentia exvi verborum, vel aliqua ex vi verborum, aliqua per concomitantiam.

ARTICVLVS I.

An totus Chriſtus cum omnibus ſuis accidentibus ſit in hoc Sacramento.

1 NEſtorius cum realiter duas perſonas in Chriſto poneret diuinam, & humanam, aſſerebat in hoc Sacramento non adeſſe diuinitatem. Hęretici verò dicti Intinctores ex Valdenſi tom. 2. cap. 87. qui panis ſpecies tinctas ſpeciebus vini ad complementum Sacramenti communiter dabant, exiſtimabant, ſanguinem non eſſe ſub ſpeciebus panis, & e contra ſub ſpeciebus vini non eſſe corpus, & plures alij hæretici errarunt circa præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti in Sacramento, vt ſupra vidimus.

2 Durandus in 4. diſt. 10. qu. 2. n. 7. probabile exiſtimat Chriſtum eſſe in hoc Sacramento ſine propria quantitate, Ocham in 4. diſt 10. qu. 4. & tract. de Euch. cep. 29. Maior qu. 3. Gabriel q. vnic. & alij Nominales, dicunt corpus Chriſti eſſe quidem in hoc Sacramento cum quantitate, quam habet in Cœlo, ſed ibi non eſſe quantum, quia eſſe quantum eſt habere partem extra partem ſitualiter; qua in re, cum ipſi Nominales ponant quantitatem indiſtinctam à re ſubſtantiali materiali, & indiſtinctam etiam ab accidentibus materialibus, ac fateantur in Sacramento eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti, debent fateri, ibi adeſſe quantitatem à ſubſtantia corporis Chriſti indiſtinctam, & cum fateantur eſſe ibi cum ſuis qualitatibus, conſequenter coguntur fateri eſſe ibi quãtitatem accidentalem: quare quando negant ibi adeſſe quantitatem, non poſſunt per quantitatem aliud intelligere, quam ſitualem extenſionem, quam vocant quantitatem; nec per quantitatem poſſunt intelligere varia vbi modalia, vt exiſtimant Suarez, & Arriagã; Nam Nominales penitus ſemper negant iſtos modos: quo ſenſu explicati Nominales, ſuppoſita eorum opinione de indiſtinctione quantitatis à ſubſtantia materiali, & ab accidentibus materialibus, non differt niſi nominetenus à communi, & ſic intelligit Nominales Sotus in 4. diſt. 10. qu. 1.

D. Thom. hic qu. 76. ar. 4. & in 4. diſt. 10. ar. 2. qu. 2. Capreolus qu. 2. Sotus qu. 1. ar. 4. Caietanus, Nugnus, Porrecta ad ar. 4. qu. 76. Ioan. à S. Thom. diſp. 28. ar. 4. Gonet diſp. 5. ar. 2. Paſſarinus hic qu. 76. ar. 4. com. 23. c. 1. Scotus in 4. diſt. 10. qu. 1. Henricus quodlib. 1. qu. 5. Ægidius quodlib. 1. qu. 4. Suarez diſp. 51. ſec. 2. Vaſquez diſp. 187. cap. 2. Amicus diſp. 19. ſec. 6. Arriaga diſp. 36. ſec. 1. Lugus diſp. 8. ſec. 1. n. 20. & communiter ceteri omnes Doctores, tum antiqui, tum recentiores docent, totum Chriſtum cum ſua quantitate, & alijs accidentibus eidem inhærentibus poni in hoc Sacramento verè, & realiter.

3 Aduerte ex Tridentino duos modos adeſſe ponendi Chriſtum ſub ſpeciebus, nempe ex vi verborum, & per concomitantiam: illud dicitur poni ex vi verborum, quod formaliter, & rigoroſè verba ſignificant: illud verò ponitur

per

per concomitantiam, quod eſt vnitum cum eo, quod ex vi verborum ponitur. In hoc, & ſequenti articulo non quærimus, an Chriſtus ponatur in hoc Sacramento ex vi verborum, vel per concomitantiam ſed an ponatur totus Chriſtus cum omnibus accidenribus eius ſub qualibet parte ſpecierum, in alijs verò articulis, qui ſequentur, inquiremus quænam ponantur ex vi verborum, quænam per concomitantiam.

4 Concluſio prima. Totus Chriſtus totaque ſubſtantia eius eſt in hoc Sacramento, & ſub ſingulis ſpeciebus eius. Eſt de fide definita in Concilijs Conſtantienſi ſeſſ 13. in Florent. in decreto vnionis, & in Trid. ſeſſ. 13 - cap. 3. & can. 1. & in multis alijs locis hæc veritas remanet definita. Probat Suarez concluſionem ex ſcriptura Ioan. 6. *Ego ſum panis, viuus, qui manducat me viuet propter me*: ſed particulæ *me*, & *ego* ſignificant totum Chriſtum cum omnibus partibus eius ſubſtantialibus; ergo verè ex ſcriptura probatur totum Chriſtum cum omnibus partibus eius ſubſtantialibus eſſe in hoc Sacramento. Sed contra hæc ratio non probat: nam ſi in triduo mortis facta fuiſſet conſecratio totus Chriſtus non fuiſſet poſitus ſub ſpeciebus, & tamen tunc verùm fuiſſet poſitum Sacramentum; ergo ſtantibus auctoritatibus ſcripturę potuit poni verum Sacramentum abſque eo, quod ponerentur omnes partes ſubſtantiales Chriſti Domini; nam in triduo mortis non fuiſſet poſita anima, neque ſub ſpeciebus panis fuiſſet poſitus ſanguis, nec ſub ſpeciebùs vini corpus debuiſſet poni.

5 Probatur ergo ratione D. Thom. qua ratione vtitur Eccleſia ad hanc veritatem comprobandam. Quotieſcumque aliqua realiter, & adęquatè ſunt cõiuncta, vbi eſt vnum eorum, ibi etiam realiter eſt aliud; ſed nunc de facto corpus Chriſti coniunctum eſt animę Diuinitati, ſanguini, & cuilibet, quod eſt in corpore Chriſti glorioſo; ergo vbi fuerit corpus, ibi erit anima Diuinitas, ſanguis, & quidquid eſt in corpore Chriſti glorioſo; & idem argumentum fit de ſanguine, qui eſt in corpore Chriſti viuo, & glorioſo, & illi vnito.

6 Dices, hanc rationem nimis probare, & ideo nihil probare; nam probaret etiam corpus Chriſti eſſe vbique, quod ſic oſtendo. Quotieſcumque aliqua ſunt vnita, vbicumque eſt vnum, ibi eſt aliud: ſed corpus Chriſti eſt vnitum Diuinitati, & hæc vbique eſt: ergo vbicumque erit Diuinitas, erit corpus Chriſti, quod tamen falſiſſimum eſt. Inſuper ſequeretur, quod caput eſſet vbicumque eſt anima; & per conſequens, quod caput eſſet vbi ſunt pedes quia anima eſt in pedibus. Sed contra, quia D. Thom. debet intelligi de vnione adæquata cum mutua dependentia, quo ſenſu ſemper eſt verum, quod vbicumque eſt vnum eſt etiam aliud; Verbum autem ita vnitum eſt corpori Chriſti, vt etiam vbique ſit, & anima ita vnita eſt capiti, vt etiam ſit in pede, vnde non ſunt hæc adęquatè vnita, & cum mutua dependentia. Secundò loquitur D. Thom. de potentia ordinaria; nam per abſolutam potentiam poſſet poni in hoc Sacramento ſanguis, non caro, caput, non pes &c.

7 Eſt igitur in hoc Sacramento totus Chriſtus, ſcilicet adſunt omnes partes integrantes ſubſtantialiter corpus Chriſti, non enim adeſt corpus Chriſti in hoc Sacramento mutilum, & monſtruoſum, ſed pulchrum, & ornatum, & ideo debet habere omnes partes, quæ requiruntur ad ipſum tale conſtituendum; quare capilli, vngues, dentes, & omnes partes, quæ integrant corpus Chriſti nunc in Cœlo ponuntur in hoc Sacramento, ſicuti in nocte cęnæ poſitæ fuerunt omnes, quæ integrabant tunc Chriſti corpus. Addit Lugo nunc poni etiam præputium Chriſti; eo quod exiſtimet nunc eſſe reaſumptum à Chriſto in Cœlo; ſaliua tamen, cibus indigeſtus, & alia excrementa, quæ erant in còrpore Chriſti tempore cęnæ non fuerunt poſitæ in Sacramento; eo quod illæ partes non eſſent de integritate corporis.

8 Concluſio 2. Etiam quantitas Corporis Chriſti cum omnibus ſuis accidentibus abſolutis eſt in hoc Sacramento; ita vt ibi ſit quantum, & extenſum in ordine ad ſe, non tamen in ordine ad locum.

9 Probat Vaſquez concluſionem, eo quod in hoc Sacramento debent poni partes integrantes corporis Chriſti diſtinctæ; ſed per ſolam quantitatem corpus Chriſti habet partes diſtinctas; ergo ſi debent poni diſtinctæ, debent poni cum ſua quantitate. Sed contra: quia innititur principio difficili, & quod vt plurimum negatur in philoſophia; nempe, quod ſubſtantia materialis independenter à quantitate non habeat partes, quod durum multis videtur, & communiter negatur; cum res eo ipſo, quod materialis ſit, habeat ſuas partes entitatiuas diſtinctas; ergo ex principio incerto, & dubio, & quod a pluribus exiſtimatur falſum non bene probatur hæc veritas theologica.

10 Simili ratione eamdem concluſionem

Digitized by Google

ſionem probat Suarez, nempe, quod debet poni corpus organicum, non poteſt autem eſſe organicum ſine quantitate. Sed neque hæc ratio efficaciter probat intentum; nam nomine organizationis,vel intelligit, quod partes ſint inter ſe ſubſtantialiter diuerſæ; & hoc modo poſſunt eſſe tales ſine quantitate per entitates ſuas; vel intelligit, quod ſint etiam accidentaliter; & hoc eſt, quod quærimus; vnde probatio eſſet petitio principij.

11 Ratio igitur ad probandam hanc concluſionem eſt iam allata, & quæ adducitur à Trid.ſeſſ. 13. nempe totum, atque integrum Chriſtum eſſe ſub qualibet ſpecie ratione naturalis connexionis, qua partes Chriſti inter ſe copulantur: ſed quantitas, & omnia ſua accidentia abſoluta copulantur inter ſe vi illius vnionis, qua partes Chriſti ſunt; ergo quantitas cum omnibus accidentibus abſolutis verè ponitur in hoc Sacramento. Quare ponuntur in hoc Sacramento lumen gloriæ, ſcientiæ, quæ ſunt in Chriſto, pulchritudo, figura, denſitas, raritas, molities, durities, & aliæ huiuſmodi qualitates ad corpus humanum ſpectantes; non tamen ponitur extenſio localis partium, ſitus quem habet in cęlo, nec complexum, aut vbi locale, quod ibi facit, quia hęc ſunt dependentia à loco.

12 Secunda pars, quod corpus Chriſti ſit quantum in ordine ad ſe non autem in ordine ad locum probatur. Quia implicat poni formam in aliquo ſubiecto,&ei non conferre ſuum effectum formalem: ſed quantitas inhæret corpori Chriſti in Sacramento, vt dictum fuit in concluſione præcedenti; ergo eidem confert ſuum effectum formalem: ſed effectus formalis quantitatis eſt reddere ſubiectum quantum in ordine ad ſe, non in ordine ad locum; ergo corpus Chriſti in hoc Sacramento, cum habeat vnitam quantitatem, erit quantum in ordine ad ſe, non ad locum: maior patet; quia effectus formalis formæ eſt ipſa forma, vt inhærens ſubiecto; ergo implicat eſſe in ſubiecto, & ei non conferre ſuum effectum formalem.

13 Dices cum Nominalibus ibi adeſſe quidem quantitatem, quia quantitas non diſtinguitur à ſubſtantia corporea: at non adeſſe denominationem quanti; quia eſſe quantum, vel debet conſtitui tale per accidens diſtinctum à ſubiecto, vel per extenſionem actualem ad locum: quæ extenſio cum non ſit in corpore Chriſti in hoc Sacramento, ideo non poteſt dici quantum, ſicuti albedo, ſi non ſit in ſubiecto diſtincto non poteſt conſtituere, nec denominare album. Sed contra data hac ſententia Nominalium, quod quantitas non diſtinguatur à ſubſtantia corporea, & ab accidentibus materialibus, adhuc debent fateri accidentia materialia Chriſti corporis eſſe in hoc Sacramento: ſed iſta accidentia eſſentialiter per ipſos ſunt quanta, ſeu eſſentialiter non diſtinguuntur à quantitate accidentali; & hæc ſunt in corpore Chriſti: ergo conſtituunt corpus Chriſti quantum: cum implicet formam eſſe in ſubiecto, & ei non conferre ſuum effectum formalem.

14 Obijcies primò. De eſſentia quantitatis eſt extenſio partium; ſed corpus Chriſti in hoc Sacramento non eſt extenſum; ergo nec quantum.

Reſpondeo de eſſentia quantitatis eſſe extenſionem partium in ordine ad ſe, non in ordine ad locum, ſeu eſſe exigentiam impenetrabilitatis cum alia quantitate, non verò actualem impenetrationem, vt patet de corpore Chriſti, quod exijt clauſo Virginis vtero, & intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis; ita in hoc Sacramento exigit non penetrari corpus Chriſti cum alio corpore: at cum hoc ſtat, quod actu ſint omnes partes eius penetratę, & redactæ ad punctum.

15 Obijcies 2. Non poteſt indiuiſibile comparari ad aliud diuiſibiliter; ergo nec diuiſibile ad aliud indiuiſibiliter.

Reſpondeo primò. Falſum eſſe antecedens; nam punctum indiuiſibile vnit partes diuiſibiles, & Angelus, qui eſt indiuiſibilis occupat locum diuiſibilem; negatur etiam conſequentia;nam quod eſt indiuiſibile formaliter caret diuiſibilitate, & ideo alicui diuiſibili formaliter comparari non poteſt,niſi aliquid addatur; at diuiſibile poteſt comparari indiuiſibili per ſolam ſubtractionem occupationis loci. Ideo &c.

ARTICVLVS II.

An totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte, & indiuiſibili ſpecierum.

1 QVæſtio præſens ſupponit ſententiam communem Ariſtotelis, quod in continuo dentur partes, & puncta, & quærimus, an Chriſtus contineatur non tantùm ſub omnibus partibus, ſed etiam punctis; ceterum ſi negetur in continuo adeſſe puncta, non erit neceſſe inueſtigare, an ſub indiuiſibili conſtituatur Chriſtus; cum non ſupponantur dari huiuſmodi indiuiſibilia. Si verò tertiò quis ſuſtineat continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus, ſiue

finitis, ſiue infinitis, debebit etiam fateri ſub omnibus contineri Chriſtum; nam ibi continetur Chriſtus, vbi erat ſubſtantia panis; data autem hac ſententia, ſub quolibet, puncto erat ſubſtantia panis; ergo ſub quolibet puncto eſt Chriſtus totus: Quæſtio igitur tractanda eſt ſuppoſita ſententia Ariſtotelis de partibus, & punctis in continuo, & quærimus, an ſub qualibet parte, & quolibet puncto ſpeciērum detur totus Chriſtus, tam ante fractionem, quam poſt fractionem ſpecierum; Hic dicemus prius, an Chriſtus ſit ſub qualibet parte, deinde quæremus de punctis.

Prima ſententia tribuitur Altiſiod. lib. 4. tract. 5. cap. 4. & Alberto in 4. diſt. 13. ar. 11. hæc docet in vna hoſtia integra ſemel tantùm eſſe totum Chriſtum, & partibus hoſtiæ non totum corpus, ſed partes eius correſpondere.

Secunda ſententia eſt D. Thom. hic qu. 76. art. 3. Caiet. Nugni, *Syluij*, ibidem Paſsarini com. 22. cap. 1. & plurium aliorum apud ipſum. Suarez diſp. 52. ſec. 8. qui citat Scotum, Richardum, Paludanum, Maiorem, Henricum, Ægidium, & alios, Amici diſp. 19. ſec. 7. Gonet diſp. 5. ar. 2. Lugi diſp. 8. ſec. 3. Arriagæ diſp. 36. ſec. 1. & communis Doctorum, hæc docet Chriſtum totum contineri ſub qualibet parte ſpecierum.

3 Concluſio prima. Totus Chriſtus continetur ſub quauis parte hoſtiæ quãtumuis minima, non ſolùm ſeparata, ſed etiam coniuncta. Prima pars, quod totus Chriſtus contineatur ſub qualibet parte hoſtiæ ſeparatione facta eſt, de fide definita in Florent. in decreto vnionis, & Trid. ſeſſ. 13. can. 3. vbi habetur: *Si quis negauerit in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſq; ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.*

4 Secunda pars, quod totus Chriſtus contineatur ſub qualibet minima parte etiam coniuncta, ſeu ante ſeparationem, non eſt quidem de fide; eſt tamen certiſſima, & probatur: quia partes hoſtiæ ſeparatæ continent totum Chriſtum; ergo & ante ſeparationem: probatur conſequentia: quia in tantùm continetur Chriſtus in parte hoſtiæ, in quantùm fuit conſecrata; ſed per ſeparationem non fuit facta noua conſecratio; ergo ſi poſt ſeparationem de fide eſt, quod ibi ſit; etiam ante ſeparationem certum erit, quod ibi totus Chriſtus eſſet.

5 Tertia pars, quod totus Chriſtus contineatur ſub quauis parte quantumuis minima, probatur, quia Chriſtus ſuccedit loco ſubſtantiæ panis; ſed ſub qualibet parte, quantumuis minima erat ſubſtantia panis; ergo etiam ſub qualibet parte quantumuis minima, vt coniuncta eſt, continetur totus Chriſtus. Dixi, vt coniuncta, quia ſi poſſet ſeparari aliqua pars ita parua, vt ſub ea non poſſet conſeruari ſubſtantia panis, neque ſub ea poſſet conſeruari corpus Chriſti; quia corpus Chriſti ſuccedit loco ſubſtantiæ panis, & tamdiù ſub ſpeciebus manet, quamdiù remaneret ſubſtantia panis; ſub minore autem quantitate minimi phyſici panis; in data opinione, non poſſet conſeruari ſubſtantia panis, ſi hæc ſeparetur à toto; ergo nec corpus Chriſti; Dum autem talis pars eſt vnita, ſemper ſub illa quantumuis minima adeſt panis; & per conſequens etiam aderit totus Chriſtus.

6 Obijcies primò. Si Chriſtus eſt totus ſub ſingulis partibus hoſtiæ nondum diuiſis, ſequitur, cum partes ſpecierum ſint in infinitum diuiſibiles, quod Chriſtus in Sacramento habeat infinitas præſentias, quod implicat: ſequela probatur, tot præſentias debet habere Chriſtus in Euchariſtia, quot partes ſunt ſpecierum: ſed partes ſunt actu infinitæ; ergo & præſentiæ Chriſti in qualibet hoſtia erunt infinitæ; infinitum autem actu implicat.

Reſpondeo, miſſis varijs reſponſionibus, quæ ſolent dari, quod cum partes ſint tantùm ſincategorematicè in infinitum diuiſibiles, etiam Chriſtus habet præſentias ſincategorematicè infinitas correſpondentes tamen omnes ſpatio finito; in hoc autem nullum, nec minimum abſurdum ſequitur.

7 Obijcies ſecundò ex Concilio: tot præſentias actù totales haberet Chriſtus in Euchariſtia, quot partes actu proportionales ſunt in illa hoſtia: ſed partes proportionales ſunt actu numero categorematicè infinitæ; ergo & præſentiæ totales Chriſti eſſent actu numero categorematicè infinitæ. Confirmatur, quia pręſentiæ Chriſti ſunt diſcretæ, non continuæ: partes autem ſpecierum ſunt continuæ; ergo licèt non implicet dari partes ſpecierum ſincategorematicè infinitas proportionales minores, & minores correſpondentes ſpatio finito; implicabit tamen dari præſentias Chriſti infinitas, cum iſtæ ſint totales, & diſcretæ, & vna ab alia ſeparata.

Reſpondeo, in hoc poſſe eſſe quæſtionem de nomine, non de re, concedo enim tot habere pręſentias ſub partibus, ſub quibus aſſignabilibus ſit totus Chriſtus, quot partes actu proportionales ſunt in illa hoſtia; & etiam concedo poſſe dici partes proportionales eſſe actu infi-

Digitized by Google

infinitas numero, ſed ſemper proportionales, ſed hoc alij vocant ſincategorematicè infinitas, eo quod omnes ſpatio finito correſpondeant; & in hoc ſenſu etiam dici poteſt Chriſtum in Euchariſtia habere præſentias infinitas, ſed proportionales ſpatio finito correſpondentes. Ad confirmationem falſum eſt præſentias corporis Chriſti eſſe diſcretas, ſunt enim eo modo, quo erat panis; ſubſtantia autem panis erat continua, ita & præſentiæ corporis Chriſti.

8 Secunda difficultas eſt, an Chriſtus contineatur ſub omnibus indiuiſibilibus hoſtiæ conſecratæ, & quæſtio hæc etiam tractatur ſuppoſita ſententia Ariſtot. quod continuum componatur ex partibus, & punctis.

Prima ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 10. qu. 9. §. *Hic dicitur*, Lauræ diſp. 21. de Euchar. ar. 2. num. 73. hæc docet Chriſti corpus non replicari præſentialiter ſub omnibus punctis, licèt non neget eſſe ſub omnibus punctis. Vaſquez autem diſp. 188. cap. 4. Richardus, Maior. & alij apud ipſum negant abſolutè Chriſtum eſſe ſub accidentibus indiuiſibilibus. Amicus diſp. 19. & quidam Thomiſtæ, quos ſupreſſo nomine citat Gonet, volunt eſſe ſub omnibus punctis, quæ reperiuntur in hoſtia ante conſecrationem, non verò in illis, quæ reſultant per fractionem hoſtiæ poſt conſecrationem.

Secunda ſententia docet Chriſti corpus eſſe ſub omnibus punctis hoſtiæ, ſiue, quæ ſunt ante conſecrationem, ſiue, quæ reſultant per fractionem hoſtiæ poſt conſecrationem. Sic Capreolus in 4. diſt. 10. qu. 4. ar. 3. ad 2. Sotus qu. 1. ar. 1. Nugnus q. 76. ar. 3. Gonet. diſp. 5. de Euchariſtia art. 2. Arriaga diſp. 36. ſect. 2. & alij. Lugus verò diſp. 8. ſec. 3. in fine dicit neganda eſſe omnia huiuſmodi indiuiſibilia.

9 Concluſio ſecunda. Totum Chriſti corpus continetur ſub quolibet puncto hoſtiæ conſecratæ tam continuatiuo, quàm terminatiuo. Probatur ibi debet ſuccedere corpus Chriſti, vbi erat ſubſtantia panis, ſed ante conſecrationem ſubſtantia panis, vel ſaltem aliquid ipſius erat ſub quolibet indiuiſibili ſuæ quantitatis; ergo & corpus Chriſti quod ſuccedit ſubſtantiæ panis erit ſub quolibet indiuiſibili illius quantitatis panis: probatur minor: quodlibet indiuiſibile quantitatis eſt accidens, atq; adeò ſubſtantiæ panis inhæret; ergo aliquid ſubſtantiæ panis exiſtit ſub eis ante conſecrationem: ſi autem corpus Chriſti eſt ſub indiuiſibili quantitatis panis, totum erit ſub quolibet indiuiſibili; cum ipſe Chriſtus in Sacramento modo indiuiſibili exiſtat.

10 Confirmatur: ante conſecrationem, vel aliquid ſubſtantiæ panis correſpondebat indiuiſibili quantitatis, vel nihil: ſi aliquid ſubſtantiæ panis correſpondebat, quodcumq; illud ſit, ſiue pars panis, ſiue indiuiſibile panis; cum corpus Chriſti ſuccedat ſubſtantiæ panis, & indiuiſibiliter ſuccedat, debet & ipſum correſpondere indiuiſibili quantitatis; ſi verò dicas ſecundum, nempe nihil ſubſtantiæ panis correſpondere indiuiſibili quantitatis panis, ſequitur, quod ſubſtantia panis ſit ſub ſua quantitate diuiſa, & diſcontinua, & ſic etiam corpus Chriſti eſſet ſub accidentibus Euchariſticis diſcontinuatum, & diuiſum, quod eſt abſurdum; ergo data hac ſententia Ariſtotelis de punctis, & partibus in continuò debemus fateri, quod ſicut ſubſtantia panis ante conſecrationem erat ſub indiuiſibili quantitatis panis; ita corpus Chriſti poſt conſecrationem ſuccedens, etiam ipſum ſit ſub quolibet indiuiſibili quantitatis panis; & hæc ratio probat de quolibet indiuiſibili, ſiue continuatiuo, ſiue terminatiuo, quia quodlibet eſt accidens, vel ſaltem indiuiſibile accidentis, quod debet inhærere, vel parti ſubſtantiæ, vel puncto indiuiſibili ſubſtantiali; toti autem ſubſtantiæ panis ſuccedit poſt conſecrationem corpus Chriſti indiuiſibiliter.

11 Obijcies primò. Corpus Chriſti non eſt, niſi vbi erat ſubſtantia panis: ſed ſubſtantia panis, vtpote materialis, non erat ſub puncto; quia, quod materiale eſt, habet partes extra partes, ſaltem entitatiuas; ergo nec corpus Chriſti, quod ſuccedit poteſt eſſe ſub puncto.

Reſpondeo, quod poſſumus reſpondere, vel cum pluribus Thomiſtis, qui docent, quòd ſubſtantia ſecundùm ſe, & intra propriam lineam non habet partes entitatiuas, ſed eſt indiuiſibilis, vel in ſententia communiori, quæ admittit ſubſtantiam materialem habere proprias partes entitatiuas ſubſtantiales copulatas, & vnitas per puncta ſubstantialia: data igitur priori ſententia, ſubstantia panis eſt ſub indiuiſibili quantitatis: data verò ſecunda ſententia; cum in ſubstantia ſint partes entitatiuæ, & puncta ſubstantialia, & Christus ſuccedat loco ſubstantiæ panis, debet ſuccedere non tantùm partibus entitatiuis, ſed ſed etiam punctis ſubstantialibus panis, vt in concluſione probatum fuit.

12 Obijcies ſecundò. Si corpus Christi eſt ſub indiuiſibilibus hostiæ conſecratæ, ſequitur, quod Sacerdos

 poſ-

Digitized by Google

poſſit conſecrare ſolùm punctum hoſtiæ, vel ſolam ſuperficiem: nam Sacerdos potest cõſecrare quamlibet partem hostiæ ſenſibilem, & deſignabilem: ſed potest deſignare ſuperficiem ſolam; ergo ſolam ſuperficiem conſecrare.

Reſpondeo negando ſequelam, ad probationem, nego maiorem: etenim poterit quidem illam ſuperficiem extrinſecè deſignare, non intrinſecè, cum intrinſecè non ſit deſignabilis, & per conſequens, nec etiam conſecrabilis; nã id, quod cadit ſub intentione conſecrantis debet eſſe abſolutè in ſe determinatum, vt in quæst. 2. dictum fuit.

13 Dices primò. Potest Sacerdos velle cõſecrare medietatem hostiæ cum puncto, aut linea continuante ipſum cum altera medietate: atqui hæc linea continuans vnam medietatem cum alia non plus ſpectaret ad medietatem conſecratam, quam ad aliam non conſecratam; ergo ſi ſub illa, quia ſpectat ad medietatem conſecratam eſt Christus; etiam ſub eadem, quia ſpectat ad medietatem non conſecratam erit panis; & ſic ſub eadem linea eſset corpus Chriſti, & panis, quod dici nequit.

Reſpondeo negando maiorem; nam vt materia aliqua ſit conſecrabilis debet eſſe determinata, & deſignabilis, imò deſignata ab ipſo Sacerdote, non potest autem Sacerdos deſignare lineã indiuiſibilem continuantem vnam medietatem cum alia, & ideò hoc modo non eſſet conſecrabilis vna medietas, niſi à Sacerdote phyſicè determinaretur, poſita autem phyſica, determinatione partis non officit argumentum adductum de puncto indiuiſibili, vel linea, cum hæc phyſicè non ſint deſignabilia.

14 Dices ſecundò. Si vino conſecrato miſceatur aliud nõ conſecratum, statim reſultabunt ibi noua puncta continuatiua: atqui hæc puncta continuatiua non magis ſpectant ad vinum conſecratum, quam ad non conſecratum; ergo ſub illis non ponetur Christus, vel ſi dicas poni Christum ſub illis; ergo ſub illis etiam erit vinum, & ſic ſimul erit vinum, & Christi ſanguis.

Reſpondeo, Christum eſſe ſub omnibus punctis, quæ adſunt, dum panis, vel vinum conſecratur, non ſub illis, quæ reſultant, post conſecrationẽ, etenim ſub illis est, ſuper quæ potest cadere conſecratio, ſuper puncta autem reſultantia post conſecrationem non cadit conſecratio, nec cadere potest, & hoc verum est, tam de punctis continuatiuis, vt argumentum vrget, quàm de terminatiuis reſultantibus per fractionem hostiæ, aut diuiſionem ſpecierum vini. Alij aliter reſpondent, & admittunt poni Christum ſub illis, quæ reſultant per fractionem, & diuiſionem ſpecierum, quia ea puncta non ſupponuntur habere ſubstantiam panis, vel vini, cui inhæreant; non poni autem sub continuatiuis, quæ resultant per vnionem vini non conſecrati cum speciebus conſecrati, quia hæc habent vnionem cum substantia vini, cui inhærent, & alij alias dant reſponſiones, & omnes captu difficiles, ſicuti difficillima est quæstio de compoſitione continui. Quare faciliùs se expediunt ab hac theologica difficultate, qui admittunt continuum componi ex solis partibus ſine punctis, vel ex solis punctis phyſicis: at suppoſita Aristotelis opinione, quod continuum componatur ex punctis, & partibus clarior reſponſio est, quam dedimus; & hæc de hac difficili quæstione satis, quæ non magis est theologica, quam implicitè inclusa in illa phyſica de continui compoſitione.

ARTICVLVS III.

An aliqua forma ſubſtantialis ponatur in Sacramento ex vi verborum.

1 CHriſtum Dominum totum poni in Eucharistia visum eſt, nunc inueſtigandum eſt quid ponatur ex vi verborum, & cum illud ponatur ex vi verborum, quod formaliter ſignificant verba, primò inquirimus, quid formaliter ſignificet ly *corpus* in verbis conſecrationis, an ſignificet nudam materiam, vel materiam cum accidentibus, vel eamdem cum aliqua forma ſubſtantiali.

2 Prima ſententia negat aliquam formam poni in Sacramento ex vi verborum, ſed vult ſolùm poni materiam primam. Sic Gabriel in 4. diſt. 11. & ſec. 42. in can. miſſæ, Maior diſt. 10. q. 5. Marſilius quæſt. 8. art. 2. Aegidius theor. 28. quos ſequitur Auerſa quæſt. 4. de Euchar. ſec. 1.

Secunda ſententia vult poni quidem formam, ſed vt abſtrahentem ab anima, & forma cadaueris, & eſſe formam ſecundùm conceptum communem formæ corporeæ. Sic Caiet. hic ar. 6. Capreol. in 4. diſt. 10. q. 2. ar. 3. Durand. q. 2. nu. 6. Nugnus q. 76. art. 1. Ioann. à S. Dhom, diſp. 28. ar. 4. Gonet diſp. 5. ar. 1. & communiter Thomiſtæ. Suarez diſp. 51 ſec. 4. Vaſquez diſp. 186. cap. 3. & plures alij, licèt in hac opinione explicanda inter ſe etiam iſti auctores differant; nam Vaſquez vult nomine corporis venire

mate-

Digitized by Google

materiam in recto connotando formam in obliquo, cum quo conſentiunt Sotus, Ledeſma, & alij.

Tertia ſententia eſt Lugi diſput. 8. ſec. 4. hæc vult venire nomine corporis materiam cum organizatione ſufficienti ad hoc, vt habeat diuerſitatem partium, nempe carnis, oſſis &c. duplicem autem ponit organizationem, vnam ſubſtantialem prouenientem à forma ſubſtantiali tali, & tali modo vnita materiæ, aliam accidentalem prouenientem ab accidentibus; vnde materiam, vt ſubeſt his organizationibus dicit venire nomine corporis. Huic opinioni in parte conſentit Arriaga diſp.36. ſec.4. quatenus dicit nomine corporis venire molem, & figuram varijs accidentibus organizatam.

Quarta ſententia eſt Henrici quodlib.3.q.6. & 8. Scoti in 4.diſt.11.q.3.art. 2. & alibi, Lauræ de Euchariſtia diſp. 21.ar.8. & communis Scotiſtarum, Coninchi hic art,2. Amici diſp. 19. de Euchariſtia ſec.3.Areſij diſp.2.de Gener.q. 10. ſec.3. hæc affirmat nomine corporis venire materiam cum formis partialibus ſubſtantialibus oſſis, carnis &c. licèt Scotiſtæ communiter has formas partiales vocent formam corporeitatis, vel mixtionis, ſed verè in re idem dicunt.

3 Certum in omnium ſententia eſt, animam rationalem, vt rationalis eſt, non poni in hoc Sacramento ex vi verborum, ſed per concomitantiam; hoc clarè colligitur ex Trid.ſeſſ.13. cap.3. *dicente*: *Animamq; ſub vtraq;* (ſcilicet ſpecie) *vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus inter ſe copulantur.* Si igitur anima non ponitur hic ex vi verborum, videndum eſt, quid ſignificet ly *corpus*, quod vi verborum ponitur in Sacramento.

5 Concluſio prima. Corpus, quod hic ponitur ex vi verborum non eſt ſola materia prima. Eſt contra auctores primæ opinionis. Probatur, quia nomine corporis hic deber intelligi corpus, quod ſit proprium viuentium: ſed materia prima nõ eſt corpus, quod ſit proprium viuentium; ergo materia prima non venit nomine corporis in verbis conſecrationis: maior patet; nam Chriſtus eſt, qui loquebatur, & dicebat: *Hoc eſt corpus meum*: corpus autem Chriſti erat corpus proprium viuẽtium: minor patet etiam; nam ſi corpus, quod eſt proprium viuentium, eſſet materia prima, valeret conſecratio dicendo: *Hac eſt materia mea*: nam verba, quæ ſignificant idem & ſunt ſolùm ſynonima non variant formam: ſed falſum eſt per huiuſmodi verba poſſe fieri validum conſecrationem; ergo non idem ſignificatur per corpus, quod ſignificatur per nomen, *materia prima*.

5 Concluſio 2. Corpus, quod hic ponitur ex vi verborum non includit animam quatenùs dat eſſe corporeum, nec eſt materia in recto, vt connotans formam in obliquo. Eſt contra ſecundam ſententiam. Probatur concluſio. In hoc Sacramento ex Trident. ſeſſ. 13. cap.3. anima ponitur tantùm per concomitantiam vi naturalis connexionis, qua partes Chriſti inter ſe copulantur: ſed ſi ex vi verborum veniret materia cum anima, quatenùs dat eſſe corporeum; aut ſi veniret materia in recto, & anima in obliquo, anima non poneretur in hoc Sacramento vi naturalis connexionis, qua partes Chriſti inter ſe copulantur, ſed vi identitatis eiuſdem cum gradu corporeo, quem tribuit materiæ; non enim diſtinguitur realiter, aut ex natura rei gradus corporeus, quem anima dat materiæ ab ipſa anima, vt dat eſſe ſpecificum, & indiuiduale; ergo materia cum anima quatenùs dat eſſe corporeum, aut materia in recto, anima in obliquo non ſunt id, quod venit nomine corporis, & quod ponitur in hoc Sacramento ex vi verborum.

6 Dices 1. ex Gonet eſse quidem animam, quæ dat eſse corporeum, viuens, ſpecificum, & indiuiduale, nihilominus, vt dat eſse corporeum, diſtingui virtualitèr à ſe ipſa, vt dat eſse viuens, & ſpecificum; ſicuti ſimilis diſtinctio, quæ reperitur inter filium, & eſsentiam diuinam, inter ſubſiſtentiam Verbi, & naturam diuinam ſufficit ad hoc vt generetur filius non eſsentia diuina, & primariò terminet ſubſiſtentia diuina humanitatem, non verò eadem terminet natura diuina. Sed contra: quia falſum eſt in anima diſtingui gradum corporeum, quem dat alteri comparti á gradu ſpecifico eo modo, quo relationes diſtinguuntur ab eſſentia in diuinis, ſecus ſicuti poteſt dici, & veriſſimè dicitur, producitur relatio, & non eſſentia, poſſemus etiam veriſſimè dicere, producitur anima ſecundùm gradum, quo dat eſſe corporeum, & non ſecundùm gradum, quo dat eſſe ſpecificum, quod tamen apertè implicat; cum ſit vna, & indiuiſibilis entitas, quæ dat eſſe corporeum, viuens, & ſpecificum; ergo falſum eſt diſtingui hos gradus in anima ſicuti diſtinguuntur eſſentia diuina, & relationes. Contra ſecundo etiã admiſſa hac diſtinctione, adhuc ſtat in ſuo robore argumentum factum. quod anima non poneretur in hoc Sacramento vi naturalis connexionis, qua pars Chriſti eſt, ſed ratione identitatis;

nam

nam illi gradus omnes, licèt admittere-mus virtualitèr eos eſſe inter ſe diſtinctos nihilominus realitèr idem ſunt; ergo ſi anima ponitur ex vi verborum, vt dat eſſe corporeum, ratione identitatis po-netur vt dat eſſe ſpecificum, & anima-tum, non verò ponetur ratione natura-lis connexionis, qua pars Chriſti eſt.

7 Dices 2. cum Suarez ex vi verbo-rum poni quidem aliquā formam, quæ ſufficiens ſit conſtituere corpus organi-cum humanum, verùm ſecundùm ſe abſtrahere ab hoc, quod ſit anima, vel forma cadaueris; cum corpus humanum Chriſti poſſit conſtitui tale, vel per ani-mam, vel per formam cadaueris, vti erat tale in triduo mortis, in re ipſa ta-men ſemper, vel eſt anima, vel forma cadaueris; verùm cum poſſit verificari tàm de vna, quàm de alia forma; hinc eſt, quod modò veniat anima, ſit per concomitantiam, quia modò pars Chri-ſti eſt. Sed contra: quia ex vi verborum non ponitur corpus, vt ſic, quatenùs eſt prædicatum ſuperiùs, quo modo ac-cipitur, dum quis dicit, homo eſt ani-mal, viuens, corpus, ſubſtantia; ſed hic accipitur corpus pro altera parte hominis, & quod non poteſt prædicari in recto de homine, quo ſenſu, ſicuti non poteſt dici, homo eſt anima, ita nec poteſt dici, homo eſt corpus; poni-tur ergo hoc numero corpus; ergo etiā ponetur ex vi verborum hæc numero forma, vel cadauerica, vel anima ratio-nalis: tum ſic: ſi ponitur cadauerica ex vi verborum; ergo tunc non ponetur per concomitantiam anima rationalis, imo nec poſſet poni; quia tunc non poſ-ſet poni vt compars, cum iam ſuppone-retur totum; ſi verò dicatur, poni animā ex vi verborum, iam patet eſſe implican-tiam, quod eadem ponatur poſtea per concomitantiam.

8 Concluſio 3. Neq; ſententiæ Lu-gi, & Arriagæ ſunt admittendæ. Prima ſic reijcitur; quia hæc ſententia nomine corporis intelligit materiam cum orga-nizatione ſubſtantiali, & etiam materiā cū organizatione tantùm accidētali: ſed materia cum organizatione ſubſtantiali, vel accidentali nō poteſt venire nomine corporis, quod ponitur vi verborū con-ſecrationis; ergo quocumq; mōdo expli-cetur hęc opinio non eſt admittēda: pro-batur minor, quoad primā partem: orga-nizatio ſubſtantialis nō eſt materia ſola, vt Lugus fatetur; ergo eſt materia cum anima: ſed materia cum anima eſt totū, non pars; ergo materia cum anima non poteſt venire nomine corporis; nam no-mine corporis hic accipitur illa pars, quę ſimul cum anima conſtituit hominem.

9 Dices 1. Nomine corporis eſſe materiam in recto connotantem tamen in obliquo formam ſubſtantialem, ſic autem non eſſe compoſitum hominis, ſed tantùm corpus, & partem; nam compoſitum dicit materiam, & formam in recto. Sed contra quomodocumque connotetur forma, ſaltèm vt connotata ex vi verborum veniret; ergo non veni-ret vi naturalis connexionis, & conco-mitantiæ, qua pars Chriſti Domini eſt: probatur conſequentia, vt connotata veniret vi verborum: ſed forma vt con-notata non diſtinguitur à ſe ipſa, vt in ſe eſt; ergo ſi veniret ex vi verborum vt connotata, etiam veniret ex vi verbo-rum, vt forma eſt; & ſic currit argu-mentum, quod ſupra contra præceden-tem ſententiam formatum eſt; et in hoc ſenſu ſolùm verbis differt à ſenten-tia, quam ſequitur Suarez, quam ta-men ipſe confutat.

10 Dices 2. Organizationem ſub-ſtantialem heterogeneam prouenire à diuerſis vnionibus ſubſtantialibus mate-riæ cum anima, cum ex his diuerſis vnionibus partes corporis humani diffe-rant inter ſe ſubſtantialitèr in eſſe carnis, oſſis, & huiuſmodi. Sed contra 1. Quia per nos non dantur iſti modi vnionis, vt fusè ex alibi dictis probatum fuit. Se-cundò, etiam illis admiſſis, ab illis non poteſt prouenire diuerſitas ſubſtantialis partium; nam huiuſmodi partes ſunt ſubſtantialitèr, & intrinſecè inter ſe di-uerſæ; ergo per formam ſubſtantialitèr talem, non per vnionem tantùm. Ter-tiò implicat, quod nomine corporis veniat materia cum vnione, niſi etiam veniat forma; cum vnio eſſentialitèr ſit partium vnio; Sed ſi debet venire for-ma, quomodocumque poſtea veniat, non poteſt poſtea eſſe in hoc Sacramen-to per concomitantiam, ſed veniret per identitatem, quod eſt contra Concilium Trid. vt ſupra dictum fuit; ergo quo-modocumque explicetur hæc opinio, nullo modo admittenda eſt.

11 Probatur modò minor principa-lis argumenti, quoad ſecundam partem; nempè, quod nomine corporis non poſſit venire materia cum organizatio-nibus accidentalibus: etenim corpus, quod hic ponitur eſt altera pars eſſentia-lis Chriſti, & corporis nomine intelligi-mus aliquod ſubſtantiale; prædicatum enim corporis eſt prædicatum ſubſtan-tiale, non accidentale: ſed, quod cor-pus ſit pars eſſentialis, & ſubſtantialis Chriſti, non poteſt prouenire ab acci-dentibus; cum accidens nullum poſſit dare prædicatum ſubſtantiale; neque poteſt prouenire à materia ſola, quia hæc

Digitized by Google

hæc non eſt corpus, vt fatentur etiam aduerſarij; ergo corpus, quod venit per verba conſecrationis, non poteſt eſſe materia cum organizationibus accidentalibus.

12 Dices ex Arriaga: corpus ſecundùm totum, quod dicit, non eſſe de eſſentia hominis, ſed ſolùm ſecundùm quod dicit in recto, ſcilicèt ſecundùm materiã primam, vnde ſi diuinitus ſola materia vniretur animæ eſſet id ſubſtantialiter homo, & eſſentialitèr, non tamen eſſet corpus;& proinde in tali caſu non conſtaret homo anima,& corpore. Sed contra: Phyloſophi omnes, & non vulgus tantùm ponunt differentiam inter viuentia, & non viuentia, quod hæc non conſtant eſſentialitèr, niſi ex materia, & forma, licèt numquam recipiatur forma in materia, niſi hæc priùs per accidentia ſit diſpoſita, & tamen talis materia cum illis diſpoſitionibus accidentalibus à nullo dicitur corpus: illa verò conſtant eſſentialitèr ex anima, & corpore tamquam partibus ſubſtantialibus, & eſsentialibus: quæ differentia non adeſset, ſi ſubſiſteret Arriagæ reſponſio; ergo nullo modo talis opinio eſt admittenda, cum aduerſetur non ſolùm cõmuni conceptui, quem habent homines communitèr, ſed quem habent etiã Phyloſophi omnes; quod totũ magis patebit in ſequenti concluſione, dum noſtram probabimus ſententiam.

13 Concluſio 4. Id quod venit nomine corporis in forma conſecrationis, eſt materia cum formis partialibus; iſtæ enim conſtituunt corpus organicũ ſubſtantiale humanum cum materia. Probatur primò ex refutatione aliarum ſententiarum; & ampliùs ſic confirmatur noſtra concluſio. Illud venit nomine corporis in forma conſecrationis, quod eſſentialitèr requiritur, cum materia ad conſtituendum corpus humanum organicum heterogeneum in eſſe oſſis, carnis, nerui &c. quæ partes ſint inter ſe ſubſtantialiter diuerſæ: ſed formæ partiales eſſentialitèr requiruntur cum materia ad conſtituendum corpus organicum humanum habens in ſe diuerſas partes oſſis, carnis, nerui &c. ſubſtantialitèr diuerſas; ergo formæ partiales cum materia veniunt nomine corporis humani organici heterogenei in eſſe carnis, oſſis &c. per verba conſecrationis. Maior patet: probatur minor: corpus humanum, quale eſt illud Chriſti Domini habet carnem, quæ formalitèr eſt caro, & oſſa, quæ ſunt formaliter oſſa, & ſic de alijs partibus: ſed huiuſmodi partes non poſſunt eſse formaliter tales per animam; ergo ſunt formaliter tales per propriàs formas partiales: probatur minor, quia anima virtute tantùm continet formam ſubſtãtialem carnis, oſſium &c. ſed non ſufficit continentia virtualis ad conſtituendum aliquid formaliter tale; ergo nòn ſufficit anima ad conſtituendas has partes formaliter tales: maior ſæpè vſurpatur, & conceditur ab aduerſarijs; probatur minor; quia piper, vinum, & huiuſmodi continent virtualiter calorem: atqui hoc non ſufficit, vt ſint formalitèr calida, ſed inſuper requiritur etiam, vt in ipſis ſit formaliter calor; ergo etiam non ſufficit, quod anima ſit virtualitèr forma carnis, oſſium &c. vt conſtituat formalitèr carnem, & oſsa:

14 Dices 1. carnem, & oſsa non differre inter ſe ſubſtantialiter, & eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter, & ideò non dari diuerſas formas partiales ſubſtantiales illas partes conſtituentes in eſſe carnis, oſſis &c. Sed contra: quia in tantùm ponitur forma ſubſtantialis, & colligimus illam dari, in quantùm videmus accidentia diuerſa, & diuerſas operationes: ſed videmus in oſſibus accidentia diuerſa, quam ſint in carne, & neruis; ergo etiam debemus colligere formam ſubſtantialem diuerſam: Explicatur maior; nam ideò nos ponimus in Cane v. g. diuerſam ſpecie formam ab illa, quam in Lupo ponimus, quia videmus diuerſa accidentia, & operationes eſſe in Cane, quæ non ſunt in Lupo, & ſic de reliquis rebus omnibus; arguimus enim has operationes debere prouenire ab aliquo principio ſubſtantiali exiſtente in tali ſubiecto, quod principium vocamus formam ſubſtantialẽ; ergo etiam, cum videamus accidentia diuerſa in carne, ac ſint in oſſibus, debemus arguere ibi diuerſas formas; ſecus, ſi licet dicere, has partes tantùm differre accidentalitèr, etiam mihi licebit dicere, aurum non differre per formam ſubſtantialem ab auricalcho, aut argento, vel Lupum à Cane, & ſic de ceteris; magis enim conueniunt in accidentibus Lupus, & Canis, auricalchum, & aurum, quam caro, & oſſa; ſi igitur aduerſarij dicunt, eſſe alienum à philoſophia; aſſerere Lupum differre tantùm accidentaliter à Cane, eo quod habeant diuerſa accidentia, & ipſi eodem argumento coacti debent fateri, carnem differre eſsentialiter, & ſubſtantialiter ab oſſibus &c.

15 Dices 2. Canem, & Lupum, auricalchum, & aurum eſse diuerſa ſuppoſita, quod non conuenit carni, & oſſibus, quę ſunt in eodem ſuppoſito, ideò in Cane, & Lupo &c. eſse diuerſitatem ſubſtan-

Digitized by Google

ſubſtantialem, non verò inter carnem, & oſſa. Sed contra ſumo corpus animalis mortui, ibi caro, & oſſa ſubſtantialiter differunt, & tamen ſunt in eodem ſuppoſito; ergo quod ſit idem ſuppoſitum nihil officit, ſed ſatis eſt, quod adſint diuerſa accidentia, vt arguatur diuerſitas formæ: antecedens probatur nam ſi ſolùm ſeparetur caro ab oſſibus, iam ibi erunt diuerſa ſuppoſita, & diuerſa accidentia; ergo ibi erunt diuerſæ formæ ſubſtantiales: ſed tales formæ non fuerunt productæ per illam ſeparationem partium, cum mera ſeparatio non ſit productiua formæ ſubſtantialis; ergo antea ibi erant tales formæ in eodem ſuppoſito.

16 Dices 3. Eſſe diuerſitatem ſubſtantialem in iſtis partibus, quia adeſt diuerſa pars ſubſtantialis materiæ. Sed contra materia ſecundum ſe eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus: ſed oſſa, & caro debent eſſe ſubſtantialiter diuerſæ ſpeciei; ergo hæc diuerſitas non poteſt prouenire à materia; ex alia parte; cum non poſſit prouenire ab anima rationali debet prouenire à formis partialibus, quæ ſimul cum materia cõſtituunt corpus organicum humanum; & hoc eſt, quod venit nomine corporis in forma conſecrationis.

17 Confirmatur: quia data hac noſtra ſententia, clarè explicantur, quæ de Chriſto traduntur communitèr à Theologis; & primò, quod numquam dimiſerit, quod ſemel aſſumpſit; nam cum data hac opinione, non detur forma cadaueris in Corpore Chriſti mortui, nec etiam talem formam aſſumpſit, nec in reſurrectione dimiſit, quod fieri debebat in triduo, niſi darentur formæ partiales. Secundò quomodo remanſerit idem numero corpus etiam in triduo, cum habuerit eamdem numero materiam, & formas partiales ſine alia forma aduentitia. Tertiò quomodo anima Chriſti non ponatur in hoc Sacramento ex vi verborum, ſed tantùm per concomitantiam ex ſe patet, quia corpus ſignificat tãtùm materiam cum formis partialibus; vnde anima ponitur tamquam alia pars vi naturalis connexionis, qua pars Chriſti Domini eſt. Cõtra noſtram concluſionem plura congeruntur argumenta, quæ tamen non tàm ſunt contra noſtram concluſione, quàm contra ſententiam phyloſophicam, quod in viuentibus non dentur formæ ſubſtantiales partiales; non eſt animus omnia proponere, & ſoluere, cum ſint purè phyloſophica, præcipua tamen ponam, & ſoluam.

18 Obijcies 1. contra vltimã. Compoſitum ſubſtantiale viuens eſt vnum; ergo vnicam habet formam ſubſtantialem; conſequentia probatur, quia vnicum eſſe prouenit ab vnica forma; ergo &c.

Reſpondeo negando cõſequentiam: ad probationem: dico vnicum eſſe prouenire ab vnica forma completiuè, non verò totalitèr; cum enim eſſe compoſiti, & corporis organici ſit compoſitum ex pluribus partialibus, hoc eſſe habetur etiam ab alijs formis partialibus, quæ in ordine ad animam ſe habent, vt materia.

19 Obijcies 2. Non poteſt explicari, quo pacto illæ formæ ſint ſubſtantiales; vel enim illę formę radicantur in anima vel è contrariò anima radicatur in illis: ſi primùm, non erunt magis ſubſtantia, quam aliæ diſpoſitiones accidentales: ſi ſecundùm; ergo anima non erit ſubſtantia: probatur conſequentia; quia ſubſtantia debet eſſe prima radix eorũ, quæ ſunt in compoſito.

Reſpondeo negando antecedens, dico enim eſſe ſubſtantiales, quia ipſæ conſtituunt ſuas partes diuerſas ſubſtantialiter; conſtituunt enim carnem, oſſa, neruos &c. ſubſtantialiter talia cum hęc prædicata formalia haberi non poſſint ab anima, vt probatum fuit, & ſunt hæ partes formaliter tales, tàm ante aduentum animæ, quàm poſt receſſum ipſius, vnde ipſæ non radicantur in anima, ſed ipſæ ſunt primæ radices cõſtituendi has partes formaliter, & ſubſtantialiter diuerſas; neque anima radicatur in ipſis, ſed in corpore, & ipſa eſt radix operationum vitalium; vnde argumentum nullum eſt.

20 Obijcies 3. Ex duobus entibus in actu completo non poteſt fieri vnum per ſe: ſed quælibet forma ſubſtantialis conſtituit compoſitum in actu completo; ergo poſita vna forma, anima, quæ poſtea adueniret, non poſſet conſtituere vnum ens per ſe.

Reſpondeo veram eſſe maiorem de entibus in actu completo vltimatè: formæ autem carnis, oſſis &c. ſunt actus completi mixtum conſtituentes, non verò viuens, reſpectu enim viuentis ſunt in potentia, vnde dixit Ariſt. quod anima eſt actus corporis organici, non vt talis, ſed potentia vitam habentis.

21 Obijcies 4. Vel quælibet harum formarum tribuit eſſe ſpecificum, vel altera genericum, altera ſpecificum: vtrumque eſt abſurdum; ergo non dantur iſtæ formæ: probatur minor quoad primam partem, quia ſequeretur idẽ eſſe in duabus ſpeciebus vltimis, & completis; quoad ſecundam partem verò

verò

Digitized by Google

verò idem patet; cum nulla forma poſſit tribuere eſſe genericum, quin tribuat eſſe ſpecificum.

Reſpondeo quamlibet formam tribuere eſſe ſpecificum: ad impugnationem, dico nullum eſſe abſurdum, quod idem ſit in duplici ſpecie, ſi ſint ad inuicem ſubordinatæ, vti eſſent in propoſito, quia forma carnis ſubordinatur formæ animalis viuentis; etenim quamuis logicè forma carnis non ſubordinetur ipſi animæ; phyſicè tamen eſt ſubordinata, & reſpectu illius ſe habet vt materia; ſit exemplum in moralibus, ſacerdos habet plures ordines, neque tamen vnus ordo ponitur ad tribuendum eſſe ſpecificum, alter genericum, ſed quilibet ordo tribuit eſſe ſpecificum genericum, & indiuiduale, nam alia ſpecies ordinis eſt Diaconatus, alia Sacerdotium; nihilominus ordo inferior eſt diſpoſitio ad ſuperiorem, ad quem tamquam ad finem ordinatur, ita a pari in propoſito dicendum eſt de his formis partialibus, & anima.

22 Dices: Forma carnis conſtituit compoſitum indiuiduum, & ſingulare; non enim eſt vniuerſalis; ergo etiam illud conſtituit in vltima ſpecie atoma cum repugnet dari indiuiduum, quod non ſit in vltima ſpecie atoma.

Reſpondeo conceſſo antecedenti: diſtinguendo conſequens; illud conſtituit in vltima ſpecie atoma logica, concedo conſequentiam: phyſica, nego conſequentiam: concedo enim non poſſe dari indiuiduum, quin ſit in vltima ſpecie logica; poteſt tamen dari indiuiduum in ſpecie non vltima phyſica, & non eſt inconueniens, quod idem indiuiduum ſit in duabus ſpeciebus phyſicis ſubordinatis, & in vna vltimatè.

23 Obijcies 5. Auferat Deus omnes formas partiales ab homine, relicta materia cum accidentibus, & anima rationali, tunc tale compoſitum vel eſſet homo, vel non: ſi ſic; ergo cõſtaret anima, & corpore ſine formis partialibus: ſi non, contra, quia, quod conſtat anima rationali, & materia organizata vt comparte, eſt verum compoſitum corporeum: ergo eſſet conſtans anima, & corpore; & conſequenter eſſet homo.

Reſpondeo tale compoſitum non fore hominem, quia cum de eſſentia hominis ſit habere corpus organicum, quod eſſentialiter dicit partes ſubſtantialiter diuerſas, ſi illas non haberet, non eſſet adæquatè homo; etenim ſicuti aduerſarij fatentur quod manus hominis non eſt homo, licèt ibi ſit materia cum organizationibus, & tota anima rationalis; ita ego dico, tale compoſitum ex materia, accidentibus, & anima rationali eſſe quidem compoſitum, & corporeum, non tamen fore hominem, quia homo eſſentialiter includit corpus cum ſuis organizationibus, & partibus ſubſtantialiter diuerſis, quod fieri nequit, niſi per formas partiales.

24 Dices. Nec Philoſophi antiqui, nec latinæ linguę auctores per hanc vocem *corpus humanum* vllo modo voluerunt ſignificare formas partiales, & idem dicendum de alijs idiomatibus; ergo independenter ab iſtis formis partialibus debemus intelligere, quid ſignificet ly *corpus humanum*. Sic arguit Arriaga. Sed contra retorquetur argumentum contra ipſum: nam nullus Philoſophus antiquus, nec latinæ linguæ auctores per hanc vocem *corpus humanum* voluerunt ſignificare materiam primam cum accidentibus; ergo, quod contra nos obijcit eodem modo ab ipſo ſolui debet. Dico igitur veriſſimum eſſe, nec phyloſophos antiquos, neque auctores linguæ latinæ ſolicitos fuiſſe de hiſce formis, dum poſuerunt hanc vocem *corpus humanum*: ſed tantùm illi per hanc vocem *corpus humanum* voluerunt intelligere corpus conſtans carne, oſſibus, neruis, tali figura &c., an verò hoc eſſet materia cum formis partialibus vel ſola corpuſcula diuerſimode vnita, vt volebat Democritus, vel materia cum organizationibus ſolum accidentalibus, certè de hoc non curarunt: Sed philoſophi nunc conſiderantes tales, partes corporis humani diuerſas, arguunt eſſe tales per ſuas formas partitales, & per illas conſtitui corpus humanum; ſi igitur per illas conſtituitur; vtique illæ omnes cum materia veniunt nomine corporis poſiti in verbis conſecrationis.

25 Quæres primò. Quid ponatur ex vi illius vocis *ſanguis*.

Reſpondeo ex dictis clare deduci, poni materiam cum forma ſanguinis: ſicuti enim aliæ partes corporis humani habent ſuas formas partiales, quibus conſtituuntur ſubſtantialiter tales inter ſe diuerſæ: ita de ſanguine dicendum eſt.

26 Quæres 2. An totus ſanguis, qui erat in corpore Chriſti in nocte cœnę, vel qui nunc eſt in corpore glorioſo ponatur in Sacramento ſub ſpeciebus vini.

Reſpondeo affirmatiuè; nam forma *hic eſt ſanguis meus*, vel *hic eſt calix ſanguinis mei* ſignificat totum ſanguinem; nam quęlibet pars eſt ſanguis Chriſti. Neque officit, quod Chriſtus dixerit, *ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*; etenim pe ly *effundetur* non limitat præcedentia verba ad ſanguinem, qui fuit effuſus, ſed solum exprimit primarium

 finem

Digitized by Google

finem huius Sacramenti, qui eſt repræſentatio paſſionis Chriſti, & adhuc poteſt denominatio cadere ſupra totum ſanguinem; ſicuti totus homo dicitur combuſtus, quamuis oſſa non ſint combuſta & ſi Chriſtus, dum conuertit aquã in vinum dixiſſet, *Hoc eſt vinum, quod à vobis potabitur* verè tota aqua, quæ erat in illis hidriis eſſet conuerſa in vinum, etiamſi poſtea circumſtantes totum illud vinum non bibiſſent.

ARTICVLVS IV.

An quantitas, & alia accidentia ſint in Sacramento ex vi verborum, vel per concomitantiam.

1 Vaſquez diſp. 187. cap. 4. vult ex vi verborum poni in Sacramento aliquam organizationem accidentalem, idem docet Arriaga diſp. 36. ſec 3. ſubſec. 4.

D. Thom. hic qu. 76. ar. 4. quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, Suarez. diſp. 50. ſec. 6. Lugus diſp. 8. ſec. 4. Gonet diſp. 5. ar. 1. & fere omnes alij Doctores docent quantitatem, & alia accidentia non poni ex vi verborum in hoc Sacramento, ſed tantùm per concomitantiam.

4 Concluſio. Quantitas; & alia accidentia non ponuntur hic ex vi verborum, ſed per concomitantiam. Dixi quantitatem, & alia accidentia; nam ſuppono quantitatem diſtingui à ſubſtãtia materiali; nam ſi ſuſtineremus quantitatem materiæ non diſtingui ab ipſa materia, & ſolùm diſtingui à materia illam quantitatem, quæ eſt identificata cum accidentibus; in tali caſu deberemus dicere, poni ex vi verborum quantitatem idemtificatam cum materia, non verò aliam idemtificatam cum accidentibus; verùm in concluſione ſuppono ſententiam communem, quod quantitas diſtinguatur tamquam accidens à materia.

3 Probatur ratione. Illud ponitur ex vi verborum, quod formaliter ſignificant verba: ſed verba formaliter ſignificant corpus ſubſtantiale, non quantitatem, & alia accidentia; ergo ſolùm corpus ſubſtantiale ponitur ex vi verborum, reliqua per concomitantiam: maior patet; probatur minor: id formaliter ſignificant verba, quod formaliter conuertitur; ſed id, quod formaliter conuertitur eſt ſubſtantia, vt patet ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. dicente. *Sancta Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius*; ergo ſubſtantia corporis, & ſanguinis eſt, quæ formaliter ponitur ex vi verborum, quantitas autem, & cetera accidentia per concomitantiam ponuntur.

4 Obijcies primò. In hoc Sacramento ex vi verborum debet poni corpus organicum: ſed còrpus organicum eſſentialiter includit quantitatem, & alia accidentia; ergo ſi ex vi verborum debet poni corpus organicum, debent ex vi verborum poni quantitas, & alia accidentia; minor patet; nam corpus organicum includit raritatem, denſitatem, membrorum diſtinctionem, & huiuſmodi, quæ eſſe non poſſunt ſine quantitate &c.

Reſpondeo, quod duplex eſt organizatio, alia ſubſtantialis, & radicalis, alia formalis, & accidentalis, prima habetur à formis partialibus: alia à quantitate, & ceteris accidentibus; in hoc igitur Sacramento ponitur ex vi verborum prior organizatio ſubſtantialis, & radicaliter exigens diuerſas diſpoſitiones, figuras &c. non verò ponitur ex vi verborum organizatio accidentalis, ſed hæc ponitur ſolùm per concomitantiam.

5 Obijcies 2. Ex vi verborum ponitur illud corpus, quod apparebat eſſe corpus Chriſti: ſed hoc eſt cum organizatione accidentali; ergo &c.

Reſpondeo, quod ex vi verborum ponitur illud corpus, quod formaliter ſignificant verba; hoc autem eſt corpus ſubſtantialiter organizatum, concomitanter autem ponitur etiam omne, quod eſt cum corpore connexum, cuiuſmodi ſunt etiam organizatio accidentalis, & alia accidentia, quæ ſunt inhæſiuè in Chriſto, hęc enim ponuntur ratione connexionis, quam habent cum corpore Chriſti.

ARTICVLVS V.

An Verbum Diuinitas, & aliæ perſonæ ſint in hoc Sacramento, & quomodo

1 Certũ eſt Verbum Diuinum, & Diuinitatem ſpeciali ratione eſſe in hoc Sacramento: ita vt ſi per impoſſibile Verbum Diuinum non eſſet vbique ratione conſecrationis fieret præſens propter admirabilem vnionem hypoſtaticam, quam habet cum natura Chriſti. Quæſtio modo inſurgit, an Verbum, vnio hypoſtatica, & diuinitas ſint præſentia in hoc Sacramento ex vi verborum, vel per concomitantiam.

2 Bellar. lib. 4. de Euch. cap. 13. putat ſubſiſtentiam Verbi eſſe in hoc Sacramento præſentem ex vi verborum. Nugnus

Digitized by Google

gnus verò q.76.a.1.vult vnionem hypoſtaticam fieri præsētem ex vi verborum.

D. Thom. hic qu.76.ar.1. ad.1. Thomiſtæ communiter, & Scotiſtæ. Suarez diſp.51. ſec.6. Vaſquez.Arriaga, Gonet, Ioan. à S. Thom. Paſſarinus, & communiter Doctores docent vnionem hypoſtaticam, & ſubſiſtentiam Verbi eſſe tantùm præſentes per concomitantiam.

3 Concluſio. Vnio hypoſtatica, & Verbum non ſunt in hoc Sacramento ex vi verborum, ſed ſolùm per concomitantiam. Probatur ex Trid. ſeſſ. 13. cap.3. vbi explicat, quid ſit ſub ſpecie panis ex vi verborum, & quid ſub ſpecie vini, & definit: *Corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum*; deinde ſubiungit, *Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem.*

4 Dices: Concilium dicere Diuinitatem eſſe hìc per concomitantiam: ſed Diuinitas eſt natura diuina, nō Verbum; ergo bene ſtat diuinitatem eſſe hic per concomitantiam, & Verbum eſſe hic ex vi verborum. Sed contra: quia Concilium explicat, & definit, quæ ſint præſentia in Euchariſtia ex vi verborum, & quæ per concomitantiam, & tradit regulam generalem cognoſcendi, quæ ſint præſentia ex vi verborum, & quæ per concomitantiam, ſed ſi per diuinitatem non intelligeret etiam perſonam Verbi, doctrina Concilii eſſet manca; nam non explicaſſet, quomodo Verbum ſit præſens; ergo verè per diuinitatem intelligit etiam Verbum. Contra ſecundò ſi Verbum eſſet inSacramento ex vi verborum, Diuinitas nou eſſet præſens *propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem* vt definit Concilium, ſed per identitatem cum Verbo; nam Diuinitas vt ſignifiat naturam diuinam, non eſt immediatè vnita naturæ humanæ, ſed Verbum eſt immediatè vnitum: atqui per Concilium illud, quod habet hanc vnionem hypoſtaticam eſt præſens per concomitantiam; ergo Verbum in hoc Sacramento tantùm per concomitantiam præſens eſſe debet.

5 Ex quo remanet probatum, quod nec etiam vnio hypoſtatica ſit præſens ex vi verborū ſed tantùm per concomitantiam; etenim non poteſt intelligi vnio, formaliter vt talis, præſens ex vi verborum, niſi etiam Verbum eſſet præſens ex vi verborum; cum vnio ſit eſſentialiter duorum vnio: ſed Verbum non eſt præſens ex vi verborum, ſed tantùm per concomitantiam, vt probatum fuit: ergo nec vnio hypoſtatica erit præſens ex vi verborum, ſed tantùm per concomitantiam.

6 Tandem vniuerſaliter probatur concluſio ſic. Illud eſt præſens ex vi verborum, quod formaliter ſignificant verba: ſed verba conſecrationis non ſignificant Verbum, aut vnionem, ſed ſolùm corpus, & ſanguinem; ergo tantùm corpus, & ſanguis ſunt præſentia ex vi verborum, corpus quidem ſub ſpeciebus panis, ſanguis ſub ſpeciebus vini, non verò reliqua.

7 Obiicies primò. Verbum diuinum eſt, quod in conſecratione loquitur, & dicit. *Hoc eſt corpus meum*; ergo ponitur in hoc Sacramento corpus Verbi: ſed non eſt corpus Verbi, niſi per vnionem; ergo ſi ponitur corpus Verbi, debet eſſentialiter poni vnio.

Reſpondeo illud verbum *meum* in rigore non ſignificare corpus Chriſti, quod ponitur in hoc Sacramento, poni ibi, vt Verbo vnitum ita vt ibi etiam ponatur vnio; etenim, ſi per impoſſibile corpus Chriſti non haberet in Sacramento vnionem ad Verbum, ſed tantùm hanc haberet in Cælo, adhuc verificari poſſent verba Chriſti, quia ly relatiuum *meum* ſignificaret identitatem illius corporis cum corpore, quod alibi eſſet vnitum Verbo, non verò denotaret illud corpus habere hic talem vnionem; & ſic Verbum vere dicere potuiſſet *Hoc eſt corpus meum*: vnde ad argumentum; conceſſo antecedente cum ſua conſequentia; diſtinguo ſubſumptum; dico enim poſse verificari, quod ſit corpus Verbi, etiamſi hic non habeat vnionem, ſed tantùm alibi. Confirmatur hæc reſponſio: nam valdè diuerſa eſt ſignificatio horum verborum *Hoc eſt corpus meum*, ac ſit horum aliorum; *Hoc eſt Chriſtus*, vel horum: *Hoc eſt corpus meum Verbo vnitum*, nam hæc poſtrema ſignificant Deum, & hominem, & Verbum, & vnionem, non priora.

8 Obiicies 2. Corpus hoc loco ſignificat naturam ſubſiſtentem, ſicuti etiam pronomen hoc, quod hic ſumitur ſubſtantiuè: ſed corpus non eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi, niſi mediante vnione; ergo ſi ponitur in hoc ſacramento corpus ſubſiſtens ex vi verborum, ponitur ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi, & per vnionem.

Reſpondeo negando minorem; etenim corpus, quod hic ponitur ex vi verborum neque includit, neque ſignificat naturam ſubſiſtentem, ſed tantùm compoſitum aliquod ex materia, & forma ſubſtantiali; quemadmodum etiam anima, licèt in re ſubſiſtat, nihilominus, vt ſignificatur hac voce *anima*, non ſignificatur vt ſubſiſtens, ſed tantùm vt pars; nam ſi per abſolutam potentiam

Digitized by Google

corpus, & anima dimitterentur à Verbo, & conſeruarentur ſine propria ſubſiſtentia; adhuc verè dicerentur corpus, & anima, & nihilominus tunc non eſſent ſubſiſtentia;ergo in ſignificato formali corporis, & animæ non includitur ſubſiſtentia. Addo, quod ſicut anima, & corpus Chriſti, alia actione producta ſunt ſine ſubſiſtentia, alia vnita Verbo, facta ſubſiſtentia, ita etiam, licèt per actionem conuerſiuam ponatur hìc corpus Chriſti præſens, nõ eſt tamen neceſſe, vt ponatur tamquam ſubſiſtens, ſed id habebit per aliam actionem concomitantem. Idem dicendum de illo pronomine, *Hoc*, quod non eſt neceſſe, vt demonſtret ſubſiſtens,ſed poteſt demonſtrare ſolùm hoc contentũ ſub ſpeciebus.

9 Obijcies primò. Illud ponitur ex verborũ ex parte termini *ad quem*, quod deſinit ex parte termini *à quo*: ſed ex vi verborum ex parte termini *a quo* non tantùm deſinit ſubſtantia panis, ſed etiam ſubſiſtentia; ergo etiam ex vi verborum ex parte termini *ad quem*, non tantùm ponitur ſubſtãtia corporis Chriſti,ſed etiam ſubſiſtentia.

Reſpondeo negando minorem; nam ex vi verborum ſubſtantia panis deſinit,deſtructa autem ſubſtantia,etiam concomitanter ſubſiſtentia perit,quia, ſi eſt modus, non poteſt ſtare ſine re cuius eſt modus, ſi verò ſit res, adhuc debet perire, quia eſt res affixa naturæ, quæ cum pereat, & ipſa perire debet, ſi igitur ex vi verborum in termino *a quo* non perit ſubſiſtentia, ſed ſolum concomitanter; ita & in termino *ad quem*, non ponitur ex vi verborum ſubſiſtentia, ſed tantùm ſubſtantia corporis &c.

10 Obijcies quartò. Concreta ſubſtantialia in ſuo formali ſignificato includunt ſubſiſtentiam:ſed corpus,& ſanguis ſunt concreta ſubſtantialia; ergo in ſuo formali ſignificato includunt ſubſiſtentiam: probatur maior: nam aliquid amplius ſignificatur, dum dicitur, *corpus, ſanguis, homo*, ac quando dicitur *corporeitas, ſanguineitas, humanitas*, atqui hoc amplius, quod ſignificatur non poteſt eſſe, niſi ſubſiſtentia; ergo hęc formaliter importatur ex vi verborum. vt de ſe patet.

Reſpondeo, quod concreta ſubſtantialia ſunt in duplici differentia; alia ſunt concreta ſubſtantialia, quæ ſunt partes alicuius naturæ completæ, vt ſunt ſanguis, corpus, caput, brachium &c. quæ complent vnam naturam humanam; alia ſunt concreta ſubſtantialia ſignificantia naturam completam, vt homo, equus &c. hæc includunt in ſuo ſignificato ſubſiſtentiam, non illa; hinc verè dicemus Verbum diuinum aſſumpſiſſe ſanguinem, corpus, & animam, caput,& brachia &c. non tamen aſſumpſiſſe hominem, & diſparitas eſt,quia, quod ſignificatur formaliter, vt ſubſiſtens, debet intelligi, vt exiſtens per ſe, quod verificatur tãtùm de naturis completis,non de partibus, quæ ſemper exiſtunt cum toto.

11 Ex his colligas etiam per concomitãtiam eſſe in hoc Sacramento Diuinitatem, Patrem, & Spiritum Sanctum; nam cum per concomitantiam ratione vnionis hypoſtaticæ ſit in hoc Sacramento Verbum, & Verbum identificetur cum Diuinitate, & hæc cum Patre; & Spiritu Sancto, ſequitur, quod ſi per concomitantiam eſt in hoc Sacramento Verbum, etiam ſint Diuinitas, Pater, Spiritus Sanctus; non ſunt tamen eodem modo; nam Verbum eſt immediatè tamquam proprium ſuppoſitum humanitatis, Diuinitas eſt mediante Verbo,Pater verò,& Spiritus Sanctus,etiam mediante Diuinitate, quatenus identificantur cum Diuinitate, quæ eſt idem cum Verbo,quod immediatè eſt humanitati vnitum.

ARTICVLVS VI.

An Chriſtus in hoc Sacramento poſſit moueri localiter, & agere, & pati actione corporea.

1 SVppono primò. Corpus Chriſti per accidens poſſe moueri ad motum ſpecierum; hoc enim quotidiè faciunt Sacerdotes,dum eleuant Sacramentum. & illud portant; nam ſimul etiam mouent corpus Chriſti: neque obſtat, quod alij dicunt, Sacerdotes, & alios non poſſe mouere corpus Chriſti, eo quod habeat præſentiam ſupernaturalem: Sacerdos autem, dum mouet hoſtiam nihil ſupernaturale operatur. Secundò, quia ſpecies non ſunt vnitæ corpori Chriſti. Tertiò, quia cum corpus Chriſti retineat ſuam grauitatem, deberet Sacerdos illam ſentire, dum mouet hoſtiam, ſicuti dum aurum eſt in ciſta, dum mouetur ciſta ſentitur grauitas auri; Vnde propter has rationes cenſet Arriaga diſp.37.ſec.2. probabilius eſſe moueri à Deo. Sed verè hæ rationes nullo modo vrgent; non prima;nam ſupernaturalitas præſentiæ conſiſtit tantum in hoc, quod partes Chriſti ſint penetratæ, & redactæ ad indiuiſibile, quæ etiamſi moueatur corpus Chriſti ſemper tales permanent, & in ſe, & in ordine ad ſpecies, quod poſtea ex corpore Chriſti ſic conſtituto reſultet comple-

xum

Digitized by Google

xum præſentiæ ad ſpatium, nihil in hoc eſt, quod ſit ſupernaturale, & ſic poteſt fieri à Sacerdote, à & quocũq;alio;imò ex hoc, quod videamus id quotidiè fieri à Sacerdotibus, qui nihil ſupernaturale operantur, deducendum eſt, præſentiam corporis Chriſti, cum ſpatio non eſſe modum in ſubſtantia ſupernaturalem, ſed complexum omnino naturale. Neque ratio ſecunda vrget; nam corpus Chriſti licèt non ſit vnitum ſpeciebus, ſuccedit tamen, & conſeruatur à Deo loco panis; ſicuti autem ſubſtantia panis ad motum ſpecierum mouetur, ita, & corpus Chriſti. Neque tertia, nam cum ſuccedat loco panis tantùm ea grauitas ſentiri debet, quæ pani conueniebat, & hoc præſertim, vt meritum fidei ſaluaretur.

2 Non igitur de hoc motu per me vlla eſt difficultas, ſed difficultas eſt, an anima Chriſti exiſtens in Sacramento poſſit mouere corpus ibi exiſtens localiter; vel præſcindendo à decreto diuino de coniunctione corporis Chriſti cum ſpeciebus, poſſit Angelus, vel alia virtus naturalis tale corpus indiuiſibili modo exiſtens mouere localiter.

3 Suppono ſecundò. Deum ipſum poſſe ſua abſoluta potentia mouere corpus Chriſti, & illud transferre in alium locum, abſque eo, quod illuc transferat ſpecies; in hoc enim nulla eſt implicantia, imò nec vlla firma ratio dubitandi; Vnde, quod de facto Deus non moueat Chriſti corpus, eſt ratione ſui decreti, quo ſtatuit, vt ſemper ſub ſpeciebus permaneat quoaduſq; permanent integræ, & incorruptæ ſpecies; & hoc ad firmandam noſtram fidem. His poſitis.

4 Prima ſententia eſt Palud. in 4. diſt. 10. q. 3. Capreoli ibid. Richardi ar. 4. q. 3. Gabr. q. 1. ar. 3. dub. 4. Marſil. q. 7. Suarez diſp. 53. ſec. 1. Arriagæ diſp. 37. ſec. 1. Lugi diſp. 9. ſec. 1. Gonet. diſp. 5. ar. 3. hęc negat Angelum poſſe mouere corpus Chriſti, vel animam Chriſti poſſe mouere corpus ſuum in Euchariſtia.

Secunda ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 10. q. 7. Lauræ diſp. 22. ar. 3. Ocham in 4. diſt. 10. q. 5. ad 2. ar. Aureol. q. 3. art. 3. Amici diſp. 20. & aliorum. Hæc docet Chriſtum poſſe mouere ſe ipſum motu delatiuo non verò organico, & progreſſiuo, & etiam poſſe moueri ab Angelo.

5 Concluſio prima. Corpus Chriſti in hoc Sacramento exiſtens non poteſt ſe ipſum mouere motu progreſſiuo. Eſt communis, & probatur, quia, vt detur motus progreſſiuus requiritur localis extenſio membrorum: ſed Chriſtus, vt eſt in hoc Sacramento, nullam habet extenſionē, ſed eſt omnino in indiuiſibili; ergo non poteſt habere motum progreſſiuum. Hinc deducas Chriſtum in hoc Sacramento non poſſe augeri, nutriri, reſpirare, comedere &c. huiuſmodi peragere, quæ exigunt localem extenſionem membrorum, cum ſit in indiuiſibili.

6 Concluſio ſecunda. Corpus Chriſti prout eſt in hoc Sacramento poteſt moueri ab ipſa anima localiter motu delatiuo. Probatur, quia corpus Chriſti prout eſt in hoc Sacramento, adhuc eſt corpus beatum. ſed corpus beatum poteſt ex voluntate animæ moueri; ergo etiam Chriſtus, prout eſt in hoc Sacramento, poterit à voluntate animæ propriæ moueri, ſi vellet. Confirmatur: tum quia in hoc nulla videtur implicantia: tum quia ita factum fuiſſe legitur, dum hoſtia nullo deferente ex ſe mota eſt, vt S. Catherina Senenſis Euchariſtiam reciperet, vel ex ſe mota eſt, vt deuitaret infidelium iniuriam, vt legi poteſt apud Sozomenum lib. 6. Hiſtor. cap. 29. & licèt dici poſſit, hoc factum fuiſſe virtute Angelica; nihilominus, nec probari poteſt, quod hoc factum non ſit ab anima Chriſti.

7 Concluſio tertia. Quantùm eſt ex ſe poteſt etiam localiter moueri ab Angelo ſine ſpeciebus. Hæc concluſio ſupponit duo; primum eſt Angelum cognoſcere Chriſtum in Euchariſtia intuitiuè, & hoc, vel per ſcientiam beatam, vel per ſpeciem infuſam, ſi Deus illam daret Angelis: ſecundum, quod ſupponit, eſt præſcindendo à decreto diuino, quo ſtatuit, quod nullibi ſit corpus Chriſti, vbi non ſint ſpecies conſecratæ, quibus ſuppoſitis ſic argumentor. De facto corpus Chriſti ſimul cum ſpeciebus mouetur non tantùm ab Angelo, ſed etiam à quocumq; homine: ſed poteſt Angelus vniri corpori Chriſti; ſicuti modò vnitæ ſunt ſpecies; ergo ſicuti modò ad motum ſpecierum mouetur corpus, etiam tunc ad motum Angeli, corpus Chriſti moueri deberet.

8 Dices: Corpus Chriſti non eſt vnitum vnione phyſica cum ſpeciebus, ſed tantùm ex voluntate Dei; ergo cum Angelo vniri non poſſet. Sed contra fateor vnione phyſica non eſſe vnitum corpus ſpeciebus, nihilominus penetratiuè eſt cum illis; ſicuti ergo, ſi vnum corpus eſſet penetratiuè cum alio, ad motum huius, & aliud moueretur; ita quod facit penetratio in corporibus poſſet effectiuè fieri ab Angelo, qui certè, ſi videret indiuiſibile ſeparatum, poſſet illud mouere, ita effectiuè poſſet ſibi vnire corpus Chriſti, & poſtea illud mouere.

Obij-

Digitized by Google

9 Obijcies primò contra ſecundam. Anima non poteſt eſſe principium motus, niſi per membra organica: ſed in corpore Chriſti in Euchariſtia in ordine ad locum non ſunt membra organica; ergo nec reſpectu corporis Chriſti in Euchariſtia poteſt eſſe principium motus: maior probatur, quia anima intantùm poteſt mouere corpus, in quantùm eſt actus,& forma corporis organici.

Reſpondeo, maiorem eſſe veram de motu, eo modo, quo fit à corporibus noſtris; talis autem motus fieret per imperium animæ habentis ſibi vnitum corpus glorioſum; quare ſicuti corpus glorioſum ad imperium animæ mouetur,etiam motu delatiuo,ita pariter corpus Chriſti moueri poſſet.

10 Obijcies ſecundò. Si corpus Chriſti moueri poſſet, maximè quia ad motum ſpecierum etiã ipſum moueretur: ſed corpus Chriſti in Euchariſtia, licèt ſit glorioſum, non habet poſſe mouere ſpecies conſecratas,cum ſit ibi modo mortuo, & in indiuiſibili; ergo nullo modo poteſt moueri.

Reſpondeo, corpus Chriſti glorioſum habere moueri per ſe primò ab anima; eo ipſo autem, quod mouetur corpus, cum ſit penetratiuè cum ſpeciebus etiam ſpecies mouerentur; neque quod Chriſtus ſit ibi modo mortuo officit; nam dicitur hoc modo eſſe ibi; quia nullum actum ſenſuum exercet; ſecus Chriſtus ibi viuus eſt. Ideò &c.

11 Dices, corpus Chriſti eſt in indiuiſibili: ſed indiuiſibile non poteſt moueri localiter; ergo &c. Sed contra nego minorem; nam ſicuti quantitas poteſt mutari de vno loco ad locum; ita etiam poteſt mutare locum aliquod indiuiſibile; cum in hoc nulla ſit implicantia.

12 Argumenta, quæ poſſunt fieri contra tertiam concluſionem facilè ſoluentur ſi attendatur ratio, qua noſtra concluſio probatur, & à nobis explicatur, & intenditur.

Maior difficultas eſt, an corpus Chriſti Sacramentaliter exiſtens poſſit agere, & pati actione corporea.

13 Prima ſententia eſt Nominalium aſſerentium corpus Chriſti non tantùm poſſe alterare corpora extrinſeca propinqua, ſed etiam viciſſim poſſe calefieri, alterari &c. ſic Ocham in 4.diſt.10. quæſt.4. ar.1. Maior.quæſt.penultima, Aliacus quæſt.5.ar.2. Gabriel lect.45.in canonem, quibus conſentit Arriaga diſput.37.ſec.3.& 4.

Secunda ſententia negat Chriſti corpus poſſe à corporibus alterari, vel eadem alterare. Sic D.Thom.q.76. ar.7.& infra q.81. art.4. & communiter omnes Thomiſtæ. Scotus in 4. diſt.10.q.6. Suarez diſp.53.ſec.2. Vaſquez diſp.191.cap.3. Gonet.diſput.5. art.3. & communiter alij recentiores omnes.

14 Concluſio quarta. A corporibus naturaliter non poteſt Chriſti corpus aliquid recipere, vel alterari. Probatur, omnis paſſio corporea requirit in paſſo extenſionem localem, & quantitatiuam: ſed corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt extenſum localiter, & quantitatiuè; ergo non eſt capax alicui paſſionis: minor eſt de fide: probatur maior: quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; ergo ſi paſſum, quod recipit eſt indiuiſibile, id quod recipit debet eſſe indiuiſibile: ſed nulla res corporea eſt indiuiſibilis, vt de ſe patet; ergo nulla res corporea poteſt recipi in corpore Chriſti in Euchariſtia: cum ibi ſit modo indiuiſibili.

15 Obijcies primò ex Arriaga. Si indiuiſibile ſtuppæ poneretur intra fornacem ardentem ſecundum lumen naturale deberet comburri, nec poſſet reſiſtere efficacitati tanti ignis;ergo aliquod indiuiſibile poteſt alterari actione corporea.

Reſpondeo,quod lumen naturale oſtendit potius contrarium, nempe, quod tale indiuiſibile nullo modo alteraretur; nam cum ſit indiuiſibile, non poteſt recipere qualitatem caloris, niſi hæc reducatur ad indiuiſibile; nulla autem qualitas corporea poteſt ad punctum reduci.

16 Obijcies ſecundò. Homo generans producit vnionem animæ ad corpus indiuiſibilem ex parte animæ, & diuiſibilem ex parte corporis; ergo poteſt producere qualitatem indiuiſibilem, quæ recipiatur in indiuiſibili.

Reſpondeo falſum eſſe,quod generans producat huiuſmodi vnionem tamquam modum materialem ex parte corporis, indiuiſibilem ex parte animæ; cum per me nihil aliud ſit hæc vnio, quam complexum ex anima, & corpore, vt alibi dictum eſt; & certè dari modum partim ſpiritualem, partim materialem ex ſe videtur implicare.

17 Ex his colligas, quod ſi corpus Chriſti in hoc Sacramẽto nõ poteſt paſſione corporea aliquid recipere,aut alterari,nec etiã poſſit agere actione corporea;cum eadẽ ſit ratio, vnde Sacramentaliter exiſtens non poteſt naturaliter ſe ipſum,vel circumſtãtes videre, aut vllam externam ſenſationem efficere, cum eadem ſit ratio de his actibus, & de alijs materialibus ab extrinſeco productis.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

An anima Chriſti in hoc Sacramento poſſit intelligere, & velle?

1 ACtvs, qui materiales ſunt, non poſſe ab anima Chriſti in hoc Sacramento exiſtente naturaliter exerceri ex hucuſq; dictis conſtat; dixi naturaliter; nam loquendo de potentia abſoluta, non video vllam, vel leuem repugnantiam,cur non poſſit tales actus elicere; dubium ergo eſt de actibus ſpiritualibus, qui cum ſint in duplici differentia; alij enim eliciuntur ab anima Chriſti independēter à phantaſmatibus, cuiuſmodi ſunt actus ſcientiæ infuſæ, & omnes illi, qui non dependent à phantaſmatibus, vt eliciantur; etenim, vt ſuppono ex philoſophia anima in intelligendo, etiam in hac vita non ſemper dependet à phantaſmatibus ſed poſita ſemel cognitione dependenter à phantaſmate, poteſt alia vice exire in actum etiam ſine phantaſmate; imò hoc videtur accidere in altiſſimis contemplationibus, & extaſibus; Non eſt ergo dubium, an poſſit elicere actus à phantaſmatibus independentes, quia cum ſint per ſe indiuiſibiles, poſſunt ab anima in Euchariſtia produci; Difficultas igitur ſolùm remanet de illis actibus intellectus, qui non poſſunt elici, niſi phantaſia operetur, an iſti poſſint ab anima Chriſti in hoc Sacramento produci.

2 Suarez diſp.52.ſec.3. Vaſquez diſp. 191. num.27. & 28. cum alijs, affirmant Chriſtum poſſe in Euchariſtia exiſtentem elicere huiuſmodi actus, dummodo actus phantaſiæ eliciat in Cœlo, vbi naturali modo exiſtit.

Lugo diſp.9. ſec.2. nu.16. Amicus diſp.20. num. 44. negant poſſe animam Chriſti in hoc Sacramento exiſtentem elicere actus intellectionis, vel volitionis, qui à phantaſia, & appetitu ſenſitiuo dependent.

3 Concluſio. Si phantaſmata concurrunt efficienter ad intellectionem, non poteſt Chriſtus in hoc Sacramento exiſtens producere actus intellectionis, qui à phantaſmatibus dependent: ſi verò non alio modo concurrant, niſi ratione ſympatiæ potentiarum, quod vna non operatur, niſi ſimul, & alia operetur, tunc eſt probabilis opinio Suarez. Probatur prima pars, quia in tantùm poſſunt elici huiuſmodi actus, in quantùm phantaſmata efficienter concurrunt: ſed phantaſmata, quæ habentur in Cœlo non poſſunt concurrere ad intellectionem exiſtentem in Euchariſtia; ergo huiuſmodi actus intellectionis in Euchariſtia non poterunt elici: maior ſupponitur: probatur minor: quia cauſa efficiens, vt concurrat debet eſſe indiſtans à paſſo: ſed phantaſma, quod eſt in Cœlo diſtat ab intellectione, quæ eſt in Euchariſtia; ergo non poteſt ad illam concurrere.

4 Dices, eſſe eamdem animam entitatiuè, quæ intelligit in Cœlo, & in Euchariſtia, & ideò ſufficere, quod operetur per phantaſiam in Cœlo ad hoc, vt poſſit intelligere in Euchariſtia. Sed cōtra, quia ad intellectionem in Euchariſtia debet concurrere efficienter phantaſma, vt ſuppono: ſed quod diſtat ab hac intellectione, non poteſt concurrere ad eam efficienter; nam agens non agit indiſtans; ergo &c. vnde aliud eſt, quod anima Chriſti, quæ eſt in Cœlo, & in Euchariſtia ſit eadem, & hoc veriſſimum eſt; aliud eſt, quod intellectio, quæ habetur in Cœlo, & in Euchariſtia ſit eadem, & hoc falſum eſt; ſunt enim duæ intellectiones, vna, quæ fit in Cœlo, alia, quæ deberet fieri in Euchariſtia, vt ex alibi dictis ſuppono. Ideò &c.

5 Secunda pars probatur: quia ſi concurſus phantaſiæ nullus alius eſt, niſi quod phantaſia operetur, dum intellectus intelligit, certè dum intellectus in Euchariſtia intelligit, ſi phantaſia operetur in Cœlo, & ſint idem intellectus, & eadem phantaſia in Cœlo, & in Euchariſtia, nulla ratio eſt in contrarium, cur non poſſit, vt in Euchariſtia exiſtens, intelligere, quæ phantaſia alibi phantaſiatur.

6 Ex hic colligas, poſſe animam Chriſti in Euchariſtia exiſtentem loqui cum Angelis, & alijs ſpiritibus, eoſq; audire; nam ad hanc locutionem non requiritur operatio phantaſiæ, aut aliorum ſenſuum, cum talis locutio fiat per ſolos actus ſpirituales, vt dictum fuit de locutione Angelorum in tract. de Angelis, q 3.ar.17.

ARTICVLVS VIII.

An Chriſtus in hoc Sacramento exiſtens poſſit cognoſci ab alijs, & præſertim ab oculo corporeo videri.

1 CErtum in primis ſuppono, Chriſti corpus naturaliter non poſſe videri oculo corporeo contra Nominales, & quoſdam alios aſſerentes, poſſe, quantùm eſt ex ſe, videri, niſi diuinitus impediretur ad occultandum myſterium; & ratio huius eſt, quia naturaliter nullum obiectum eſt viſibile, niſi

Chriſtus in Euchariſtia naturaliter ab homine, nec videri, nec cognoſci poteſt.

Digitized by Google

niſi ſit ſenſibile, & quantum: corpus autem Chriſti in Euchariſtia, licèt habeat ſuam quantitatem, nihilominus eſt modo indiuiſibili, nec tranſmittit ſui ſpeciem ad oculum, ſine qua viſio corporea fieri nequit, ex hoc etiam probatur, quod naturalitèr non poteſt ab intellectu humano cognoſci, quia hic non cognoſcit, niſi dependenter à ſenſibus.

2 Certùm 2. eſt poſſe cognoſci à Beatis per ſcientiam infuſam, & beatam, & abſtractiuè à nobis lùmine fidei, in hoc omnes conueniunt. An verò naturalitèr ab Angelo poſſit cognoſci negant Caietanus, Syluius, Gonet diſp.5. art.4. Lugus diſp.9. ſect.2. Suarez diſp.52. ſect.5. Amicus diſp.21. ſect.2. & plures alij apud iſtum. Affirmant Scotus in 4. diſt.10. qu.8. Nominales, & Arriaga diſp.37. ſect.6. num.25. & hoc iudico probabilius; etenim modus exiſtendi Chriſti in Euchariſtia non eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, vt ſupponunt aduerſarij, ſed dicit tantùm, quod omnes partes Chriſti ſint penetratæ, & redactæ ad punctum: ſed licèt duo corpora diuinitùs penetrentur, non eſt dubium, quin poſſent ab Angelo cognoſci; ergo etiam, cum corpus Chriſti in Euchariſtia ſit ibi, quia eius partes ſunt inuicem penetratæ, poterunt eædem partes, vt penetratæ cognoſci; & ſic ſicut Angelus poſt conſecrationem clarè percipit ibi amplius non adeſſe ſubſtantiam panis, & vini, ita etiam poteſt cognoſcere ibi eſſe Corpus Chriſti. Difficultas eſt, an per abſolutam potentiam poſſit Chriſtus in Euchariſtia exiſtens videri oculo corporeo.

Ab Angelis poteſt cognoſci.

3 Prima ſententia negat: ſic Paludanus, & Capreolus in 4. diſt.10. qu.vlt. Ioan. à S. Tho. diſput.28. art.4. Suarez diſp.53. ſect.4. Granado, Ruuius de anima, & Auerſa hic qu.4. ſect.7. cum alijs.

Secunda ſententia affirmat. Sic Diu. Tho. hic qu.76. artic.7. ad 2. Nugnus, Syluius, Serra, Martinez à Prado ibidem Gonet diſp.5. art.4. Scotus in 4. diſt.20. qu.9. Vaſquez diſp.191. cap.2. Lugus diſp.9. ſect.2. Amicus diſp.21. Valentia, Coninchus, & alij.

Tertia ſententia, quam probabilem cenſet Lugo, & Auerſa locis citatis, & indicat Serbellonus de anima, docet poſſe videri in hoc ſenſu, nempe, cum corpus Chriſti ſit in quauis parte ſpatij, quod Deus oſtendat in vna parte ſpatij vnam ſolam partem corporis v.g. caput cum ſola præſentia capitis, in proxima parte collum, & ſic de ceteris; ita vt ſi hoſtia eſſet magnitudinis humanæ verè videretur Chriſtus in tota hoſtia, & ſingulæ partes in in ſingulis partibus hoſtiæ occultando Deus reliquas præſentias in ſingulis partibus hoſtiæ.

4 Concluſio prima. Poteſt oculus corporeus eleuari ad videndum Corpus Chriſti, vt indiuiſibiliter exiſtit in Sacramento Euchariſtiæ. Probatur ratione. Quotieſcumque potentia aliqua non fertur extra rationem genericam ſui obiecti, poteſt tendere in tale obiectum: ſed ſi oculus corporeus videret Corpus Chriſti modo indiuiſibili exiſtens in Euchariſtia non ferretur extra rationem genericam ſui obiecti; ergo poteſt illud videre: probatur maior: ideò omnes Theologi fatentur intellectum noſtrum poſſe eleuari ad videndum Deum, quia, licèt Deus ſit obiectum improportionatum, cum ſit ens ſupernaturale, nihilominus, cum in Deo ſit ratio generica obiecti intellectus, ſcilicet ratio entis, poteſt tale obiectum attingere, cum non feratur extrà rationem genericam ſui obiecti; ergo quotieſcumque potentia cognoſcendo aliquid non fertur extra rationem genericam proprij obiecti, poteſt cognoſcere illud: probatur ergo minor, quia ratio generica obiecti viſus eſt coloratum, lucidum, & quantum: ſed Corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento Euchariſtiæ, eſt coloratum, lucidum, & quantum; ergo illud videndo non fertùr extra rationem genericam proprij obiecti, & ſic poteſt illud videre.

5 Dices 1. Obiectum debere eſſe extenſum, cum potentia ſit extenſa. Sed contra hoc verū eſt naturaliter loquendo; at diuinitùs hoc eſt falſum; cum licèt obiectum ſit indiuiſibile, non per hoc tamen ferretur extrà rationem genericam ſui obiecti.

6 Concluſio 2. Neque eſt vlla repugnantia in hoc, quod videatur Chriſtus in Euchariſtia eo modo, quo explicat tertia opinio, vt conſideranti patet, cum hoc totum pendeat à libertate Dei, qui poſſet tale corpus demonſtrare, ſi vellet. Verùm quidem eſt, quod videre Corpus Chriſti hoc modo, non eſt videre Chriſtum, vt eſt in Euchariſtia; nam ibi eſt totum corpus indiuiſibiliter in qualibet parte hoſtiæ; in tali autem ſuppoſitione videretur modo quantitatiuo.

7 Obijcies 1. contra primam. Non poteſt videri aliquod obiectum indiuiſibiliter exiſtens, niſi videatur modus, quo indiuiſibiliter exiſtit: ſed implicat videre modum indiuiſibilem; ergo etiam implicat videre Chriſtum in Euchariſtia indiuiſibili modo exiſtentem: probatur maior: quia non poteſt videri corpus album, niſi viſa albedine, neque vt habens

Digitized by Google

habens figuram, niſi viſa figura; ergo neque aliquid indiuiſibilitèr exiſtens; niſi viſo modo indiuiſibili, quo exiſtit: minor etiam probatur, quia talis modus eſt ad modum rei ſpiritualis, & eſt omninò extrà obiectum potentiæ viſiuæ: ſed nulla potentia poteſt ferri extra ſuum obiectum; ergo nec videre illum modum.

Reſponſio communis eorum, qui admittunt modos diſtinctos, eſt negatio maioris, & dant exemplum in eadem potentia viſiua, quæ videt in pomo colorem non odorem, aut ſaporem, eo quod, neque odor, neque ſapor vllo modo ſpectent ad obiectum potentiæ viſiuæ; ita etiam cum ille modus non ſit, neque coloratus, neque lucidus, neque quantus, mirum non eſt, ſi videri non poſſit, cum ſit quid, quod omninò eſt extrà obiectum potentiæ viſiuę, nec officit probatio maioris; nam albedo non eſt diſtincta à forma, quæ conſtituit album, nec figura eſt entitas diſtincta à quantitate, ſicuti modus iſte eſt realitèr modalitèr diſtinctus à Corpore Chriſti; & ideò ſtat, quod non poſſit videri album ſine albedine, aut habens figuram, niſi viſa figura; poſſit autem videri Chriſtus ſine iſto modo; eo quod iſte modus realiter modaliter diſtinguatur à corpore Chriſti, & ſit quid, quod omninò eſt extrà obiectum potentiæ viſiuæ, quæ omnia dici non poſſunt de albo, & albedine habente figuram, & figura, & qui ſic reſpondent conſequentèr reſpondent iuxtà ſua principia.

Reſponſio probabilis argumenti

Reſpondeo tamen iuxtà noſtra principia, concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem, quando dicitur, quod talis modus ſit ad modum rei ſpiritualis, vel vult inuerè eſſe ſpiritùalem, & ſic falſa eſt illa propoſitio, cum ſit materialis, vel vult dicere eſſe indiuiſibilem, ſed materialem, & hoc modo, ſicuti figura non eſt extrà obiectum potentiæ viſiuæ, ita neque illud indiuiſibile eſt extra rationem genericam potentiæ viſiuæ, adhuc enim eſt coloratum, & lucidum, & ideò diuinitus poterit à potentia materiali attingi:

8 Dices, hunc modum non ſolùm eſſe indiuiſibilem, ſed etiam ſupernaturalem: ſed implicat potentiam materialem, & naturalem, vt eſt viſiua potentia percipere obiectum ſupernaturale; ergo etiam implicat videre hunc modum. Sed contra hoc argumentum nimis probat, & ideò nihil probat; nam probaret etiam, Deum non poſſe videri ab intellectu creato, quia Deus eſt ſupernaturalis, intellectus naturalis; & nihilominus fides docet, Deum poſſe ab intellectu creato videri, ſi ſupernaturaliter eleuetur; ergo etiam licèt concederemus hunc modum eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem, ex hoc præcisè non argueretur non poſſe videri à potentia viſiua, ſed tantùm argueretur non poſſe naturalitèr videri. Quia tamen falſum eſt hunc modum eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem, cum in re nihil aliud ſit, quam partes eſſe inuicem penetratas, & in puncto conſtitutas; per hoc autem, quod penetrentur partes, non conſtituuntur in eſſe ſupernaturali, licèt actio, qua penetrantur, fiat ſupernaturaliter; hinc eſt, quod argumentum non vrget; ſicuti enim ex eo, quod Petrus penetretur cum Paulo, non per hoc conſtituuntur in eſſe ſupernaturali, vt non poſſint videri; ita etiam, quod omnes partes alicuius corporis penetrentur, & reducantur ad punctum, non per hoc conſtituuntur in eſſe ſupernaturali, ſed cum adhuc tale corpus ſit lucidum, coloratum, & quantum, poterit diuinitus à potentia viſiua attingi, cum illud videndo non feratur extrà rationem genericam ſui obiecti,

9 Obijcies 2. Si poſſet videri Corpus Chriſti in indiuiſibili exiſtens in Euchariſtia, maximè per ſpeciem: ſed indiuiſibile non poteſt tranſmittere ſpeciem; ergo nec videri.

Reſpōdeo minorem eſſe veram naturaliter loquendo, falſam diuinitus, vt nos loquimur, poſſet enim Deus imprimere ſpeciem talis obiecti indiuiſibilitèr exiſtentis. Ideò &c.

10 Obijcies 3. Implicat videri aliquid, quod non ſit lumen, vel color: ſed modus indiuiſibilis exiſtendi Chriſti non eſt lumen, vel color; ergo nullo modo poteſt videri.

Reſpondeo negando maiorem, nam videtur quantitas, quæ non eſt lumen, vel color; ita etiam poterit videri aliquod indiuiſibile, quod habeat lumen, vel colorem; Verùm equidem eſt, quod non videbitur tamquam obiectum proprium, at videbitur tamquam obiectum commune.

11 Ex dictis de viſu conſtat quid dicendum ſit de alijs ſenſibus, cum ſit æqualis ratio de omnibus.

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

Quando, & quomodo Corpus Chriſti deſinat eſſe in hoc Sacramento.

1 DVo ſunt, quæ hic veniunt explicanda; primùm eſt tempus, in quo Chriſti corpus deſinit eſſe in Euchariſtia; ſecundùm eſt modus, quo deſinit. Quoad primum.

2 Prima opinio tenet, quod ſtatim ac ſpecies dentibus terruntur, deſinat ibi eſſe corpus Chriſti. Sic Gloſſ. in cap. *Tribus gradibus de conſecrat. diſt.* 2. vbi habet. *Certum eſt, quod ſpecies, quam cito dentibus terruntur, tàm cito in Cælum rapitur corpus Chriſti.* Cum Gloſſa videtur ſentire Vgo de S. Victore lib. 2. de Sacr. par. 8. cap. 13. & Innocen. lib. 4. de hoc myſterio cap. 15. ex Suarez diſp. 54. ſect. 2. Vvaldenſis verò tom. 2. de Sacra. cap. 60. & Bonauentura apud eumdem Suarez volunt Corpus Chriſti deſinere ſub ſpeciebus, etiamſi in ipſis non ſit facta mutatio, quando indecens eſt corpus Chriſti ibi manere, vt ſi Sacramentum proijceretur in locum immundum, aut à mure comederetur.

Secunda, & communis opinio D. Tho. hic qu. 77. art. 7. & alibi, quam communitèr omnes alij Theologi ſequuntur, eſt corpus Chriſti numquam deſinere eſſe ſub ſpeciebus, niſi quando ita ſunt alteratæ ſpecies, vt ſuccedere debeat aliqua alia ſubſtantia diuerſa à pane, & vino.

3 Concluſio 1. eſt cum hac ſecunda ſententia eſt ita certa, vt Gonet diſp. 5. art. 5. dicat priorem eſſe erroneam, & à Greg. XI. damnatam, vt refertur in directorio Inquiſitorum. Probatur breuitèr; quia Chriſti corpus ponitur loco ſubſtantiæ panis, & vini; ergo tamdiù ſub illis accidentibus manet, quamdiù maneret ſubſtantia panis, & vini, ſed ſubſtantia panis, & vini numquam deſinit eſſe, niſi quando accidentia ita alterantur, vt ibi debeat ſuccedere noua aliqua ſubſtantia diuerſa; ergo etiam Corpus Chriſti numquam deſinit eſſe ſub accidentibus conſecratis, niſi quando debet ſuccedere alia ſubſtantia à pane, & vino diuerſa. Confirmatur Deus numquam ſe ſubtrahit à creaturis, niſi res ipſæ ſubtractionem exigant, iuxtà Apoſt. ad Rom. 11. *Dona Dei ſunt ſine pænitentia*: ſed præſentia Chriſti ſub ſpeciebus eſt maximum Dei donum datũ creaturis; ergo numquam deſinit eſſe, niſi quando id exigit natura eorum accidentium, quæ ſic alterantur, vt alia ſubſtantia ſuccedere debeat.

4 Dices 1. Si vino conſecrato miſceatur vinum non conſecratum, illud non remanet amplius conſecratum, & tamen non aduenit noua ſubſtantia ſpecie diuerſa, ſed ſemper remanent ſpecies, & accidentia vini. Sed contra aliud eſt, quod poſt mixtionem non poſſint diſcerni partes conſecratæ à non conſecratis, aliud, quod non ſint adhuc conſecratæ, & ſub illis non remaneat Chriſtus; primùm eſt verum, at ſecundum eſt falſum; nam per mixtionem non alterantur, vt tendat ad deperdendam ſubſtantiam, ſed ſemper remanent accidentia vini, & ſub accidentibus illis, quæ fuerunt conſecrata, quo ad vſque remanent accidentia vini, ſub illis ſemper ſtat Chriſtus.

5 Dices 2. Poſſunt vina ſpecie differe, vt album, & rubrum, & vinum aliquod eſſe multò potentiùs alio, quo caſu potentiùs debile conuerteret, vel rubrum conuerteret album; ergo tunc ceſſaret corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, & tamen non produceretur ſubſtantia à vino diſtincta. Sed contra concedo quidem dari vnum vinum alio potentiùs, & etiam eſſe probabile, quod vinum album, & nigrum ſpecie differant, licèt probabiliùs ſit contrarium; nego tamen vnũ poſſe conuerti in aliud; nam vinum non generatur, niſi modo vitali in vuis, retundetur quidem vigor potentioris per mixtionem cum debili, at vini ſubſtantia non mutabitur. Ideò &c.

6 Quomodo verò deſinat Chriſti corpus in Euchariſtia, quod eſt ſecundum punctum difficultatis in hoc articulo explicandum.

Prima opinio docet corpus Chriſti in huiuſmodi deſitione nullo modo mutari, ſed totam mutationem fieri circa ſpecies, & ab illa denominari corpus Chriſti deſinens ſub ſpeciebus. Sic Caiet. hic art. 6. Alenſ. Ledeſ. & Marſilius apud Suarez diſp. 54. ſect. 1.

Secunda ſententia eſt omnium illorũ, qui dicunt Chriſtum fieri præſentem in Euchariſtia ſolùm per productionẽ præſentiæ localis, & per actionem adductiuam, qui conſequentèr dicunt deſinere eſſe hic per deperditionem huius præſentiæ, & huius opinionis eſt Suarez loco citato, ſed an conſequentèr ad id, quod dixerat ſupra de termino actionis conuerſiuæ, ipſe videat, certè Arriaga diſput. 39. ſect. 1. aliquo modo conatur eum defendere.

Tertia ſententia docet Chriſti corpus deſinere eſſe in Euchariſtia, quia amittit illud eſſe ſubſtantiale ſacramẽtale, quod per conſecrationem habebat, Sic Gonet.

Digitized by Google

net. diſp. 5. art. 5. Amicus diſp. 22. nu. 9. Arriaga loco citato, & omnes illi, qui docent Chriſtum fieri præſentem ſpeciebus, non ſolùm per productionem præſentiæ, ſed etiam per actionem ſubſtantialitèr reproductiuam.

7 Concluſio 2. eſt cum hac tertia ſententia. Probatur eodem modo proportione ſeruata debemus loqui de modo quo deſinit, Corpus Chriſti ſub ſpeciebus, ſicuti loquimur de modo, quo fit præſens ſub eiſdem: contrariorũ enim eadem eſt diſciplina; ſed corpus Chriſti nõ poteſt fieri præſens ſub ſpeciebus per ſolam actionem adductiuam, aut per productionem ſolius præſentiæ, niſi verè reproduceretur in Euchariſtia; ergo etiam non poteſt deſinere eſſe in Euchariſtia, niſi deperdatur ea præſentia, & deſinat eſſe actio illa ſubſtantialis reproductiua Corporis Chriſti. Confirmatur, quia per deſitionem Corporis Chriſti in Euchariſtia non tãtùm amittit Chriſtus denominationem eſſendi in Euchariſtia, ſed etiam denominationem reproducti, quam habebat; hanc autem non poſſet amittere, niſi hoc eſſe, vt reproductum amitteret; ergo verè hoc amittit, & talitèr, vt ſi Chriſtus alibi non haberet eſſe, ſimplicitèr deſineret eſſe in rerum natura.

8 Obijcies 1. Corpus Chriſti eſt glorioſum; ergo nullo modo poteſt deſinere eſſe.

Reſpondeo diſtinguo conſequens: non poteſt abſolutè deſinere, & ſecundùm ſuum eſſe naturale, concedo conſequentiam: ſecundùm ſuum eſſe ſacramentale, nego conſequentiam; ſicuti enim implicat, quod Corpus Chriſti de nouo ponatur ſub ſpeciebus, niſi per reproductionem eiuſdem ſui eſſe, vt ſupra probatum fuit; ita implicat deſinere eſſe hic, niſi deſtruatur actio reproductiua eiuſdem eſſe; abſolutè tamen non deſinit, quia ſemper conſeruatur ſuum eſſe naturale.

9 Obijcies 2. Si Chriſtus eſſet tantùm ſub ſpeciebus ſacramentalibus, & alibi non eſſet, per hoc, quod periret eius præſentia ſacramentalis adhuc non deſineret eſſe; nam adhuc haberet animam, & corpus, quæ exigerent in æternum durare; ergo per hoc, quod deſinat eſſe ſub ſpeciebus, non deſinit eſſe ſubſtantialiter, ſed vel acquirit nouam præſentiam in Cœlo, vel alibi.

Reſpondeo, quod data ſuppoſitione, ſpectaret ad Deum determinare, an vellet illi dare nouam præſentiam deſtructis ſpeciebus, vel non, de qua non poſſumus, niſi diuinando diſcurrere, cum hoc pendeat à Dei voluntate; de facto autem non dat, quia iam habet ſuam præſentiam naturalem in Cœlo; falſum autem eſt, quod per deſitionem in Euchariſtia acquirat nouam præſentiam in Cœlo, vel alibi; nam ſicuti, quando præſentiam ſacramentalem acquiſiuit, non deſcendit de Cœlo; ita neque, quando deperdit hanc præſentiam, pergit in Cœlum.

10 Quæres 1. An quando miraculosè apparet puer, vel caro in Euchariſtia deſinat ibi eſſe Chriſtus.

De hac quæſtione D. Tho. agit q. 76. art. 8. Thomiſtæ communitèr ibidem. Suarez diſp. 55. de hac ad longum tractat, & plures alij.

Reſpondeo tamẽ breuitèr cum communi manere ibi adhuc Chriſtum. Ratio eſt, quia miracula illa fiunt ad firmandam fidem noſtram, & ad oſtendendam veritatem huius myſterij, & præſentiæ Chriſti in hoc Sacramento: ſed dicendo tunc deſinere Chriſtum in Euchariſtia non firmaretur veritas huius myſterij, & noſtra fides præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia, ſed potiùs deſtrueretur; ergo dicendum eſt verè Chriſtum ibi perſeuerare.

11 Dicés tamdiu manet Chriſtus ſub ſpeciebus, quamdiu manent accidentia panis, & vini: ſed talia accidentia per huiuſmodi apparitiones immutantur; ergo amplius ibi non remanet corpus Chriſti. Sed contra, quia licèt aliquando in huiuſmodi apparitionibus ſpecies immutentur, quo ad colorem, & figuram, non tamen amittunt temperamentum requiſitum ad formam panis, quo ſtante non deſinit præſentia Chriſti, quantumuis exterius immutentur ille ſpecies, ſiue ad breue, ſiue ad longum tempus. Addo multoties non fieri immutationem in ipſis accidentibus panis, ſed ſolùm immutari ſpecies viſus, & hoc præſertim contingit quando aliqui tantùm vident puerum, vel carnem, & alij vident eodem modo Sacramentum, ac prius.

12 Quæres 2. Quanto tempore durent ſpecies in ſtomacho antequam corrumpantur, ita vt amplius non poſſint continere corpus Chriſti.

Hæc quæſtio vtilis eſt in praxi, vt ſi quis ſciat ſingulis fere quadrantibus pati vomitum, an poſſit licitè cõmunicari; ſecundò quãtùm tẽporis debeat quis abſtinere à cibo poſt cõmunionem ob reuerentiam tanti Sacramenti, licèt ex alia parte potius ſit phyſica, & à medicis decidẽda, & in praxi difficile ſit ſtatuere determinatum tẽpus; cũ ſtomachi ſint diuerſi, & vnus alio debilior, & ideo citiùs in vno ſtomacho deſinet, quã in alio.

Digitized by Google

13 Reſpondeo tamen cum Lugo diſp.10. ſec.2. quod licet difficile ſit ſtatuere determinatum tempus, nihilominus cenſeo, quadrantem horæ vniverſaliter eſſe ſufficientem ad hoc, vt ita alterentur ſpecies, quod ibi amplius non remaneat corpus Chriſti. Ratio eſt, quia hoſtia, quæ communiter datur in communione admodum parua eſt, quæ facile in ſtomacho poteſt à virtute concoctrice alterari, & corrumpi, corruptis autem ſpeciebus panis, ibi amplius non remanet Chriſtus. Dixi quadrantem horæ regulariter eſſe ſufficientem, non quod exiſtimem non poſſe etiam corrumpi ſpecies in minori ſpatio, exiſtimo enim poſſe; non quidem intra ſpatium, quod ſecerdos abſoluit ſacrum, & exuit veſtes, vt tenet Arriaga, cum plures poſt quartam partem quadrantis horæ per vomitum eiecerint apparentem hoſtiam; ſed dico quadrantem horæ vniuerſaliter eſſe ſufficientem pro omnibus, quamuis ſtomachi debiles ſint; poſt quadrantem enim horæ moraliter non eſt amplius dubium, tales ſpecies non eſſe corruptas.

QVÆSTIO V.

De accidentibus Euchariſticis.

TRactat de his accidentibus D. Th. in tota quæſtione 77. verùm cum ea, quę à ſancto Doctore in hac quæſtione explicantur potius philoſophica ſint, quam theologica, ideo de illis hic à nobis breuiter agendum eſt, vt theologica clarius explicemus.

ARTICVLVS I.

Quomodo accidentia maneant ſine ſubiecto.

1 MAnere in hoc Sacramento aliqua accidentia panis, & vini definitum eſt in Florent & Trid. ſeſs. 13. can.2. & ſenſibus ipſis notum eſt; videmus enim poſt conſecrationem eumdem, colorem, ſaporem, odorem, figuram &c. An verò omnia remaneant; Vaſquez diſp. 194. cap. 1. cenſet de fide omnia remanere, cui conſentit Lugo diſp.10. ſec.1. E contra verò Suarez diſp. 56. ſec.1. cenſet eſſe de fide remanere omnia accidentia ſenſibilia non tamen alias qualitates occultas panis, & vini. Verum Concilijs, & Theologis conformior eſt opinio, quæ aſſerit remanere omnia accidentia; tum quia nulla datur qualitas panis, & vini, quæ vel in ſe, vel in ſuo effectu perceptibilis non ſit: ſed certum eſt remanere omnia accidentia ſenſibilia; ergo abſolutè omnia remanent, cum omnia aliquo modo ſint ſenſibilia: tum quia, ſi dum Concilium definit, *manentibus dumtaxat ſpeciebus*, intelligatur tantùm de accidentibus ſenſibilibus, eſſet de fide non remanere qualitates occultas, & inſenſibiles, ſi quæ darentur, quod tamen nullus concedit; ergo per ſpecies intelligit Concilium omnia accidentia remanere, præſertim cum nullum detur accidens, quod in ſe, vel in ſuo effectu non ſit ſenſibile. Non per hoc tamen exiſtimo eſſe de fide, quod omnia remaneant, vt vult Vaſquez, quia intentum concilij erat definire contra hæreticos, quod ibi nulla remaneat ſubſtantia panis; an verò remanerent accidentia aliqua occulta necne, Concilium non curauit. Hoc igitur ſuppoſito, inquirimus quomodo maneant hæc accidentia, cum non habeant ſubiectum ſubſtantiale, in quo inhæreant.

2 Duplex hic poteſt inſurgere difficultas; vna mere phyſica cum Nominalibus, qui volunt non dari quantitatem diſtinctam à rebus quantis, qua ſententia data, hic conſequenter dici debet, omnia accidentia remenere ſine ſubiecto; nam cum omnia inhæreant ſubſtantiæ, & hæc deſtructa ſit, ſequitur, quod omnia ſine ſubiecto permaneant; Verùm cum oppoſita ſententia, quod quantitas ſit accidens diſtinctum à ſubſtantia ſit communis & ipſa quantitas ſit immediatum ſubiectum aliorum accidentium, ſequitur nullam fieri mutationem in reliquis accidentibus, ſed ea inhærere quantitati, ſicuti antea inhærebant, & totam difficultatem reduci ad hoc, quomodo quantitas maneat ſine ſubiecto.

3 Prima ſententia ita ſuſtinet quantitatem remanere ſine ſubiecto, vt à Deo communicetur quantitati modus aliquis exiſtendi per ſe, ratione cuiùs ſubſiſtit independentet à ſubiecto. Sic Caiet. hic ar.1. Serra ibidem Gonet diſp.6.ar.3. Ferrar. Nazarius, & Aluarez apud eumdem Suarez diſp 56. ſec.2. Vaſquez diſp.184. cap.2. Coninch. hic qu.77. ar.1. dub.3. Lugo diſp.10. ſec.1. & plures alij.

Secunda ſententia eſt Soti in 4. diſt. 10. qu.2. art.2. Nugni hic ar.1. diff. vnic. Martinez à Prado hic dub. 1. §.3. Scoti in 4. diſt.12. qu. 1. & 2. Lauræ diſput. 32. de Euchar. art.1. & 2. Amici diſput. 23. ſec. 2. Arriagæ diſut. 38. ſec. 2. & 3. & plurium aliorum, hæc docet accidentia ideo per ſe ſtare, quia actualiter non inhærent; non verò, quia eis tribuatur modus poſitiuus.

4 Concluſio. Quantitas per ſe exiſtit in

ſtit in hoc Sacramento Euchariſtiæ non per aliquem modum ſuperadditum, ſed ſolùm, quia Deus illam conſeruare continuat ſine ſubiecto. Probatur prima pars impugnando fundamentum contrariæ ſententiæ. Iſte modus ſuperadditus quantitati, quo quantitas quodamodo per ſe exiſtat eſt impoſſibilis; ergo non datur: probatur antecedens: iſte modus quicumque ille ſit, vel eſt ſubſtantialis, vel accidentalis: ſed neutrum dici poteſt; ergo non datur: probatur minor, quod non poſſit eſſe ſubſtantialis: tum quia in Euchariſtiæ Sacramento nulla ſubſtantia permanet, aut de nouo ponitur præter corpus Chriſti: tum quia modus, ſi detur, debet eſſe eiuſdem rationis cum re, cuius eſt modus: ſed quantitas eſt accidens; ergo non poteſt habere modum, qui ſit ſubſtantia: tum quia alia accidentia, in ſententia illorum cum quibus diſputo, vt exiſtant in Euchariſtia non requirunt. quod eorum immediatum ſubiectum ſit ſubſtantia cum ſit eadem quantitas, in qua prius inherebant; ergo nec quantitas ipſa, vt ſit ſine ſubiecto, exigit modum ſubſtantialem: probatur eadem minor, quo ad ſecundam partem, nempe quod talis modus non ſit accidentalis: tum quia modus accidentalis non poteſt dare eſſe per ſe: tum quia eadem quæſtio fiet de hoc modo, ſicuti de aliis accidentibus, quomodo ſtet per ſe.

5 Dices primo ex Gonet, talem modum poſſe eſſe ſubſtantialem, & accidentalē: & reſpondet ad argumenta facta Ad primum, quod in Euchariſtia nihil de ſubſtantia panis, & vini permanet, & nihil aduenit, niſi corpus, & ſanguis Chriſti, cum quo tamen ſtat, quod quantitati detur modus ſubſtantialis ſupernaturalis, quo ipſa, & alia accidentia ſubſiſtant. Ad 2. quod argumentum valet de modo naturali non ſupernaturali, cuiuſmodi eſt modus, de quo agimus. Ad 3. non reſpondet, eo quod illud non ſibi obiecerat. Dicit inſuper poſſe eſſe accidentalem entitatiuè, & vt quod, ſubſtantialem virtualiter, & vt quo; vnde licèt inhæreat quantitati, habet tamen virtualiter illam facere exiſtere per ſe, & eſſe modùm ſupernaturalem accidentalem, cui repugnat inhærere. Sed contra manifeſtè hæ reſponſiones nullo modo ſubſiſtunt. Non prima; quia licet non ſit contra definitionem Concilij ponere hunc modum ſubſtantialem; negari tamen non poteſt, quod clarius non intelligatur Concilium, ſi dicamus nihil de ſubſtantia panis, & vini remanere, & nihil aduenire ſubſtantiale, niſi corpus Chriſti. Non ſecunda, quia modus eſt eſſentialiter eiuſdem rationis cum re, cuius eſt modus; ergo ſi eſt eſſentialiter talis, hoc erit verum non tantùm de modo naturali, quam ſupernaturali. Neque ſubſiſtit reſponſio, quod poſſit eſſe accidentalis; nam quod eſſentialiter, & entitatiuè eſt accidens, eſt ens entis; ergo non poteſt ei repugnare inhærentia; alia autem reſponſio, quod licèt inhæreat quantitati huiuſmodi modus virtualiter faciat per ſe illam ſexiſtere, præter quam quod eſt cō-tradictoriè oppoſita alteri, quam ipſe approbat, & nuper impugnauimùs, ſic reijcitur; quia, quod in ſe & entitatiuè eſt accidens, non poteſt informando eſſe virtualiter ſubſtantia, nam informat per propriam entitatem; vnde exemplum de ſemine, quod non eſt viuum, & tamen eſt virtus producendi viuens, & accidentia non ſunt ſubſtantia, & tamen poſſunt producere ſubſtantiam, nullo modo ſunt ad rem; nam ſemen in ordine ad producendum viuens, & accidentia in ordine ad ſubſtantiam concurrūt tantùm vt inſtrumenta, & in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis, de ratione autem inſtrumenti eſt producere effectum nobiliorem ſe ipſo; at modus concurrit in genere cauſæ formalis, vnde ſicuti implicat, quod albedo conſtituat nigrum, vel quod forma ſubſtantialis conſtituat accidens; ita modus accidentalis, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis ſit, non potuit conſtituere aliquod quod ſtet per ſe.

6 Dices ſecundò. Talem modum eſſe accidentalem, verùm non repugnare, quod Deus efficere poſſit, vt tale accidens aliqualiter participet modum exiſtendi ſubſtantiæ, & ideò poſſe per ſe ſtare. Sed contra, Deus non poteſt immutare naturam eſſentialem alicuius rei: ſed de eſſentia accidentium eſt aptitudo ad inhærendum; ergo & tali modo conueniet; ergo implicabit, quod habeat repugnantiam ad inhærendum. Confirmatur: repugnat aliquam ſubſtantiam propriè exigere aptitudinem ad inhærendum; ergo etiam accidenti repugnat, quod habeat exigentiam ad per ſe ſtandum.

7 Probatur ſecunda pars. Ex ſolo conceptu negationis ſubiecti ſufficienter intelligitur accidens eſſe per ſe; ergo ſuperfluus eſt iſte modus poſitiuus, quo quantitas per ſe exiſtat: probatur antecedens; nam ſicuti anima rationalis dicitur ſeparata à corpore per ſolam negationem informationis; ita quantitas à ſubſtantia ſeparata, ſi à Deo conſeruatur, vtique per ſe ſtabit abſque vllo alio

modo

Digitized by Google

modo; ergo ſuperfluus eſt omnino iſte modus.

8 Obijcies primò ſubſtantia, vt per ſe ſubſiſtat, habet modum ſubſiſtentiæ; ſed quantitas in Euchariſtia ſe habet per modum ſubſtantiæ; ergo debet habere modum, quo ſubſiſtat.

Reſpondeo ſiſtendo in ratione naturali me poſſe negare maiorem; quod ſi dicamus ſubſiſtentiam eſſe complementum ſubſtantiæ, & entitatem realem, vel ſaltem modalem, hoc deducimus ex myſterio Incarnationis; nullum autem huiuſmodi fundamentum habemus ad aſſerendum quantitatem, dum remanet ſine ſubiecto, debere habere hunc modum, cum ſufficienter talis intelligatur per hoc, quod exiſtat, & actu non inhæreat. Ideò &c.

9 Obijcies ſecūdò. Ablato vno modo ponitur naturaliter loquēdo alius ſic ablato modo ſubſiſtentiæ ab humanitate Chriſti ponitur ſubſiſtentia Verbi, & ablato puncto à linea ſtatim reſultat aliud punctum terminans; ergo etiam ablata inhęrentia debet reſultare modus oppoſitus, quo quantitas per ſe exiſtat.

Reſpondeo, quod argumentum falſum ſupponit, cum ſupponat inhærentiam eſse modum, quod tamen falſum eſt, cum ſit tantùm complexum accidentis cum ſubiecto, quod complexum in hoc Sacramento diſſoluitur.

10 Obijcies tertiò. Illud, cui connaturaliter conuenit eſſe in alio, non poteſt exiſtere per ſe, niſi immutetur, & aliquid de nouo acquirat: ſed quantitas, & quodlibet aliud accidens connaturaliter exiſtit in alio; ergo, vt exiſtat per ſe, debet immutari, & aliquid de nouo acquirere: maior probatur: tum quia exiſtere per ſe eſt aliquis effectus realis; ergo ab aliquo principio formali pendens: tum quia, ſi non acquirat aliquid, & immutetur eodem modo ſemper ſe habebit, & ſic non exiſtet per ſe.

Reſpondeo negando maiorem, ſufficit enim, quod tollatur inhærentia, vt per ſe exiſtat negatiuè, hoc eſt exiſtat, & non inhæreat: per quod patet ad probationem maioris; exiſtere enim per ſe negatiuè, ſeu non inhærere, non eſt effectus poſitiuus; nec ſequitur, quod eodem modo ſēper ſe habebit, nam prius quantitas inhærebat, poſtea non.

11 Obijcies quartò. Quantitas prius conſeruabatur à Deo, & à ſubiecto, modo conſeruatur tantum à Deo; ergo aliquid addi debet, quo ſuppleatur concurſus ſubiecti.

Reſpondeo negando conſequentiam, ſufficit enim idem concurſus, vt permaneat in eſse; an verò debeat dici hic concurſus creatiuus, cum prius eſset eductiuus, quia conſeruabatur dependenter à ſubiecto, modò non, eſt quæſtio pura de nomine, de qua non eſt curandum, poteſt dici creatiuus, quia conſeruatur ſine ſubiecto, poteſt dici eductiuus, quia eſt idem dicēs ordinem ad ſubiectum, à quo primò educta fuit ipſa quantitas.

ARTICVLVS II.

Quomodo ſpecies agere, & pati poſſint.

1 ACtiones, & paſſiones ſunt in duplici differentia, aliquæ enim ſunt reales, aliquæ intentionales & de his omnibus breuiter agendum; ſunt enim potius quæſtiones phyſicæ, de quibus quiſq; iuxta propria principia diſcurrit.

2 Concluſio prima. Species Euchariſticæ omnem illam actionem, vel paſſionem, quam habebant in proprio ſubiecto, habent etiam extra illud. Hæc concluſio patet experientia; nam eodem modo immittunt ſui ſpecies, & videntur per oculos, & per alios ſenſus percipiuntur, ac antea; hoc autem eſt habere eaſdem actiones, & paſſiones intentionales. Ratio eſt, quia vt accidentia habeant huiuſmodi actiones non indigent ſubiecto, niſi ad exiſtendum: ſed exiſtunt ſine ſubiecto: ergo eaſdem actiones intentionales poſsunt habere. Et eadem ratio eſt de paſſionibus intentionalibus.

3 Concluſio ſecunda. Accidentia Euchariſtica etiam actiones reales aſſimilatiuas ſui, vel paſſiones habere poſſunt. Hæc etiam patet experientia; nam vinum conſecratum calefacit, & frigefacit, & poteſt calefieri, & frigefieri, vt experientia ipſa conſtat. Ratio verò huius eſt adducta iam pro priori concluſione, & hæc in ſe clara ſunt.

4 Concluſio tertia. Accidentia Euchariſtię poſſunt habere actionem diſpoſitiuam ad formam ſubſtantialem, non tamen poſſunt illam producere, ſed hac producitur à Deo. Prima pars ſequitur ex dictis in concluſione præcedenti. Secunda pars probatur ex philoſophia, quia accidentia non habent vim producendi ſubſtantiam, ſed tantùm diſponunt ſubiectum, quo diſpoſito, ipſa ſubſtantia producit aliam ſubſtantiam, & hoc ſuppono ex phyſicis: atqui hic non adeſt ſubſtantia, quæ poſſit producere aliam ſubſtantiam; ergo debet produci à Deo, qui ſupplet defectum cauſarum ſecundarum.

5 Concluſio quarta, Actiones repara-

Digitized by Google

paratiuæ, quibus accidentia reducunt ſe ad priſtinum ſtatum, vt ſi ſpecies vini conſecrati fuiſſent nimis calefactæ, & ablato extrinſeco calefaciente reducantur ad priſtinum ſtatum propriæ frigiditatis, non proueniunt à qualitate occulta, vt volunt aliqui, ſed à Deo, qui ex ſuppoſitione inſtitutionis huius myſterij concurrit ad illud occultandum. Quod non proueniat à qualitate occulta; probatur, quia non dantur iſtæ qualitates, & ſi darentur de ipſis currit difficultas, nam etiam ipſæ poſſunt imminui, quomodo ergo reducent ſe ad priſtinum ſtatum? dicendum ergo eſt, hoc prouenire à Deo ad occultandum hoc myſterium, ſecus ex defectu talium actionum, poſſemus aliquo modo in cognitionem huius myſterij deuenire.

ARTICVLVS III.

An ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generari, & nutriri poſſit.

1 Species ipſas deſinere, & corrumpi ſenſibus ipſis patet, dum generantur vermes, & in ſtomacho alterantur, ita vt vi illius alterationis deſinat ibi eſſe Chriſtus. Quomodo verò corrumpantur, dico hoc prouenire ex aduentu aliorum contrariorum in eadem quantitate, quæ cum ſit immediatum ſubiectum accidentium eodem modo alterantur, ac corrumpuntur, ac ſi ibi adeſſet proprium ſubiectum ſubſtantiale; difficultas ergo eſt, quomodo ex his accidentibus aliquid generari, vel nutriri poſſit.

2 Vvaldenſ.tom.2. de Sacram. cap. 26.& Algerus lib.2. de Euchar. cap.1.& quidam alij dixerunt, quod quando ſpecies ſacramentales corrumpuntur, apparenter tantùm noua ſubſtantia videtur generari, ſicuti etiam apparenter dicunt aliquem his ſpeciebus nutriri. Sed verè hæc opinio ex ipſa experientia apparet non poſſe ſuſtineri, nam verè generantur vermes ex ſpeciebus ſacramentalibus, qui ſe mouent, & diù permanent; ergo non ſunt tantùm apparentiæ, & ſi quis in magna quantitate ſumeret ſpecies conſecratas panis, certè non minus nutriretur, quam ſi verum panem ſumeret.

3 Alenſis 4.par.quæſt.40. membr.2. ar.4. Bonauent.in 4. diſt.12. q.1.art.1.& Innoc. lib.4. de myſterio miſſæ dixerunt redire denuò in hoc Sacramento ſubſtantiam panis, & vini, & ex illa poſtea aliam generari. Sed neque hæc opinio debet ſuſtineri, nam, vt vidimus ſupra, tamdiù manet Chriſtus, quamdiù maneret ſubſtantia panis, & vini: ſed dato hac opinione nõ tamdiù maneret Chriſtus, quamdiù maneret ſubſtantia panis, & vini, ſed poſtquam receſſit Chriſtus adhuc adeſſent diſpoſitiones ſufficientes, vt ibi poneretur ſubſtantia panis, & vini, non enim poteſt poni ſubſtantia panis, & vini, niſi vbi ſunt diſpoſitiones ſufficientes ad tales formas; ergo &c.

4 Alij, quos refert D.Thom.hîc ar. 5. docent gigni nouam ſubſtantiam non ex ipſis ſpeciebus, ſed ex aere circumfuſo. Sed neque hæc ſubſiſtit, quia actio naturalis agentis eſt circa ſpecies non circa aerem; imò aer ipſe habet rationem agentis. Confirmatur, quia ſi ſacra hoſtia in ignem conijcitur ſtatim vertitur in flammam, & cineres; ergo corpus circumſtans non poteſt eſſe id, ex quo gignitur aliquid; cum clarum ſit ignem eſſe agens conuertens hoſtiam in flammam, & cineres.

5 Fuit olim celebris opinio plurium Theologorum, quod quando ex ſpeciebus Euchariſticis aliquid generatur, quantitas ipſa tunc gerat vicem materiæ, ita vt compoſitum, quod reſultat conſtet ſolum quantitate, & forma ſubſtantiali. Sic Henricus quodlib. 4. q. 36. Ægidius theor.44.& 45. Ruardus Taper ar.14. Ferra.4.contra Gentes, cap.66. Viguer. in inſtitutionibus theologicis cap. 16.§.3.& alij.

Communis tandem ſententia eſt materiam de nouo creari à Deo, quando ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generatur. Sic Scotus, Durandus, Aureol. Maior, Marſilius in 4. diſt. 12. Suarez diſp.57. ſec.3. Vaſquez diſp. 195. cap.3. Coninchus hîc art.5. Lugus diſp. 10. nu. 31. Auerſa quæſt. 5. de Euchariſtia, ſec.5. Arriaga diſp.38. ſec.5. Gonet. diſp.6. à n.5. & ferè communis omnium aliorum.

6 Concluſio prima. Quantitas non gerit vicem materiæ, quando aliquid generatur ex ſpeciebus Euchariſticis, ſed noua materia producitur, quæ probabilius eſt eadem numero, quæ prius fuit ſub ſpeciebus panis, & vini.

7 Prima pars, quod quantitas non poſſit gerere vicem materiæ, probatur; quia in generatione vermis, v.g. producitur vera forma ſubſtantialis; ergo etiã debet dari vera materia, quam poſſit talis forma informare: antecedens conceditur: probatur conſequentia: nulla forma ſubſtantialis poteſt habere ſuum effectum formalem circa aliquod accidens, cum ad illud non habeat proportionem; ergo debet illam habere circa materiam ſubſtantialem: conſequentia patet.

Digitized by Google

patet: probatur antecedens: effectus formalis formæ ſubſtantialis eſt conſtituere compoſitum ſubſtantiale: ſed cum quantitate non poteſt conſtituere compoſitum ſubſtantiale, ſed accidentale; ergo debet dari materia, cum qua conſtituat compoſitum ſubſtantiale. Confirmatur: tum quia vermes, qui generarentur non eſſent compoſita ſubſtantialia, ſed monſtra: tum quia ſecundò, ſi homo longo tempore viueret ſolis ſpeciebus conſecratis, iam tandem non eſſet homo, ſed compoſitum ex anima rationali, & quantitate. Tum quia tertiò. Si poſt varias tranſmutationes illa quantitas reciperet formam panis, iam tunc non poſſet validè conſecrari, quia illud nõ eſſet verè panis, ſed forma panis cum quantitate, & tunc, vel deſineret totum, & ſic deberet deſinere etiam quantitas, vel deſineret tantũ forma, & ſic nõ eſſet tranſubſtantiatio; & multa alia abſurda ſequuntur; ergo nullo modo hæc opinio debet admitti.

8 Secunda pars, quod producatur noua materia; probatur, quia dum fit generatio ſubſtantialis, neceſſaria eſt aliqua materia: ſed toto tempore præcedenti ibi non aderat, quia erat præſens corpus Chriſti; ergo neceſſe eſt, vt in inſtanti generationis prius natura ibi producatur, vt forma ſubſtantialis educi poſſit.

9 Tertia denique pars, quod probabilius ſit, hanc materiam eſſe eamdem numero, quæ prius fuerat ſub ſpeciebus panis, & vini probatur; quia hoc eſt valde conſentaneum vniuerſo; hac enim ratione nihil materię deperit, ſed eadem ſemper perdurabit: tum quia hæc quantitas educta eſt ex tali materia, vnde connaturale eſt eidem ineſſe; nec ex parte Dei vlla eſt repugnantia, cur non poſſit eamdem reproducere; ergo probabilius eſt, quod eadem numero reproducatur.

10 Concluſio ſecunda. Hæc materia per creationem reproducitur, non verò per conuerſionem quantitatis in materiam. Eſt contra Gonet. loco citato, eſt tamen communis aliorum. Probatur; quia materia hæc debet produci, vt fiat generatio ſubſtantialis: ſed non poteſt produci per conuerſionem quantitatis in ipſam; ergo debet produci per creationem; hic enim eſt modus ordinarius producendi materiam: probatur minor: quod remanet in re genita, non deſinit eſſe per conuerſionem ipſius in materiam: ſed quantitas remanet in verme genito, vel in quocumq; alio, quod ex ſpeciebus generatur; ergo non conuertitur in materiam ipſius; maior ex ſe patet: minor etiam videtur clara; nam in re genita, nõ tantùm eſt materia, ſed etiam quantitas, vel ergo hæc quantitas fuit producta per conuerſionem prioris quantitatis in ipſam, vel conuerſa quantitate in materiam fuit poſtea educta ex materia; non primum; quia quantitas non poteſt conuerti in quantitatem; neque ſecundum; etenim ſi poſſunt ſaluari omnia per hoc, quod tantùm per creationem producatur materia, ad quid conuertere quantitatem in materiam, cum debeat poſtea denuò reproduci?

11 Quæres. A quonam agente producatur in eo inſtanti forma ſubſtantialis?

Reſpondeo, produci ab agente naturali. Eſt contra Vaſquez diſp. 195. cap. 3. eſt tamen communis aliorum. Probatur; quia non debemus recurrere ad Deum, quando poſſumus aſſignare cauſam ſecundam, vt communiter docent omnes Philoſophi: ſed productio talis formæ poteſt tribui agenti creato; ergo non debemus recurrere ad Deum: probatur minor explicando modum, quo poſſit hoc cõtingere; nam materia tunc creatur à Deo, quando in quantitate ſunt omnes diſpoſitiones vt ponatur forma vermis, v. g. & deſinat Chriſtus: eo ipſo autem, quod eſt creata, cum quantitas habeat aptitudinem ad inhærendum eidem (ſuppono enim fuiſſe intimè quantitati creatam) naturaliter ipſi inhæret, & conſequenter intelligitur vltimò diſpoſita: à materia autem diſpoſita, ſi agens eſt applicatum, vt in propoſito ſupponitur, poteſt educi forma ſubſtantialis.

12 Dices tamen cum Vaſquez. Agens creatum non habet virtutem producendi formam ſubſtantialem ex materia, quam prius non diſpoſuit: ſed hæc materia non fuit prius diſpoſita ab agente creato, cum in hoc inſtanti ſit producta à Deo; ergo agens creatum ex hac materia non poteſt educere formam. Confirmatur. Omnis generatio eſſentialiter eſt mutatio, & tranſitus de non eſſe ad eſſe: ſed dum materia producitur in inſtanti, quo producitur forma ipſa materia non tranſit de non eſſe formæ ad eſſe formæ; ergo nec talis forma producitur per generationem ab agente creato. Sed contra: reſpondeo cum Caiet. hic ar. 5. Ioann. à S. Thom. lib. 1. de gener. qu. 1. art. 1. & alijs: diſtinguendo maiorem: agens naturale non habet virtutem producendi formam ex materia, quam prius non diſpoſuerit, vel in ſe, vel in aliquo æquipollenti, concedo maiorem, quam prius non diſpoſuerit in ſe,

Digitized by Google

in ſe, ſed tamen diſpoſuerit in aliquo æquipollenti: nego maiorem: cum igitur hæc materia fuerit prius ab agente naturali diſpoſita in quantitate æquipollenti materiæ, & de æquipollentibus eadem ſit ratio, & iudicium; ideò ab ipſa poterit agens naturale educere formam; etenim, cum in inſtanti, quo creatur materia, ipſi inhæreat quantitas, in qua tamquam in ſubiecto immediato ſunt diſpoſitiones ad formam generandam, ſequitur, quod etiam ipſa materia cenſeatur diſpoſita, & per conſequens ab agente naturali poterit educi forma; & hæc reſponſio debet etiam aptari ad confirmationem. Alij reſpondent ad veram eductionem, & generationem non requiri, quod ſubiectum præcedat formam prioritate temporis, ſed tantùm prioritate naturæ; hoc autem modo materiam præcedere formam, quæ reſponſio etiam poteſt ſuſtineri, ſed in propoſito clarior, & ſolidior mihi videtur prior reſponſio.

QVÆSTIO VI.

De forma Sacramenti Euchariſtiæ.

SICVTI hoc Sacramentum conſtat duplici materia, nempe pane, & vino, ita conſtat duplici forma, nempe forma conſecrationis panis, & forma conſecrationis calicis, & de vtraq; in hac quæſtione agendum eſt.

ARTICVLVS I.

Quæ ſit forma conſecrationis corporis.

1 NON eſt controuerſia inter Catholicos, an hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſint valida, & eſſentialis forma cõſecrationis corporis Chriſti, ſed aliqualis controuerſia eſt, an hęc quatuor verba ſufficiat, vel requirantur alia, ſiue præcedentia, ſiue ſubſequentia.

2 Scotus in 4. diſt. 8. quæſt. 2. dicit, prædicta quatuor verba eſſentialiter quidem conſtituere formam conſecrationis corporis Chriſti, nihilominus, ſi quis omitteret illa verba: *Qui pridiè quam pateretur*, dubium eſſet, an conſecraret, quia dubium eſſet, an proferantur in perſona Chriſti. Scotum ſequitur Lauræa diſp. 19. de Euchariſtia art. 1. & Angelus ver. Euchariſtia nu. 24. & Scotiſtæ communiter.

3 Concluſio. Verba eſſentialia conſecrationis panis ſunt tantùm iſta: *Hoc eſt corpus meum.* Sic communiter omnes Doctores. Probatur primò ex Concilio Florent. in litteris vnionis vbi dicit formam conſecrationis panis eſſe illam: *Hoc eſt corpus meum*: & ex Triden. ſeſſ. 13. cap. 4.

4 Secundò probatur concluſio ratione. In illis verbis conſiſtit eſſentialiter forma conſecrationis panis, quæ ſine antecedẽtibus, & cõſequentibus ſufficienter ſignificant præſentiam corporis Chriſti, & conuerſionem panis in ipſum: ſed verba aſſignata ſunt huiuſmodi; ergo in illis tantùm conſiſtit eſſentialiter forma conſecrationis panis: maior patet: minor etiam ex ſe clara eſt, & ex illis verbis Chriſti deducit Trident. loco citato ſub ſpeciebus panis verè, & realiter contineri corpus Chriſti.

5 Probatur tertiò. Illa verba ſunt eſſentialia ad conſecrandũ corpus Chriſti, quæ Chriſtus protulit conficiendo hoc Sacramentum, & Sacerdos profert, vt gerens perſonam Chriſti, vt conſtat ex Florent. loco citato, vbi habetur: *Forma huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*: ſed verba, quæ profert Sacerdos in perſona Chriſti ſunt tantùm eſſentialiter illa *Hoc eſt corpus meum*; ergo alia non ſunt eſſentialia: maior conſtat ex Concilio adducto; probatur minor: ſi alia verba ſunt eſſentialia, vel ſunt illa, *Accipite, & comedite*, vel particula *enim*, vel denique illa, *Quod pro vobis tradetur*: ſed nullum ex his verbis eſt eſſentiale; ergo tantùm illa quatuor à nobis poſita conſtituunt eſſentialiter formam conſecrationis: probatur minor quo ad illa verba *Accipite, & comedite*: tum quia hæc tantùm ſignificant vſum, & diſtributionem, quæ non ſunt de eſſentia huius Sacramenti: tum quia licèt Matthæus, & Paulus habeant illa verba, Marcus tamen ſolùm poſuit, *ſumite*, & Lucas vtrũque omiſit; ergo ſignum eſt, hæc verba non eſſe eſſentialia. Probatur modò minor, quo ad particulam *enim*. Nam particula *enim* à D. Paulo, ab Euangeliſtis, & à Florentino prætermittitur, & tamen Concilium ibi aſſignat formam conſecrationis; ergo ſignum eſt non eſſe de eſſentia: tum quia tunc aliqua particula eſt de eſſentia alicuius formæ, quando ipſa ablata mutatur ſenſus verus, & eſſentialis formæ: ſed ablata particula *enim* adhuc manet ſenſus eſſentialis formæ conſecrationis; ergo nullo modo eſt de eſſentia: tum quia tertiò particula *enim* reddit rationem vſus huius Sacramenti, refertur enim ad ea verba, *Accipite, & manducate*, quæ ſignificant vſum huius Sacramenti: ſed vſus non eſt de eſſentia huius Sacramenti: ergo nec particula *enim*.

Digitized by Google

6 Quod denique, neque illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, ſint de eſſentia patet ex perpetuo vſu Eccleſiæ Romanę omnium Eccleſiarum matris, & magiſtræ, quæ tamen illa verba non dicit in conſecratione corporis, ſed ſtatim poſt ly *meum* proponit hoſtiam populo adorandam.

7 Obijcies primò. pro Scoto Conſtare debet, miniſtrum proferre verba conſecrationis in perſona Chriſti: ſed niſi miniſter præmittat verba illa, *Qui pridie, quam pateretur &c.* non poteſt conſtare, an in propria, vel aliena perſona loquatur; ergo verba illa ſunt neceſſaria, vt poſſit forma ſignificatiuè proferri in perſona Chriſti.

Reſpondeo negando minorem; etenim, ſi quis indutus veſtibus regijs in theatro loquatur in perſona Regis, quam repræſentat, non eſt neceſsè, vt dicat ſe loqui in perſona Regis, quia omnes ex tali circumſtantia facilè intelligunt, ipſum loqui in perſona Regis; ità & in propoſito omnes Catholici videntes Sacerdotem indutum Veſtibus ſacerdotalibus in altari, facilè intelligunt, quod loquatur in perſona Chriſti; imò abſq; tali circumſtantia hoc ſufficientèr ſignificatur, ſi ſolùm habeatur notitia, quod talis ſit Sacerdos, ſicuti Legatus intellitur loqui nomine Regis habita notitia, quod ſi Legatus; ſic Angelus Exodi 3. dixit Moyſi. *Ego ſum Deus Patris tui*, & tamen non prius ſignificauit Moyſi, ſe loqui in perſona Dei; idem cernitur in Sacramento pœnitentiæ, & alijs Sacramentis, vbi Sacerdos tamquam Chriſti miniſter hæc Sacramenta adminiſtrat, & tamen non eſt neceſsè, vt dicat, tunc ſe gerere vt miniſtrum Chriſti.

8 Obijcies 2. Gręci verè conſecrant: ſed Græci poſt ly *meum* addunt, *quod pro vobis tradetur*; ergo hæc verba ſunt eſſentialia.

Reſpondeo retorquendo argumentum: Latini verè conſecrant, vt de fide eſt: ſed iſti non addunt illa verba, *quod pro vobis tradetur*; ergo non ſunt eſſentialia; & ità debent etiam fateri Græci, licèt enim teneantur illa proferre, vt ſe conforment ritui propriæ Eccleſiæ, debent tamen fateri non eſſe de eſſentia, ſecus errarent.

9 Obijcies 3. In lyturgijs Sanctorum Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi, quæ ab Apoſtolis cenſentur compoſitæ poſt illa verba, *Hoc eſt corpus meum*. dicitur. *Emitte ſpiritum tuum, & fac hunc panem; pretioſum Corpus Chriſti tui, quod verò in hoc calice eſt, pretioſum ſanguinem Chriſti tui*; ergo &c.

Reſpondeo in illis lyturgijs per illa verba, *emitte &c.* non peti, vt fiat ſimpliciter Corpus Chriſti, ſed vt nobis fiat, hoc eſt proſit nobis, ſic ſe explicauerunt Græci in Concilio Florentino, vel, vt alij interprætantur, per illa verba rogant Deum, vt licèt verba tranſierint, permaneat tamen corpus Chriſti ſub ſpeciebus, vt proſit nobis ad ſalutem, neque in explicandis his lyturgijs multùm debemus eſſe ſolliciti, cum de fide ſit, quod Romana Eccleſia omnium magiſtra non poſſit errare, & cum in Romana Eccleſia non addantur illa verba, certum eſt non eſse de eſsentia.

10 Quæres, an ſi quis in conſecratione omitteret particulam *enim* peccaret mortalitèr?

Reſpondeo, quod voluntariè illam omittens peccaret mortalitèr. Sic Nugnus hic art. 2. con. 3. Gabriel. in 4. diſt. 8 quæſt. 2. art. 3. Vaſquez diſp. 199. cap. 4. Angelus v. Euch. num. 22. & alij contra Suarez hic diſp. 59. ſect. 1. Coninch. hic art. 2. dub. 2. num. 37. Henriq. Bonac. Dianam, & alios, qui exiſtimant eſſe tantùm veniale ratione paruitatis materiæ. Ratio eſt; quia in re ita graui minima illa particula, quæ deſeruit ad connexionem verborum, & ſenſus, grauis cenſeri debet; & ita non ſolùm erit peccatum illud *enim* omittere ex cōtemptu; ſed etiam ſi quis ſciens, & volens illud omittat. Confirmatur argumēto morali: immutare litteras, & Breuia Pontificia eſt morale, cui annexa eſt excommunicatio, & auferre gemmam ex corona Regis, etiamſi in ſe talis gemma non eſſet magni valoris, ſed ſolùm ex eo, quod eſset ornamentum talis coronæ, cenſetur res grauis; ergò multò magis erit peccatum immutare formam tanti Sacramenti: Et hoc exiſtimo verum, non ſolùm, ſi fiat ex contemptu, vt volunt aliqui, in hoc enim ſenſu exiſtimo certiſſimam noſtram reſponſionem, ſed etiam iudico eſſe certam, ſi quis ſciens, & volens illam omittat; vnde ſolùm poteſt quis excuſari à culpa mortali, ſi ex oſcitantia, & aliquàli negligentia talem particulam *enm* omiſerit.

ARTICVLVS II.

Quæ verba ſint neceſſaria ad conſecrationem calicis.

1 VErba, quibus vtitur Romana Eccleſia in conſecratione Calicis ſunt ſequentia. *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Dum dicitur *calix* accipitur continens

pro

Digitized by Google

pro contento per metonymiam; de cetero idem eſt dicere *hic eſt ſanguis meus*, ac dicere, *hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed melius explicatur per modum potus dicendo *calix &c.* quam dicendo *ſanguis*, quia ſanguis ſecũdùm ſe non eſt potus. Dum dicitur *noui, & æterni teſtamenti* innuitur æterna hæreditas, quæ per Chriſti ſanguinem nobis promittitur, tamquam per teſtamentum: dum dicitur *myſterium fidei* ſignificatur fides, quam in hac vita habemus, quæ in nullo alio myſterio ſic elucet, ſicut in iſto: Dum denique dicitur. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Significatur effectus ſanguinis Chriſti, qui eſt remiſſio peccatorum. Hæc cum ſint certa apud omnes; Inſurgit modò grauis difficultas, an omnia illa verba ſint de eſsentia conſecrationis calicis.

Prima ſententia eſt D. Tho. hic art.3. Alberti in 4. diſt.8. art.7. Heruæi qu.4. Palud.qu.3.art.2. Capreoli qu.1.conc.6. Martinez à Prado hic dub.5. §.2. qui citat D. Anton. Syluestrum, Tabienam, Viguerium, Sotum, Arauium, Bartholomæum Spinam, & alios, quos ſequitur Gonet. hic diſp.7. art.2. hæc docet omnia verba, quæ ab Eccleſia Romana dicuntur in conſecratione calicis eſse de eſsentia talis formæ.

Secunda ſententia docet hæc ſola verba *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe de eſsentia formæ, reliqua, vel eſſe ſolùm de ſubſtantia, vt docent Caiet. Nugnus, Ioan. à S. Tho. hic, Sotus in 4. diſt.11. qu.1. art.1. Ledeſma, Lugus diſp.11. ſect.4. & alij; vel eſse ſolùm de præcepto, vt ſentiunt Scotus in 4. diſt.8. q.2. Lauræa diſp 19. art.2. Suarez diſp.60. ſect.1 Vaſquez diſp.193. cap.3. Coninch. hic art.3. Henric. quodlib.9. art.10. Auerſa qu.6. de Euch. ſect.3. qui citat Alenſem, Bonauent. Durandum, & alios. Addere poſsumus ſententiam aliquorum, inter quos eſt Amicus diſp.24. num.25. qui dicunt formam eſsentialem eſse hanc. *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* à qua opinione non multùm diſcrepant Corneio, & Philippus à Sanctiſs. Trinitate.

3 Concluſio 1. Verba eſsentialia conſecrationis calicis ſunt illa. *Hic eſt ſanguis meus*, vel. *Hic eſt calix ſanguinis mei*. Probatur illa verba ſunt de eſsentia formæ conſecrationis calicis, quæ ſunt ſignificatiua cõuerſionis vini in ſanguinem Chriſti Domini: ſed verba aſſignata ſunt huiuſmodi, non alia; ergo verba aſſignata ſunt de eſsentia formæ non alia: maior patet; nam facta conuerſione etiam factum eſt Sacramentum, cum hoc nihil aliud ſit, quam corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus: probatur minor: in primo inſtanti, quo abſoluuntur hæc verba, conſtituunt propoſitionem integram: ſed tunc non poſsunt eſse falſa, neq; quatenùs à Chriſto prolata ſunt, neque quatenùs à Sacerdote in perſona Chriſti proferuntur; ergo in primo inſtanti, quo abſoluuntur, efficiunt, quod ſignificant; & cum ſignificent commutationem vini in ſanguinẽ Chriſti, hanc etiam efficient; facta autem conuerſione, quidquid aliud addatur, non poteſt eſse eſsentiale; quia iam tota eſsentia Sacramenti adeſt.

4 Dices: Verba Sacramentorum habere vim efficiendi, vt ſacramentalitèr accipiuntur, nimirum, vt ſunt ita inſtituta à Deo: Verba autem huius formæ non ſunt inſtituta præcisè ad ſignificandam conuerſionem in ſanguinem Chriſti, ſed ſunt inſtituta etiam ad ſignificandum ſanguinem effuſum, & cofirmantem nouum teſtamẽtum; ergo donec impleta ſit tota huiuſmodi ſignificatio, verba nihil efficiunt; non completur autem huiuſmodi ſignificatio, niſi etiam alia verba proferantur. Sed contra; quia verba eſsentialia formæ ſanguinis Sacramenti Euchariſtiæ ſunt illa, quæ ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem: ſed tantùm à nobis aſſignata ſunt huiuſmodi; ergo &c. Quod verò ſit effuſus, vt confirmans nouum teſtamentum, non ſignificat hanc conuerſionem, ſed ſignificat virtutem ſanguinis, quod licèt conueniat huic Sacramento, conuenit tamen illi tamquam quid extra eſsentiam eius, cum tota eſsentia eius intelligatur per hoc, quod ſanguis ſit ſub ſpeciebus vini, quod totũ ſignificatur per verba à nobis aſſignata.

5 Probatur 2. Verba eſsentialia conſecrationis corporis ſunt tantùm illa, *Hoc eſt corpus meum*; ergo etiam verba conſecrationis calicis eſsentialia ſunt ſolùm illa: *Hic eſt ſanguis meus*, vel: *Hic eſt calix ſanguinis mei*. Probatur conſequentia: ideò pro conſecratione corporis illa ſunt ſufficientia, & eſsentialia, quia ſufficienter ſaluant conuerſionem panis in Corpus Chriſti, & illam ſignificant: ſed etiam: *Hic eſt ſanguis meus*, vel: *Hic eſt calix ſanguinis mei*; ſufficientèr ſaluant conuerſionem vini in ſanguinem, & illam ſignificant; ergo in his verbis conſiſtit eſsentialitèr forma conſecrationis calicis.

6 Probatur 3. Ex varijs lyturgijs, in quibus aliqua omittuntur ex verbis, quibus vtitur Romana Eccleſia. Etenim in Miſsali Græco, vt teſtantur Durandus, & Caietanus non habentur hæc

Digitized by Google

quatuor verba *calix*, *æterni*, *myſterium fidei*. In lyturgijs B. Iacobi Apoſtoli. dicitur: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum*. S. Ioann. Chryſoſt. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*. S. Ioan. Euangeliſtæ, Sanctorum Apoſtolorum, Sancti Euſtaſij, Sancti Ioannis Patriarchæ verba ſunt. *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*. S. Marci Euangeliſtæ: *Corpus meum eſt hoc, ſanguis meus eſt hic*. S. Matthæi Paſtoris. *Hoc caro mea eſt: Hoc ſanguis meus eſt*. Quas formas teſtatur Cardinalis de Lugo ſe vidiſse in Miſsali Maronitarum à Monte Libano Romam miſso, & quas formas eidem dedit doctus vir Victorius Scinlach Abbas S. Gregorij natione Maronita, ac in Vrbe à multis annis publicus linguarum interpres: ſed omnes hæ lyturgiæ tolerantur ab Eccleſia Romana aliarum Magiſtra, & in Concilio Florentino fuerunt examinatæ, & ſuper hoc numquam fuit dubium, quin omnes iſti verè Sacramentum conficerent; ergo fatendum eſt, ea tantùm verba à nobis aſsignata eſse de eſsentia, cum in omnibus lyturgijs ea habeantur, cetera veró verba, aliqua ſunt in vna, non in alia.

7 Dices ex Gonet, formam conſecrationis calicis non fuiſse determinatam à Chriſto ſecundùm ſpeciem, ſed relictam determinationi Eccleſiæ, ſicuti eſt in forma Confirmationis, & Ordinis; nam forma Græcorum in his Sacramẽtis eſt omninò diuerſa ab illa, qua vtitur Eccleſia Latina; & tamen verba, quibus vtuntur, tàm Græci, quàm Latini, ſunt eſsentialia pro conferendis huiuſmodi Sacramentis, ergo etiam, licèt diuerſæ ſint formæ conſecrationis calicis pro diuerſitate lyturgiarum, omnia, tamen verba cuiuſcumque formæ erunt de eſsentia talis formæ. Sed contra, quia quando forma Sacramenti alicuius reperitur in ſcriptura inſtituta à Chriſto, Eccleſia non habet auctoritatem illam mutandi, vt definit Trident. ſeſs. 21. cap. 2. cum non habeat auctoritatem immutandi ſubſtantiam Sacramentorum: forma autem ſpectat ad ſubſtantiam Sacramenti: ſed forma conſecrationis calicis refertur ab Euangeliſtis, & à D. Paulo; ergo inſtituta fuit à Chriſto in ſpecie, & proinde non poteſt Eccleſia illam immutare; Chriſtum autem inſtituiſse formam calicis habetur de Conſecrat. diſt. 2. ca. *Vtrum ſub figura*. vbi dicitur. *Credendum eſt, quod in verbis Chriſti Sacramenta conficiantur &c.* & cap. *Cum Martha*. habetur Chriſtũ expreſsiſse formam verborum, *cum in corpus, & ſanguinem ſuum panem tranſubſtantiauit, & vinum*; quare licèt de Sacramento Ordinis poſsimus dicere Chriſtum determinaſse formam tantùm in genere, non in ſpecie, vt ſupra diximus de Sacramentis in communi, & libentèr concedimus Goneto; hoc tamen dici non poteſt de forma Euchariſtiæ, quæ in ſpecie determinata fuit à Chriſto: vnde in Concilio Florent. in decreto pro Armenis dicitur. *Formam huius Sacramenti eſſe verba, quibus Chriſtus hoc Sacramentum confecit*, Si igitur certum eſt formam huius Sacramenti eſse verba à Chriſto inſtituta, & quibus ille hoc Sacramentum confecit, certè non dedit poteſtatem Eccleſiæ ea determinandi in ſpecie, vt vult Gonet.

8 Concluſio ſecunda. Reliqua verba, quæ proferuntur in conſecratione calicis, nimirum *noui*, *& æterni teſtamenti*, *myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ſunt quidem de præcepto, non autem de ſubſtantia, ſi propriè loquamur.

Prima pars patet: quia omnia illa verba ponuntur in Miſsali Romano, & eodem ritu proferuntur à Sacerdote; vnde ſicuti diximus in articulo præcedenti de particula *enim*, quam ſi quis ſciens, & volens omitteret peccaret mortalitèr; ita & de omittente quodlibet ex prænarratis verbis dicendum eſt.

9 Secunda pars, quod propriè non poſſint eſse de ſubſtantia formæ probatur: quando aliquid concurrit ad conſtituendum totum quantitatiuum, quidquid eſt de integritate illius totius eſt etiam de ſubſtantia, & de eſsentia, & è contra: ſed per aduerſarios talia verba non ſunt de eſsentia formæ conſecrationis calicis; ergo neque erant de ſubſtantia, ſeù integritate. Confirmatur: vel ſine ipſis poteſt eſse forma conſecrationis valida, & conuerſio vini in ſanguinem erit facta, vel non; ſi primum ergo reliqua verba merè accidunt; ſi ſecundum; ergo eſsentialitèr requirerentur, & partes eſsentiales formæ eſſent.

10 Dices cum Ioan. à S. Thoma alia verba eſse eſsentialia ſanguini non abſolutè, ſed quantùm ad expreſſionem virtutis eius; ſtat autem, quod id, quod eſt eſsentiale expreſſioni virtutis, ſit ſolùm de integritate reſpectu conuerſionis, & conſtitutionis Sacramenti. Sed contra: hæc verba non ſunt eſsentialia formæ ſanguinis, vt conuerſi, & conſtituentis Sacramentum, ſed tantùm ſanguini, quantùm ad expreſſionem virtutis eius; ergo non ſunt de integritate formæ conuertentis vinum in ſanguinem, & conſtituentis Sacramentum: proba-

Digitized by Google

probatur conſequentia: eodem modo ſe haberent ſequentia verba, *noui, & æterni &c.* ad formam eſsentialem ſanguinis, ſicuti ſe habent oculi videntes in ordine ad pedes: ſed dum oculi vident, licèt poſſint denominare totum hominem videntem, non poſſunt tamen denominare pedes videntes; ergo etiam, licèt illa verba poſſint dici eſſentialia ſanguini, quantùm ad expreſſionem virtutis eius, non poſſunt tamen dici de ſubſtantia formæ ſanguinis, quo ad conuerſionem eius: nam ſicuti denominatio vnius partis, non denominat alteram, licèt denominet totum; ita, cùm tota illa forma ſit totum quoddam, ſeù ſit vna oratio totalis, prior pars, quæ eſt forma eſſentialis ſanguinis, non poteſt integrari ab alia parte, ſicuti pes non integratur ab oculo, licèt homo integretur à partibus ſuis, & forma ſanguinis, vt expreſſiua virtutis eius, integretur ab omnibus verbis poſitis; at forma ſanguinis, vt Sacramenti, numquam integrari poteſt ab illis verbis *noui, & æterni &c.* & hoc eſt, quod vult D. Thom. dum dicit eſſe de integritate. Etenim hic artic.3. habet. *Quod per prima verba ſignificatur conuerſio; per ſequentia verò virtus ſanguinis effuſi, & ſunt quædam determinationes prædicati, ideſt ſanguinis Chriſti, vnde pertinent ad integritatem huius locutionis.*

11 Obijcies 1. Illa eſt forma calicis, qua vtitur Eccleſia Latina in eius conſecratione: ſed Eccleſia Latina omnia illa verba profert eodem ritu, & modo, tenendo calicem in manu, & antequam proponatur ſanguis populo adorandus; ergo omnia illa verba ſunt de eſſentia formæ calicis.

Reſpondeo Eccleſiam Latinam habere certam formam conſecrationis calicis indubitatum eſt, & certiſſimum; an verò omnia illa verba, quæ proferuntur in conſecratione calicis ſint de eſſentia talis formæ, de hoc eſt quæſtio, & dicimus negatiuè propter rationes allatas in concluſione.

12 Obijcies 2. Ea verba ſunt de eſſentia formæ calicis, quæ adæquatè exprimunt naturam Euchariſtiæ: ſed nequit adæquatè exprimi natura Euchariſtiæ, niſi exprimatur ſanguinis effuſio; ergo ſaltèm illa verba, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorũ*, quibus exprimitur ſanguinis effuſio, ſunt de eſſentia: maior patet: probatur minor; nam Euchariſtia, non ſolùm eſt Sacramentum, ſed etiam ſacrificium: ſed ſacrificium non exprimitur, niſi per ſanguinis effuſionem; ergo &c.

Reſpondeo, quod eo ipſo, quod facta eſt conuerſio vini in ſanguinem, eo ipſo etiam mactata cenſetur hoſtia ſacrificij, & intelligitur ſanguinis effuſio; cum ſeparatim ſit facta conſecratio corporis, & ſanguinis; vnde illa verba: *qui pro vobis &c.* adduntur ad exprimendam virtutem ſanguinis effuſi, non verò, quia ſint de eſſentia formæ Euchariſtiæ, ſiue hæc ſumatur in ratione Sacramenti, ſiue in ratione ſacrificij.

13 Obijcies 1. contra ſecundum. Illud eſt de integritate formæ, & de ſubſtantia eius, quod ex inſtitutione Chriſti requiritur ad integritatem, & effectũ formæ, quamuis, ſi deſit, non per hoc Sacramentum erit nullum: ſed huiuſmodi ſunt verba formæ calicis, *noui, & æterni &c.* ergo hæc omnia verba ſunt de ſubſtantia: probatur maior: in forma baptiſmi, & pœnitentiæ pronomen ego non eſt de eſſentia, & tamen cum profertur, eſt de ſubſtantia. Secundò quando baptiſmus fit trina merſione, omnes ſunt de ſubſtantia, licèt non de eſſentia. Tertiò in Sacramento Pœnitentiæ confeſſio vnius venialis eſt ſufficiens ad eſſentiam in eo, qui non habet mortalia, & tamen, ſi fiat confeſſio plurium venialium, illa omnia erunt de ſubſtantia, & integritate Sacramenti; ergo eodem modo dicendum hic de forma calicis.

Reſpondeo maiorem eſſe falſam, nempè, quod ſit de integritate, & ſubſtantia &c. nam ſi Sacramentum ſine illis verbis eſt verum, & validum, certè illa verba accidunt ipſi, & tantùm ex præcepto ponuntur: ad primam probationem: tranſeat antecedens; nego conſequentiam, nam ly *ego* includitur implicitè in ly *baptizo*, & *abſoluo*, & ideò nil mirum, ſi quando ponitur explicitè ſit ſit de ſubſtantia, & eſſentia, quia etiam influit in effectum: at in propoſito illa verba, *noui, & æterni &c.* nec implicitè includũtur in verbis eſſentialibus formæ, nec concurrunt ad effectum. Ideò &c. Ad ſecundam dico, quod cum primum facta eſt ablutio, & forma integrè eſt prolata, perfectum eſt Sacramentum; quare quidquid poſtea fiet, non erit de ſubſtantia Sacramenti. Ad tertiam eſt diſparitas: nam materia Sacramenti pœnitentiæ non eſt definita ad hæc, vel illa peccata, ſed eſt confeſſio vt ſic, nimirum, vel omnium mortalium, vel venialium, quæ pænitens confiteri voluerit, & ideò talem, & tantam materiam definire ſpectat partim ad conſciẽtiæ obligationem, partim ad voluntatem pœnitentis: at forma Sacramenti certa eſt, & determinata. Ideò &c.

14 Obijcies 2. Etiamſi perfecta ſit ſignificatio, dum quis dicit, *ego te baptizo*; nihilominus baptiſmus non eſt factus, niſi

Digitized by Google

niſi addatur *in nomine Patris, filij, & Spiritus Sancti*; ergo etiam licèt ſit perfecta ſignificatio conuerſionis vini in ſanguinem per illa verba. *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*, nihilominus alia verba erunt de ſubſtantia.

Reſpondeo hoc argumento nimis probari, probat enim, quod ſicut expreſſio perſonarum Trinitatis eſt de eſſentia formæ baptiſmi, ita illa verba formæ conſecrationis, nempe, *noui*, *& æterni &c.* ſint de eſſentia formæ conſecrationis, quod non admittunt aduerſarij: concedo igitur, quod baptiſmus non ſit perfectus, niſi addatur, *in nomine Patris &c.* ſed nego conſequentiam, quia forma baptiſmi debet eſſe expreſſa inuocatio Trinitatis; cum ſit non tantùm regeneratio, ſed profeſſio fidei, quę non militant in Sacramento Euchariſtiæ ideo &c.

15 Obijcies 3. Digitus etſi non ſit neceſſarius ad eſſentiam hominis, eſt tamen de integritate eiuſdem; ergo etiam, licèt illa verba, *noui, & æterni &c.* non ſint de eſſentia formæ conſecrationis, erunt de integritate eiuſdem. Confirmatur: quia ſi quis protrahat vltimam ſyllabam formę, hæc protractio non influit & tamen erit de integritate, & ſubſtantia formæ; ergo aliquid poteſt eſſe de integritate formæ Euchariſticæ, & non de eſſentia eiuſdem.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt: quia digitus informatur eadem anima, & eſt phyſicè vnitus cum alijs partibus, & proinde eſt pars integralis hominis; at in formis Sacramentorum, non alio modo eis tribuitur ea denominatio partis integralis, niſi quatenus concurrunt ad effectum Sacramenti; cum ergo illa verba *noui & æterni &c.* non concurrant ad ponendam Chriſtum in Euchariſtia, vt probatum fuit; ideo non poſſunt dici de ſubſtantia, & integritate formæ. Eodem modo dico ad confirmationem, ſi protractio vltimæ litteræ non influit: ſi verò dicatur quod protractio vltimæ litteræ influat, eo quod protractio reputetur eadem Sacramenti prolatio vltimæ litteræ, erit etiam pars eſſentialis, ſicuti prolatio vltimæ litteræ eſt eſſentialis; ſed meo iudicio probabilius eſt cum Vaſquez, quod talis protractio non influat, & quod effectus habeatur eo ipſo, quod ſufficienter eſt pronunciata vltima litera præciſa protractione.

ARTICVLVS III.

An verba conſecrationis proferantur recitatiuè, vel ſignificatiuè.

1 PRoferre verba recitatiuè, ſeu materialiter, eſt tantùm proferre illa tanquam ab alio dicta; vt ſi quis recitet tantùm, quod fecit Chriſtus in vltima cæna. Proferre verò formaliter, ſeu ſignificatiuè, & aſſertiuè tunc dicimus aliquid, quando verba proferimus cum intentione aliquid ſignificandi affirmando, vel negando. Hinc inſurgit difficultas, quomodo à ſacerdote verba conſecrationis proferantur, recitatiuè ne, an ſignificatiuè, an verò vtroque modo.

2 Prima ſententia tenet ſolùm recitatiuè proferri ſic Innoc. III. lib. 4. cap. 17. Durandus in 4. diſt. 8. qu. 2. ad 1. Maior qu. vnic. ad 2. Mirand. in Apolog. qu. 10. Salmeron. tom. 9. in Euang. tract. 113. & alij.

Secunda aſſerit proferri ſolùm ſignificatiuè, non recitatiuè. Sic Marſilius in 4. diſt. 6. ar. 1. ad. 6. Alexander, Gabriel, Richardus, & alii quos ſequuntur Vaſquez diſp. 200. cap. 2. & Amicus diſp. 24. ſec. 4.

Tertia ſententia eſt D. Thom. hic ar. 5. Nugni ibidem diff. 1. Gonet diſp. 7. ar. 4 & Thomiſtarum communiter. Suarez diſp. 58. ſec. 4. Coninch hic qu. 78. ar. 3. dub. 1. Lugi diſp. 11. ſect. 5. num 110. Arriagæ diſp. 40. ſec. 7. & plurium aliorum, hæc docet proferri, tum recitatiuè, tum ſignificatiuè.

3 Concluſio 1. Verba à ſacerdote non proferuntur tantùm recitatiuè. Probatur ex Concilio Florentino in decreto vnionis, vbi habetur. *Sacerdotem in perſona Chriſti loquentem conficere hoc Sacramentum* & ex Trid ſeſſ. 22. cap. 2. *Idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit*, & idem docet Amb. 4. de Sacra. c. 4. vbi habet. *Quando peruenit ſacerdos ad conficiendum Sacramentum iam non ſuis, ſed vtitur ſermonibus Chriſti*. Sed qui tantùm recitat verba alterius, non loquitur in perſona illius; ergo ſi Sacerdos offerens ſacrificium, & conſecrans loquitur in perſona Chriſti non profert verba tantùm recitatiuè: minor patet; nam referre, quod alter dixit, vel egit, non eſt loqui in perſona ipſius, vt de ſe conſtat.

4 Probatur 2. ex Trid. ſeſſ. 13. c. 4. vbi ex eo, quod Chriſtus id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè corpus ſuũ eſſe dixit, colligit Conciliũ nunc per conſecrationem tranſubſtantiari panem, & vinum in cor-

Digitized by Google

in corpus,& ſanguinem ipſius: ſed ſi verba à ſacerdote tantùm recitatiuè dicerentur, non poſſet concilium colligere quod per conſecrationem fiat tranſubſtantiatio; ergo tantùm recitatiuè non proferuntur: minor patet; nam recitare, quod fecit, & dixit Chhriſtus non eſt conuertere panem in corpus, aut vinum in ſanguinem Chriſti.

5 Dices cum Lugo, & Arriaga, hoc argumentum non eſſe efficax; nam poteſt reſponderi, Eccleſiam collegiſſe præſentiam Chriſti ex veritate verborum, quæ ipſe Chriſtus dixit, & conſequenter collegiſſe præſentiam Chriſti in noſtra Euchariſtia, quia Chriſtus dedit poteſtatem ſacerdotibus conficiendi hoc Sacramentum per hoc, quod recitarent eadem verba. Sed contra, quia Concilium ex eo, quod verè dixit id, quod offerebat, eſſe corpus ſuum, ideo colligit in noſtra Euchariſtia conuerſionem; ergo id colligit non ex eo præcisè, quod dedit poteſtatem ſacerdotibus, ſed ex eo, quod etiam nunc verba illa quæ proferuntur à ſacerdote, vera ſunt; ſed ſi dicerentur tantum recitatiuè, adhuc eſſent vera, etiamſi nunc non fieret conuerſio, vt patet, ſi quis narret factum Alexandri magni illa narratio erit vera, licet factum illud amplius non ſit in rerum natura; ergo cum à Concilio ex verbis Chriſti colligatur præſentia corporis eius in noſtra Euchariſtia, fatendum eſt non dici merè recitatiuè.

6 Concluſio 2. Verba eſſentialia conſecrationis dicuntur à ſacerdote, tum recitatiuè in perſona propria, tum ſignificatiuè in perſona Chriſti. Probatur primò ex contextu antecedentium verborum,& ex particula *enim* continuante ſenſum hyſtoricum. Nam in illis verbis *benedixit, fregit, deditque*, ſacerdos refert quid Chriſtus egerit, in verbis aut *dicens &c.* refert, quid dixerit; ergo etiam idem euenit in illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, quia non eſt ratio, cur relatio hyſtoriæ præcidatur, & prætermittatur.

7 Probatur 2. Si non dicuntur verba conſecrationis,& recitatiuè, & ſignificatiuè, maximè quia repugnet verba illa ſimul dici vtroque modo; ſed verè non ſolùm hoc non repugnat, ſed in familiaribus locutionibus hoc quotidie fit, vt cum dico D. Thomas dixit, quod & ego nunc dico, *Sacramenta Eccleſiæ ſunt ſeptem numero*, repeto, quod tu nuper dixiſti *obiectum beatitudinis eſt ſummum bonum* Ecce iſtæ locutiones dicuntur, & hyſtoricè, ſeu recitatiuè, & ſignificatiuè, ſeu aſſertiuè, vt de ſe patet; ergo etiam verba illa conſecrationis hoc pacto dicuntur. Vnde D. Thom. hic ar. 5. & ſuper caput 26. Matthei verſu 2. habet. *Dicendum, quod recitatiuè dicuntur,& ſimul recitatiuè & ſignificatiuè*,

8 Concluſio 3. Ad valorem conſecrationis non eſt neceſſe, quod verba proferantur recitatiuè. Probatur; nam ſi ſacerdos nulla alia verba proferat, ſed immediatè animo conſecrandi ſupra panem dicat. *Hoc eſt corpus meum*, valida erit conſecratio; quia in tali caſu adeſt vera materia, & vera, & eſſentialis forma cum debita intentione; ad faciendum autem verum Sacramentum nihil aliud requiritur, & tamen huiuſmodi verba non proferuntur recitatiuè; ergo ad valorem conſecrationis non eſt neceſſe, quod verba proferantur recitatiuè.

9 Obijcies primò Sacerdos, dum peruenit ad formam cõſecrationis exuit perſonam propriam, & loquitur in perſona Chriſti, vt plures Patres docent; & dictum fuit in prima concluſione, ergo non profert ea verba recitatiuè;conſequentia patet, quia recitare non eſt proprium perſonæ Chriſti, ſed ſacerdotis narrantis, quæ fecit, & dixit Chriſtus.

Reſpondeo quod quando Patres, & Concilia dicunt ſacerdotem conſecrantem loqui in perſona Chriſti non excludunt, quod etiam ipſe non loquatur, ſed volunt tantùm ſacerdotem tunc exuere perſonam puri hyſtorici narrantis; & aſſumere perſonam Chriſti, per hoc autem non negatur, quod adhuc ipſe non narret, quod Chriſtus fecit.

10 Obijcies 2. Proferre verba recitatiuè, & ſignificatiuè non poſſunt coniungi in eodem ſermone; ergo &c. antecedens probatur; per illos duos modos verba habent diuerſam ſignificationem; etenim, ſi ſacerdos referat, quod Chriſtus dixit, verba Conſecrationis deſignabunt illas numero ſpecies, quæ fuerunt in manibus Chriſti; ſi verò formaliter, & ſignificatiuè loquatur, deſignabũt ſpecies, quæ ſunt in manibus ipſius ſacerdotis; ergo illi duo modi inducunt diuerſitatem in ſignificatione.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, concedo habere diuerſam ſignificationẽ,ſed quæ de facto coniungitur in vno,& eodem ſermone: ad aliam probationem, nego ſacerdotem conſecrantẽ aſſerere, quod hæ numero ſpecies panis fuerint in manibus Chriſti, ſed aſſerit Chriſtum accepiſſe alium numero panem, ſuper quem protulit verba, quæ nunc ſacerdos profert; vnde recte ſaluatur, quod verba proferantur à ſacerdote, & recitatiuè, & ſignificatiuè.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Quid ſignificet pronomen Hoc, vel Hic.

1 TRactant hic plures Theologi an verba conſecrationis phyſicè inſtrumentaliter producant ſub ſpeciebus Euchariſticis corpus Chriſti, & pro quo inſtanti illud cauſent; verùm hæc remanent ſoluta ex dictis de Sacramentis in communi qu. 3. ar. 3. 4. & 5. vnde non opus eſt iterum eadem repetere. Difficultas igitur propoſita deſumitur ex illa particula *Hoc*, nam vel ly *Hoc*, dum profertur ſignificat panem, & ſic falſa erit propoſitio, quia panis non eſt corpus Chriſti, vel ſignificat accidentia, & eadem eſt ratiò, quia neque accidentia panis ſunt corpus Chriſti, vel ſignificat corpus Chriſti, & neque hoc: quia, dum profertur *hoc* cum ibi non ſit corpus Chriſti, neque etiam poterit vllo modo demonſtrari per pronomen *Hoc*; & quod dicitur de *Hoc* in conſecratione corporis, dicitur de *Hic* in conſecratione ſanguinis.

2 Prima ſententia docet ly, *Hoc*, ſignificare panem, non quidem, qui permaneat, ſed qui conuertitur in corpus Chriſti in fine propoſitionis, & quando profertur *Hoc* panis ſit ſignum Chriſti ibi futuri. Sic Bonauent. in 4. diſt 8. part. 2. ar. 1. qu. 1. & Alexander in 4. quæſt. 10. Secunda vult per ly *Hoc*, demonſtrari accidentia panis, quia tantùm hæc cadunt ſub ſenſum, & perſeuerant eadem vſque ad finem conſecrationis. Sic Aureolus in 4. diſt. 8. qu, 2. ar. 2.

Tertia ſententia vult pronomen *Hoc*. formaliter deſignare aliquid commune ſubſtantiæ panis, & corporis Chriſti, commune quidem non ſecundùm rem, ſed ſecundùm rationem *contenti ſub his ſpeciebus*, ita vt ſit ſenſus, *hoc, quod ſub his accidentibus continetur, eſt corpus meum* Sic D. Thom. hic art. 5. & in 4. diſt. 8. qu. 2. ar. 1. quæſtiunc. 4. ad 1. Ioan. à S. Thom. hic diſp. 19. ar. 1. Gonet diſput. 7. ar. 4. §. 3. Syluius 3. p. qu. 78. ar. 1, quær. 1. & Thomiſtæ communiter. Scotus in 4. diſt. 8. qu. 1. Lauræa diſp. 19. de Euchar. ar. 4. Suarez hic diſp. 58. ſec. 7. Vaſquez diſp. 210. c. 4. Lugus diſp. 11. ſec. 4. Amicus diſp. 24. ſec. 3. Arriaga diſp. 40. ſec. 8. qui aduertit cum Suarez, quod differentia, quæ videtur eſſe inter aliquos Doctores, cum aliqui velint ly, *Hoc*, debere ſumi ſubſtantiuè, alij adiectiuè, eſt de nomine, non de re, cum verè omnes in explicatione ſententiæ propriæ in idē conueniant.

3 Concluſio prima. Reijciuntur duæ priores opiniones. Prima ſic reijcitur; ſi ly, *Hoc*, ſignificat panem, vel eſſet panis, vt permanens in fine rationis, vel panis deſtructus: ſed neutrum poteſt dici; ergo &c. maior patet: probatur minor, quod non ſit panis permanens; quia de pane non prædicatur corpus Chriſti, cum falſum ſit, quod panis ſit corpus Chriſti; ergo pronomine *Hoc*, non poteſt denotari panis permanens: neque poteſt eſſe panis deſtructus; nam panis deſtructus non eſt in rerum natura; ergo non poteſt dici, quod ſit corpus Chriſti, quia, quod, non eſt, non identificatur cum corpore Chriſti verò, & realiter exiſtente.

4 Dices, non denotari panem, neque exiſtentem in fine prolationis, neque deſtructum, & non exiſtentem, ſed denotari panem, qui tranſit in corpus Chriſti; ex quo deducit Arriaga, rationem factam nun eſſe efficacem ad probandum intentum, vnde, ſi non haberemus clariorem explicationem, nos non habere rationem vllam ad hanc reijciendam. Sed contra quomodocumque denotetur panis, de ipſo affirmaretur, quod ſit corpus Chriſti: ſed quomodocumque ſumatur, & denotetur panis falſum eſt, quod ſit corpus Chriſti; ergo, quomodocumque ſumatur, numquam, niſi falsò poteſt affirmari, quod ſit corpus Chriſti. Contra ſecundò: quando dicitur denotari panem, qui tranſit: vel panis, qui tranſit eſt adhuc verè panis, vel non eſt, & eſt deſtructus: ſi eſt; ergo de pane prædicatur, quod ſit corpus Chriſti; ſi non eſt; ergo de aliquo, quod non eſt, prædicatur corpus Chriſti verum, & exiſtens, quod ex ſe patet eſſe falſiſſimum.

5 Eadem ratione conuincitur falſitas ſecundæ opinionis, cum falſum ſit accidentia panis eſſe corpus Chriſti; ergo ly, *Hoc*, non poteſt denotare accidentia panis.

6 Dices ly, *eſt*, non ſignificare identitatem accidentium panis cum corpore Chriſti, ſed ſolùm continentiam; ita vt idem ſit dicere *hoc eſt corpus meum*, ac, *Hoc continet corpus meum.* Sed contra; quia hoc eſt deſtruere veram ſignificationem verbi *eſt* & veram tranſubſtantiationem, quæ tamen ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. ex verbis formæ colligitur; ergo neque hæc opinio vllo modo eſt admittenda.

7 Concluſio 2. Pronomen, *Hoc*, ſignificat contentum ſub ſpeciebus in fine prolationis verborum eſſe corpus Chriſti. Probatur; nam iuxta hanc explicationem ſaluatur veritas illius propoſitionis, verba enim in recta, ac propria ſignificatione accipiuntur, & inſuper explicatur conuerſio, quam talia

verba

Digitized by Google

verba ſignificant, & efficiunt; ergo huiuſmodi explicatio eſt tenenda: probatur antecedens, quo ad primam partem: nam vel pronomen, *hoc*, ſumitur ſubſtantiuè, vel adiectiuè; ſi ſubſtantiuè, vt videtur ſumi, cum ſit integrum ſubiectum propoſitionis, demonſtrat in confuſo ſubſtantiam ſub illis accidentibus contentam; ſi adiectiuè ſemper intelligitur aliquid aliud commune; vt cum dicitur, *hic eſt ſanguis*, ſubintelligitur, *hic potus eſt &c.* & cum dicitur, *hoc eſt corpus*, ſubintelligitur *hoc edulium*; imo etiam abſque eo, quod quicquam ſubintelligatur, ſumuntur adiectiuè, quatenus *hic* concordat cum ly *ſanguis*, & *Hoc* cum ly *corpus* quemadmodum dicere ſolemus, *hic eſt Petrus, eſt meus frater*, & huiſmodi: ſed ſi ſic ſumantur ly *Hoc*, & *Hic* ſemper ſaluatur veritas illius propoſitionis; ergo tam adiectiuè, quam ſuſtantiuè poſſunt ſumi: probatur minor: nam in huiuſmodi locutionibus practicis in quibus res, quæ ſignificatur non ſupponitur, ſed fit, pronomina demonſtratiua non demonſtrant rem ad ſenſum in principio, ſed in fine locutionis; etenim cum dicant habitudinem ad prædicatum, à quo in ſua ſignificatione determinantur, non poſſunt habere determinatam ſignificationem, niſi in fine completæ locutionis: ſed in fine prolationis verborum verè adeſt ſub accidentibus corpus Chriſti, ergo in fine prolationis verborum ſaluatur veritas propoſitionis.

8 Dices. Pronomen, *Hoc*, deſignat contentum ſub ſpeciebus; quando ipſum profertur: ſed quando, *Hoc* profertur, contentum ſub ſpeciebus eſt ſubſtantia panis; ergo hanc ſignificabit. Sed contra, reſpondeo quod pronomen, *hoc*, duobus modis accipi poteſt, primò ſecundùm ſe, vt eſt quidam ſimplex terminus, & hoc modo non habet determinatam ſignificationem, ſed vagam & indefinitam: ſecundò conſiderari poteſt vt eſt terminus, & ſubiectum propoſitionis, cuius ſignificatio determinatur à prædicato: pronomen ergo, *Hoc*, vtroque modo conſideratum non ſignificat, cum primùm profertur, ſubſtantiam panis; non primò modo conſideratum, quia tunc habet ſuſpenſam ſificationem, indefinitam, & vagam; neque ſecundo modo; quia vt ſubiectum debet determinari à prædicato: deſignat ergo, vel hoc ens, vt ſentit Scotus, vel ſecundùm alios, quod tamen in idem recidit, hoc ſenſibile, vel hoc contentum ſub ſpeciebus, in fine autem prolationis determinatur à prædicato, quod eſt corpus Chriſti; Ideo abſoluto prædicato pronomen illud, *Hoc*, ſignificat corpus Chriſti ſub his accidentibus contentum, & ſenſus eſt, *Hoc contentum ſub ſpeciebus eſt corpus Chriſti*.

9 Confirmatur. Si Deus conferret virtutem creandi aurum his verbis, *Hoc eſt aurum*: pronomen, Hoc, non poſſet demonſtrare, niſi ſolùm aurum; cum nullum ante ſupponatur ſubiectum, quod poſſit demonſtrari; ergo non eſt neceſſe, quod demonſtret aliquid, dum profertur, ſed ſufficit, ſi illud demonſtret in fine prolationis verborum; cum verò in noſtro caſu ſubiectum adſit, ſufficit, ſi illud indefinitè ſub ratione contenti ſignificet.

10 Quod autem iuxta prædictam explicationem aptè ſignificetur conuerſio patet, quia verba efficiunt, vt contentum ſub his ſpeciebus ſit corpus Chriſti, quod verba aptè ſignificant;

11 Obiicies primò. Pronomen: *Hoc*, dum profertur aliquid ſignificat, & dum profertur non poteſt aliud ſignificare, niſi id, quod continetur ſub ſpeciebus, ſed illud quod cõtinetur ſub ſpeciebus dũ profertur non eſt corpus Chriſti, nec vnquam erit, aut poterit identificari cũ corpore Chriſti; ergo ly Hoc, dum profertur, non poteſt ſignificare contentum ſub ſpeciebus.

Reſpondeo, quod pronomen, *Hoc*, dum profertur ſignificat, quod contentum ſub ſpeciebus in fine prolationis verborum eſt corpus Chriſti, ſeu clarius, quod continebitur ſub illis ſpeciebus in fine prolationis verborum eſt corpus Chriſti.

12 Obiicies ſecundò. Hæc propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, eſt propoſitio practica, quæ efficit, quod ſignificat: ſed non eſſet practica, ſi pronomen, *hoc*, ſupponeret pro corpore Chriſti; ergo pro illo ſupponere non poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: non eſſet practica, ſi ſupponeret pro corpore Chriſti iam facto, & explicitè, & clarè; concedo minorem: ſi ſupponeret pro corpore Chriſti per conuerſionem ponendo, implicitè, & confusè, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: nam ly *Hoc*, ſupponit pro corpore Chriſti in confuſo ſub ratione contenti per conuerſionem ponendo in fine prolationis verborum.

ARTICVLVS V.

An per plures formas conſecrationis poſſit ſimul conſecrari eadem materia.

1 NAſcitur hæc difficultas ex praxi Eccleſiæ. Primò in ordinatione Sacerdotum, qui vt conſtat

Digitized by Google

ex nouo Pontificali edito iuſſu Clementis VIII. cuius ritum præcipit Pontifex ab omnibus Epiſcopis obſeruari, debent omnes Sacerdotes, dum ordinantur, ſimul cum Epiſcopo ordinante conſecrare eamdem materiam. Secundò in conſecratione Epiſcopi, in qua Epiſcopus conſecratus ſimul cum conſecrantibus verba profert conſecrationis, vt habetur in Pontificali. Tertiò in ſummo Pontifice, quo ſolemniter celebrante Presbyteri Cardinales olim concelebrabant, & idem ritus ſeruabatur in Sacerdotibus, qui Epiſcopo ſolemniter celebranti aſſiſtebant, vt tradit Innocentius lib. 4. de myſterijs Miſſæ cap. 25. ſed tunc iſti duo caſus non ſunt in vſu, vt notat Suarez de Sacramentis diſp. 71. ſec. 3. Quartò ex vſu recepto apud Græcos Sacerdotes, qui in miſſa ſolemni, dum celebranti aſſiſtunt, eamdem hoſtiam, & vinum conſecrant, teſte Molfeſio in ſumm. tract. 2. cap. 10. num. 41. Extra hos caſus numquam licet; & ſi plures Sacerdotes eamdem Hoſtiam vellent conſecrare, ſacrilegè peccarent, & poſſent ab Inquiſitoribus puniri, & ab eis inquirere, quid ſentiant de Miſſæ ſacrificio, vt notat idem Molfeſius.

Quādo liceat pluribus eamdē hoſtiam cōſecrare,

2 Quare, ſtante hac vniuerſali conſuetudine Eccleſiæ fatendum eſt, poſſe plures Sacerdotes eamdem materiam ſimul conſecrare, & temeritatis ab omnibus Catholicis, notantur Durandus in 4. diſt. 13. q. 3. & quidam alij, qui auſi ſunt huiuſmodi conſuetudinem apertè improbare; & nunc præſertim hæc Durandi opinio eſt temeraria, cum apertè ſe opponat non ſolùm conſuetudini vniuerſali Eccleſiæ, tam Græcæ, quam Latinæ, ſed etiam præcepto Summi Pontificis præcipientis in ordinatione Sacerdotum eam conſuetudinem obſeruari.

3 Maior difficultas inter Theologos eſt, quomodo poſſint Sacerdotes, qui ordinantur ſimul cum Epiſcopo conſecrare; nam cum moraliter ſit impoſſibile, quod plures, vt fit in publicis ordinationibus, ſimul proferant verba conſecrationis, & quod vnus non perficiat prolationem formæ prius, quam alius, poſſet euenire caſus, quod aliquis priuſquam Epiſcopus perficiat verba, proferat totam formam, & ſic Epiſcopus non conſecrabit, & inſuper proferendo verba ſuper materiam iam conſecratam peccaret, vel è contra, ſi Epiſcopus prius proferat verba, quam alij formam conſecrationis abſoluant. Vt hæc difficultas ſoluatur variæ recitantur opiniones.

Nodus difficultatis qualis ſit.

4 Prima ſententia docet omnes Sacerdotes tunc conſecrare, quia omnes dirigunt ſuam intentionem ad illud inſtans, in quo Epiſcopus abſoluit, quod ſi præueniant, intendunt tantùm materialiter verba proferre. Sic Innocent. lib. 4. de myſterijs miſſæ cap. 25. D. Thom. infra quæſt. 82. art. 2. Paludanus in 4. diſt 13. q. 4. ar. 2. Soto, Ledeſma, & alij ibidem, & varij Thomiſtæ; ſic etiam ſentit Lauræa de Euchariſtia diſp. 24. art. 4. nu. 51.

Secunda ſententia docet Epiſcopum tantùm formaliter conſecrare, Sacerdotes verò concelebrantes ſolùm materialiter. Sic Richardus in 4. diſt. 13. ar. 2. quæſt. 1. Angelus ver. Euchariſtia, in quam propendit Suarez diſp. 61. ſec. 3. in fine, & Caiet. 3. par. q. 82. ar. 2. quatenus vult Sacerdotes concelebrantes non debere habere intentionem, neque conſecrandi, neque non conſecrandi, ſed *Intendo dicere hæc verba cum ea intentione, quam debeo.*

Tertia ſententia docet, omnes habere intentionem ſaltem conditionatam conſecrandi, & non recitandi ſolùm materialiter illa verba, ex eo quod nemo certus eſt, dum profert vltimam ſyllabam, quod illam proferat ſuper materiam conſecratam. Sic Lugus diſp. 11. ſec. 8. nu. 172. Amicus diſp. 24. ſec. 7. qui citat Sotum, & Vaſquez.

Quarta ſententia eſt Suarez diſput. 61. ſec. 4. in fine, & Coninch. q. 81. art. 2. qui volunt Sacerdotes concelebrantes debere habere hanc intentionem conditionatam, nimirum aut conſecrandi ſimul cum Epiſcopo, aut ſi abſoluant verba prius, vel poſterius, quam Epiſcopus, non conſecrandi, niſi materialiter; & hoc ad vitanda omnia incommoda, quæ hinc poſſent oriri.

Quinta ſententia vult omnes Sacerdotes ſimul cum Epiſcopo conſtituere moraliter vnum miniſtrum conficiendæ Euchariſtię, & proinde, etiam ſi vnus prius abſoluat verba, quam alius, nihil officere, quia moraliter eſt vnica forma conſecrationis. Sic Marchinus noſter de ordinibus in particulari tract. 2. part. 8. cap. 10. Arriaga diſp. 4. ſec. 9. & alij. In hac opinionum varietate.

5 Concluſio prima. Si formæ in eodem inſtanti abſoluantur ſupra eamdem materiam, etiam ſimul efficiunt Sacramentum. Probatur, quia omnes conſecrantes ſupponuntur legitimi miniſtri, item ſupponitur eos proferre veram formam cum recta intentione conſecrandi veram materiam non conſecratam; ergo ſi ſimul omnes formam abſoluant ſuper eamdem materiam, omnes ſimul eamdem conſecrabunt; & hoc nōn vertitur in dubium, ſed ſupponitur tam-

Digitized by Google

tamquam certum ab omnibus; an verò dicendæ ſint cauſæ totales, vel partiales, eſset quæſtio de nomine; dicerem tamen eſse omnes miniſtros cauſas totales inſtrumentales Dei, qui poteſt vti ſimul pluribus inſtrumentis ad eumdem effectum producendum, & in hoc nulla, vel leuis eſt repugnantia, vt ſuppono ex phyſicis.

6 Concluſio ſecunda. Prima, & ſecunda ſententia non ſaluant incommoda, quæ poſſunt oriri. Probatur de prima, quia, vel Sacerdotes, dum verba proferunt, habent intentionem abſolutam conſecrandi; vt vult Paludanus, & hoc modo eſt impoſſibile, quod talis intentio poſſit pertrahi vſque ad inſtans, in quo abſoluit Epiſcopus, ſed ſtatim, ac primus verba abſoluit, conſecrat; ergo alius, qui poſtea abſoluit verba, non conſecrat: probatur antecedens; quia quod Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus, non eſt in libera poteſtate Sacerdotis, niſi in cauſa, quatenus in ipſius poteſtate eſt proferre verba, & habere intentionem: at ſi proferat verba, habeat veram intentionem, & materia apta ſit præſens, non eſt amplius in poteſtate operantis, quod non ſequatur effectus, ſicuti in phyſicis, ſi adſint ſtuppa, & ignis, eſt in poteſtate mea appiicare, vel non applicare ignem ſtuppæ; at ſi applicauero, non erit amplius in mea poteſtate, quod ignis nō comburrat ſtuppam, ſed comburret, quia eſt cauſa phyſica, ita in propoſito.

7 Dices cum Paludano, quod virtus talium verborum conſeruatur in aere vſque ad illud inſtans, Eccleſia ex congruenti cauſa hoc permittente, vt vult Valentia hìc quæſt. 10. part. 2. Sed contra, quia hæc omnino ridicula ſunt, & ſine fundamento conficta, vnde à Durando, & alijs Paludanus irridetur; neque reſponſio Valentiæ eſt melior; nam Eccleſia non habet poteſtatem ſuſpendendi talem effectum; vnde, ſicuti quis non poteſt dicere, volo nunc ſeriò proferre verba cum vera intentione baptizandi, volo tamen, quod gratiæ effectus producatur, niſi poſt quatuor, vel quinque inſtantia; ita nec poteſt dicere, volo verè cum vera intentione proferre verba conſecrationis ſuper debitam materiam, nolo tamen, quod præſens ſit Chriſtus, niſi poſt quatuor, vel quinque inſtantia, vel niſi pro illo inſtanti, in quo abſoluit Epiſcopus, vel vltimus.

8 Si verò dicatur, quod Sacerdos non habeant intentionem conſecrandi, niſi pro tali inſtanti, quo vltimus, vel Epiſcopus perficit. Contra; quia ex hoc ſequitur illos, qui prius verba abſoluūt, non conſecrare, ſed tantùm Epiſcopum, vel vltimum, ſi etiam Epiſcopus hanc haberet intentionem: Hoc autem eſt valde durum; nam ſi vellent vltimum, excluderetur Epiſcopus ab illa intentione, qui ordinariè primò abſoluit. Si autem dicatur Sacerdotes referre intentionem ad inſtans, in quo abſoluit Epiſcopus, ſequitur, quod tantùm Epiſcopus conſecret, non alij, niſi illi, qui caſu in eodem inſtanti perficerent. Inſuper de hac intentione non conſtat in cæremoniali, imò admonentur omnes, vt cum Epiſcopo conſecrent.

9 Secunda ſententia ſic reijcitur; quia ſi non habent intentionem conſecrandi, ad quid dicunt verba conſecrationis? tum quia in Pontificali præcipitur Epiſcopo, vt clarè, & paulatim verba proferat, vt poſſint alij dicere; & redditur ratio, quia etiam alij conſecrant; ergo dici non debet alios præter Epiſcopum non habere intentionem conſecrandi.

10 Concluſio tertia. Neque tertia, & quarta ſententia ſaluat incommoda: has duas opiniones ſimul reijcio; nam licèt prima facie videantur diuerſæ, tamen ambæ fundantur in voluntate conditionata conſecrandi: ſed de hac conditione non admonentur noui Sacerdotes, ſed eis dicitur, vt habeant intentionem conſecrandi, & ſimul cum Epiſcopo recitent verba; ergo hæc voluntas conditionata nō ſaluat incommoda: nam adhuc ſequitur, quod plures non conſecrent: Secundo intentio Sacramētorum debet eſſe abſoluta, nec eſt in poteſtate conſecrantis ſuſpēdere effectum, vt ſupra probatum fuit. Tertiò etiam Epiſcopus deberet habere hanc voluntatem conditionatam; nam non magis verba Epiſcopi, quam ordinatorum ſunt efficacia; ergo, ſi alij, vt ritè faciant debent cum Epiſcopo conditionatè intendere, etiam Epiſcopus, vt ritè conſecret, deberet cum alijs conditionatè intendere, nè iſti in conſecrando committant ſacrilegium; & cum ſeriò admoneantur, nè præueniant Epiſcopum, ſignum eſt, ab Eccleſia iudicari eos conſecraturos, ſi præuenirent Epiſcopum.

11 Concluſio quarta. Clarius ſaluantur incommoda, ſi dicamus omnes Sacerdotes conſtituere moraliter cum Epiſcopo vnum miniſtrum conficiendę Euchariſtiæ, eo modo, quo dicit quinta opinio. Probatur: quando plures miniſtri faciunt moraliter vnum, intendunt omnes ſimul conficere eamdem Euchariſtiam: vnde licet vnus proferat citius formam, quam alius perficiat, nihilominus, qui nec dum perfecit non repetit totam formam, ſed tantùm profert

Digitized by Google

verbum, quod debebat perficere; quare ſicuti, dum aliquis ſolus conſecrat, ſi prolata verba cum vera intentione ſuper materiam, iterum eadem vellet proferre cum vera intentione repetendo *Hoc eſt corpus meum*, peccaret, quia ea proferret ſuper materiam iam conſecratam; ſi tamen poſt prolatum vltimum verbum, *meum*, iterum repeteret, *meum*, non per hoc repeteret formam, ita cum conſecratio, quæ fit à pluribus, ſit per modum vnius, idem iudicium debemus facere de eo, qui vltimo dicit, *meum*, ac de illo, qui ſolus conſecrat, & repetit, *meum*: ſed, qui ſolus repetit, *meum*, non per hoc repetit formam, aut peccat, ſi ex conſcientia inuincibiliter erronea illud repetat; ergo nec Sacerdotes per modum vnius conſecrantes, etiam ſi vnus poſt alium dicat, *meum*, repetunt formam, aut peccant, ſed efficiunt tantùm id, quod eis præcipit Eccleſia.

12 Obijcies primò. Quando ab aliquo prolata eſt tota forma, vel ſit præſens Chriſtus in tali inſtanti, vel ſit tantùm præſens, quando vltimus profert, & perficit formam: ſi primum dicatur; ergo reliqui non conſecrant, ſed tantùm primus, qui perficit; ſi verò dicatur ſecundum; ergo ſuſpenditur intentio aliorum vſque ad tale inſtans, quod ſupra impugnauimus.

Reſpondeo, quod eo ipſo, quod ab aliquo prolata eſt forma, ſit præſens Chriſtus; nego autem, quod reliqui moraliter non conſecrent; cum omnes ſe habeant per modum vnius inſtrumenti moralis ſubordinati Deo tamquam primo, & principali agenti.

13 Obijcies ſecundò. Eo ipſo, quod perfectè prolata eſt forma, ſit præſens Chriſtus; ergo ſacrilegè alij intendunt cõſecrare perficiendo ſinguli propriam formam.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia in eo caſu nullus profert ſcienter vltimum verbum poſt alios, ſed quilibet facit quantùm eſt in ſe, vt ſimul perficiat cum aliis; habent autem eam intentionem ex mandato Eccleſiæ, quæ vult, vt omnes ſimul cum Epiſcopo cõſecrent; & hæc in re ita obſcura. Exiſtimo etiam intentionem conſecrantium in praxi hanc eſſe legitimam. Volo conari perficere formam conſecrationis pro eo inſtanti, quo eam perficit Epiſcopus, quod ſi à me tunc non perficiatur, cùm iam præſens ſit Chriſtus, mea intentio eſt ſolùm talis, qualis debet eſſe; & hanc puto eſſe mentem D. Thom. & quod monuit Caietanus.

QVÆSTIO VII.

De effectibus, vſu, & miniſtro Euchariſtiæ.

QVÆ D.Thom. à quæſtione 79. vſque ad 82. tractat, ex ſe facilia ſunt, & potius ad caſus conſcientiæ ſpectantia, quam ad Theologiam ſpeculatiuam; vnde nos omnia vnica quæſtione concludemus; primò inueſtigantes effectus præcipuos huius Sacramenti; deinde ea, quæ ſcitu erunt digna circa miniſtrum, & ſumptionem huius Sacramenti explicabimus.

ARTICVLVS I.

Quinam ſint præcipui effectus Euchariſtiæ.

1 TRibus modis recipi poteſt Chriſtus in Euchariſtia, vt docet Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. primò ſpiritualitèr tantùm, vt cum quis deſiderat Chriſtum actu ſumere: ſecundò ſacramentalitèr tantùm, vt cum quis in peccato mortali recipit hoc Sacramentum, ſed non recipit gratiam, imò peccat. Tertiò ſacramentaliter, & ſpiritualiter, quo pacto exiſtens in gratia, & recipiens Sacramentum, nõ tantùm recipit Chriſtum, ſed etiam recipit Sacramenti effectus, & de effectibus, qui cauſantur à Sacramento hoc tertio modo ſumpto, hic quærimus; nam ſecundo modo ſumptum non ſolùm non cauſat gratiam, ſed affert mortem; & primo modo non cauſat gratiam ex opere operato, ſed ſolùm ex opere operantis.

2 Primus Euchariſtiæ effectus, quem habet ex ſe, & ex ſua propria inſtitutione eſt conferre gratiæ augmentum. Sic D.Thom. hic q. 79. ar. 1. & communiter omnes alij Theologi. Colligitur ex ſcriptura Ioann. 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Vita autem ſpiritualis habetur per gratiam; & hæc veritas eſt definita in Florent. ſeſſ. vltima, & Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. Porrò hanc gratiam confert ex opere operato, vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 7. can. 8. vbi habet: *Si quis dixerit per ipſa noua legis Sacramenta non conferri gratiam ex opere operato: anathema ſit.* Quod autem hæc gratia, quæ ex ſua inſtitutione confertur ab Euchariſtia ſit gratiæ augmentum patet, quia datur per modum cibi: ſed cibus ſupponit vitã in eo, qui cibatur; ergo cũ gratia, quæ datur per Euchariſtiam, ſit per modum cibi, ſemper erit augmentum gratiæ. An verò Euchariſtia poſſit aliquando producere primam gratiam, pendet ex his, quæ diximus de Sacramentis in *Primus effectus eſt augmẽtum gratiæ.*

com-

Digitized by Google

communi, quæſt.3.ar.6. videantur, quæ ibi dicta ſunt.

3 Secundus effectus huius Sacramenti eſt gloria animæ, quando datur ſuo tempore. Conſtat ex illo Ioann.6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vita autem æterna eſt gloria. Vnde Trid. ſeſſ.13. cap.2.dicit: *Pignus præterea id eſſe voluit futuræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis.* Varijs autem titulis dicitur cauſare gloriam animæ. Primò, quia cauſat gratiam; gratia autem eſt ſemen gloriæ: Secundò, quia cauſat perſeuerantiam; hæc autem eſt veluti ianua, qua intramus in gloriam. Tertiò, quia eſt memoriale paſſionis Chriſti, qui ſua morte æternitatis nobis aditum deuicta morte reſerauit, vt orat Eccleſia in Paſchate. Quartò, quia eſt teſtamentum in morte confirmatum: teſtamentum autem dat ius ad hæreditatem; vnde ad Hæbreos 9. *Noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente &c. Qui vocati ſunt, accipiant repromiſſiones æternæ hæreditatis.* Quintò, quia eſt viaticum, & dat robur perueniendi ad Patriam. Vnde Chryſoſt.lib.6.de Sacerdotio ait: *Animas eorum, qui hoc Sacramentum in fine vitæ ſuſcipiunt, ab Angelis propter aſſumptum illud Sacramentum rectà ad Cælum via deduci: eorum verò corpora ſatellitum more ſtipantibus Angelis in vitam æternam cuſtodiri.*

Quibus titulis cauſet gloriã.

4 Tertius effectus huius Sacramenti eſt dare gratiam actualem, qua ardor charitatis excitatur, & reficere animam cum quadam dulcedine, & gaudio ſpirituali. Sic D. Thom. hic art.1. ad 2. & plures Sancti Patres idem docent, & hãc gratiam, & dulcedinem ſpiritualem experiuntur ſæpius animæ puræ. Notandum tamen eſt cum Caietano, quod Euchariſtia non ſemper cauſat hanc delectationem, & feruorem ſpiritualem, præſertim ſenſibilem in exteriores etiã potentias redundantem, ſed ſolùm dum expedit ad augmentum gratiæ, & virtutum, & cum nullum ponitur impedimentum, qùale eſt, dum quis diſtractus ad hoc Sacramentum accedit.

5 Quartus effectus huius Sacramenti eſt delere venialia, & præſeruare à mortalibus. Hoc habetur ex Trid. ſeſſ. 13.cap.2.dicente, eſſe *Antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur.* Ex duplici autem capite tollit peccata venialia, vt docet D. Thom. hìc ar.4. primò ex ipſa ratione gratiæ cibantis, & nutrientis: ſicut enim cibus reparat, quod quotidiè per calorem naturalem deperditur; ſic gratia cibans reſtaurat, quod quotidiè per peccata venialia de feruore charitatis deperditur. Secundò remittit venialia excitando feruorem charitatis, quo peccata venialia tolluntur, vt dictum fuit in tractatu de gratia. A peccatis verò mortalibus præſeruat, in quantùm interius anima per gratiam, & dona ab hoc Sacramento cauſata roboratur tamquam à ſpirituali cibo, & exteriùs expellendo impugnationes dæmonum: Vnde Pſal. 21. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant me:* Et Eccleſia canit:

O ſalutaris Hoſtia.
Quæ Cæli pandis oſtium
Bella premunt hoſtilia
Da robur fer auxilium.

6 Quintus effectus eſt vnio ſpiritualis inter Chriſtum, & fidelem, qui Sacramentum recepit. Vnde ad Cor.10, *Vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus.* Hæc tamen vnio non eſt hypoſtatica, non continuatiua, non materiæ, & formæ, aut vlla alia phyſica; certum enim eſt huiuſmodi vnionem non dari. Eſt igitur, quia per receptionem huius Sacramenti, Chriſtus realitèr intra ſumentem conſtituitur, & ſuo contactu quodamodo corpora noſtra ſanctificat; & Chriſtus cenſetur habere ſpecialem curam eius, qui illum hoſpitio recepit; & tertiò, quia per effectum anima cum Chriſto realiter præſente colloquitur, & ſpeciali quodam modo vnitur.

7 Sextus effectus eſt remittere aliquam pænam temporalem; non quidem directè ex vi Sacramenti, ſed conſequẽter, & concomitantèr. Ita D Tho. hic art,5. Ratio primi eſt, quia hoc Sacramentum non eſt per ſe inſtitutum ad remittenda peccata, ſed ad nutriendum, & roborandum per modum cibi; remittit ergo pænam concomitanter, & ex conſequenti. Tùm quia aliquando poteſt cauſare primam gratiam non cauſatur autem vmquã prima gratia, quin etiam cõmutetur pœna æterna in temporalem; Secundò, quia per hoc Sacramentum excitatur feruor charitatis, quo remittitur peccatum veniale, non remittitur autem peccatum aliquod, niſi etiam aliqualis pœna relaxetur: Tertiò ſi conſideretur hoc Sacramentum ſub ratione ſacrificij, ſic habet rationem ſatisfaciendi, & placandi Deum, vt infrà dicemus, cum de Miſſæ ſacrificio.

8 Septimus effectus eſt mitigare fomitem appetitus ſenſitui, & cauſare reſurrectionem corporis. Mitigat autem fomitem appetitus ſenſitui excitando in nos feruorem charitatis, vnde in Catechiſmo Rom. iuſſu B. Pij V. edito de hoc Sacramento dicitur. *Dum Charitatis igne animos magis incendit, concupiſcentiæ ardorem exſtinguat neceſſe eſt.* & idem

dicit

Digitized by Google

dicit D. Tho. hic art.6. ad 3. cum Auguſtino. Secundò mitigat fugando dæmones, & præſeruando à peccatis, vt ſupra dictum fuit.

9 Quod verò cauſet etjam reſurrectionem corporis eſt doctrina plurium Sanctorum Patrum, quos ad longum allegat Suarez diſp.64.ſect.2. & probatur ex illo Ioan.6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Vnde D. Tho. in cap.6. Ioan. lect.7. ex Auguſtino habet. *Verbum reſuſcitat animas, ſed Verbum caro factum reſuſcitat corpora.*

10 Quomodo autē reſurrectio corporis dicatur ſpecialis effectus huius Sacramenti, plura ab auctoribus dicuntur. Cenſeo id eſſe, quia perſeuerantia in gratia, & gloria ipſa eſt peculiaris effectus huius Sacramenti, vt dictum fuit; ergo, & gloria corporis, & reſurrectio, quæ debetur animæ beatæ: tum quia caro Chriſti verbo vnita contactu ſuo viuificat; cum ergo, qui dignè communicant, intra ſe ſumant veram Chriſti carnem, ſicut ex eo, quod Virgo beatiſſima in ſuo vtero nouem menſibus Chriſtum habuit, meruit, vt poſt tres dies reſurgeret; ità conueniens quodammodo eſt, vt qui dignè corpus Chriſti ſuſcepit etiam ſuo tempore reſurgat. Sic arguit Lugus.

Reſurrectio corporis cur ſpecialis effectus huius Sacramēti.

ARTICVLVS II.

Quando nam Euchariſtia producat gratiam in anima.

1 EVchariſtiam non producere gratiam, niſi manducetur, certum eſt inter Theologos, & conſtat ex illo Chriſti. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; & gratia non eſt promiſſa, niſi ſoli manducationi; vnde non confertur per hoc, quod videatur, aut aliquo modo Sacramētum tāgatur, ſed ſolùm cum Sacramentum manducatur. Verùm adhuc difficultas eſt, in quo propriè conſiſtat manducatio, an ſufficiat, quod Sacramentum in ore ſumatur, vel neceſsè ſit, quod per guttur traijciatur ad ſtomachum; vel tertiò, an Sacramentum gratiam cauſet, quando ſpecies ſunt in ſtomacho, & ibi per calorem digeruntur.

Sẽſus quæſiti.

2 Et quidem nullo modo eſt admittendum, ſpecies manducari eo ipſo, quod ſunt in ore, vel dentibus atteruntur, quidquid dicat Vaſquez diſp.203. cap.2. quo in loco, vt notat Lugus, ſibi contradicit, dum aſſerit verè manducari Sacramentum per hoc, quod ore ſumatur; incertum autem eſſe, an talis eſſet recepturus gratiam, ſi moreretur antequam ſpecies deglutiret; Etenim ſi certum eſt eum, qui ore accipit ſpecies, illas manducare, certum etiam erit, ipſum recipere gratiam, cum Chriſtus eam infallibilitèr promiſerit manducanti: at verè ad manducationem non ſufficit aliquid ore ſumere, & dentibus illud atterere, niſi deglutiatur; nec quiſquam cenſetur violare ieiunium naturale per hoc, quod os aqua, vel vino abluat, aut aliquid aliud dentibus atterat, dummodò nihil in guttur traijciatur, ſed iterùm foras eijciatur; requiritur ergo ad veram manducationem, vt id, quod ore ſumitur, per guttur ad ſtomachum traijciatur; in gutture enim eſt aliquis certus terminus, vltra quem, cum primum cibus eſt, dicitur manducatus.

Manducatio quando fiat.

3 Lugus diſp.12. ſect.2. vult tunc ſolùm poſſe dici factam eſſe manducationem, quando cibus tranſiuit illum terminum in gutture irreuocabilitèr. Sotus, Nugnus, Gonet.diſp.8.art.1.§.2. & communitèr Thomiſtæ, Suarez diſp. 63.ſect.4. Arriaga diſp.41.ſect.1.& communitèr alij volunt, gratiam conferri in inſtanti extrinſeco manducationis, in quo verum eſt dicere de aliqua parte ſpecierum, nunc non eſt manducatio, immediatè antea erat; ſeù cum primùm aliquid ſpecierum ſacramētalium tranſiuit terminum in gutture præfixum ad manducationem.

4 Concluſio. Cum primum aliquid ſpecierum ſacramentalium tranſierunt certum illum terminum in gutture præfixum, gratia ſacramentalis producitur in anima. Probatur: gratia promiſſa fuit à Chriſto ijs, qui panem illum cœleſtē manducauerint: ſed cum primum aliquid ſpecierum ſacramentalium tranſierit certum illum terminum in gutture præfixum, dicitur panis ille cœleſtis manducatus; ergo tunc producet gratiam,

5 Dices cum Lugo: Manducatio hic debet accipi, ſicuti ſumitur communitèr apud homines in alijs cibis: ſed alij cibi tunc dicuntur manducari, non quando quomodocumque traijciuntur in ſtomachum, ſed ſolùm quando traijciuntur irreuocabilitèr; ergo etiam hoc dici debet de Euchariſtia: probatur minor: nam ſi filum ferreum longum in os mittas, ità vt extrema eius pars tangat vltimam, & imam gutturis partem, & poſtea illud extrahas, nullus dicit te comediſſe ferrum, & ratio eſt, quia manducatio humana inuoluit traiectionem: traijci autem non dicitur, quod non ita tranſit, vt facilè reuocari non poſſit.

Digitized by Google

poſſit. Sed contra: nego minorem; falſum enim eſt, quod ad veram manducationem requiratur, quod cibus peruenerit ad ſtomachum irreuocabiliter; etenim ſi bolus panis filo apenſus traijciatur vſque ad ſtomachum, certè talis panis eſt manducatus, ſecus poſſet digeri antequam manducetur, quod eſt abſurdum, & nihilominus poteſt facilè per filum iterùm extrahi; ergo ad rationem manducationis non requiritur, quod ita traijciatur, vt non poſſit reuocari; neque exemplum de ferro immiſſo eſt ad rem; nam ideò non dicitur manducatum ferrum illud, quia non eſt res comeſtibilis, & quia non eſt deglutitum actiuè à virtute animalis deglutiua, ſed purè extrinſecè immiſſum, vnde nil mirum, ſi non dicatur manducatum; nam manducatio eſt denominatio actiua, non paſſiua; ceterum eo ipſo, quod aliquid eſt deglutitum, cenſetur manducatum, & nihil refert ad veram manducationem, quod hoc fiat irreuocabiliter, vel quod facilè reuocari poſſit, vt pluribus exemplis probat Arriaga.

6 Obijcies 1. tunc cenſetur manducatus Chriſtus, quando ſpecies cenſentur manducatæ; nam Chriſtus non manducatur, niſi per ſpecies: ſed cum primum ſpecies pertingunt terminū illum indiuiſibilem diuidentem partem ſuperiorem ab inferiori parte gutturis, nec dum ſpecies cenſentur manducatæ; ergo neque Chriſtus cenſetur manducatus, & ſic nedum producit gratiam, donec omnes deglutitæ fuerint.

Reſpondeo, quod Chriſtus cenſetur manducatus, non solùm quando omnes ſpecies deglutitæ ſunt, ſed etiam quando aliquid ſpecierum deglutitum eſt; nam cum in qualibet parte, & puncto ſpecierum contineatur Chriſtus, eo ipſo, quod aliquid ſpecierum deglutitum eſt; quodcumque illud ſit, ſiue parum, ſiue multum, etiam cenſetur deglutitus, & manducatus Chriſtus; & per conſequens in tali inſtanti extrinſeco manducationis, in quo verum eſt dicere, nunc non eſt manducatio, ſed immediatè anteà fuit alicuius partis, vel minimi ſpecierum in tali inſtanti producetur gratia.

7 Obijcies 2. Euchariſtia cauſat gratiam per modum cibi ſpiritualis; ſed cibus non nutrit viuentem, niſi poſtquam corruptus eſt; ergo neque Euchariſtia nutriet ſpiritualiter gratiam conferendo niſi poſtquam ſpecies corruptæ ſunt.

Reſpondeo negando cōſequentiam; diſparitas eſt, quia cibus materialis nutrit per conuerſionem ſubſtantiæ ipſius in ſubſtantiam aliti; at Euchariſtia nutrit producendo gratiam effectiuè, & cum hanc producat dependenter à voluntate Chriſti, Chriſtus hanc promiſit manducationi, non corruptioni ſpecierum. Ideò &c.

8 Obijcies 3. Ex noſtra opinione ſequuntur duo abſurda; ergo reijcienda: probatur antecedens: nam primò, ſi quis dignè reciperet Sacramentum, & poſteà moreretur antequam ſpecies deglutiret, iſte recepiſſet Chriſtum, & tamen non recepiſſet gratiam: ſecundò, ſi quis indignè reciperet Euchariſtiam; deinde antequam deglutiret ſpecies eliceret actum contritionis; iſte reciperet gratiam; & tamen indignè recepiſſet Sacramentum.

Reſpondeo negando eſſe abſurda ea, quæ deducuntur: non primum, quia Chriſtus non promiſit gratiam ore ſumentibus, aut dentibus terentibus ſpecies ſacramentales, ſed manducantibus, non eſt autem manducatio, niſi ſpecies deglutiantur: neque ſecundum propter eamdem rationem, nam licèt indignè ore ſumpſerit; ſi tamen antequam ſpecies deglutiret contritus fuit, dignè manducauit, & ideò gratiam recipere debuit.

9 Ex quo deducas, eum non recipere gratiam, qui ore ſuſcepit Sacramentum, ſed poſtea ſpecies expuit non valens eas ob infirmitatem deglutire. Idem dicendum de eo, qui diù ſpecies in ore retinet, ita vt corrumpantur antequam eas deglutiat; ratio eſt, quia gratia promiſſa eſt manducantibus tantùm. E contra verò, ſi quis ſpecies deglutiat, licèt poſtea eas iterùm euomat, nihilominus gratiam recepit, quia verùm eſt, à tali Chriſtum dignè manducatū fuiſſe.

ARTICVLVS III.

An Euchariſtia cauſet gratiam quamdiù perſeuerat in ſtomacho,

1 HOc eſt aliud dubium, quod propoſuimus, nempè an Euchariſtia conferat gratiam, quamdiù in ſtomacho perſeuerat, & hoc ex opere operato, an verò ſuum effectum cauſet tantùm, dum manducatur.

2 Prima ſententia eſt Caietani hic qu.79. art. 1. vbi docet, hoc Sacramentum cauſare gratiam quamdiù permanet in ſtomacho, hanc probabilem cenſet Nugnus ibidem, & Gonet diſput. 8. art. 1. §. 2. Caietanum ſequitur Suarez diſp. 3. ſect. 7. citans Maierem, & Gabrielem, eamdem ſequitur Coninchus quæſt. cit. art. 1. dub. 2. Lugus diſput. 12. ſect. 2. Amicus diſp. 25 ſect. 2. & alij.

Secunda ſentētia eſt Soti in 4. diſt. 11. qu. 2.

Digitized by Google

qu.2. art.1. Palatij diſt.12. diſput.4. Vaſquez diſp.203. cap.2. Hurtadi diſput.8. difficultate 1. Tanneri diſput.5. quæſt.7. dub.2. Arriagæ diſ.41. ſect.2. & aliorum; hæc negat gratiam dari in tempore, quo durat Euchariſtia in ſtomacho ſiue ſuccedat noua diſpoſitio, ſiue non, quam opinionem, vt probabiliorē, & de mente D. Tho. infra qu.80. art.8. ad 6. ſuſtinet Paſſarin. hic q.79. art.1. com.40. in fine.

3 Concluſio. Euchariſtia non producit ex opere operato maiorem gratiam, quamdiù permanet in ſtomacho, ſiue ſuccedat noua diſpoſitio, ſiue non. Probatur 1. In re, quæ tota pendet ex pura volūtate Chriſti nihil ſolidè poſſumus dicere, niſi talis voluntas nobis innoteſcat, vel ex ſcripturis, vel ex Concilijs, vel Sanctis Patribus: ſed quod producatur gratia pendet ex pura voluntate Chriſti, & neque ex ſcriptura, neque ex Concilijs, aut Patribus poſſumus colligere, gratiam cauſari, quamdiù manet in ſtomacho ipſa Euchariſtia; ergo illud velle aſſerere non eſt ſolidè dicere, ſed merè gratis: maior patet; quia Chriſtus certè potuit inſtituere, quod gratia cauſaretur tantùm, quando Euchariſtia recipitur, potuit etiam velle, quod cauſaret gratiā tamdiù, quamdiù maneret in ſtomacho; ſicuti igitur dicimus gratiam cauſari, quando recipitur, & manducatur; quia hoc colligimus ex ſcripturis &c. Ità ad dicendum cauſari quamdiù remanet in ſtomacho deberemus habere fundamentum in ſcriptura, quę nobis manifeſtaret volūtatem Chriſti, quam tamen non habemus; ergo, id aſſerere, eſt ſine fundamento dicere:

4 Dices: id colligi ex eo, quod ſcriptura, & Concilia dicunt Euchariſtiam cauſare gratiam per modum cibi nutrientis, vnde manducatio eſt tantùm conditio, ſeù applicatio; ergo quamdiù cibus erit in ſtomacho poterit operari; ſiquidem cauſa neceſſaria applicata debet operari. Sed contra primò, quia, ſi Euchariſtia cauſaret gratiam tantùm in actuali manducatione, & non quamdiù permanet in ſtomacho, adhuc cauſaret per modum cibi nutrientis, vt debent fateri omnes, qui dicunt gratiam non cauſari ab Euchariſtia in ſtomacho exiſtente, niſi accedat noua diſpoſitio; nam in tali caſu Euchariſtia produxiſſet gratiam in manducatione per modum cibi nutrientis; & tamen non produxiſſet quamdiù fuit in ſtomacho; ergo ex allegoria cibi id non colligitur.

5 Contra 2. Si ſtandum eſt in allegoria cibi, etiam Euchariſtia, quando eſt in ore eſt cibus, & tamen fatentur, & benè, aduerſarij, quod ſi ſpecies retinentur in ore, & non deglutiantur non producetur gratia, quia non adeſt manducatio: ſed etiam, quando ſpecies ſunt in ſtomacho, non eſt manducatio; ergo neque producent gratiam, quia gratia promiſſa fuit à Chriſto tantùm manducantibus.

6 Contra 3. eſto, quod manducatio ſit conditio ſine qua non; ſicuti cauſæ naturales non producent effectum, niſi ſtante conditione neceſſaria; ita Euchariſtia non debet producere gratiam, niſi ſtante manducatione, quæ eſt conditio: ſed manſio in ſtomacho non eſt manducatio; ergo ſtante manſione, & non manducatione Euchariſtia non poteſt producere gratiam.

7 Contra 4. Si volumus ſtare in allegoria cibi nutrientis, hic non nutrit, niſi dum corrumpitur, & ſemel tantùm nutrit; ergo & Chriſtus tantùm nutriet, quando ſpecies corrumpuntur; quod tamen ab aduerſarijs negatur, & benè negatur ex eo, quod gratia promiſſa eſt manducationi, non ſpecierum corruptioni; ergo & ego deduco allegoria de cibo nutriente eſt ſine fundamento, cū velint aſſimilari Euchariſtiam cibo nutrienti tantùm in eo, cum quo poſſint ſuam concluſionem defendere, non in alijs, quod eſt ad libitum velle aſſimilare Euchariſtiam cibo nutrienti, non cum fundamento in re.

8 Contra 5. Et præſertim contra illos, qui dicunt requiri nouam diſpoſitionem. Si manducatio eſt conditio, & applicatio, & virtus producendi gratiam eſt in ipſo Sacramento, quod eo ipſo, quod applicatum eſt, debet agere tamquam cauſa naturalis; ergo deduco ego, poſita applicatione Sacramenti, licèt noua nō producatur diſpoſitio, producet gratiam: probatur conſequentia: poſito igne applicato ligno, etiamſi noua non ponatur diſpoſitio, ſemper comburrit; ergo etiam poſito Sacramento applicato ſubiecto per gratiam diſpoſito, etiamſi noua non ponatur diſpoſitio, nihilominus ſemper producet gratiā, quod tamen non admittunt aduerſarij.

6 Probatur 2. Concluſio. Ex oppoſita ſententia ſequitur, ſi duo æqualiter ſe diſponant, & cum æquali diſpoſitione perſeuerent poſt ſuſceptam Euchariſtiam vſque ad conſumationem ſpecierum, quod nihilominus vnus maiorem gratiam recipiet ex opere operato quam alius, quod videtur abſurdum: ſequela probatur: ſint duo, qui recipiant Euchariſtiam. Vnus robuſti ſtomachi, & caloris, alter infirmi, hi ſi æqualitèr perſeuerent in actibus ſupernaturalibus vſque ad conſumationem ſpecierū, nihilo-

nihilominus inæqualem recipient gratiam ex opere operato; nam ille, qui eſt robuſti ſtomachi, faciliùs corrumpet ſpecies, & ſic ex opere operato non poterũt iſtæ ampliùs in hoc ſubiecto producere gratiam, quam tamen producent in alio infirmi ſtomachi; vnde poſſent homines expetere maiores hoſtias, vt maiorem fructum poſſent recipere, & Sacerdotes implere calicem, vt maiorem fructũ reportarent; quod tamen fatetur Suarez ab Inquiſitoribus damnari, vt ſuperſtitioſum; non eſſet autem ſuperſtitioſum, ſi quis expeteret maiorem gratiam, dum expeteret maiorem hoſtiam; fatendum igitur eſt, hoc Sacramentum, ſicuti, & omnia alia ſemel ſolùm producere gratiam ex opere operato, hancque tantùm producere, dum manducatur. Pluribus reijciunt Vaſquez, & Arriaga locis citcontrariã opinionem, vt videre eſt apud ipſos. Ego quidem ſummoperè optarem contrariam opinionem eſſe veram, vt maior gratia ex opere operato ex Euchariſtiæ communione recipere poſſem, at nullum ſolidum fundamentum reperio ad hoc dicendum. Ideò &c.

10 Obijcies 1. Ioan. 9 dicitur. *Quamdiù ſum in mundo, lux ſum mundi*; ergo quamdiù Chriſtus eſt in ſtomacho, producet gratiam.

Reſpondeo negando conſequentiam; vnde enim deducunt aduerſarij, quod Chriſtus in tali loco loquatur de ſe ipſo ſacramentato exiſtente in ſtomacho magis, quam in ore, aut altari? certè id Chriſtus non dixit; & talis locus intelligitur de Chriſto promulgante legem gratiæ. Poteſt tamen in aliquo ſenſu explicari de Chriſto in ſtomacho exiſtente; etenim, cum ille, qui ſe communicauit, per fidem habeat, Chriſtum eſſe in pectore ſuo præſentem, faciliùs ex tali præſentia excitatur in actus feruentiſſimos amoris, quibus ex opere operantis datur augmentũ gratię, & hoc concedo; at non datur per hoc ex opere operato.

11 Obijcies 2. Cauſa neceſſaria debitè applicata ſemper debet cauſare ſuũ effectum; ſed Euchariſtia in ſtomacho perſeuerans eſt cauſa neceſſaria debitè applicata; ergo in ſtomacho perſeuerans producet gratiam: maior patet: probatur minor; quia manducatio eſt conditio applicans Euchariſtiam.

Reſpondeo conceſſa maiori, negãdo minorem: ad probationem: retorquetur argumentum, ſi enim manducatio eſt conditio applicans; cũ Euchariſtia perſeuerans in ſtomacho non ſit manducatio, certè, ſi non adeſt hæc conditio neceſſaria, neque Euchariſtia producet effectum.

ARTICVLVS IV.

An vtraque ſpecies Euchariſtiæ conferat maiorem gratiam.

1 Quæſtio præſens in hoc conſiſtit, an Sacerdos, qui recipit ſpecies tùm corporis, tum ſanguinis plus gratiæ recipiat, quam Laicus, vel alius, qui recipit Sacramentum tantùm ſub ſpecie panis; nam qui non eſt celebrans, non poteſt communicare ſine ſpeciali diſpenſatione, niſi ſub ſpecie panis, cum ipſi ab Eccleſia vetitum ſit ſub vtraque ſpecie communicare.

2 Prima opinio eſt Vaſquez diſ. 215 cap. 2. vbi citat pro ſua opinione Alexãdrum, Gaſparem Caſalium, Arborcum, & Richardum, hæc docet maiorem gratiam haberi per vtramq; ſpeciem, quam per vnicam tantùm, Vaſquio conſentit Lugus diſp. 12. ſect. 3. qui adducit Franciſcum Blancum Archiepiſc. Compoſtellanum, qui interfuit Trid. & qui dixit, vnanimem fuiſſe ſenſum Patrum Concilij, quod vtraque ſpecies cauſaret maiorem gratiam, noluiſſe tamen id definire, ne vlla daretur hæreticis occaſio vociferandi; pro hac opinione ſtant Meratius, & Martinonus, & aliqui alij.

Secunda opinio eſt D. Tho. q. 80. ar. 12 ad 3. Caiet. ibid. Nugni difficul. 2. Sylu ij ibid. & omnium Thomiſtarum, vt teſtatur Gonet diſp. 8. ar. 4. Eſt etiã Scoti, Lauræ diſp. 26. ar. 1. Bellar. lib. 4. de Euchar. cap. 23. Suarez diſp. 63. ſect. 6. Coninchi q. 80. ar. 1. dub. 2. Arriagæ diſp. 42. ſect. 4. qui plures tum antiquos, tum recentiores citat, Amici diſp. 25. ſect. 3. Eſparzæ lib. 10. q. 69. & fere omniũ aliorum, qui hoc tempore contra hęreticos ſcripſerũt; hæc negat plus gratiæ conferri ex opere operato per communionem ſub vtraq; ſpecie, quam conferatur per vnicam minimam particulam.

3 Concluſio eſt cum hac ſecunda ſententia. Probatur 1. ex Trid. ſeſſ. 21. cap. 3. vbi ait. *Fatendum eſſe, etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atq; integrum Chriſtũ, verumq; Sacramentum ſumi; ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolùm accipiunt*,

4 Dices cum Vaſquez, & Lugo, Concilium notantèr dixiſſe, *nulla gratia neceſſaria ad ſalutem*; non autem abſolutè dixiſſe *nulla gratia defraudari*, & proinde Concilium eſſe potiùs contra nos, quam nobis fauere; & propter hoc Suarez, Coninchus, & Amicus exiſtimãt ex hoc loco efficaciter non probari intentum.

Sed contra: quia Concilium loquitur de gratia, quæ eſt fructus, & effectus huius Sacramenti; ſed gratia, quæ eſt effe-

Digitized by Google

ctus huius Sacramenti, non eſt prima gratia, quæ ſola eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, ſed eſt ſecunda gratia, ſeu augmentum gratiæ; huius autem gratiæ, ſicuti eſt neceſſarius ſecundus gradus, ita eſt neceſſarius tertius, & quartus &c. nam quilibet gradus confert ad maiorē gloriam; ergo, ſi Concilium definit Laicos communicantes ſub altera tantùm ſpecie nulla defraudari gratia ad ſalutē neceſſaria, fatendum eſt, ipſum voluiſſe definire tantam gratiam dari ex opere operato per ſumptionem vnius ſpeciei, ac duplicis.

5 Contra ſecundò. Quando Concilium definit, laicum communicantem tantùm ſub ſpecie panis nulla defraudari gratia ad ſalutem neceſſaria, loquitur de illa gratia, de qua erat quæſtio cum hæreticis: ſed iſti non negabant per Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpecie panis dari gratiam, ſed negabant, dari tantam, quanta datur per Sacramentum ſub vtraque ſpecie; ergo dum definit fideles nulla defraudari gratia, intentum ipſius eſt, quod tanta gratia detur per ſuſceptionem vnius ſpeciei, ac vtriuſque. Confirmatur; ratio, ex qua deducit Concilium laicos communicantes ſub altera tantùm ſpecie nulla defraudari gratia eſt, quia ſub altera tantùm ſpecie totus Chriſtus continetur, verumque Sacramentum ſumitur; ergo, ſi ſub altera tantùm ſpecie eſt tota virtus, quæ eſt ſub vtraque ſpecie in ordine ad producendam gratiam, tantam gratiam recipiet, qui ſumit minimam particulam, ac qui ſumit vtramque ſpeciem.

6 Probatur 2. Concluſio. In tantum nos poſſumus dicere per ſumptionem vtriuſque ſpeciei dari maiorem gratiam ex opere operato, quam detur per ſumptionem vnius ſolùm, in quantùm huius rei aliquod fundamentum poſſumus habere ex ſcripturis; nam cum hòc pendeat purè purè à voluntate Chriſti, potuit Chriſtus Dominus, & habere voluntatem dandi tantam gratiam per receptionem vnius ſpeciei, ac per receptionem vtriuſque, vel maiorem per receptionem vtriuſque, ac alterius tantùm, & è contra: ſed ex ſcripturis non colligimus Chriſtum voluiſſe dare maiorē gratiam per ſumptionem vtriuſque ſpeciei, quam alterius tantùm, ſed potius colligimus ſemper eamdem dari; nam, vt ponderat Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. *Qui dixit de vtraque ſimul ſpecie: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & iterum: in me manet & ego illo.* Dixit quoque *ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum: panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita; & qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; ergo cū totum hoc pendeat à voluntate Chriſti & ſcriptura non dicat dari maiorem gratiam per ſumptionem vnius ſpeciei, quam vtriuſque, imo ſcriptura eumdem effectum tribuat tam communicanti ſub vna ſpecie, quam ſub vtraque, ſine firmo fundamento aſſeritur maiorem gratiam dari per cōmunionem ſub vtraq; ſpecie, quam ſub altera tantùm; non enim licèt nos diſcernere hos effectus, vbi promiſſio, & voluntas Dei non diſcernit.

7 Probatur 3. Si quis ſumat ſucceſſiuè tres, vel quatuor particulas in vna communione, non plus gratiæ recipit ex opere operato, quam qui vnam tantùm, quia eſt idem Sacramentum; ergo etiam, qui poſt ſumptionem còrporis Chriſti ſub ſpecie panis, ſumit etiam ſub ſpecie vini, non plus gratiæ recipit, quia eſt idem Sacramentū, quod ſumitur, & id, quod continetur ſub ſpecie panis, etiam continetur ſub ſpeciebus vini.

8 Probatur 4. In materia Sacramentorum, in qua Eccleſia eſt diſpenſatrix, eam debemus eligere ſententiam, in qua ſaluemus Eccleſiam nullam facere iniuriam laicis in diſpenſatione illorum: ſed ſi dicamus tantam gratiam dari per ſumptionem Sacramenti ſub ſpecie panis, ac detur per ſumptionem vtriuſque ſpeciei, ſaluamus, quod Eccleſia nullam facit iniuriam laicis, præcipiendo communionem ſub ſpecie panis tantùm, quod non ſaluatur, ſi contrarium dicatur; ergo &c.

9 Obiicies primò. Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ concedens illi, quod poſſet comunionem recipere ſub vtraq; ſpecie addit, hòc illi concedere *ad maius gratiæ augmentum*; ergo Pontifex ſentit plus gratiæ dari per communionem ſub vtraq; ſpecie, quā ſub altera tantùm.

Reſpondeo Pontificem loqui de augmento gratiæ ex opere operantis, ſupponebat enim maximum deſiderium in Rege communicandi ſub vtraque ſpecie; & ex hoc deſiderio certè poterat augeri gratia ex opere operantis.

10 Obijcies 2. ex Lugo, qui ait Franciſcum Blancum Archiepiſcopum Compoſtellānum (cuius meminit Henriquez lib. 8. de Euchariſt. cap. 44. §. 5.) dixiſſe vnanimem conſenſum Patrum Tridentini fuiſſe quod vtraque ſpecies cauſaret maiorem gratiā, noluiſſe tamen id extra tempus definire ne vlla daretur hæreticis occaſio vociferandi; ergo &c.

Reſpondeo admittendo hyſtoriam, & relationem, ſed non vt dicit Lugus, vt

recte

Digitized by Google

rectè notauit Arriaga, nam Henriquez, ex quo eam ſumpſit Lugus non dicit vnanimem ſenſum Patrum pro ea ſententia fuiſſe, ſed ſolùm plures Patres ex Tridentinis ita ſanciſſe potuerunt autem plures Patres ita ſentire, & multo plures ſecutire contrarium; deinde etiam ſi ſenſiſſent, vt dicit Lugus; nego conſequentiam; nam ex eo, quod non fuerit decretum maiorem fructum recipi; arguo non ita eſſe; nam ad hæc declaranda erant in Spiritu Sancto Congregati; Quare ſi non decruerunt, fuit eorum priuata ſententia, non Spiritus Sancti, alioquin decreuiſſent; falſum enim eſt, eos noluiſſe definire, ne vlla daretur occaſio hæreticis vociferandi; Concilium enim non timet hæreticos, nec Eccleſia veritatem aſcondit; quare ſicuti tot alia decreuit contra hæreticos, & hanc etiam ſine vllo timore definire poterat; nec Henriquez vllo modo dicit, quod Patres propenderint pro ipſa definienda; vnde argumentum eſt potius contra Lugùm.

10 Obiicies 3. Sacramenta nouæ legis cauſant id, quod ſignificant; ſed ſpecies vini ſignificant gratiam peculiari modo, & peculiarem refectionem; ergo etiam illam cauſant: probatur minor; nam vtraque ſpecies ſignificat plenitudinem conuiuii ſpiritualis, & perfectam animi refectionem, quam nō ſignificant ſingulæ ſpecies ſeorſim ſumptę.

Reſpondeo conceſſa maiori: diſtinguendo minorem: ſignificant gratiam peculiari modo ex parte rei ſignificatæ, nego minorem; ex parte modi ſignificandi ex allegoria ad cibum, & potum corporalem, concedo minorem; ergo &c. negatur conſequentia; per quod patet ad probationem minoris: non enim ſufficit diuerſus modus ſignificandi ex allegoria ad cibum, & potum corporalem, ad hoc vt dicatur dari diuerſam gratiam; nam fames, & ſitis in ſpiritualibus non diſtinguuntur, ſed per eamdem gratiam explentur; vnde dicitur Matt. 5. *Beati, qui eſuriunt. & ſitiunt iuſtitiam.*

12 Obiicies 4. Alia Sacramenta; licèt cauſent eamdem gratiam, quia tamen ordinantur ad diuerſos fines, diſtinctam etiam conferunt gratiam: ſed ſpecies panis, & vini ordinantur ad diuerſos fines; ergo conferunt diſtinctam gratiã: probatur minor ex Hymno, quod canit Eccleſia in feſto corporis Chriſti,

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit, & triſtibus ſanguinis poculum.

& Pſalm. 103. *Panis cor hominis confirmat,* & ibidem. *vinum lætificat cor hominis*: ſed lætificare cor, & confirmare ſunt res diuerſæ; ergo &c.

Reſpondeo eodem modo, quo ſupra reſponſum fuit, nempe eſſe diuerſos non ex parte rei ſignificatæ, ſed ex modo ſignificandi in ordine ad cibum, & potum, qui in ſpiritualibus non diſtinguuntur; ideo &c.

13 Obiicies 5. Si ſpecies panis, & vini nō cauſarēt diuerſas gratias, vel tota hæc gratia producitur, dum recipiuntur ſpecies panis, vel vini; ſi hoc ſecundum; ergo ſpecies panis non cauſant gratiam; ſi primùm; ergo ſpecies vini numquam cauſabunt gratiam, quam ſignificant, & ſic non erunt Sacramentum.

Reſpondeo, quod tota gratia recipitur, dum recipitur ſpecies panis; nego autem conſequentiam, nam in primis moraliter cauſãt gratiam; quia ſpecies panis, & vini ſumuntur per modum vnius conuiuii, & vnius Sacramenti: ſecundo ſpecies vini ſunt aptæ, quantùm eſt ex ſe cauſare gratiam, ſi ſumerentur ſine ſpeciebus panis; & tertiò, quia ſi ſacerdos ſumēdo ſpecies panis nō eſſet diſpoſitus, ſed in peccato mortali, & antequam reciperet ſpecies vini eliceret actum contritionis, tunc ſpecies vini cauſarent gratiam; falſùm autem eſt, quod ad hoc vt aliquid ſit Sacramentum Euchariſtiæ actu cauſet gratiam; nam ſpecies panis, quæ ſunt in pixide, & ſpecies vini in calice ſunt verum Sacramentum, quia continent Chriſtum, & tamen tunc non cauſant gratiam; vt ſit ergo Sacramentum, ſufficit ſi contineant Chriſtum, & tales ſpecies ſint aptæ cauſare gratiam; & quemadmodum, dum quis recipit plures hoſtias conſecratas ſucceſſiuè per ſumptionem ſecundæ non recipit maiorem gratiam, vt fatentur etiam aduerſarij, quia tota gratia recepta fuit per receptionem primæ; ita & in propoſito dicendum eſt.

14 Obijcies 6. In triduo mortis maior data fuiſſet gratia ſub vtraque ſpecie quam ſub vna tantùm; ergo etiam nunc ita datur: probatur antecedens; nam in triduo mortis ſub ſpecie panis data fuiſſet gratia ſolùm per modum cibi, quia ibi tunc non fuiſſet ſanguis, & ſub ſpecie vini data fuiſſet ſolùm per modum potus, quia ibi non fuiſſet corpus; ergo maior gratia data fuiſſet per vtramq; ſpeciem, quam per vnicam tantum.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem: iam dictum eſt, quod in ſpiritualibus ſitis, & fames non diſtinguuntur; vnde eadem gratia fuiſſet apta extinguere ſitim, & famem ſpiritualem, ſequitur ergo tantùm, quod ex parte modi ſignificandi, & ex allegoria ad cibum materialem diuerſa eſſet gratia; nō ex parte ipſius gratiæ ſignificatę, vt ſupra dictum eſt, & iam reſponſum. Ideo &c.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Quod nam ſit ſubiectum capax huius Sacramenti.

1 CErtum eſt primò Angelos, nec animal homine inferius habere capacitatem recipiendi fructum huius Sacramenti; nam fructus huius Sacramenti datur per modum cibi, & per realem manducationem corporis Chriſti: Angeli autem non ſunt capaces manducandi realiter corpus Chriſti, & idem dicendum de anima ſeparata; animal autem brutum, licèt poſſit manducare illas ſpecies, non tamen eſt capax fructus huius Sacramenti, nempe gratiæ.

2 Certum eſt ſecundò ad fructuoſam receptionem huius Sacramenti requiri baptiſmum, qui eſt ianua omnium Sacramentorum, ſic communis conſenſus Theologorum, & Eccleſiæ; Vnde nullus non baptizatus, etiamſi ſit cathecumenus, eſt capax huius Sacramenti, vt colligitur ex Auguſtino tract. 11. in Ioan.

3 Dubitatur primò de infantibus, & perpetuò amentibus, an ſint capaces Euchariſtiæ. Euchariſtiam infantibus non eſſe neceſſariam, definitum eſt in Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. & ratio adducitur à Trid. quia gratiam, quam receperunt per baptiſmum in illa ætate amittere non poſſunt; & eadem ratio eſt de perpetuò amentibus.

4 Concluſio prima. Infantes, & perpetuò amentes ſunt capaces fructus Euchariſtiæ. Eſt contra Alenſem in 4. q. 11. in 2. ar. 3. Palud. diſt. 9. qu. 4. ar. 3. & quoſdam alios antiquos, quos citat Amicus diſp. 28. eſt tamen communis inter Doctores, & conſtat ex vſu à ſanctis Patribus introducto in primitiua Eccleclesia, quo infantibus baptizatis dabatur Euchariſtia, & de quo vſu Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. docet ſanctos illos Patres probabilem habuiſſe cauſam. Ratio verò eſt; quia ad hoc, vt percipiatur fructus huius Sacramenti, nihil aliud requirirur, niſi quod ſuſcipiens Sacramentum ſit in gratia, & illud manducet: ſed pueri, & perpetuò amentes gratiam receptam in baptiſmo retinent. & manducant verè Chriſti corpus; ergo ſuut capaces fructus. Confirmatur, quia ſunt capaces confirmationis, & ordinis; ergo & Euchariſtiæ: cum non ſit maior ratio de vno Sacramento; quam de alio.

5 Dices primò D. Paulus vult, quod homo probet ſe ipſum, antequam accedat ad hoc Sacramentum: ſed pueri & perpetuò amentes non poſſunt probare ſe ipſos; ergo nec recipere fructum Euchariſtiæ. Secundò, ſi infans ſine voluntaria ſuſceptione ſuſcipit fructum huius Sacramenti: ergo & adultus illum recipiet. Tertiò cibus datur ad reſtaurandum deperditum: at in pueris, & amentibus perpetuò nihil eſt deperditum de gratia; ergo non ſunt capaces fructus huius Sacramenti. Sed contra reſpondeo, quod Apoſtolus requirit probationem, ne recipiatur in peccato, in pueris autem, & perpetuò amentibus non eſt peccatum; & ideo in ipſis hæc probatio non requiritur. Ad ſecundum Arriaga concedit conſequentiam: ſed melius eſt illam negare, & diſparitas eſt, quia adulti, cum ſint capaces voluntarij, debent aliquam intentionem habere recipiendi Sacramentum, quod non euenit in infantibus, & talem eſſe voluntatem Chriſti nobis conſtat ex communi Theologorum conſenſu. Ad tertium dico, quod cibus non ſolùm datur ad reſtaurandum deperditum, ſed etiam ad augmentum, & ideo poteſt dari ad augendam gratiam in ipſis paruulis.

6 De facto tamen prohibitum eſt dare Euchariſtiam, tam paruulis, quàm perpetuò amentibus; & hoc colligitur ex conſuetudine ab Eccleſia approbata, quam Rituale Pauli V. Parochis tradit, & colligitur ex cap. *Omnis vtriuſq; ſexus*; ibi enim, dum dicitur debere omnes, cum ad annos diſcretionis peruenerint, communionem percipere; virtualiter etiam dicitur, ante non eſſe dandam; cum non habeant annos diſcretionis, & forſitan prohibita eſt Euchariſtia propter inconuenientia, quæ occurrere poterant, vel in deglutienda hoſtia, vel in vſu calicis.

7 Quæres primò. An, qui habuerunt vſum rationis, ſed poſtea amentia, vel phreneſi correpti ſunt, danda ſit Euchariſtia in articulo mortis?

Reſpondeo cum D. Thom. hìc art. 9. & communi Doctorum poſſe, & debere dari Euchariſtiam in articulo mortis, ſi antea huius Sacramenti deuotionem oſtenderint; hæc enim deuotio eſt probabilis diſpoſitio; niſi tamen adſit periculum vomitus, aut alterius irreuerentiæ. Sic deciſum fuit in Concilio Carthaginenſi 4. c. 76. & habetur in can. *Is, qui*, 26. quæſt. 2. & in Concilio Toletano 11. cap. 11. Ratio eſſe poteſt; quia in tali ſubiecto, poſita præuia diſpoſitione, eſt capacitas, & indigentia in articulo mortis. Idem dicendum de Energumenis obſeſſis à dæmone, vt conſtat ex vſu, & praxi Eccleſiæ; ſi tamen non priuentur vſu rationis, & non adſit periculum irreuerentiæ, vt docet D. Tho. loco cit. ad 2.

Quæres

Digitized by Google

8 Quæres ſecundò. Quando nam detur in fidelibus obligatio recipiendi Euchariſtiam?

Dari præceptum Eccleſiaſticum de recipienda Euchariſtia conſtat ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi Pontifex in generali Cōcilio decreuit omnes vtriuſq; ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint, teneri peccata ſua confiteri, & Euchariſtiam recipere, ſaltem in Paſchate. D.verò Thom. hic art.11. dicit: *Manifeſtum eſt, quòd homo tenetur hoc Sacramentum ſumere, non ſolùm ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Et Ioann. 6. dicitur: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quare, quod ſit etiam præceptum diuinum ſumendi Euchariſtiam, docent Syluius, Nugnus, Coninch. Peſantius, & alij hic art. 11. Gonet.diſp.9. ar.1. Suarez diſp.69. ſec.1. Auerſa quæſt.8. ſec,2: & plures alij apud ipſum.

9 Reſpondeo primò. Ex præcepto diuino obligantur fideles ad hoc Sacramentum recipiendum in articulo mortis, & etiam aliquoties in vita. Ratio eſt, quia hoc præceptum obligat aliquando; ergo in articulo mortis; patet conſequentia; nam ſi tunc non obſeruaretur non poſſet amplius obſeruari. Vnde can. *De his* 26. q. 6. ex Concilio Niceno dicitur: *De his, qui recedunt ex corpore antiquæ legis regula obſeruabitur nunc etiam; ita vt ſi forte quis recedat ex corpore neceſſariò vitæ ſuæ non defraudetur viatico.*

10 Quod verò etiam aliquoties in vita hoc præceptum obliget, patet, quia ordinatur ad nutriendam, & roborandam animam; ſicuti ergo ad vitam corporalem nutriendam non ſufficit ſemel in vita ſumere cibum; ita multò minus ad ſpiritualem; imò ex hoc deducitur. quod aliquoties in vita debet ſumi, vt vita nutriatur, & roboretur.

Reſpondeo 2. Præceptum Euchariſticum obligare pueros omnes fideles, cum ad annos diſcretionis peruenerint. Hoc colligitur expreſsè ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*: ibi enim definitur, & præcipitur, quod omnes *Poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint*, teneantur in Paſchate Euchariſtiam ſumere.

11 Quæres tertiò. Quando nam intelligatur puerum perueniſſe ad annos diſcretionis?

Reſpondeo. In hoc non poſſe certam regulam tradi. Nam Caietan. Nugnus, Syluius, Peſantius, Coninchus hic ar.9. Suarez diſp.70.ſec.1. Vaſquez diſp. 214. cap. 4. volunt tunc eſſe, quando puer perfectiorem, & maturiorem iudicij vſum aſſequitur. D.Antoni.3.par.tit. 8. cap.8. §.2. Ioann. Sancius in ſelectis, diſp. 26. Palaus, & reputat probabile Diana par.3. tract.6.reſol.70. intelligunt ſtatim, ac puer vſum rationis attigerit. Alij intelligunt annos pubertatis, nempe annum 14. alij decimum. Sed verè, vt notat Arriaga diſp.43. ſec.3. non poteſt in hoc certa regula præſcribi: nam alij, qui ſcholas frequentant in ſeptimo, vel octauo anno poſſunt eſſe capaces, alij in duodecimo nil ſolidè percipiunt, aliqui ruſtici etiam in anno decimoſexto erunt incapaciſſimi, quare prudentis Confeſſarij iudicio id erit determinandum, qui pueros ad communionem admittet, prout videbit eos eſſe tanti myſterij capaces.

12 Quæres quartò. An ex præcepto diuino teneantur pueri rationis, & peccati capaces in articulo mortis Euchariſtiam ſumere, licèt adhuc non teneantur ex præcepto Eccleſiaſtico eamdem in Paſchate ſumere?

Reſpondeo probabilius eſſe teneri. Ita Nugnus, Caiet.in ſumm.ver. *Miniſter communionis*. Suarez diſp.70.ſec.1. Lugus diſp.13.ſec.4. Auerſa quæſt.8. ſec.2. Arriaga diſp. 43. ſect. 3. & plures alij apud citatos auctores. Contra Vaſquez diſp. 214. Granad. tract.10.diſp.3. nu.11. Meratium diſp.35. ſect.4. Amicum diſput. 29. nu.60. & alios, qui docent, quod ſi non tenentur pueri ad communicandum in Paſchate, nec teneantur in articulo mortis. Probatur primò: quia datur præceptum diuinum de communione obligans in articulo mortis, vt ſeruetur ab omnibus, qui ſunt capaces illud ſeruandi: Sed pueri rationis, & peccati capaces, etiam ſunt capaces tale præceptum ſeruandi, ergo ad id tenentur: maior patet ex dictis: probatur minor, nam tales pueri ſunt capaces præcepti audiendi Miſſam, annuæ Confeſſionis, abſtinentiæ à carnibus, cognoſcunt, & adorant Chriſtum in Euchariſtia exiſtētem; ergo etiam ſunt capaces ſeruandi præceptū Euchariſtiā ſumendi in articulo mortis; nā ſi tunc non ſeruatur, nō poterit ampliùs ſeruari. Quod ſi Eccleſia hoc non determinauit, eſt, quia hoc tempus iam erat determinatum ex præcepto diuino, & Eccleſia tantùm determinauit id, quod erat indeterminatum; Quare licèt adhuc non teneantur pueri rationis capaces ad præceptum Eccleſiæ ſumendi Euchariſtiam, tenentur tamen ad præceptum diuinum, quod obligat omnes capaces in articulo mortis.

13 Dices. Tunc obligat Chriſtus pueros ad communionem in morte, quan-

do

Digitized by Google

do ſciunt diſcernere inter cibum, & cibum: ſed etiam Eccleſia tunc obligat pueros ad communionem in Paſchate, quando ſciunt diſcernere hunc cibum ab aliis; ergo ſi ex præcepto Eccleſię non tenetur aliquis puer ad communionem in Paſchate, nec tenebitur ex præcepto Chriſti in morte. Sed contra falſa eſt minor; nam pueri antequam communionem recipiant in Paſchate, iam à multo tempore ſciunt diſcernere hunc cibum ab alijs; nam tenentur adeſſe Miſſæ, & Sacramentum reuerenter adorant.

14 Quæres quintò. An ſi dubitetur de pueri capacitate debeat dari Euchariſtia in mortis articulo?

Reſpondeo cum Lugo diſp. 13. ſec. 4. & Arriaga diſput. 43. ſec. 4. poſſe dari, pręſertim ſi aliquibus interrogationibus poſſit ſaltem probabilitèr formari iudicium de capacitate pueri. Ratio eſt, quia prohibitio Eccleſiæ non dandi Euchariſtiam infantibus fundantur in approbata conſuetudine Eccleſiæ explicata in Rituali Romano: ſed ibi æquali modo prohibetur Euchariſtia, ac Extrema Vnctiò, & nihilominus hæc datur pueris, de quibus dubium eſt, an ſint doli capaces, vt docet Diana tract. 4. de Sacram. reſol. 69. ergo & Euchariſtia debet dari. Confirmatur; quia pro articulo mortis inſtat præceptum diuinum, & ex alia parte nulla irreuerentia irrogatur Sacramento.

15 Dices primò. Qui dubitat, an ſit ieiunus non poteſt communicare contra præceptum Eccleſiæ; ergo neque ille, de quo dubitatur, an habeat vſum rationis. Secundò, qui dubius eſt, an ſit in peccato, non poteſt accedere ad Euchariſtiam; ergo neque qui dubius eſt, an habeat vſum rationis. Sed contra reſpondeo concedendo vtrumq; antecedens, & negando vtramq; conſequentiam: prima negatur, quia ſit tranſitus à caſu nullius neceſſitatis, ad caſum neceſſitatis, in quo vrget præceptum diuinum, vnde ſicuti in adultis in articulo mortis poteſt Sacramentum recipi à non ieiunis, ita à pueris, de quibus dubium eſt, an habeant vſum rationis: ſecunda negatur; quia accedere cum dubio de peccato eſt magna irreuerentia, quæ non eſt dando Euchariſtiam pueris, de quibus dubium eſt, an valeant diſcernere inter cibum, & cibum; cum antiquitus etiam daretur infantibus nouiter baptizatis.

16 Quæres ſextò. An adultis habentibus dubium vſum rationis danda ſit Euchariſtia?

Reſpondeo cum D. Thom. hic art. 9. qui dicit: *Qui habentes debilem vſum rationis, poſſunt aliquam deuotionem huius Sacramenti concipere, non eſt eis denegandum.* Quare vel eſt ſpes, quod tractu temporis poſſint habere certum vſum rationis, & in tali caſu eadem eſt quæſtio, ac de pueris, quod poteſt differri communio Paſchalis vſque dum perueniant ad vſum rationis; eis tamen non eſt denegãda communio in articulo mortis, ſicuti dictum eſt de pueris; vel non eſt ſpes, quod tractu temporis poſſint habere meliorem vſum rationis, & in tali caſu, cum poſſint habere deuotionem huius Sacramenti, eis non eſt denegãda communio, neq; in articulo mortis, neq; in Paſchate. Sic Henriquez lib. 8. c. 42. n. 3. Bonacina quæſt. 6. pun. 1. nu. 3. Lugus diſp. 13. ſec. 5. Auerſa q. 8. ſec. 2. Arriaga diſp. 43. ſec. 5. & alij: quare quod de Indis Lugus refert, aſſerunt hi DD. talem conſuetudinem eſſe reformandam; Verùm ego cum mores illius gentis prorſus ignorem, videant, & iudicent illius gentis Epiſcopi, & Parochi, quid cum Indis huiuſmodi agendum ſit.

ARTICVLVS VI.

Quando, & quomodo obliget præceptum communionis.

1 DAri præceptum diuinum, & eccleſiaſticum ſumendi Euchariſtiam præcedenti articulo vidimus, vbi diximus diuinum obligare in mortis articulo, & aliquoties in vita; Eccleſiaſticum autem obligare, vt ſaltem ſemel in anno in Paſchate omnes vtriuſq; ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint, communicent; vt conſtat ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus, de pænitentia, & remiſſ.* quod præceptum latum fuit in Concilio Lateranenſ. ſub Innocent. III. Nomine autem Paſchatis intelligitur totum tempus à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè; & in aliquibus Prouincijs, vt in Germania extenditur à principio Quadrageſimæ vſque ad 15. diem poſt Paſcha. Ante hoc præceptum à Concilio Lateranenſ. factum, aderat decretum Fabiani Papæ obligans ad communicandum ter in anno, nempe in die Paſchæ, Pentecoſtes, & Natalis Domini; vt colligitur ex can. *Etſi*, de conſecrat. diſt. 2. & can. *Sæculares*, ibidem. Et Sother. Papa decreuerat diem *Cænæ Domini*, can. *in In Cæna*, eadem diſt. hæc tamen decreta non obligant poſt præceptum latum in Lateranenſi. Hæc cum ſint certa, nunc quædam dubia explicanda ſunt.

Quæ-

Digitized by Google

2 Quæres primò. An præceptum diuinum communionis afficiat omnes etiam infideles?

Reſpondeo afficere immediatè tantũ afficere fideles baptizatos. Eſt Soti in 4. diſt. 18. q. 1. ar. 3. Gonet. diſp. 9. de Euch. art. 1. & aliorum contra Suarez diſp. 69. ſec. 2. Vaſquez diſp. 1214. cap. 4. Lugum diſp. 26. ſec. 2. Arriagam diſp. 47. ſec. 2. & alios volentes obligare, etiam infideles. Probatur, in tantùm poteſt obligare infideles, in quantùm poſſunt eſſe capaces communionis, & gratiæ; ſed immediatè non poſſunt eſſe capaces communionis, & gratiæ, niſi prius baptizentur; ergo nec poſſunt immediatè obligari, ſed ſolùm mediante baptiſmo: maior patet, quia obligatio ad communionem ſupponit capacitatem in eo, qui eſt obligatus, & communionis, & effectus, qui eſt gratia; maior patet ex ſententia aduerſariorum, qui admittunt Cathecumenum, & infidelem non baptizatum, nec ſatisfacere præcepto, nec recipere gratiam, ſed grauiùs peccare recipiendo communionem ante baptiſmum; obligantur ergo ad ſeruandum hoc præceptum infideles tantùm mediatè, quatenus obligantur ad recipiendam fidem, & baptiſmum, quo recepto conſurgit obligatio communicandi, eo modò, quo quis, ſi emittat votum ſimplex alicuius religionis, non tamen per hoc tenetur ad obſeruantias eius, donec profiteatur.

Infideles quomodo obligentur ad Euchariſtiam.

3 Dices. Chriſtus dixit ad omnes: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* ergo omnes etiam infideles affecit. Reſpondeo, conſequentiam eſſe tantùm veram mediatè, non immediatè; nam cum poſuerit baptiſmum tamquam ianuam Sacramentorum, & ſine quo non poſſunt licitè vlla Sacramenta recipi, hoc ſtante non potuit immediatè velle obligare, ſed tantùm mediante baptiſmo.

4 Quæres ſecundò. An præceptum diuinum communicandi in articulo mortis afficiat eum, qui paulo antequã incideret in periculum ſuſcepit Euchariſtiam, vel ex præcepto in Paſchate, vel ex deuotione?

Reſpondeo, probabile eſſe adhuc obligare præceptum diuinum ſumendi Euchariſtiam in articulo mortis. Sic Vaſquez diſp. 214. cap. 2. & alij apud ipſum. Contra Suarez diſp. 69. ſect. 3. Coninchum, Sotum, & alios, quos citat, & ſequitur Amicus diſp. 29. n. 17. eſt etiam contra Lugum diſp. 16. num. 37. Arriagam diſput. 47. ſect. 3. & alios, qui putant probabiliter ſatisfactum eſſe præcepto per communionem paulò ante factam, & aliqui dicunt, ſi quis duobus, aut tribus, vel etiam octo diebus ante communicauerat. Probatur tamen noſtra reſponſio. Ratio, cur obliget præceptum diuinum ſumẽdi Euchariſtiam in articulo mortis, deſumitur ex inſtitutione huius Sacramenti, quę eſt per modũ cibi nutriẽtis, & roborantis: ſed nullus vnquam habet maiorem neceſſitatem hujus cibi, quam in illo articulo, ex quo pendet vltimò æternitas, & imminet vltima lucta cum hoſte ad decernendum de tota re; ergo in illo articulo obligatur ad illud ſumendum.

5 Dices. Iam ſatisfactum fuiſſe huic præcepto, quia qui paulò ante communicauit, potuit habere intentionem virtualem ſatisfaciẽdi huic præcepto: & inſuper, quia per opera antecedenter facta poſſum ſatisfacere pręcepto ſequenti, vt ſi quis mane ante receptionem ſubdiaconatus recitet horas canonicas, ſatisfacit obligationi, quam poſtea ſuſcipit per ſubdiaconatum; ergo etiam per communionem ſuſceptam paulò ante periculum mortis quis ſatisfacit præcepto ſumendi viaticum in articulo mortis. Sed contra: quia eſtò, quod aliquibus præceptis quis poſſit ſatisfacere antequam adueniat obligatio, non tamen id eſt verum de omnibus, & de illis præſertim, quæ obligant pro tali determinato tempore, ſic non poſſum hodie ſatisfacere præcepto audiendi ſacrum pro craſtina die, in qua incidit feſtum S. Annæ, & ſi hodie eſſet dies ieiunij ſeruandi, non poſſem ſatisfacere per ieiunium factum heri; cum igitur obligatio ſumendi viaticum ſit affixa tempori, in quo eſt articulus, vel periculum, eo quod tunc anima habeat maiorem neceſſitatem huius cibi, cum tunc agatur de tota re, & immineat maxima lucta cum hoſte, & ab hoc puncto pendeat æternitas, ſequitur, quod per communionem factam ante hoc periculum huic præcepto non fiat ſatis, nec exemplum de ſubdiaconatu eſt ad rem; nam obligatio recitandi officium, licèt incipiat poſt ſuſceptionem ſubdiaconatus tantùm, nihilominus pro ſatisfaciendo. ſufficit ſi in illa die quis recitauerit officium, quia tota dies integra eſt præfixum tempus ad ſatisfaciendum; ita à pari totum tempus, in quo eſt proximum periculum mortis, eſt ſufficiens ad ſatiſfaciendum, non aliud, & hoc modo reſpondetur alijs exemplis, quæ affert Lugus.

6 Quæres tertiò. An quis ſatisfaciat præcepto diuino ſumendi Euchariſtiam, ſi quis illam ſumat in peccato mortali?

Reſpondeo negatiuè, ſed vt quis

ſatiſ-

Digitized by Google

ſatisfaciat prçcepto diuino communionis, debet illam ſine peccato recipere, ſic Durand.in 2.diſt.28.q.4.num.6. Nugnus hic q.80. ar.11. dub.4. Syluius ibidem quæſt.2. Gonet.diſp.9.ar.3.num.13. Arriaga diſp.47. ſect.2. Amicus diſp.29. nu.50. contra Suarez diſp.70.ſec.3. Vaſquez de pœnit.quæſt.92.ar.3.dub.5. Coninch.hic quæſt.80.ar.11. dub.4. Henriquez lib.8.de Euchariſt.cap.5. Lugum diſp.16.ſect.2.n.22.& 44. & alios.

7 Probatur; quia præceptum diuinum ſumendi communionem, non ſolùm eſt illam ſumendi, ſed etiam ſumendi in gratia; ergo quis non ſatisfacit ſacrilegè illam ſumendo: patet conſequentia; quia iam facit contra præceptum; cum eam nō ſumat in gratia: antecedens probatur: tum quia directè mandauit, nè quis Euchariſtiam reciperet, niſi præmiſſa confeſſione: tum quia ex primaria inſtitutione huius Sacramenti requiſiuit pro diſpoſitione gratiam: tum quia, vt docet Trid.ſeſſ.1.cap.2. *Sumi voluit Sacramentum hoc tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes*: Sicuti ergo non fieret ſatis præcepto naturali ſumendi cibum, ſi quis loco cibi ſumeret venenum; ita nec fit ſatis præcepto diuino ſumendi Euchariſtiam, ſi quis eam in peccato ſuſcipit. Nam vt dicit Auguſt. tract.26. in Ioann. *Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ*? Confirmatur, eadem eſt ratio de præcepto communionis, ac de præcepto confeſſionis, ſed per confeſſionē ſacrilegā quis non ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, vt declarauit Alexander VII.in Congreg.Generali Inquiſitionis habita die 24.Septem. anni 1665. & oppoſitam tamquam ſcādaloſam, & temerariam damnauit; ergo pariter, qui ſacrilegè communicat non ſatisfacit præcepto, quod dedit Chriſtus dignè communicandi.

8 Et hæc ratio probat, quod non ſolùm præcepto diuino fit ſatis per indignam communionem, ſed nec etiam præcepto Eccleſiaſtico annuæ communionis; nam hoc non eſt, niſi determinatio præcepti diuini, ſi ergo præceptum diuinum obligat ad dignam ſuſceptionem, etiam obligabit Eccleſiaſticum, quod eſt diuini determinatiuum, quo ad tempus; fateor tamen, quod circa præceptum Eccleſiaſticum reſpōſio noſtra non eſt ita certa; nam licèt determinatum ſit, non ſatisfieri præcepto annuæ confeſſionis per ſacrilegam confeſſionem; non tamen determinatum eſt non ſatisfieri præcepto annuæ communionis per ſacrilegam communionem; nihilominus eadem paritas videtur currere; & ideò noſtra eſt probabilior, & tutior.

9 Dices primò. Etiam baptiſmus eſt in præcepto, & ſi quis habeat peccatum mortale, dum accedit ad baptiſmum debet dolere de ipſo; & tamen, ſi quis indignè accedat ad hoc Sacramentum ſatisfacit præcepto; & alia Sacramenta viuorum requirunt gratiam in ſuſcipiēte, & nihilominus, ſi quis in peccato ea ſuſcipit, ſatisfacit; ergo etiam in Euchariſtia idem dicendum. Sed contra reſpondeo eſſe diſparitatem de Baptiſmo, & Euchariſtia; nam Baptiſmus ex Chriſti inſtitutione imprimit characterem, & non poteſt iterari; vnde eo ipſo, quod ſemel ſuſceptus eſt, debuit Chriſtus velle ipſum eſſe validè ſuſceptum, ſecus contradictoria voluiſſet, nempe, quod adhuc eſſet ſimpliciter neceſſarius, vt ſuſciperetur, & non poſſet ampliùs ſuſcipi; quod non militat in Euchariſtia, quæ poteſt iterari, & in peccato ſuſcepta, nec eſt cibus animæ, neque vllum bonum effectum cauſat in animam. Idem poteſt dici de alijs Sacramentis imprimentibus characterem; & de Matrimonio, quod non poteſt iterari viuentibus ijſdē coniugibus, & de Extrema Vnctione, quæ ſtante eadem infirmitate iterari nō poteſt; quæ non militant in Euchariſtia, vt conſtat.

10 Dices ſecundò. Finis præcepti non eſt in præcepto: ſed quod Euchariſtia recipiatur in gratia eſt finis prçcepti Euchariſtiæ; ergo non eſt ſub præcepto. Sed contra reſpondeo, quod duplex eſt finis præcepti, alius extrinſecus, alius intrinſecus, & eſſentialis; primus non cadit ſub præcepto, ſic vero ſecundus, & huiuſmodi eſt, quando actus præceptus non poteſt haberi ſine huiuſmodi fine, talis eſt actus præceptus ſumendi Euchariſtiam; nam præcipitur, vt ſumatur tamquam cibus ſpiritualis; non poteſt autem ſic ſumi, niſi in gratia; nam aliter ſumpta eſt venenum non cibus; vnde non ſunt duo præcepta à Chriſto poſita vnum communicandi, alterum dignè communicandi, ſed vnum communicandi dignè.

11 Dices tertiò. Saltem præcepto annuæ communionis ſatisfit per communionem indignam; nam Eccleſia non poteſt præcipere actus internos. Sed contra etſi Eccleſia non poſſit directè præcipere actus internos, poteſt tamen indirectè; vnde præcipiendo recitationem diuini officij, præcipit indirectè attentionem, quæ eſt de eſſentia orationis; ita præcipiendo communionem præcipit eam ſumi, eo modo, quo Chriſtus determinauit, nempe in gratia;

tia;

Digitized by Google

tia; cum præceptum Eccleſia de annua communione ſit determinatio præcepti diuini; vnde negatur antecedens.

12 Quæres quartò. An qui in Paſchate omiſit communionem teneatur adhuc communicare, vel liber ſit vſque ad ſequens Paſcha?

Reſpondeo. Adhuc teneri quamprimum communicare, ita Nugnus, Syluius, & Coninchus hic qu. 70. art. 11. Gonet diſp. 9. ar. 3. Suarez diſp. 70. ſec. 2. Vaſquez de Pœnitentia q. 90. art. 3. dub. 2. Lugus diſp. 16. ſect. 4. Arriaga diſput. 47. ſec. 4. & plures alij apud ipſum Auerſa quæſt. 8. ſect. 3. & communior contra Syluestrum, Tabienam, Medinam, Sotum, & Victoriam apud Suarez loco citato, & quoſdam alios, qui ſuſtinent non ampliùs eum teneri communicare, eo modo, quo quis ſi omiſit hodie officiū, non tenetur illud pro hodierno die cras recitare.

13 Probatur tamen noſtra reſponſio. Quia illud præceptum communionis Paſchalis non ſolùm præcipit, vt quis communicet in Paſchate propter reuerentiam feſti Paſchæ, ſed etiam nè talis communio differatur vltra annum; ergo quamuis elapſo tempore Paſchali non poſſit quis amplius in tali tempore communicare, cum hoc ſit impoſſibile, ſemper tamen habet obligationem ſatisfaciendi; eo modo, quo quis, ſi debet dare centum Petro v.g. in principio Aprilis, ſi tali die non dat, non per hoc eſt exemptus à ſolutione, ſed ſemper eſt obligatus, vt quam primū ſatisfaciat; ita & in propoſito dicendū eſt.

14 Aduerte Lugum loco citato dicere, talem obligationem non vrgere ipſum, qui non communicauit, ad quāprimum communicandum, ſed poſſe expectare vſque ad principium Ianuarij: ſed re vera hęc anni diſtinctio pro communione videtur à Lugo arbitrariè dici, cur enim non vſque ad ſequens Paſcha, vel ſolùm vſque ad Aduentum, quo tempore annus Eccleſiaſticus in ordinatione officij incipit? Addo, quid ſi talis in die Epiphaniæ communicaſſet, & poſtea nō communicaſſet in Paſchate, teneretur nè iſte iterum communicare? Standum igitur eſt in eo, quod diximus nempe, quod ſi quis in Paſchate non communicauit, quamprimum communicet.

15 Quæres quintò. An qui præuidet tempore Paſchali non poſſe communicare, teneatur anticipare, vt præcepto ſatisfaciet?

Reſpondeo non teneri, vt ſatisfaciat præcepto communicandi in Paſchate, ſi tamen præuideat non poſſe ampliùs communicare in reliquo anni tempore, teneri communicare, nè maneat ſine communione toto anno, dummodo tamen ex deuotione non communicauerit eo anno. Sic Suarez, Coninch, Auerſa, Lugus, Arriaga, & alij, locis ſupra citatis, contra Nugnum, Syluium, Vaſquez, Fagundez, & alios. Prima pars probatur, quia eo modo debemus loqui de hoc præcepto, ac de alijs: ſed ſi ego præuiderem me die Dominico non poſſe audire Miſſam nō teneor anticipatè eam audire die Sabbati; imò ſi audirem Miſſam die Sabbati, vt ſatiſfacerem præcepto audiendi die Dominico, quo die præuideram me non poſſe audire Miſſam, ſi poſtea caſu die Dominico poſſem Miſſam audire, deberem illam audire, & peccarem non audiendo; ergo ſignum eſt, quod per auditionem Miſſæ die Sabbati non ſatisfeci; nam ſi ſatisfeciſſem ampliùs non eſſem obligatus eam audire; ergo idem dicendum de obligatione communionis; eſt enim eadem omnino par ratio.

16 Secunda pars, quod quis teneatur anticipatè communicare ſi præuideat ſe non poſſe communicare in reliquo anni tempore. Probatur; quia hoc præceptū eſt virtualiter duplex, vt ſupra probatum fuit, nempe communicandi in Paſchate, & non differendi communionem toto anno; ergo ſi præuideam me non poſſe communicare in Paſchate, debeo ſaltem adimplere præceptum eo modo, quo poſsū, & ſatisfacere pręcepto non omittendi cōmunionem per totū annum; hoc autem poſsū adimplere accipiendo communionem ante Paſcha, ſi iam ex deuotione Euchariſtiam non ſumpſi; nam ſi ſemel, licèt ex deuotione Euchariſtiā in anno ſumpſi, iā ſatis factū fuit præcepto, quoad fieri potuit.

ARTICVLVS VII.

Quæ diſpoſitio requiratur ad dignam ſumptionem Euchariſtiæ ex parte corporis.

1 DIſpoſitio poteſt eſſe, vel ex parte corporis, vel ex parte animæ; ex parte corporis requiritur ieiunium naturale, & quod non corpore ſordido, ſed mundo, & decenter compoſito quis ad communionem accedat; ex parte animæ requiritur ſtatus gratiæ, nec ſufficit, quod quis ſit attritus, aut contritus, ſed, ſi quis habet conſcientiam peccati mortalis, prius præmittat confeſſionem Sacramētalem, antequam accedat ad celebrandum, vel communicandum, vt definitum fuit in Trident. ſeſs. 13. cap. 7. hoc cum ſit certum; variæ

Digitized by Google

hic monentur à Doctoribus difficultates, tam circa diſpoſitiones neceſſariò requiſitas ex parte corporis, quam circa requiſitas ex parte animæ, & præcipuas breuiter explicabimus; in hoc tamen articulo agemus de diſpoſitionibus requiſitis ex parte corporis, in ſequenti de alijs ex parte animæ.

2 Quæres primò. An pollutio ſiue voluntaria, ſiue inuoluntaria, & copula ſiue illicita, ſiue licita impediat eo die ſuſcipere Euchariſtiam; & ſuppono, quod ſi ſermo ſit de pollutione voluntaria, vel de copula illicita debeat præmitti confeſſio Sacramentalis, cum in ſe ſint peccata mortalia, & inquirimus, an præmiſſa confeſſione de his peccatis, licitum poſtea ſit eo die communicare.

3 Reſpondeo ex ſe non eſſe illicitum, neque etiam ſub culpa veniali tali modo accedere, licèt aliquando ex congruentia, & decentia quadam melius ſit abſtinere, ſed in hoc ſtandum eſt prudentiæ confeſſarij: eſt D. Thom. hic qu. 80. ar. 7. Gonet diſp. 9. ar. 2. Ioan Sancii in ſelectis diſp. 23. num. 30. Suarez diſp. 68. ſec. 2. Arriagę diſp. 44. ſec. 1. & aliorum contra nonnullos contendentes eſſe ſemper ſaltem veniale.

4 Probatur noſtra reſponſio: In pollutione illa, vel copula duo poſſumus conſiderare; vnum eſt ratio peccati: alterum eſt fœditas corporalis, & euagatio mentis, quæ vt plurimum eſt coniuncta cum pollutione, & multò magis, ſi fuit voluntaria: quoad primum hoc peccatum non magis impedit communionem, quam alia grauioria, vt periurij, furti grauis &c. ſed hæc poſt præmiſſam confeſſionem non impediunt: ergo nec pollutio, licèt voluntaria poſt præmiſſam confeſſionem impedit.

5 Quo ad ſecundum, ſi fœditas corporalis ſecundum ſe conſideretur, neque hæc impedit; quia nihil aliud eſt, niſi denominatio quędam extrinſeca, quæ iam tranſiit; ſi verò conſideretur, vt coniuncta eſt cum commotione ſpirituum, & euagationibus mentis, tunc dicit D. Th. ex congruentia quadam melius eſſe abſtinere, & peccatum veniale eſſet ſic accedere. Verum quia non ſemper ſunt coniunctæ iſtæ mentis euagationes, & poteſt contingere, vt ille, qui etiam voluntariè pollutionem commiſit, ita ſit mutatus, & per confeſſionem mundatus, vt magis ſit diſpoſitus, quam plures alij; ideo hoc committitur prudentiæ confeſſarij, qui habita ratione perſonæ iudicet, quid magis expediat: legendus eſt D. Thom. loco citato, qui diſtinctiſſimè totam hanc difficultatem tractat.

6 Quæres 2. An quælibet paruitas materiæ frangat ieiunium naturale, & impediat communionem.

Reſpondeo affirmatiuè patet hoc ex Concilio Tolet. VII. can. 2. vbi habetur. *Nullus poſt cibum potumque quemlibet minimum ſumptum miſſas facere præſumat*; & ex alijs Concilijs, & conſuetudine ab Eccleſia approbata id conſtat. Ratio autem cur ſit peccatum graue ſumere Euchariſtiam poſt ſumptionem cuiuſcumque paruitatis cibi, vel potus eſt, quia hoc præcepto non prohibetur ſub mortali illa parua materia cibi, vel potus ſed prohibetur communio poſt ſumptionem cuiuſcumque cibi, vel potus: communio autem ſemper eſt materia grauiſſima; quam rationem confirmat Arriaga hoc modo: ſi Rex prohibeat, aliquem ſumere centum aureos ex theſauro regio, niſi prius genufle ctat Regi, certè ſi quis ſine genuflexione eos aureos acciperet grauiter peccaret; quia Rex non vult eos dare, niſi poſita genuflexione tamquam conditione, licèt genuflexio in ſe ſit res parua; Ita cum Eccleſia prohibeat communionem abſolutè non ieiunis, licèt ſumptio parui cibi, vel potus ſit paruitas materiæ, eſt tamen conditio, ſine qua non intendit Eccleſia dare vllo modo Euchariſtiam.

7 Quæres 3. Quid requiratur, vt violetur ieiunium naturale?

Reſpondeo cum Lugo diſp. 15. ſec. 2. Arriaga diſp. 44. ſec. 2. & communi Doctorum apud eoſdem, requiri, quod aliquid ab extrinſeco ſumatur per modum cibi, & potus. Probatur quia ab Eccleſia prohibetur quilibet cibus, & potus; ſed cibus, & potus, vt ſit talis, debet ſumi ab extrinſeco; ergo vt violetur hoc ieiunium naturale debet ſumi ab extrinſeco: minor patet ex communi hominum acceptione. Hinc deducũt primò, quod, ſi aliquis humor, vel ſanguis à capite in os diffluat, & deglutiatur, non per hoc violatur ieiunium, quia alioquin illa conditio eſſet moraliter impoſſibilis: nam cogeretur homo ante communionem omnem ſaliuam ſpuere, quod eſt difficillimum, & dedecens.

8 Deducunt 2. Reliquias, quæ inter dentes ex cibis præcedentis diei remanſerunt, etiamſi poſtea traijciantur non violare ieiunium, limitant hoc D. Thom. hic. qu. 80. ar. 8. ad 4. Suarez, Lugus, & alij, ſi huiuſmodi reliquiæ cauſaliter tranſglutiantur, ſecus ſi ex induſtria; verum hanc limitationem vocat Arriaga nimis ſcrupuloſam, cum Eccleſia non ſit ſollicita de illis reliquijs, cum non ſint ea die in os immiſſæ. Sed certè hæc ratio Arriagæ non placet;

nam

Digitized by Google

nam ſi heri bolus aliquis fuiſſet poſitus in os, & deglutiretur hodie, neque iſte deberet impedire communionem, quia non fuit hodie in os immiſſus; ſecurior ergo eſt limitatio poſita.

9 Deducunt 3. Quod, ſi quis abluendo os, & deglutiendo ſaliuam, aliquam guttam aquæ traijciat, non per hoc violatur ieiunium, quia talis non eſt potatio ſed deglutire ſaliuam; verum in hoc dicerem, quod vel ille, qui abluit os aduertit ex frigiditate aquæ, vel ex alio accidenti ſe deglutiſſe aquam & in tali caſu deberet abſtinere à communione: vel caſu deglutitum eſt parum aquæ veluti ſaliua, & ſic non impedit.

10 Deducunt 4. Quod ſi reſpirando attrahatur muſca, vel culex in os, & deglutiatur, non per hoc impediatur communio, quia talis actio non eſt comeſtio, ſed reſpiratio; vnde notat Lugus, quod eſſet grauiſſimum præceptum redolens iudaicam ſuperſtitionem, ſi oporteret nihil omnino cum ſaliua, aut reſpiratione traijcere: nam oporteret ſemper tenere clauſum os, ne puluis, aut aliquid aliud cum reſpiratione traijceretur.

11 Quæres 4. Quomodo à Cardinali celebrante in nocte Natiuitatis in ſacello Pontificio obſeruetur ieiunium naturale?

Ratio dubitandi conſiſtit in hoc, quia ieiunium naturale debet incipere à media nocte præcedentis diei; miſſa autem ſolet abſolui ante mediam noctem; igitur Cardinalis celebrans non eſt ieiunus, cum in eadem die hora ſolita prandium ſumpſerit.

Reſpondeo Pontificem cum tali Cardinali celebrante diſpenſare; an verò debeat dici diſpenſatio in ieiunio, vt fert communis opinio, vel diſpenſatio in anticipatione diei, vt vult Lugus, vtrumque eſt probabile, ſed nihil certum.

12 Dices cum Lugo: ſi eſt diſpenſatio in ieiunio; ergo tunc Pontifex diſpenſat cum Cardinali, vt in vigilia Natiuitatis celebret duas miſſas; ergo poſſet talis Cardinalis in die Natiuitatis cecelebrare tria ſacra, & ſi vigilia eſſet in die dominico poſſet aliquis ſatisfacere præcepto audiendi miſſam, audiendo tale ſacrum, quæ omnia ſunt falſa; ergo non eſt diſpenſatio in ieiunio, ſed in anticipatione diei. Sed contra, quia ſi eſt diſpenſatio in anticipatione diei; ergo tunc poterit quis ante mediam noctem comedere carnes, vel ſumere Eucharistiam. Quod ſi reſpondeat Lugus hæc non ſequi, quia hæc eſt diſpenſatio particularis pro tali Cardinale celebrante tantùm; ita poſſunt auctores opinionis contrariæ dicere, hanc diſpenſationem eſſe tantùm particularem pro illo Cardinale, vt poſſit in nocte vigiliæ celebrare non ieiunus, & anticipare vnum ex tribus ſacris, non verò, quod alij poſſint ſatisfacere pro ipſo die vigiliæ, ſi in Dominica venerit; vnde in tali ſacro non poteſt ſumere ablutionem, ſi mane vult celebrare alia duo ſacra.

13 Quæres 5. An aliquando liceat non ieiuno Euchariſtiam ſumere?

Reſpondeo dari plures caſus in quibus licitum eſt communionē ſuſcipi à non ieiuno. Primus eſt, quando datur per modum viatici, quia in periculo mortis datur præceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia: præceptum autem diuinum præualet Eccleſiaſtico de ieiunio, & talis eſt praxis totius Eccleſiæ vt habetur in Rituali Rom. Pauli V.

14 Secundus eſt ſi conſecrata altera ſpecie Sacerdos recordetur ſe non eſſe ieiunum; nihilominus debet proſequi ſacrificium, & ſumere; quia præceptum diuinum de perficiendo ſacrificio præualet Eccleſiaſtico de ieiunio, & propter eamdem rationem, ſi ſumpto calice, cognoſcat non eſſe vinum, quod conſecrauit, debet iterum conſecrare, & ſumere. Similiter ſi ſacerdos facta conſecratione moriatur, debet alius non ieiunus perficere ſacrificium, ſi non adſit alius, qui ieiunus poſſit illud perficere.

15 Tertius ſi ſacerdos poſt ablutionem ſūptam reperiat aliquas particulas à ſe conſecratas, ſen aliqua fragmenta, quæ commodè ſeruari non poſſunt, poteſt eadem ſumere, quia ſunt reliquiæ, & complementum eiuſdem ſacrificij.

16 *Dixi à ſe conſecratas*; nam ſi ab alio fuerunt coniecratæ, non poteſt illas ſumere, quia non ſpectant ad complementum ſui ſacrificij, ſed alterius, qui illas conſecrauit. Item ſi particula hoſtiæ adhærat calici, vel palato poteſt infundere vinum, & poſtea ſumere; imo communiter fit, quod aliquid ſanguinis, qui remanet in calice ſimul ſumitur cum vino, quod pro purificatione infunditur; ergo & particula illa hoſtiæ ſimul cum vino ſumi poteſt, ſi forte calici, vel palato adhæreat; & ratio huius affertur à Caietano, quia cum tota illa actio ordinetur ad vnam refectionem ſacramentalem, ſufficit, quod quis accedat ieiunus in principio totius actionis, cùm ſic accedat ſimpliciter ieiunus ad totam actionem ſacramentalem.

17 Quartus. Si periculum eſſet, quod Euchariſtia conculcetur ab hæreticis, vel perueniat in manus infidelium, vel

Digitized by Google

ab animali deuoretur, aut cadat in lutum, vel comburratur, tunc ad vitandam hanc irreuerentiam licitum eſt Euchariſtiam ſumi à non ieiuno, & ratio eſt, quia præceptum de non irroganda irreuerentia Sacramento eſt diuinum naturale; præceptum verò ſumendi illud tantùm à ieiunis eſt poſitiuum Eccleſiaſticum.

18 Quæres 6. An qui mane ex deuotione communicauit, ſi à prandio incidat in periculum mortis, poſſit iterum ſumere Sacramentum per modum viatici.

Reſpondeo probabile eſſe, quod iterum poſſit communicare per modum viatici. Sic Gaſpar Hurtadus diſput. 10. diff. 2. aducens Vaſquium diſput. 214. num. 14. quod probabiliſſimum cenſet Diana p.4. tract.4. reſol. 197. & Arriaga diſp. 44. ſec. 3. Aducit etiam Hurtadus Theologos aliquos Salmanticenſes, & Complutenſes, quos dicit interrogatos ea de re, tali ſententiæ ſubſcripſiſſe; & factum P. Claudi Aquauiuæ Generalis Societatis,& aliorum ex eadem Societate, qui mane cum communicaſſent, & veſperi in graue periculum mortis incidiſſent, iterum per modum viatici communicarunt,contra Suarez diſp.69.ſec.3 Coninchum hic qu.80. ar. 11. Lugum diſp.16. num,37. Gonetum diſp.9. n.35. & plures alios negantes id licere, ſed præcepto ſatisfactum eſſe per communionem mane factam. Probatur tamen noſtra reſponſio. Quando concurrunt duo præcepta, vnum diuinum, aliud Eccleſiaſticum, ſeruandum eſt diuinum; ſed præceptum de ſumenda Euchariſtia in periculo, vel articulo mortis eſt diuinum, præceptum de communicando cum ieiunio, vel ſemel tantùm in vna die, eſt Eccleſiaſticum; ergo illud ſeruandum, non Eccleſiaſticum.

19 Dices iam eſſe ſatisfactum præcepto diuino per communionem factã mane, nec eſſe neceſſe, quod infirmus ſciat ſe eſſe in periculo, vel articulo mortis, vt ſatisfaciat, vt patet de eo, qui in die feſto audit miſſam ignorans eſſe diem feſtum, etenim poſtquam cognouit eſſe diem feſtum non tenetur aliud ſacrum audire, quia iam ſatisfecit obligationi & de eo, qui in Paſchate communicat ignorans ſe teneri in Paſchate communicare; nam habita cognitione non tenetur amplius communicare, quia iam ſatisfecit; ergo etiam in propoſito, qui iam communicauit ſatisfecit præcepto diuino. Sed contra, quia hęc probant, quod ille, qui mane communicauit iam ſatisfecerit, quia erat iam in periculo mortis, etiamſi ille neſciret, ſe eſſe in illo periculo: at non probant de eo, qui mane communicauit ſanus, & poſtea à prandio fuit grauiter vulneratus, vel de eo, qui mane iudicabatur non eſſe in periculo, & poſt prandium propter morbum ſuperuenientem iam iudicatur in periculo mortis: ſicuti autem per ieiunium hodiernum non poſſum ſatisfacere præcepto pro craſtino, quia non poſſum ſatisfacere præcepto,niſi ipſo vrgente, & lato; ita nec per communionem factam mane, quo tempore non erat periculum mortis, nec vrgebat præceptum diuinum communicandi, fit ſatis ipſi præcepto. Confirmatur, quia ſi quis infirmus heri ex deuotione communicauit, quo tempore non cenſebatur in periculo, poteſt hodie, in quo iudicatur in periculo per modum viatici communicare ſecundum communem, & ſecundùm alios debet communicare, vt ſatiſfaciat præcepto; ergo etiam ſi mane communicauit, quo tempore non cenſebatur eſſe periculum; ſi poſtea periculum adueniat,poteſt iterum per modum viatici communicare, vt præcepto ſatiſfaciat.

20 Dices ſecundò, eſſe diſparem rãtionem; nam qui communicauit heri, licèt infirmus eſſet, poteſt hodie communicare, quia non facit contra præceptum communicandi bis eadem die: at qui mane communicauit faceret contra præceptum de non communicando bis eadem die. Sed contra, quia qui communicauit heri ex deuotione, licèt eſſet infirmus, poteſt hodie, & ſecundùm alios debet communicare per modum viatici, quia vrget præceptum diuinum communicandi in periculo mortis, cui cedit præceptum Eccleſiaſticum de non communicando, niſi quis ſit ieiunus: ſed etiam præceptum de non recipienda bis eadem die Euchariſtia eſt tantùm Eccleſiaſticum; ergo & iſtud cedere debet præcepto diuino. Confirmatur, quia ſi Sacerdos celebrans poſt conſecrationem moriatur, debet alius Sacerdos,etiã ſi non ſit ieiunus, ſacrificium illud perficere, & iterum communicare, quia vrget præceptum diuinum de perficiendo ſacrificio: ſed etiam in propoſito vrget præceptum diuinum de communione in periculo mortis; ergo licèt quis mane communicauerit, & modo non ſit ieiunus, vt ſeruet præceptum diuinum, poteſt, & debet communicare.

21 Probatur 2. Quando Chriſtus poſuit præceptum communicandi in articulo mortis, debuit nomine articuli comprehendere aliquid, quod eſſet ab homi-

Digitized by Google

homine cognoſcibile, vt poſſet tale præceptum adimplere: ſed homines prudentes, & Medici in hoc periti non iudicant proximum periculum mortis, & multò minus articulum mortis, quando quis benè valet, aut quando quis eſt infirmus quacumque infirmitate; ſed ſolùm quando infirmus in tali ſtatu eſt, vt nulla ſecundùm artem, vel leuiſſima ſolùm eſt ſpes ſalutis; ergo tantùm pro illo periculo proximo, vel articulo mortis obligat, & non ante: ſi autem pro tunc obligat præceptum diuinum, huic præcepta Eccleſiaſtica cedere debent.

22 Dices 1. ex Arriaga. Non eſt veriſimile, Chriſtum voluiſſe obligare ad communionem in periculo mortis illũ, qui iam mane communicauit; cum finis illius præcepti ſit armare fideles contra tentationes diaboli in hora mortis, ad quod ſufficit communio facta etiam præcedenti die. Sed contra hoc eſt dicere, non adeſſe præceptum diuinum de communione in periculo mortis, quod præceptum tamen adeſſe ipſe admittit; ergo vel debet negare adeſſe præceptum, vel hæc ratio nulla eſt.

23 Dices 2. cum communi. Hoc Sacramentum repræſentat vnitatem paſſionis Chriſti, & conſuetudo Eccleſiæ eſt non communicandi bis eodem die; ergo in vno die vnica tantùm poteſt fieri communio. Sed contra per hoc, quod bis recipiatur nõ per hoc ſequitur, quod non ſignificet eamdem vnitatem paſſionis, vt patet de Sacerdotibus, qui bis celebrant, & omnes in die Natalis ter celebrant, & communicant, & tamen ſemper ſignificatur eadem vnitas paſſionis Chriſti. Ad conſuetudinem Eccleſiæ dico, non eſſe vniuerſaliter veram, vt patet ex exemplis illorum ſupra adductis, qui bis in eodem die communicarunt.

24 His tamen non obſtantibus, fateor opinionem contrariam eſſe probabiliſſimam: tùm propter numerum, & auctoritatem Doctorum, qui eam ſequuntur, qui ſunt ferè omnes, ijs exceptis, quos pro noſtra reſponſione adduximus; tùm propter conſuetudinem communem Eccleſiæ, quæ non eſt ſolita dare bis communionem in eodem die; nam hæc explicat, quod præceptum diuinum Chriſti de communione in morte ſit de die, in quo quis incidit in periculum, ſiue mane quis ſit in periculo, ſiue non, quo poſito per communionem in mane huic præcepto ſatis fit, eo modo, quo Subdiaconus ſatisfacit præcepto, ſi mane recitet officium antequam ſit ordinatus.

25 Quæres 7. An durante eadem infirmitate poſſit quis pluries communionem recipere non ieiunus?

Reſpondeo eſſe licitum intra eamdẽ infirmitatem, ſi aliquantulum protrahatur pluries communicare ſine præuio ieiunio. Sic Nugnus qu.80. art.3. Coninchus ibidem, Tabiena verbo Communio, Suarez diſp.68. ſect.5. Lugus diſp.15. ſect.3. Amicus diſp.27. nu.10. Arriaga diſp.44. & alij apud ipſum contra Vaſquez diſp.211. cap.4. Ioannem de Cruce, & alios. Probatur ex Rituali Rom. Pauli V. vbi Pontifex ſic habet. *Quod ſi æger ſumpto viatico dies aliquot vixerit, vel periculum mortis euaſerit, & communicare voluerit eius pio deſiderio Parochus non deerit.* Vbi notandum, quod Pontifex ponit duos caſus, in quibus poteſt dari communio: primus eſt, ſi vixerit aliquot dies, & periculum non euadat; dicit poſſe dari illi communionem; ergo loquitur, quod poſſit dari eidem etiam non ieiuno: probatur conſequentia, quia communio infirmo ieiuno in eadem infirmitate poteſt dari ſæpius; ergo vt conceſſio Pontificis ſit aliquid amplius, debet poſſe dari pluries etiam non ieiunis; nam ſi periculum euaſerit poterit quidem communicare, ſed ieiunus; nam communio non ieiuno non datur, niſi ſit in periculo mortis. Ratio eſſe poteſt; quia Eccleſia eſt pia mater, & cum cognoſcat ingentem fructum percipi à ſuis filijs in perceptione huius Sacramenti, præſertim tali tempore, in quo agitur de tota re, & ſalute æterna, exiſtimandũ eſt etiã ſępius velle diſpenſare, vt etiam à non ieiunis ſumi poſſit.

26 Quæres 8. Quantum ſpatium debeat intercedere inter vnã communionem, & aliam, quando in eadem infirmitate ſumitur à non ieiunis?

Reſpondeo in hoc multùm diſſidere Doctores, quando nam id licitum ſit. Nam aliqui ſtatuunt ſpatium triginta dierum, vt Nauarrus: Alij octo, vt Nugnus, Suarez, Henriquez, Fagundez, & alij; Syluius hic vult ſufficere ſeptem. Alij volunt ſufficere ſex, ſic Armilla, Filliuccius, & Diana tom. 1. tract. de celebr. Miſſarum reſo.77. Alij poſt tres dies. Layman verò lib.5. Theolog. mor. tract.4. cap 6. vult poſſe etiam ſequenti die, ſi quis ſolitus ſit communicare, & ei difficile ſit abſtinere. Nihilominus in hoc ſtandum eſt vſui, & conſuetudini Eccleſiæ, & dicerem poſt ſeptem, vel octo dies poſſe quemlibet iterùm communicare: Religioſos verò, & alios hoc Sacramentum ſolitos frequentare, poſſe etiam poſt quatuor, vel quinque dies: hoc enim videtur innuere Paulus V. in Rituali Rom. dum dicit

Quod

Digitized by Google

Quod ſi æger ſumpto viatico dies aliquot vixerit, & communicare voluerit Parochus eius pio deſiderio non deerit. Quatuor verò, vel quinque dies poſſunt dici aliquot dies.

27 Vnum notant in hoc communitèr Doctores, quod ſi infirmi poſſunt facilè ieiuni communicare, debent itá etiam prima vice facere, & multò magis, ſi velint ſecundò, vel tertiò id facere. Dixi facilè, quia quælibet difficultas excuſat, & in hoc non eſt nimis ſcrupulizandum. Inſuper quod in periculo mortis poſſit quis non ieiunus cōmunicare, intelligitur non tantùm de infirmis, ſed etiam de damnatis ad mortem; non enim tenetur Iudex differre executionem. Sic Lugo diſp. 15. ſect. 3. quem ſequitur Arriaga diſp. 44. nu. 40.

28 Quæres 9. Vtrum Sacerdos pro communicando infirmo poſſit celebrare non ieiunus.

Reſpondeo cum diſtinctione, vel debet celebrare pro communicando ſe ipſo in periculo mortis conſtituto, vt ſi eſſet occidendus, vel ſi ſumpto veneno eſſet moriturus, vel eſſet proximus morti, & non haberet à quo poſſet recipere viaticum; & in his caſibus dico cum Lugo, & Arriaga locis citatis, Gonetо diſp. 9. art. 2. & alijs, poſſe talem Sacerdotem celebrare, etiamſi non ſit ieiunus, ad ſe communicandum. Ratio eſt; quia in hoc nulla eſt maior ratio, quod poſſit infirmus in periculo mortis conſtitutus recipere viaticum non ieiunus, & Sacerdos non poſſit; cum in vtroque caſu ſit eadem, & par ratio; ergo ſi poteſt infirmus proximus morti communicare non ieiunus, etiam Sacerdos, vt ſe ipſum in ſimili periculo conſtitutus communicet, poterit celebrare.

29 Vel ſecundò debet celebrare pró communicando alio infirmo, & in hoc, licèt plures affirment poſſe, quos allegat ad longum loco citato Lugus, qui ideò talem opinionem vocat probabilem; nihilominus ſuſtineo non licere. Sic Nugnus qu. 80. art. 7. Coninchus ibidem num. 56. Syluius ibidem. Suarez diſ. 68, ſect. 5. Vaſquez diſp. 211. cap. 5. Homobonus de Bonis, Fagundez, Armilla, & alij, quos refert, & ſequitur Diana 1. tom. tract. de celebr. Miſſarum reſol. 66. & alibi. Bonaci. de Euch. diſput. 4. qu. 6. pun. 2. num. 24. qui plures alios allegat. Lugus, Arriaga, & alij locis citatis. Ratio eſt conſuetudo Eccleſiæ, quæ in hoc non cenſetur velle diſpenſare; & diſparitas poteſt aſſignari, cur diſpenſet, vt infirmus poſſit non ieiunus communicare, non autem Sacerdos poſſit non ieiunus celebrare ad communicandum infirmum; nam Eccleſia ſolet ſeruare Euchariſtiam pro communicandis infirmis, vnde non niſi rariſſimè poteſt ocurrere caſus, quod ſit neceſsè Sacerdotem non ieiunum debere celebrare ad infirmum communicandum; & ideò non diſpenſauit niſi in caſu, qui ſæpiſſimè accidere ſolet. Secunda diſparitas eſt, quia pręceptum diuinum communicandi in articulo mortis eſt infirmi periclitantis, qui debet Euchariſtiam ſumere quando poteſt; at hoc præceptum non eſt factum Eccleſiæ, & Sacerdotibus, vt illud Sacramentum dent, niſi quando cum debita reuerentia poteſt dari; vnde ſicuti nō licèt Sacerdoti illud dare infirmo, ſi ſit periculum vomitus, vel irreuerentiæ erga Sacramentum, nec licèt celebrare ſine veſtibus, aut ara; ita nec licet Sacerdoti non ieiuno celebrare, vt infirmum communicet.

30 Dices. Si Sacerdos ſit in peccatò mortali, nec habeat copiam Confeſſarij, poteſt celebrare, vt det viaticum infirmo; ergo etiam poteſt celebrare nō ieiunus. Sed contra reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; nam, etiamſi ſit in peccato mortali, poteſt, & debet elicere actum contritionis, quo poſito nulla eſt ìrreuerentia; quæ ſemper remanet in non ieiuno. Eſt alia diſparitas, quia, ſi quis ſit in peccato mortali, non tenetur prodere ſe ipſum, & tunc concurrit præceptum naturale de ſeruanda propria fama: at per hoc, quod quis non ſit ieiunus, nihil famæ deperdit; ideò &c.

31 Tandem ex diſpenſatione Summi Pontificis poteſt quis non ieiunus celebrare, vel communicare, cauſa rationabili interueniente. Cuius rei plurima extant exempla; nam diſpenſauit cum Carolo V. Imperatore, vt poſſet non ieiunus ad Euchariſtiam accedere, vt teſtatur Famìanus Strada lib. 1. de bello Belgico; & Gonetus loco citato narrat, quod Paulus V. anno 1619. diſpenſauit cum Domina de Londey in Gallia, vt poſſet quotidiè poſt prandium communicare ad compeſcendum Dęmonis maleficium; cum enim vix ſumpto cibo, & potu horribili totius corporis tremore corriperetur, etiam cum vitæ periculo, niſi eidem Sacramentum adminiſtraretur; Ideò ſtatim eidem adminiſtrabatur, quo vix labia, aut linguam tangente, tremor ille horribilis ſiſtebat, & priſtinæ ſaluti reſtituebatur; & de hoc miraculo fatetur Gonetus ſe teſtem eſſe de viſu.

32 Quæres 10. Vtrum Sacerdos poſſit celebrare vtendo pileolo, aut ementitis capillis, ſeù perucca abſque diſpenſatione Papæ?

Hoc

Digitized by Google

Hoc quæſitum continet duas difficultates; prima eſt, an liceat Sacerdoti celebranti vti pileolo, vel perucca: Secunda, an ſi hoc non liceat, poſſit tamen eſſe licitum ex diſpenſatione Papæ, vel alterius ſuperioris.

33 Reſpondeo 1. Nulli Sacerdoti licitum eſſe celebrare miſſam vtendo pileolo, ſeu perucca. Probatur primò ex can. *Nullus Epiſcopus de Conſecr. diſtinct.* 1. vbi prohibetur ſub pœna priuationis communionis, ne quis Epiſcopus, aut Presbyter miſſam celebret velato capite & deſumptum fuit hoc ex Apoſt. 1. ad Cor. 11. vbi habetur. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum.* Ratio eſt, quia lumen naturale dictat, debere ſeruum, & ſubditum aperto capite, non verò cooperto, ſeù velato tractare cum Domino ſuo præſente, & irreuerentia magna eſt cum eodem cooperto capite velle tractare; at ſacrificans celebrando Miſſam tractat cum Chriſto vero Deo, & Domino noſtro realiter præſente; ergo illicitum eſt, quod Sacerdos celebrans vtatur pileolo, aut perucca. Sic communiter Doctores, vt teſtatur Marchinus de Ordine tract. 3. par. 3. cap. 4.

34 Reſpondeo 2. Diſpenſationē vſus pileoli, vel peruccæ in miſſa ad Papam ſpectare. Eſt contra Zerolam in praxi Epiſcopali V. Miſſa 2. pat. §. 11. Fagundez de quinq; præceptis Eccleſiæ par. 1. lib. 3. cap. 21. num. 33. Nauarr. Conſil. 4. lib. 2. tit. 41. de celebr. Miſſarum, Syluestrum V. Miſſa 1. quæſt. 2. & alios exiſtimantes poſſe Epiſcopum diſpenſare. Noſtra tamen reſponſio eſt Marchini loco cit. & Gauanti Com. in Rub. Miſſalis pat. 2. tit. 2. verſ *Verùm Sedi Apoſtolicæ.* Sic reſponſum fuit à Sacra Congregatione Card. ſuper negotia Epiſcop. 2. Ianuarij 1590. & 17. Ianuarij 1595. Archiepiſcopo Vrbinati, & ob decretū Sacræ Congregationis Rituum 31. Ianuarij 1626. & 24. Aprilis eiuſdem anni, quorum meminit Gauantus loco citato & talis eſt ſtylus Curiæ Romanæ nunc, vt Papa diſpenſet.

35 Reſpondeo 3. non expedire, quod Papa diſpenſet à conſecratione vſque ad ſumptionem. Sic Gauantus, & Marchinus locis cit. Franciſcus Scorcia de ſacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 4. & alij. Ratio eſt; quia huiuſmodi diſpenſatio cederet in non modicam Sacramenti irreuerentiam; Vnde ipſi Pontifices celebrantes a tempore conſecrationis vſque ad ſumptionem pileolum deponunt, ſiue priuatim, ſiue ſolemniter celebrent, etſi à Papa ſit huiuſmodi diſpenſatio ſemper excipitur tempus canonis; vt teſtatur idem Gauantus.

ARTICVLVS VIII.

Quam diſpoſitionem requirat hoc Sacramentum ex parte animæ.

1 Ex dictis de Sacramentis in communi requiri gratiam ad hoc, vt Sacramenta viuorum ritè recipiātur, & producant ſuos effectus conſtat; vbi etiam qu. 3. art. 8. diximus peccatum veniale non eſſe obicem ad recipienaum augmentum gratiæ in Sacramento Euchariſtiæ; actualem verò deuotionem tantùm requiri ad acquirendam ſpiritualem dulcedinem, non verò ad hoc, vt producatur augmentum gratiæ ibidem docuimus; vnde non opus eſt iterùm eadem repetere; quare ſolùm quædam dubia huius loci propria explicabimus; & ſuppono ex Trid. definitum, quod ſi quis habeat conſcientiam peccati mortalis, & habeat copiam Confeſſarij teneatur prius præmittere confeſſionem ſacramentalem antequam accedat ad hoc Sacramentum recipiendum. Sic enim habet Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. *Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum. Probet autem ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem debere eſſe per confeſſionem, modo non deſit copia Confeſſoris;* & in fine mandat Sacerdotibus, quod ſi vrgente neceſſitate celebrant abſq; præmiſſa confeſſione, quam primùm confiteantur. His poſitis.

2 Quæres 1. A quo ſit impoſitum hoc præceptum confeſſionis ante ſacramentalem communionem.

Reſpondeo præceptum de confeſſione ante communionem eſſe diuinum poſitiuum, ità Sotus in 4. diſt. 12. qu. 12. art. 4. Nugnus hic art. 4. diff. 2. Gonet. diſp. 9. art. 2. Suarez diſp 63. ſect. 2. Vaſquez diſp. 207. cap. 4. Lugus diſput. 14. ſect. 4. Arriaga diſp. 46. ſect. 2. & communis Doctorū contra Medinam Cod. de pœnitentia q. 17. Nauarrum in Sum. cap. 21. num. 49. & Coninch. hic qu. 80. art. 1. dub. 1. qui dicunt hunc præceptum non eſſe diuinum, ſed ex conſuetudine fidelium. Probatur tamen ex Apoſtolo 1. ad Cor. 11. vbi habet. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ex quo loco colligitur claré, quod ea, quæ tradidit de communione accepit à Domino: ſed Apoſtolus tradidit præceptum de præmittenda confeſſione, dum dicit. *Probet autem ſe ipſum homo.* vt Trid. declarat, quod ea probatio debet eſſe per confeſ-

Digitized by Google

confeſſionem; ergo hoc præceptum accepit à Domino, & Paulus promulgauit.

3 Quæres 2. An aliquando ſit licitum accedere ad communionẽ etiamſi non præmittatur confeſſio, ſi quis ſit cum conſcientia mortalis?

Reſpondeo certũ eſſe aliquem cũ conſcientiæ mortalis poſſe aliquando accedere ad communionem non præmiſſa confeſſione, nempe cum deeſt copia Confeſſarii, & neceſſitas communicandi, vel celebrandi vrget: patet hoc ex Trid. loco adducto, vbi habetur. *Modò non deſit illis copia Confeſſoris; quod ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.* Quare communitèr omnes Theologi duas exigunt conditiones in eo, qui habens conſcientiam peccati mortalis, communicat, ad hoc, vt licitè id facere poſſit; nempe vt copia deſit Confeſſarij, & ſecunda vt adſit vrgens neceſſitas; in tali enim caſu præmiſſa ſolùm contritione poteſt communicare, vel celebrare.

4 Quæres 3. Quis cenſeatur non habere copiam Confeſſoris?

Reſpondeo dari multos caſus, in quibus communicaturus cenſetur non habere copiam Confeſſarij. Primus, quando nullus planè adeſt. Secundus, ſi adſit, mutus tamen ſit, vel nolit audire confeſſiones. Tertius, ſi Confeſſarius ſit in tali diſtantia, vt propter corporis imbecillitatem, vel temporis intemperiem, vt propter inundationem, plouiam, vel niues, vel propter latronum periculum ad illum quis accedere non poſſit. Quartus, quando Confeſſarius eſt præſens, ſed ſi quis illi peccatum confiteatur timet probabiliter, vel reuelationem confeſſionis, vel aliud graue damnum, & quidquid excuſat ab integritate confeſſionis, quando non eſt alius Sacerdos, excuſat in noſtro caſu à præmittenda confeſſione, ſi quis non habeat aliud peccatum, quam illud ex cujus confeſſione imminet periculum.

5 Non dicitur tamen aliquis carere copia Confeſſarij, quando non habet proprium Confeſſarium, vel alium, cui poſſit deuotiùs, & vtiliùs confiteri, vel adeſt Confeſſarius quidem, ſed apud quem pęnitens eſt in bona exiſtimatione, & non vult confiteri, ne apud ipſum deperdat bonum nomen; nam reuerentia huius Sacramenti præualet priuatæ vtilitati, & commoditati, nec per confeſſionem deperditur exiſtimatio propria, & licèt aliquo modo deperderetur penes talem Confeſſarium, non per hoc excuſatur ab integra confeſſione, quia hoc eſt eſſentialitèr connexum cum peccato, quod commiſit. Sic communitèr Doctores, quidquid aliqui in contrarium dicant.

6 Quæres quartò. An ſi Confeſſarius ſit abſens duo, vel tria milliaria, & alius debeat communicare, vel celebrare, hoc perinde ſit, ac ſi quis non habeat copiam Confeſſarij?

Reſpondeo. In hoc non poſſe dari certam regulam, ſed debere conſiderari circumſtantias perſonæ, loci, & temporis. Sic Nugnus, & Coninchus hic, Suarez diſp.66.ſect.4. Vaſquez diſp.208.cap.2. Lugus diſp.14.ſect.5. Arriaga diſp.46.ſect.3. Auerſa quæſt.8.ſect.6. etenim reſpectu alicuius ſpatium trium milliarium poſſet pro recreatione inſeruire, reſpectu alterius, etiam vnum milliare erit talis diſtantia. vt meritò dici poſſet, eum non habere copiam Confeſſarij. Certè, ſi Parochus ſit ſanus, & diù deberet celebrare ſine confeſſione, vtique deberet inquirere Confeſſarinm, etiam ſi diſtaret per tria milliaria; imò alicui non eſſet nimium, etiam ſi deberet pergere ad locum magis diſtantem.

7 Quæres quintò. An ſi adſit Confeſſarius, ſed non habeat facultatem abſoluendi à reſeruatis, teneatur tunc pœnitens confiteri reſeruata tali Confeſſario, vel poſſit dimidiare confeſſionem, & confiteri tantùm non reſeruata, vel denique hæc cenſeatur carentia copiæ Confeſſarij, & poſſit quis communicare, vel celebrare non præmiſſa confeſſione.

8 Vaſquez hic diſp.208. cap.2. & de Pœnitentia quæſt.91.ar.3. dub.9. cenſet neceſſitate vrgente celebrandi, vel communicandi, non poſſe huiuſmodi pœnitentem habentem reſeruata confiteri tali Confeſſario non habenti auctoritatem abſoluendi à reſeruatis, eo quod à reſeruatis non poteſt abſolui, & dimidiare confeſſionem non liceat. Diana verò cum alijs, quos allegat par.2. tract.14.reſol.65.& par.3.tract.4.reſol.104.dicit probabile eſſe, huiuſmodi poſſe confiteri, ſed non teneri.

9 Arriaga verò loco citato citans Antoninum, Gerſonem, Alenſem, Petrum Soto, Ledeſmam, Nugnum, Dianam, & Ferdinandum de Caſtro docet tunc poſſe fieri dimidiatam confeſſionem, quam opinionem ſuſtinet Lugus diſpu.14. ſect.5. & eſt probabilis. Ratio cur debeat confiteri antequam accedat ad communionem eſt, quia poteſt indirectè abſolui à reſeruatis. Ratio verò, cur poſſit dimidiare confeſſionem, & tacere reſeruata eſt, quia ſi pœnitens,

dum

Digitized by Google

dum timet graue damnum, poteſt dimidiare confeſſionem; ita in præſenti poterit, nè ſubeat onus bis eadem peccata confitendi, nempe tali Confeſſario, qui non poteſt directè pœnitentem abſoluere, & ſecunda vice ſuperiori, vt directè à talibus reſeruatis abſoluatur; hoc autem cenſetur onus graue, ratione cuius poſſit pœnitens licitè dimidiare confeſſionem.

10 Ex hoc deducunt iidem auctores, quod, ſi probabile eſt, hoc modo poſſe fieri dimidiatam confeſſionem, etiam teneatur pœnitens habens reſeruata talem confeſſionem præmittere ante communionem. Ratio huius deſumitur ex Trid. vbi dicit: *Nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*: ſed qui habet mortalia, & reſeruata eſt conſcius ſibi mortalis peccati, & poteſt præmittere ſacramentalē confeſſionem; ergo quantumuis ſibi contritus videatur, debet illam præmittere antequam ad Euchariſtiam accedat.

11 Dices primò. In tantùm tenetur confiteri aliquod peccatum, in quantùm Confeſsarius poteſt illud abſoluere: ſed ex Trid. ſeſs. 14. cap. 7. Sacerdos inferior extra mortis articulum nihil poteſt in caſibus reſeruatis; ergo extra mortis articulum nullus habens reſeruatum tenetur peccata confiteri Sacerdoti inferiori, ſeu Confeſsario non habenti iuriſdictionem.

Reſpondeo enim ſufficere, ſi Confeſsarius poſſit illud abſoluere, vel directè, vel indirectè; Sacerdos autem inferior nihil poteſt extra mortis articulum in caſibus reſeruatis directè, poteſt tamen indirectè; ſicuti enim, ſi quis ex obliuione omittat peccatum reſeruatū, tunc ſecundùm omnes abſoluitur indirectè, ita & in propoſito.

12 Dices ſecundò. Si quis habeat peccatum reſeruatum, & illud confiteatur Sacerdoti non habenti iuriſdictionem, talis Sacerdos non poteſt illud abſoluere, neque directè, neque indirectè; ergo multò minus poterit abſolui ſi reticeatur.

Reſpondeo, quod talis Sacerdos non poteſt illud abſoluere, ſi nulla ſit cauſa, aut neceſſitas abſoluendi; at quando adeſt cauſa, qualis eſt obligatio communionis, hæc eſt ſufficiens, vt indirectè abſoluat; & ideò indirectè etiam poteſt abſolui, ſi reticeatur cum propoſito illud confitendi ſuo tempore ſuperiori; neque enim tenetur pœnitens ſubire hoc graue onus confitendi bis idem peccatum; ſicuti enim, quando quis timet graue damnum, ſi aliquod peccatum confiteatur, poteſt illud reticere, cum animo illud alteri confitendi, ita in propoſito, nè patiatur hoc graue onus bis confitendi idem peccatum, poteſt illud reticere.

13 Dices tertiò. Sequitur, quod qui habet ſola venialia, & aliquod reſeruatum, teneatur confiteri venialia, vt indirectè abſoluatur à reſeruato: ſed hoc eſt falſum, cum venialia non ſint confitenda ex præcepto; ergo &c.

Reſponſio, communis eſt negatio ſequelæ, eo quod obligatio Venialium, Vt confiteantur non ſit in præcepto; ſed Arriaga concedit ſequelam; etenim licèt venialia non ſint ex præcepto per ſe confitendā; poſſunt tamen eſſe per accidens ex ſuppoſitione, quod quis teneatur accedere ad communionem, & debeat quis procurare certitudinem moralem gratiæ, quam certitudinem cum non poſſit habere per hoc, quod quis exiſtimet ſe eſſe contritum, vt definiuit Trid. loco ſupra citato, debet hanc habere per confeſſionem dimidiatam, vt dictum eſt.

14 Reſpondeo tamen ad quæſitum, quod vrgente neceſſitate communionis, vel celebrandi, ſi quis habeat reſeruatum ſimul cum alijs tenetur illud Confeſſario inferiori ſimul cum alijs confiteri, vt indirectè abſoluatur. Sic Nugnus quæſt. 80. art. 4. Coninch. ibidem. Suarez diſp. 66. ſect. 4. Bonacina q. 6. par. 1. num. 31. Sà ver. Euchariſtia nu. 13. Reginald. lib. 29. n. 103. Auerſa quæſt. 8. ſect. 6. & communior Doctorum. Ratio eſt, quia homo debet moraliter eſſe certus de gratia antequam accedat ad Euchariſtiam, & non ſufficit, quod quis exiſtimet ſe eſſe contritum, vt docet Trid. loco citato; ex alia parte onus bis ſubijciēdi clauibus idem peccatum non eſt onus ita graue, vt propter illud poſſit fieri contra præceptum diuinum de integritate confeſſionis; ergo tenebitur quis illud confiteri ſimul cum alijs, vt indirectè abſolui poſſit. & in ſtatu gratiæ poni ea maiori certitudine morali, qua quis poteſt.

15 Hinc colliges, quid dicendum ſit ad caſum, ſi quis ſit excōmunicatus, & teneatur celebrare, vel communicare, nec adſit, qui poſſit abſoluere ab excommunicatione, an teneatur confiteri non habenti iuriſdictionem abſoluendi à cenſura, vt ſaltem abſoluatur à peccato, (ſuppono enim cum communiori poſſe aliquem validè abſolui à peccato antequam abſoluatur à cenſura) dico enim eodem modo teneri, quo diximus teneri, qui habet caſum reſeruatum; cum militet eadem ratio; & ita

Digitized by Google

Doctores ſupra citati; contra aliquos, qui tenent excommunicatum etiam occultum non poſſe, niſi in articulo mortis communicare. Sic Henriquez lib. 8. de Euchariſtia, cum alijs. Sed noſtra opinio eſt communior.

16 Quæres ſextò. An qui in confeſſione oblitus eſt alicuius peccati mortalis, ſi poſt confeſſionem illius recordetur, poſſit nihilominus ſine noua confeſſione accedere ad communionem; & quæſtio eſt de eo, qui ſine nota poteſt iterum accedere ad Confeſſarium ante communionem.

Reſpondeo non poſſe, ſed debere prius cōfiteri illud peccatum antequam communicet. Eſt communis fere omnium Doctorum, licèt pauci eam ex profeſſo tractent; eam tamen in terminis docent Suarez diſp. 66. ſect. 4. Lugus diſput. 14. ſect. 6. Diana par. 2. tract. 14. reſol. 48. Arriaga diſp. 46 ſect. 3. ſubſect. 2. licèt hic auctor iudicet ſpeculatiuè contrariam opinionem probabilem, quam, licèt obſcurè, videtur ſequi Henriquez lib. 8. de Euchariſtia cap. 46. §. 3. Probatur, quia ratio cur ante communionem debeat præmitti confeſſio, eſt præceptū diuinum poſitiuum: ſed illius peccati non eſt præmiſſa confeſſio; ergo fideles ſi recordantur illius, illam præmittere tenentur; & ſic intelligendum eſſe præceptum à Chriſto poſitum, docet praxis communis fidelium, nullus enim accedit ad Euchariſtiam, ſi poſt confeſſionem recordatur alicuius peccati grauis, niſi prius illud confiteatur.

17 Dices primò ex Arriaga. In tantùm non poſſum accedere ad communionem cum mortali, ſine confeſſione, in quantùm hoc vetitum fuit in Trid. ſed ex Trid. non colligitur, quod qui iam eſt confeſſus, iterum debeat confiteri, ſed ſolùm, quod quantumuis quis ſibi videatur contritus debeat confiteri, vt quis cum magna reuerentia accedat, & ſit moraliter certus ſe eſſe in gratia; qui autem eſt confeſſus, & per obliuionem omiſſit aliquod peccatum, ita eſt certus ſe eſſe in gratia, ac ſi illud peccatum confeſſus fuiſſet. Sed contra, quia, quod quis non poſſit accedere ad Euchariſtiam cum mortali ſine confeſſione, non eſt, quia hoc vetitum ſit à Tridentino, ſed quia hoc vetitum fuit à Chriſto, quod præcèptum ita intelligendum eſſe declarat Eccleſiaſtica conſuetudo, & vſus fidelium, vnde cum peccatum oblitum non ſit confeſſum, certè debet eiuſdem præmitti confeſſio, præſertim cum non ſit homo moraliter certus ſe eſſe in gratia, dum illius peccati recordatur; nam poteſt eſſe, quod illius oblitus ſit culpabiliter. Secundò, quod habuerit tantum dolorem de peccatis confeſſis, non de hoc; vnde peccatum non eſſet remiſſum, neque ille talis eſſet in gratia; ergo vt moraliter ſit certus de ſtatu gratiæ, debet ante communionem illud confiteri. Confirmatur: quia nullus negare poteſt, quod Chriſtus non potuerit taliter imponere ſuum præceptum confeſſionis ante communionem, vt quilibet teneatur ſubijcere clauibus Eccleſiæ omnia peccata, quorum recordatur antequam Euchariſtiam ſuſcipiat, quo caſu certè, qui poſt confeſſionem recordaretur mortalis alicuius, teneretur illud confiteri; atqui Chriſtum ſic impoſuiſſe ſuum pręceptum conſtat ex praxi communi fidelium, & ex conſuetudine recepta in Eccleſia; ergo fatendum eſt, quod, qui poſt confeſſionem recordatur alicuius peccati, teneatur illud ante communionem confiteri.

18 Quæres ſeptimò. Quid intelligatur nomine neceſſitatis communicandi?

Reſpondeo, varias adduci à Doctoribus, quæ tamen communiter ad quatuor reducuntur. Prima neceſſitas eſt periculum mortis; poteſt enim eſse, quod tunc non ſit Sacerdos, qui poſſit abſoluere, vt ſi ſit mutus, vel adſit tantùm diaconus; qui tamen poſſunt miniſtrare Euchariſtiam; in tali caſu etiam non præmiſsa confeſſione poteſt ſumi Euchariſtia.

19 Secunda neceſſitas eſt periculum infamiæ, vel ſcandali grauis, ſi communio, vel miſsa omittatur; ſic communiter dicunt, quod ſi quis ſit ad cancellos, vt cōmunicet, & recordetur peccati grauis non confeſſi, & non poſſit ſurgere ſine infamia, quod tunc poſſit licitè cōmunicare. Ego fateor quidem, quod ſi ſcandalum immineret, aut infamia tunc poſset communicare; ſed communiter loquendo ego non video, quomodo ex hoc poſſit ſequi infamia, aut ſcandalum; nam multories dum communionem miniſtrarem, fere in actu, quo ſe debebant aliqui communicare, ſe retraxerunt, neque per hoc vllus ſcandalizatus eſt; aut ipſi infamati ſunt, & hoc ſæpè in magnis Vrbibus contingit, poteſt eſse, quod in vicis, pagis, & paruis Vrbibus, imò etiam in magnis aliquando ſcandalum oriatur, & aliquo modo infamiam aliquam contrahant illi, qui iam ad cancellos poſiti ſe retrahunt, quo caſu iudico, tales poſse communicare; at vniuerſaliter hoc non dicerem, quia ex hoc nullum ſcandalum, aut infamia communiter oritur.

20 Tertiò, eſt neceſſitas ſacrificij,

vnde

Digitized by Google

vnde ſi miſſæ ſacrificium iam inchoatum eſt, & quis recordetur peccati, poteſt nihilominus non præmiſſa confeſſione Miſſam perficere, quia ſecus ſcandalum oriretur; niſi caſus accideret, quod miniſtrans miſſæ eſſet Confeſſarius, & nullus alius præſens eſſet, nec eſſet periculum ſcandali, vel infamiæ, tunc enim deberet præmittere confeſſionem.

21 Quarta eſt neceſſitas populi, nè maneat ſine miſſa, quæ ratio ſolùm habet in Parochis locum, qui ex officio tenentur curare, vt populus miſſam audiat, & eadem ratione, ſi quis eſſet moribundus poſſet Parochus celebrare ad ei dandum viaticum.

22 In his tamen caſibus ſemper præmittenda eſt contritio; nec ſufficit attritio, quidquid aliqui dicant, quia hoc eſt Sacramentum viuorum, vnde quilibet eſt obligatus accedere cum ſtatu gratiæ: ſi quis tamen exiſtimaret ſe contritum, & re vera eſſet tantùm attritus, adhuc poſſet hoc Sacramentum per accidens producere primam gratiam, & vt diximus in tract. de Sacram. quæſt. 3.

23 Quia verò Trid. loco cit. ſeſſ. 13. cap. 7. dicit: *Quod ſi Sacerdos vrgente neceſſitate abſque præuia confeſſione celebrauerit quamprimum confiteatur*, per quæ verba communiter Doctores, exceptis Ledeſma par. 1. ſumm. cap. 11. de Euchariſt. & Villalobos tom. 1. ſumm. tract. 7. dub. 37. intelligunt poſitum eſſe præceptum nouum quamprimum confitendi illis, qui in peccato celebrant.

24 Quæres octauò. Quas perſonas comprehendat hoc præceptum?

Reſpondeo, comprehendere ſolùm Sacerdotes ex neceſitate ſine confeſſione celebrantes, non laicos, aut Sacerdotes more laico communicantes. Sic communiter Doctores. Ratio eſt, quia hoc præceptum eſt ſtrictè intelligendum: ſed Concilium dicit Sacerdotes vrgente neceſſitate celebrantes abſque præuia confeſſione debere quamprimum confiteri; ergo hos tantùm afficit non alios.

25 Hinc colligas hoc præcepto non comprehendi Sacerdotes voluntariè, & ex malitia celebrantes in ſtatu peccati. Sic Suarez, Nugnus, Coninchus, & alij communiter locis citatis; Concilium enim dicit Sacerdotes neceſſitate vrgente celebrantes non alios.

26 Quæres nonò. An hoc præceptum afficiat Sacerdotes, qui bona fide incipiunt ſacrum, deinde ante conſecrationem, vel ante communionem recordantur alicuius peccati?

Reſpondeo, probabilius eſſe hoc præcepto adſtringi. Sic Suarez loco citato, Reginaldus lib. 29. cap 7. nu. 110. Arriaga diſput. 46. ſect. 4. & alij contra Vaſquez diſp. 208. nu. 19 Lugum diſpu. 14. num. 146. Dianam par. 2. tract. 14. reſolu. 61. & alios. Ratio eſt, quia iſti celebrant vrgente neceſſitate: ſed ſic celebrantes hoc præcepto adſtringuntur; ergo &c.

27 Dices primò. Concilium dicere: qui abſque præuia confeſſione celebrant; ergo tota celebratio miſſæ debet fieri ſine preuia confeſſione. Sed contra, quia præceptum de non celebrando ſine præuia confeſſione, non factum fuiſſet pro ſimplici inchoatione miſſæ, aut pro legendo Euangelio, ſed pro conſecratione, & ſumptione; ergo ſi quis bona fide incipit miſſam, & poſtea ante conſecrationem recordatur peccati, vel ante communionem; hic verè vrgente neceſſitate celebrat, & hoc præcepto adſtringitur.

28 Dices ſecundò. In Rubricis Miſſalis de eo, qui ante celebrationem recordatur dicitur: *Debet quamprimum confiteri poſt ſacrum*; De illo verò, qui inter celebrandum recordatur, dicitur, quod conteratur cum propoſito confitendi; ergo, qui inter celebrandum recordatur alicuius peccati, non comprehenditur in tali præcepto confitendi quamprimum. Sed contra ex hoc deduco, comprehendi; nam ſi non comprehenderetur non eſſet neceſſe, quod adderetur *Cum propoſito confitendi*; ſed fuiſſet ſufficiens dicere, *Quod conteratur*; cum in contritione includatur propoſitum confitendi; ergo cum additum ſit *cum propoſito confitendi*, hoc refertur ad id, quod ſupra dixerat, nempe, *quamprimum*.

29 Quære 10. Quomodo ſit intelligendum illud *quamprimum*?

Reſpondeo, id non debere intelligi ſtatim finita miſſa, vt dicit Sancius in ſelectis diſp. 32. Ratio eſt, quia quamprimum non ſignificat idem, ac ſtatim, vel illicò, ſed debet intelligi moraliter, vnde, qui poſt duos, vel tres dies confiteretur adhuc diceretur confiteri quamprimum. Sic Diana tract. de celebratione miſſarum reſolut. 60. qui quamplures alios allegat. Lugus diſp. 14. nu. 163. Arriaga loco cit. Auerſa, & alij: hoc tamen intelligendum eſt, niſi poſt ſacrum haberet commoditatem confitendi, quam non eſt habiturus poſt triduum; nam tunc teneretur confiteri; & ſecundò nè ſi differatur ad triduum, ſit periculum iterum celebrandi ſine confeſſione.

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

Quinam ſit miniſter huius Sacramenti.

1 Miniſtrum conficientem hoc Sacramentum eſſe ſolùm ſacerdotem ritè ordinatum, eſt de fide definitum in cap. Firmiter de ſumma Trinitate, & fide cathòlica, & colligitur ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. Quiſnam verò ſit miniſter diſtribuens Euchariſtiam, an ſit ſolus ſacerdos, vel aliquis alius, vt Diaconus, & quomodo poſſit hoc Sacramentum adminiſtrare, in hoc articulo breuiter quædam quæſita decidendo, explicabimus.

2 Quæres primò. An ſi ſacerdos propter infirmitatem non poſſit celebrare, poſſit ſeipſum communicare ex deuotione, vel ſaltem in caſu neceſſitatis ad ſumendum viaticum.

Reſpondeo, non exiſtente alio ſacerdote poſſe licitè, & piè vtrumque facere ſic in caſu neceſſitatis ſuſtinent Caiet. & Armilla in ſumma v. communio, Filliucius tom. 1. tract. 4. cad. 9. nu. 285. Villalobos tom. 1. tract. 3. caput. 48. & etiam ex deuotione Homobonus noſter par. 1. tract. 4. cap. 11. num. 106. Syluius hic ar. 2. Gonet diſp. 10. ar. 2. num. 19. Vaſquez diſp. 219. cap. 1. Suarez diſp. 72. ſec. 3. Lugus diſp. 18. ſec. 1. & plures alij. Ratio eſt; quia ipſe iam eſt cõſecratus; ergo ſicuti poteſt dare alijs, poteſt etiam ſumere pro ſe ipſo; ex alia verò parte nulla eſt prohibitio in contrarium; imo in Canone 14. Concilij Niceni conceditur Diacono, vt abſente ſacerdote det alijs, & ſumat ſibi Euchariſtiam ex ſacrario; ergo à fortiori hoc conueniet ipſis ſacerdotibus.

3 Quæres 2. An ſolus Sacerdos ſit miniſter huius Sacramenti, vel hoc officium poſſit competere Diacono, & alijs.

Reſpondeo, miniſtrum proprium, & ordinarium, cui ex officio competit miniſtrare hoc Sacramentum eſſe ſolùm Sacerdotem; Diaconum verò ex commiſſione ſacerdotis in caſu neceſſitatis, non alios. Sic D. Thom. hic ar. 3. & alij communiter. Prima pars colligitur ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. Vbi habetur. *Semper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici ex Sacerdotibus communionem acciperent, ſacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent: qui mos tamquam ex traditione apoſtolica deſcendens iure, ac merito retineri debet*, & hoc in reuerentiam tanti Sacramenti, vt à nulla alia re tangatur, niſi à ſacrata, vnde, & corporale, & calix conſecrantur, & ſimilter manus ſacerdotis.

4 Secunda pars colligitur ex eo; quod dixit D. Laurentius Sancto Sixto Pontifici. *Cui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem.* Idemque fuit deciſum in Niceno can. 14. & Carthag. 4. Clemens. 1. lib. 8. Conſtitut. Apoſtolic. ca. 28. dixit. *Diaconus oblationem à Preſbytero factam dat populo; non tamquam ſacerdos, ſed tamquam, qui ſacerdoti miniſtrat*; & rationem reddit D. Thom. *Quia Diaconus quaſi propinquus ordini ſacerdotali aliquid particpat de eius officio.*

5 Quare Diaconus ex officio diſpenſabat ſanguinem non corpus; & rationem reddit D. Th. quia Sanguis Chriſti continetur in vaſe, vnde non oportet, quod tangatur a diſpenſante, ſicuti tangitur Corpus Chriſti. Non per hoc tamen poterat Diaconus diſpenſare Sanguinem ſine comſſione Sacerdotis; nã cum ſit miniſter Sacerdotis, nihil poteſt ſine ipſius licentia; quare licèt proprium officium ipſius Diaconi ſit cantare Euãgelium in Miſſa; nihilominus hoc non poteſt cantare, niſi prius petita benedictione à Sacerdote; ita licèt diſpenſare ſanguinem fidelibus eſſet eius officium, hoc tamen facere non poterat, niſi habita commiſſione.

Diaconus nihil poteſt ſine commiſſione ſacerdotis.

6 Denique, quod nullus alius poſſit hoc Sacramentum adminiſtrare, clarè colligitur ex can. *Peruenit* de conſecrat. diſt 2. quod deſumptum fuit ex Còncilio Rhemenſi ca. 2. vbi omnino interdicitur laicis, & fœminis communionem adminiſtrare, & contrarium vocat horribile, & deteſtabile, & Trid loco cit. dicit hunc morem, vt laici communionem acciperent à ſacerdotibus ex Apoſtolica traditione proueniſſe; vnde non ſunt audiendi aliqui, qui ſuſtinent in caſu neceſſitatis etiam nunc eſſe licitum.

7 Dices. Fuit mos antiquus in Eccleſia vt teſtatur Baronius ãno Domini 57. vt fideles proprijs manibus ſumerent Euchariſtiã à ſacerdote acceptã, & colligitur ex D. Baſilio in Epiſtola ad Cęſariam Patritiam, & ex Cyrillo Hieroſolimitano catecheſi myſtagògica 5. vbi ait. *Non expanſis manuum volis accede, ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſupponens dexteræ, quæ tantùm Regem ſuſceptura eſt concaua manu corpus Chriſti ſuſcipe*, ergo etiam nunc in caſu neceſſitatis poteſt laicus ſibi ipſi Euchariſtiam adminiſtrare: quod factum fuiſſe legitur à Maria Stuarda Scotiæ Regina antequam martyrium iuſſu impiæ Elizabet pateretur.

Reſpondeo concedendo talem morem fuiſſe, quia tunc nulla extabat prohibitio, ſicuti nunc eſt: addo tamen, quod neque tunc laici ſibi Euchariſtiam, aut alijs adminiſtrabant: ſed ſacerdotes

erant

erant miniſtri, qui illam dabant, & ſicuti nunc illam ponunt in ore, tunc ponebant in manibus, & ſicuti nunc lingua ſumptum Sacramentum gutturi applicant, ita tunc etiam manu ori applicabant; hoc autem non eſt adminiſtratio Euchariſtiæ, ſed applicatio Euchariſtiæ à ſacerdotibus adminiſtratæ. Ad exemplum Reginæ Mariæ dico, cum illa diſpenſatum fuiſſe à B. Pio V. vt Cauſinus in Hyſtoria martyrij eiuſdem Reginæ aſſerit.

8 Quæres 3. An omnes ſacerdotes poſſint hoc Sacramentum miniſtrare?

Reſpondeo negatiuè; ſed requiritur licentia Parochi. Sic communiter Doctores. Ratio eſt; quia ad eam rectè adminiſtrandam, non ſolùm requiritur poteſtas ſed etiam iuriſdictio, quia diſtributio illa eſt actus paſtoris paſcentis: Verum equidem eſt, vt notant Suarez, Lugus, & Arriaga locis citatis, quod hæc licentia non requiritur ita expreſſa in adminiſtratione Euchariſtiæ, ſicuti in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, ſed ſufficit præſumpta, & ita communiter volenti communicare quilibet ſacerdos celebrans communionem præbet, & ſolùm Parochi videntur ſibi reſeruare communionem Paſchalem, & infirmorum, quam à proprijs Paſtoribus fideles recipere debent. Inſuper Religioſi, ex Pontificum priuilegiis poſſunt dare communionem omnibus dignis ad eorum Eccleſias confluentibus, excepto die Paſchatis.

Quam cõmunionẽ ſpectet ad Parochos dare.

9 Quæres 4. An per diem Paſchatis intelligatur ſolus primus dies Paſchæ, an omnes dies, qui aſſignantur pro tempore ſatisfaciendi præcepto?

Reſpondeo non intelligi ſolum primum diem, ſed intelligi paſchalem communionem, qua fideles ſatisfacere tenentur præcepto Eccleſiæ, quocumque die fiat. Eſt communis contra Nauarrum apud Suarez diſp. 72. ſec. 3. qui exiſtimat ſolum primum diem excipi. ratio eſt, quia mens Pontificis fuit, vt à proprijs Parochis cognoſcerentur fideles, an ſatisfecerint præcepto communionis; ergo quacumque die voluerint fideles huic præcepto ſatisfacere debent communionem à Parochò accipere.

10 Circa tempus mortis, certum eſt, quod ſi Parochus adeſt, ille debet eam adminiſtrare; ſi verò ſit abſens; communis opinio eſt, licere eam adminiſtrare ab aliis, etiam Religioſis, contra Nauarrum, Syluestrum, & quoſdam alios: & ratio eſt; quia non eſt veriſimile voluiſſe Eccleſiam priuare proximo illo puncto fideles ſuos hoc diuiniſſimo Sacramento, & præſertim, vt ſupra diximus, cum ſit de præcepto diuino in articulo mortis huius ſacratiſſimi Sacramenti ſuſceptio.

QVÆSTIO VIII.

De ſacroſancto miſſæ ſacrificio.

POſt tractationem de Euchariſtia, vt Sacramentum eſt, ſupereſt, vt de ipſa, quatenus ſacrificium eſt vnicum legis nouæ, tractemus, quod D. Thom. hic qu. 83. perficit, & cum eo omnes Theologi, & controuerſiſtæ contra hæreticos noſtri temporis fusè pertractant, vnde nos breuiter ea, quæ neceſſaria ſunt ad huius ſacrificij cognitionem explicabimus.

ARTICVLVS I.

Quid ſit ſacrificium in communi acceptum.

1 VT clarius innoteſcat, quid ſit ſacrificium noſtrum, quod in miſſa peragitur, quid ſit ſacrificium in communi prius explicabimus.

Varij ſunt Doctores in aſſignanda vera ratione ſacrifici: etenim miſſis hæreticis, qui contendunt quodlibet opus, bonum, ſiue externum, ſiue internum verè eſſe ſacrificium, quod latè refutatur à Doctoribus, & infra apparebit ex dicendis; diuerſæ ſacrificij definitiones afferuntur à Doctoribus.

2 Vaſquez diſp. 220. n. 25. & alij definiunt ſacrificium. *Quod ſit nota exiſtens in re, qua profitemur Deum auctorem vitæ, & mortis.* Alij quod. *Sit oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum legitimè inſtitutum diuinæ excellentiæ, & reuerentiæ.* Alij *Eſt actus externus religionis continens ſupremum cultum latriæ, ſoli Deo debitum*, & alij aliter; Verùm hæ definitiones videntur conuenire alijs rebus, vt constructioni altaris, oblationi candelæ accenſæ, & huiuſmodi; hæc enim poſſunt offerri in ſignum ſupremæ excellentiæ, ſunt cum immutatione, & per has res poſſumus profiteri Deum auctorem vitæ, & mortis, & tamen certum eſt apud omnes, iſta non eſſe ſacrificia; His ergo omiſſis.

3 Concluſio ſacrificium in communi, ſic aptè definitur. *Eſt oblatio externa à legitimo miniſtro oblata Deo cum immutatione, qua homo proteſtatur ſe habere totum ſuum eſſe à Deo, & Deum habere ſupremum dominium vitæ & mortis.* Sic Marchinus noſter de Ordine tract. 3. p. 1. cap. 4. Coninchus hic qu. 83. ar. 1. Scortia de ſacrificio miſſæ cap. 3. Arriaga diſp. 49. & plures alij. Explicatur, & probatur definitio.

Dicitur

Digitized by Google

4 Dicitur oblatio externa loco generis, in hoc enim conuenit ſacrificium cum omnibus alijs oblationibus, & actibus religioſis, vt ſunt oblationes cerei, calicis altaris &c. tonſionibus pectoris, & huiuſmodi.

5 Dicitur *à legitimo miniſtro*; nam ſacrificium eſt oblatio ſignificans ad placitum; vnde non poteſt, niſi publica auctoritate inſtitui, & offerri; & ideo requiritur verus, & legitimus miniſter.

6 Dicitur *oblata Deo cum immutatione &c.* per quas particulas explicatur peculiaris ratio ſacrificij, & hæ particulæ ſtant loco differentiæ; non enim poteſt offerri ſacrificium, niſi Deo ſoli. Conſiſtit enim in hoc ſacrificium, quod ſignificet ex parte Dei, quod Deus ſit dignus, vt in illius honorem vita noſtra conſumetur; ex modo verò ſignificandi, hoc ſit per immutationem rei, quæ offertur loco vitæ noſtræ, quæ daretur, ſi liceret; quare de eſſentia ſacrificij eſt immutatio, ſeu deſtructio alicuius rei, vel phyſica, vel ſaltem moralis, vt patet in omnibus ſacrificijs, tum ſacris tum prophanis antiquis; nam ſi animalia erant, occidebantur: cetera, vel comburrebuntur, vel effundebantur, qualia erant omnia liquida, vt vinum, oleum &c. quæ dicebantur litari, & per hæc proteſtabantur Deum eſſe ſupremum Dominum vitæ, & necis noſtræ, loco cuius illa offerebantur. Sic explicata concluſio, patet eſſe bonam, cum non conueniat alteria definito.

7 Obijcies primò. Dantur plura ſacrificia, quæ non fiebant per deſtructionem rei, vt erant oblationes panis, & vini; & quæ fiebant ex farina in ſartagine, & ſacrificium Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum; ergo de ratione ſacrificij non eſt deſtructio, ſeu immutatio rei.

Reſpondeo, quod omnia iſta ſemper fiebant cum aliqua deſtructione, nam vinum libabant, ſaltem partim; idem dic de pane, oleo &c. & per hoc, quod pars adoleretur, vel effunderetur, totus panis, & totum vinum cenſebantur ſacrificata. Ad illud de Melchiſedech dico, ſcripturam non dicere modum, quo ſacrificaretur, qui vtique debebat eſſe per al quam deſtructionem, & forſan ſcriptura hoc non dicit, eo quod notus eſſet modus, quo fieret.

7 Obijcies 2. Si non eſt neceſſe deſtruere rem alienam, ſed ſufficit deſtructio propriæ vitæ, ſequitur mortem martyrium fuiſſe ſacrificia, ſed hoc eſt falſum, vt omnes concedunt; ergo &c.

Reſpondeo non eſſe ſacrificia tales mortes, quia licèt ex priuata eorum intentione potuerit quilibet martyr offerre Deo propriam vitam, & mortem proteſtando ſupremum dominium Dei ſupra ſeipſos, hoc tamen non ſufficit ad ſacrificium, quia debet eſſe oblatio facta publica auctoritate à legitimo miniſtro: mors autem martyrium non fuit huiuſmodi, vt de ſe patet; mors tamen Chriſti fuit verum ſacrificium, quia fuit oblata à Chriſto ſummo ſacerdote, & Principe habente publicam auctoritatem. Ideo &c.

9 Obijcies 3. Sacrificia, quæ fiebant ab Ethnicis erant vera ſacrificia, ſed iſta non ſignificabunt ſupremam poteſtatem Numinis in vitam, & mortem offerentis; ergo hæc ſignificatio non eſt de eſſentia: probatur minor, quia ſi ſignificaſſent hoc, ſignificaſſent falſum, cum falſa numina non habeant hanc auctoritatem.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem, diſtinguo ſequelam: ſi ſignificaſſent hoc, ſignificaſſent falſum formaliter: ſeu veritate formali, quæ conſiſtit in conformitate rei ad rem, concedo ſequelam ſignificarent falſum tranſcendentaliter, ſeu in actu primo, quantùm eſt ex parte ſigni, nego ſequelam: quemadmodum hæc propoſitio *Petrus currit* eſt vera, & realis propoſitio ſignificans curſum Petri; & tamen ſi à parte rei Petrus non currat, eſt falſa; ita illa ſacrificia, quantum eſt ex ſe, ſignificabunt ſupremum dominium veri numinis in mortem, & vitam, licèt Etnici ex falſa eorum imaginatione errarent in cognoſcendo verò numine.

10 Obiicies 4. Multi verè offerunt ſacrificium, & tamen non habent hanc voluntatem proteſtandi ipſos eſſe paratos offerre propriam vitam Deo; ergo hæc proteſtatio, quam nos ponimus in definitione non eſt de eſſentia ſacrificii.

Reſpondeo ſufficere, quod hæc voluntas ſignificetur per actionem externam ſacrificandi, nec actus internus eſt eſſentialiter requiſitus, cum ſacrificium ſit oblatio externa; talis ergo actio exterior, quantùm eſt de ſe, ſignificat hanc proteſtationem, licèt offerens eam voluntatem non habeat; & hoc ſufficit.

11 Ex his conſtat ſacrificium debere eſſe publica auctoritate inſtitutum, quia debet fieri à legitimo miniſtro; quare potuit quidem aliquis priuata auctoritate inſtituere aliquid pro ſacrificio; quod tamen à parte rei non erat, donec publica auctoritate acceptaretur, & à legitimo miniſtro offerretur.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

An in Miſſa offeratur verum ſacrificium.

1 Circa nomen *Miſſa* variæ ſolent à Doctoribus tradi explicationes; nam plures Doctores quos adducit Marchinus loco citato cap.4. & ipſe ſequitur, voluerunt eſſe nomen hebraicum à nomine *Miſſah*, quod ſignificat ſpontaneam oblationem. Græci vocant liturgiam, hoc eſt munus, & miniſterium publicum. Syri Quedoſſa, hoc eſt Sanctum; ceterum communitèr Doctores recentiores volunt hoc nomẽ *Miſſa* eſſe latinum. Sic Gauantus in Rubricis Miſsalis, Azorius lib.10. & alij, qui volunt à vulgo ſumpſiſſe originem, eo quod in fine Euangelij a Diacono dimittebantur Cathecumeni illis verbis, *ite Miſſa eſt*; non enim permittebantur aſſiſtere conſecrationi Corporis Chriſti; & nunc etiam in fine completo ſacrificio dimittitur populus fidelis iiſdem verbis *ite Miſſa eſt*, quod idem eſt ac dicere, *Miſſa eſt oblatio apud Deum*, vt notat Alcuinus de diuinis officijs cap. de celebr. Miſſæ, vel *miſſus eſt Chriſtus à Patre ad nos*; & quia alta voce à Diacono dicebantur illa verba, *ite Miſſa eſt*, cepit à populis totum Miſſæ ſacrificium Miſſa appellari; hæc quoad nomen *Miſſa*; ceterum Miſsa ſumitur à Doctoribus omnibus hic pro toto officio diuino, quod ex Miſsa Cathecumenorum, & fideliũ, Sacerdotiſque orationibus, & precibus conſtat.

Miſſa vnde dicta.

2 Grauis modò inſurgit difficultas inter hæreticos noſtri temporis, & totam vniuerſalem Eccleſiam Catholicam: etenim tota Catholica Eccleſia omnibus ſęculis tenuit, & prædicauit in Miſsa verum ſacrificium offerri, quod hæretici noſtri temporis negant, de hoc puncto videri poſsunt, qui tractant de controuerſijs, vt Bellar. lib.1. de Miſſa, Valentia hic puncto 6. Marchinus de Ordine tract.3.par.1.de ſacrificio Miſsæ, & alij, qui fusè contra hæreticos in Miſſa verum offerri ſacrificium probant: nos breuitèr concluſionem catholicam ponemus, & præcipuis argumentis hæreticorum reſpondebimus.

3 Concluſio. Catholica veritas eſt in Miſsa verum, & proprium ſacrificium offerri Deo. Sic vniuerſalitèr Patres omnes, quos longum eſset afferre, & poſsunt videri apud auctores citatos.

Probatur 1. ex Concilio Trid. ſeſs.22. vbi cap.1. egregiè hoc docet, & adducit illud Malachiæ 2. *Ab ortu Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur mihi, & ſacrificatur oblatio munda.* & can.1. eiuſdem ſeſs. dicit. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri verum, & proprium ſacrificium, aut quod offerri nihil aliud ſit, quam nobis Chriſtum ad manducandum dare; anathema ſit.* & idem repetit can.2.

5 Probatur 2. De facto in Eccleſia Chriſti ſunt Sacerdotes, vt conſtat ex Patribus, ex perpetua traditione Eccleſiæ, & ſucceſſione tot Epiſcoporum, & Sacerdotum: ſed Sacerdos eſt in ordine ad ſacrificandum; ergo datur in Eccleſia aliquod verum ſacrificium. Confirmatur; quia nulla reperitur natio tàm barbara, quæ non habuerit aliquod ſacrificium; ergo Eccleſia Catholica Chriſtiana debet & ipſa habere aliquod ſacrificium; nullum autem aliud extat, niſi Miſsæ ſacrificium; ergo hoc verum, & proprium ſacrificium eſt.

3 Probatur 3. Illud eſt verum ſacrificium, cui conuenit vera definitio ſacrificij: ſed Miſsæ conuenit vera definitio ſacrificii; ergo in Miſsa verum, & proprium offertur ſacrificium: probatur minor: nam in Miſsa fit vera oblatio rei ſenſibilis Deo, ſcilicèt corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini; etenim vt ait Auguſtinus lib 4. de Trinit. cap.14. *Quid tàm gratè offerri, & ſuſcipi poſſet, quam caro ſacrificij noſtri, corpus effecta Sacerdotis noſtri*. hæc oblatio fit à legitimo Sacerdote, & miniſtro, cum Chriſtus hanc poteſtatem eis dederit, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: reperitur etiam ſufficiens hoſtiæ mactatio; nam Chriſtus licèt ſit viuus, tamen ponitur in Sacramento veluti mortuo modo, nam ibi neque ſentit neque videt; & ex vi verborum corpus ponitur ſeorſim à ſanguine; tandem in Miſsa recognoſcitur Deus, vt habens ſupremum dominium vitæ, & mortis noſtræ; ergo Miſsa eſt verum, & proprium ſacrificium.

6 Obijciunt 1. Hæretici. Si eſset miſsa verum ſacrificium colligeretur ex ſcriptura: ſed nullus locus ſcripturæ docet hoc; ergo &c.

Reſpõdeo colligi ex illis verbis Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem*, adiuncta perpetua traditione Eccleſię ab Apoſtolis deriuata. Quare ſicuti hæretici fatentur Chriſtum in Cruce ſacrificium cruentum obtuliſse, & tamen ex ſcriptura non colligitur, quod ſe ipſum ſacrificauerit; ita multò magis hoc debent fateri de cœna, in qua tot actiones ſacræ interfuere.

7 Obijciunt 2. Si Miſsa eſt ſacrificium, maximè quia eſt commemora-

tio

tio ſacrificij cruenti à Chriſto peracti: ſed hac ratione etiam poſſemus dicere, Natiuitatis feſtum propriè eſſe Natiuitatem, cum ſit commemoratio Natiuitatis; ergo cum verè commemoratio Natiuitatis non ſit Natiuitas; neque commemoratio ſacrificij facti a Chriſto erit ſacrificium.

Reſpondeo negando maiorem, nempè Miſſam eſſe ſacrificium, quia præcisè eſt commemoratio ſacrificij cruenti; ſed eſt ſacrificium, quia eſt vera oblatio noua cum ceteris requiſitis ad verã rationem ſacrificij.

8 Obijciunt 3. Euchariſtia eſt teſtamentum; ergo non eſt ſacrificium; probatur conſequentia; quia per teſtamentum teſtator dat nobis; per ſacrificium nos debemus dare Deo; ergo ſi Euchariſtia eſt teſtamentum, non poteſt eſſe ſacrificium.

Reſpondeo negando conſequentiam; concedo enim eſſe teſtamentum, quatenùs dat nobis; at nos poſtquam accepimus, offerimus illud idem Deo. Sicuti, ſi Deus daret nobis agnum, vt inde illi eumdem ſacrificemus; ita à pari hic dicendum eſt:

9 Obijciunt 4. Sacrificium debet eſſe aliquid ſenſibile; ſed circa Corpus Chriſti nihil fit ſenſibilitèr; ergo non eſt ſacrificium.

Reſpondeo ſufficere ſi fit ſenſibile per accidens, ſcilicèt per ſpeciem, ſicuti hoc ſufficit ad veram rationem Sacramenti. Reliqua hæreticorum argumenta, vel infra ſoluentur, vel facilia ſunt.

10 Quæres, an Chriſtus in vltima Cœna ſacrificium obtulerit?

Reſpondeo affirmatiuè; id definitum fuit in Trid. ſeſs.22. cap.1. & idem tradunt communitèr Patres, & patet ex Euangelica hiſtoria; nam Chriſtus tunc corpus ſuum, & ſanguinem conſecrauit, Patri obtulit, & diſcipulis dedit; ergo &c.

ARTICVLVS III.

In qua Miſſæ actione conſiſtat eſſentialitèr vera ratio ſacrificij.

1 SEx potiſsimum ſunt actiones, de quibus dubitari poteſt, an in ipſis cõſiſtat ſacrificium Miſsæ. Prima eſt oblatio panis, & vini, quæ fit in offertorio ante conſecrationem, & communiter offertorium vocatur. Secunda eſt conſecratio corporis, & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis, & vini. Tertia eſt oblatio facta poſt conſecrationem, ſiue modo hæc oblatio fiat, dum ponitur corpus Chriſti ſub altari, ſiue dum dicimus, *offerimus præclaræ maieſtati tuæ*, vel *ſupplices te rogamus &c.* ſecundùm diuerſas Doctorum opiniones. Quarta eſt fractio hoſtiæ in tres partes, quarum vna mittitur in calicem. Quinta eſt ſumptio huius Sacramẽti à Sacerdote. Sexta eſt diſtributio Sacramenti, quæ fit populo. Hoc poſito.

2 Certum nunc eſt inter Theologos ſacrificium Miſsæ, neque cõſiſtere in prima actione, nempe in offertorio, neque in diſtributione Sacramenti, quæ fit populo volenti communicare; non in oblatione, quæ fit in offertorio, quia id, quod offertur in ſacrificio Miſſæ, vt definit Trid. ſeſſ.22. cap.2. eſt corpus, & ſanguis ipſius Chriſti Domini; ſed per illam oblationem, quæ fit ante conſecrationem non offertur corpus, & ſanguis Chriſti Domini, ſed ſolùm illa materia panis, & vini conſecranda; ergo in illa non conſiſtit ſacrificium; tum quia de ratione ſacrificij eſt aliqua mutatio; ſed per illam oblationem non mutatur panis, & vinum; ergo in ea non conſiſtit ſacrificium: Neque conſiſtit in diſtributione; nam poteſt fieri verum, & perfectum ſacrificium, vt docet Trid. ſeſſ.22. cap.6. etiamſi populo non diſtribuatur communio; imò communitèr tot Miſsæ perficiuntur abſque eo, quod vllus adſtantium communicet; ergo neque in hac diſtributione poteſt conſiſtere ſacrificium Miſſæ. Difficultas igitur eſt de alijs actionibus, in quanam ex illis eſſentialitèr conſiſtat Miſſæ ſacrificiũ.

3 Prima ſententia eſt Cani lib.12. de locis Theologicis cap.13.& aliorum: hæc docet ad rationem ſacrificij Miſſæ requiri eſſentialiter conſecrationem, oblationem, fractionem hoſtiæ, eiuſdem comixtionem cum vino, & ſumptionẽ.

Secunda ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 13. qu.2. & Gabrielis ibidem qu.1. ar.3. hæc vult, eſſentiam huius ſacrificij in ſola oblatione conſiſtere, quæ fit immediatè poſt conſecrationem.

Tertia ſententia vult eſſentialem rationem ſacrificij cõſiſtere in ſola ſumptione. Sic Ledeſma par.1. qu.23. artic.4. Ioſeph de Angles. q. de valore miſſæ art.1. diff.2.

Quarta ſententia vult ad rationem ſacrificij Miſſæ requiri conſecrationem, oblationem, & ſumptionem. Sic Cardinalis de Lugo diſp.19. ſect.5. Scortia lib.1. de ſacrificio cap.5. & alij; nomine tamen oblationis non intelligunt offertorium, quod fit ante conſecrationem, neque oblationem, quæ fit per illa verba: *ſupplices te rogamus &c.* ſed volunt fieri talem oblationem ipſa conſecratione, quatenùs eo ipſo, quod conſecrata

eſt

Digitized by Google

eſt hoſtia, & ponitur in altari, eo ipſo ex natura rei offertur ipſi Deo.

Quinta ſententia vult eſſentialem rationem ſacrificij miſsæ in conſecratione conſiſtere, reliqua omnia eſse extra eſſentiam. Sic Ioann. à S.Tho. quæſt. 83.diſp.32. diſp.32. ar.1. Alanus lib.2.de Euchariſt. cap.18. Suarez diſp.75.ſect.4. Vaſquez diſp.222. Coninch.q.83. art.1. Leſſius de iuſtit. & iure lib.2. cap. 38. & quamplurimi alij recentiores.

Sexta ſententia vult conſiſtere in conſecratione, & ſumptione. Sic Gonet. diſput. 11. ar.2. & plures alij Thomiſtæ. Marchiqus de ordine tract.3. part.1.cap. 1.& 2. Bellar.lib.1.de miſsa cap.vltimo, Henriquez lib.9.de ſacrificio miſsæ cap. 9. Amicus diſput.33. de ſacrificio miſsæ ſect. 3. & plures alij. Vnum noto, quod hæ tres vltimæ ſententiæ in re aliquo modo videntur conuenire, & ſolùm in nomine diſcrepare,ſeu modo explicandi; nam nullus negat oblationem requiri, ſed dicunt non eſse diuerſam ab ipſa conſecratione; circa ſumptionem verò, alij dicunt connotari, vel eſse partem integralem, non verò de eſsentia; ſed verè, quod eſsentialiter connotatur, & eſt pars integrans ſacrificium, an debeat dici pars eſsentialis ſacrificij ſpectat ad modum loquendi iuxta diuerſa principia phyloſophica,de quo in hac quęſtione theologica parum curandum.

4 Concluſio prima. Tres priores sẽtentiæ reijciuntur. Et prima ſic reijcitur. In ea actione debet conſiſtere ſacrificiũ miſsæ, quod à nobis peragitur, in qua conſtituit ſacrificium ſuum Chriſtus, quando in nocte cœnæ inſtituendo hoc Sacramentum ſacrificauit, vt definit Trid.ſeſs.22.cap.1. & nũc in tantùm ſacrificium offerimus, in quantùm facimus id, quod Chriſtus perfecit, & mandauit, vt faceremus illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; ſed Chriſtus poſt conſecrationem,non fecit commixtionem corporis, & ſanguinis ſui; nec fractio hoſtiæ eſt neceſsaria ad ſacrificium, vt patet ex rubricis Miſsalis, quæ præſcribunt, quod ſi hoſtia tota cadat in calicem, non extrahatur, nec frangatur, ſed tota ſimul ſumatur cum ſanguine; neq; oblatio, quæ poſt conſecrationem fit, poteſt eſse de eſsentia; nam actio ſacrificandi debet fieri in perſona Chriſti: oblatio autem illa fit in perſona Eccleſiæ, vt patet ex verbis canonis: *Vnde, & memores Domine nos ſerui tui &c. offerimus præclaræ maieſtati tuæ, & ſupplices te rogamus.* Ergo nec oblatio, quæ fit poſt conſecrationem, nec fractio, nec comixtio ſunt de eſsentia ſacrificii miſsę;& ex hoc reiecta remanet etiam ſecũda ſententia.

5 Tertia ſic reijcitur: quia de fide eſt Chriſtum in vltima cœna obtuliſse ſacrificium, ex Trident.ſeſs.22.cap.1.ſed non eſt de fide, Chriſtum ſacramentales ſumpſiſse ſpecies, licèt hoc ſit probabilius, vt docet D. Tho. ſupra quæſt.81. ar.1.ergo in ſumptione non conſiſtit ſacrificium; nam certum non poteſt fundari incerto: tum quia ſacrificium eſſentialiter debet fieri in altari: conſumptio autem ſpecierum,ſeu alteratio ipſarum, ratione cuius deſinit ibi Chriſtus, fit in ſtomacho, non in altari; ergo in tali cõſumptione ſpecierum non poteſt conſiſtere eſsentialis ratio ſacrificii.

6 Dices. Sacrificium non conſiſtere in actione,qua deſinat Chriſtus ſub ſpeciebus, ſed in hoc, quod ſumantur ore ſpecies, quod totum fit in altari. Sed cõtra, quia talis ſumptio eſt ſumptio hoſtiæ iam mactatæ; ergo eſt ſumptio ſacrificii iam facti, non verò in ea actione conſiſtit ſacrificium eſsentialiter.

7 Concluſio ſecunda. Sacrificium miſsæ eſsentialiter conſiſtit in conſecratione, & ſumptio requiritur ſolum, vt pars integralis, & vt hoc ſacrificium aſſimiletur holocauſto.

Explicatur concluſio. Sicuti homo eſt eſsentialiter homo ſine manibus, & pedibus, non tamen ſine iſtis eſt integrè homo, quia etiam iſtę requiruntur tamquam partes integrantes verum hominem; ita dicimus hoc ſacrificium eſse eſsentialiter tale poſita conſecratione, ſed non integrè; cum ad eius integritatem requiratur etiam ſumptio. Inſuper cum ſumptio non conſiſtat in indiuiſibili, ſed partes hoſtiæ,& vini ſint plures, dum ſumitur moraliter vna pars hoſtiæ perficitur ſacrificium, cum hoc tamen ſtat,quod quando ſumuntur aliæ partes, ſicuti extrinſecè durat actio ſacrificij,ſic dicitur durare ſacrificium, & per ſumptionem hoſtiæ, & vini completè perficitur, & integratur; poſita hac explicatione.

8 Probatur primò prima pars huius concluſionis pluribus auctoritatibus Sãctorum Patrum, qui dicunt ſacrificium tunc fieri, cum fit conſecratio; ſufficiat tamen adducere Gregorium Nyſsenum orat.4.de Chriſti reſurrectione col.6.vbi loquens de conſecratione facta à Chriſto in vltima cœna, ſic habet: *Tunc apertè declarauit agni ſacrificium eſſe perfectum; nam victimæ corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit;quare cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum diſcipulis exhibuit tam arcana, & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum.* Ecce quomodo clarè ſupponit Gregorius ante ſumptionem iam fuiſse ſacrificatum corpus

Chriſti. Idem docent Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 32. Greg. Magnus Dialog. cap. 37. Cyrillus, Iſidorus, Ambroſius, & quamplurimi alij, quos adducunt Suarez, & Vaſquez, alijq;

9 Probatur 2. eadem pars. Eodem modo debemus loqui de hoc ſacrificio, ac de ſacrificijs veteris legis: ſed in ſacrificijs veteris legis, ſi ſemel hoſtia, & victima mactata fuiſset, quamuis poſtea à Sacerdote, vel alio offerente non ederetur, non per hoc deperdebatur eſsentialis ratio ſacrificij; ergo etiam, cum conſecratio in ſacrificio miſsæ faciat id, quod faciebat mactatio in victima, ſequitur, quod in conſecratione eſsentialiter includatur ratio ſacrificij miſsæ: conſequentia patet; nam per conſecrationem corpus Chriſti accipit eſse diminutum; ponitur enim ſub ſpeciebus ſacramentalibus modo mortuo, & aptatur, vt poſſit manducari, quæ mutatio eſt eſsentialis & ſufficiens ad rationem ſacrificij.

10 Dices: Non poteſt intelligi ſacrificium ſine oblatione: ſed conſecratio non eſt oblatio; ergo in conſecratione non conſiſtit eſsentialis ratio ſacrificij miſsæ. Sed contra, fateor quidem requiquiri oblationem, verùm non eſt neceſſe, quod ſit expreſsa, ſed ſufficit tacita, & implicita; eo ipſo autem, quod Sacerdos ſublatis in Cœlum oculis conſecrat, & corpus Chriſti in altari ponit, facit, quod iuſſit Chriſtus, & Deo offert; & quidem, quod conſecratio ſit etiam ſimul oblatio; probatur, quia offerre ſacrificium, & conſecrare ſunt vnum, & idem; ergo, dum Sacerdos conſecrat, etiam ſacrificat, & offert ſacrificium: antecedens probatur; quia Sacerdos in ſua ordinatione ſolùm accipit poteſtatem offerendi ſacrificium; nam non dicitur illi: *Accipe poteſtatem conſecrandi*, ſed *accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* ergo conſecrare eſt offerre; nam alias non apparet vbi accipiat poteſtatem conſecrandi; ergo offerre eſt conſecrare.

11 Dices ſecundò. Conſecrare eſt conficere Sacramentum; ergo non eſt ſacrificare: probatur conſequentia, quia iſta duo ſunt diuerſa. Sed contra reſpondeo, quod conſecratio dupliciter poteſt conſiderari, primò, vt eſt effectiua Sacramenti, & ſic non eſt ſacrificium: ſecundò pro vt eſt actio in Dei cultum, & honorem ad noſtra peccata expianda, & facit hoſtiam, ſeu corpus Chriſti edibile, dando ei eſſe diminutum, & mortuo modo, quod æquipollet mactationi victimæ; & ſic dico eſſe ſacrificium.

12 Probatur tertiò eadem pars. In eo eſſentialiter conſiſtit ſacrificium miſſæ incruentum, in quo eſſentialiter repræſentatur ſacrificium cruentum factum à Chriſto in Cruce per effuſionem ſanguinis, & mortem eius: ſed conſecratione repræſentatur ſacrificium cruẽtum factum in Cruce per effuſionem ſanguinis, & mortem Chriſti; ergo in conſecratione eſſentialiter conſiſtit ſacrificium miſſæ: maior patet: probatur minor; quia per conſecrationem panis ponitur tantùm corpus ex vi verborum, & per conſecrationem calicis ſolus ſanguis, & conſecratio quantùm eſt de ſe ſacramentaliter mactat Chriſtum, & per eam fit myſtica quædam effuſio ſanguinis per *Gladium verborum*, vt loquitur Cyrillus, ergo conſecratione verè repræſentatur ſacrificium cruentum à Chriſto in Cruce peractum, & conſequenter in conſecratione eſſentialiter miſſæ ſacrificium conſiſtit.

13 Secunda pars concluſionis probatur primò ex D. Auguſtino lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 5. vbi habet: *Manducare panem eſſe in nouo teſtamento ſacrificium Chriſtianorum.* Secundò probatur ex cap. *Relatum, de conſecrat. diſt.* 2. deſumpto ex Concilio Tolet. XII vbi habetur: *Quale erit ſacrificium, cuius nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur.* Et in cap. *Comperimus eadem diſtinctione*, dicitur: *Grande eſſe ſacrilegium non ſumi vtramq; ſpeciem ab eo, qui ſacrificat.* Et cap. *Nihil contra*, cauſ. 7. q. 1. habetur: *Nullus abſq; prouentu patentis moleſtiæ miniſter, vel Sacerdos cum cæperit imperfecta officia præſumat omnino relinquere*; & ibidem præcipitur, quod ſi Sacerdos poſt conſecrationem ægritudine non poſſit perficere ſacrificium, alius ſubintret, & perficiat; & rationem addit dicendo: *Quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfectionis ordine compleantur.* Ex quibus locis ſic argumentor. Quod eſt de perfectione ſacrificij eſt ſaltem pars integralis ipſius: ſed ex locis adductis ſumptio eſt de perfectione ſacrificij miſſæ, & grande ſacrilegium eſſet vtramq; ſpeciem non ſumere; ergo ſumptio eſt pars integralis ſacrificij miſſæ.

14 Probatur ſecundò ratione. Sacrificium noſtrum miſſæ aſſimilatur holocauſtis, quæ erant ſacrificia perfectiſſima antiquæ legis, ſed in holocauſtis erat neceſſe conſumare totam victimam in honorem Dei; ergo etiam in miſſa neceſſe eſt conſumare victimam, hoc autem fit per ſumptionem. Confirmatur; quia hoc ſacrificium fit ſub ſpeciebus panis, & vini, & per modum cibi, & potus: ſed cibus, & potus ordinantur ad ſum-

Digitized by Google

ſumptionem tamquam ad terminum; ergo ſumptio eſt pars terminatiua huius ſacrificij miſſæ.

15 Obijcies primò contra primam partem. De ratione ſacrificii eſt deſtructio victimæ, ſed per conſecrationem producitur potius victima, quam deſtruatur: nam per conſecrationem ponitur ſub ſpeciebus panis, & vini, corpus, & ſanguis Chriſti, qui eſt victima; ergo per conſecrationem non fit ſacrificium.

16 Reſpondent aliqui, deſtrui ſubſtantiam panis, & vini in cultum, & honorem Dei. Sed contra hæc reſponſio fundatur in falſo; nam ex hoc ſequeretur non Chriſti Domini corpus, ſed ſubſtantiam panis, & vini ſacrificari; etenim illud ſacrificatur, per cuius deſtructioctionem Deus colitur: ſed deſtruitur ſubſtantia panis, & vini; ergo ſubſtantia panis, & vini ſacrificaretur; vnde ſequeretur noſtrum ſacrificium non eſſe idem cum illo Crucis, imò eſſe ignobilius multis alijs ſacrificijs antiquæ legis.

17 Reſpondent alij. In ſacrificijs eſſe attendendum id, quod deſtruitur, & id, quod producitur; ſi id, quod deſtruitur eſt nobilius, vt quando iugulatur ouis, vel vitulus, & mutatur in cadauer, tunc animal eſt, quod ſacrificatur, quia eſt nobilius: ſi verò id, quod deſtruitur eſt ignobilius, & quod producitur nobilius, hoc eſt, quod ſacrificatur, vt dum offertur thus, & thimiama, ex quorũ deſtructione producitur ſuffitus, & odor, qui ſunt quid nobilius, dicunt ſuffitum, & odorem eſſe, qui ſacrificantur; & in propoſito, cum corpus Chriſti, quod producitur, ſit nobilius, hoc eſt, quod ſacrificatur. Sed contra illud ſacrificatur, quod deſtruitur, vt patet ex dictis in definitione ſacrificij, & thimiama. & thus ſacrificantur, dum deſtruuntur non odor, & ſuffitus; ergo etiam in ſacrificio miſſæ, ſi corpus Chriſti ſacrificatur, vt fides docet, ipſum corpus Chriſti debet immutari, & deſtrui. Confirmatur, quia ex hoc ſequeretur, quod ædificatio templi ſit ſacrificium, & producendo aliquid poſſet fieri ſacrificium, quod eſt contra rationem ſacrificij; nam D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. habet: *Sacrificia propria dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, ſicut, quod animalia occidebantur, & comburrebantur &c.* Quare hæc Suarez reſponſio communiter à Doctoribus reijcitur.

Quod ſacrificatur deſtruitur.

18 Reſpondet tertiò Vaſquez, deſtructionem rei eſſe de ratione ſacrificij abſoluti, non verò commemoratiui; ſic ſacrificium Euchariſtiæ, cum in tantùm ſit tale, in quantùm repræſentat ſacrificium Crucis, nullam debet ſubire deſtructionem. Sed contra: quia, quod eſt de eſſentia ſacrificij vt ſic, omni ſacrificio debet conuenire: ſed de eſſentia ſacrificii vt ſic eſt, quod habeat veram, & realem deſtructionem, vel ſaltem moralem, ergo & ſacrificium miſſæ tale eſſe debet: quare diſtinctio illa de ſacrificio abſoluto, & commemoratiuo planè eſt arbitraria ad illudendum argumentum. Confirmatur: quia ſi in aliqua tragedia repræſentaretur mors Caroli Angliæ Regis, talis non eſſet vera mors Regis, etiam ſi eſſet commemoratio illius mortis; ergo etiam ſi in miſſa repræſentaretur mors Chriſti in Cruce, & ſacrificium Crucis, tamen hoc non eſſet verum ſacrificium.

19 Dices. In tragedia Regis Anglici non interuenire ipſum Regem, in miſſa autem interuenire Chriſtum; ideò &c. Sed contra, etiamſi Carolus Angliæ Rex reſurgeret, & in tragedia repræſentaret eius mortem, non tamen de nouo verè moreretur; ergo etiam licèt in miſſa interueniat Chriſtus, & repræſentet eius mortem, ſi tamen non deſtruatur aliquo modo, non erit idem ſacrificium, cum eo, quod peractum fuit in Cruce.

20 Reſpondeo ergo negando minorem; nam Chriſtus eſt in rerum natura, & per conſecrationem quodammodo gladio verborum iugulatur; nam ponitur ex vi verborum ſub ſpecie panis, vt corpus exangue, mortuo modo, & vt manducabilis, cum prius non eſſet.

21 Dices. Actio, quæ eſt productiua victimæ, non eſt deſtructiua ipſius: ſed conſecratio eſt productiua corporis Chriſti ſub ſpeciebus, qui eſt victima; ergo non poteſt eſſe deſtructiua ipſius.

Reſpondeo diſtinguẽdo maiorem; actio, quæ eſt productiua victimæ non eſt deſtructiua ipſius, ſi ſub vnica formali ratione ſumatur, & ſub eodem reſpectu, concedo maiorem, ſi ſumatur ſub diuerſa ratione, & reſpectu, nego maiorem; in propoſito, ſi conſecratio præciſè conſideretur, vt eſt productiua corporis Chriſti, certè non eſt deſtructiua: at ſi conſideretur, vt productiua cum reſpectu ad eſſe, quod habet Chriſtus in proprio eſſe naturali, & vt tali modo eſt productiua ex vi verborum, ſeparando corpus à ſanguine, ſub hac ratione actio productiua eſt etiam deſtructiua, quia dat ei eſſe diminutum, & veluti mortuum, & eſſe manducabile, quod prius non habebat. Conſecratio dat eſſe diminutum, Chriſto.

22 Obijcies ſecundò. Ita ſe habet conſecratio ad ſacrificium miſſæ, incruentum, ſicuti Incarnatio ad ſacrificium Crucis cruentum: nam ſicut Chri-

Digitized by Google

ſtus homo factus in Cruce oblatus fuit; ita Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini poſitus Deo offertur; ſed Incarnatio nō eſt de eſſentia ſacrificij Crucis, ſed ſolùm quid prærequiſitum; ergo etiam conſecratio non eſt de eſſentia ſacrificij miſſæ, ſed ſolùm quid prærequiſitum.

Reſpondeo negando maiorem, nam ante Incarnationem Chriſtus non erat in rerum natura, & Incarnatio non eſt actio deſtructiua, nec per Incarnationem poſitus fuit Chriſtus in altare; in conſecratione verò Chriſtus iam eſt in rerum natura, vt principalis offerens, & per conſecrationem accipit eſſe diminutum, & mactatur in altari; vt ſupra explicatum fuit; ideò hæc eſt verum ſacrificium, non Incarnatio.

23 Obiicies tertiò. Si ſacrificium eſſentialiter conſiſteret in conſecratione, non poſset applicari pro defunctis poſt conſecrationem, quia iam habuiſſet ſuū effectum; non enim effectus ſacrificij poteſt eſſe ſuſpenſus; ſed in miſsa applicatur ſacrificium defunctis poſt conſecrationem; ergo in conſecratione non poteſt conſiſtere eſsentialiter ſacrificium.

Reſpondeo fore veram maiorem, ſi ſumptio non eſset pars integralis ſacrificij, vt dictum fuit in concluſione, ceterum cum ſumptio ſit pars integralis, & toto tempore à conſecratione ad ſumptionem duret actio ſacrificatiua, ſequitur etiam, quod poſſit applicari, ſic reſpondet Lugus.

24 Sed contra inſtari poteſt. Qui dat eleemoſynam pro miſſa celebranda pro mortuis cum applicatione ſacrificij, vult, quod totum ſacrificium applicetur pro defunctis; ſed ſi conſecratio eſſet pars eſſentialis, & præcipua, totum ſacrificium numquam applicaretur pro defunctis, ſed ſolùm pars; cum applicatio pro defunctis fiat tantùm poſt conſecrationem; ergo cum danti eleemoſynam pro defunctis cum applicatione ſacrificij debeatur applicatio totius ſacrificij, fatendum eſt ſacrificium non conſiſtere in conſecratione, ſed ſolùm in ſumptione.

Reſpondeo quod aliud eſt loqui de applicatione, quæ fit in miſſa pro defunctis, aliud de applicatione ſacrificij: applicatio ſacrificij, vt plurimum non fit in miſſa, ſed ante miſſam, & poſſum hodie applicare miſſam, quam craſtina die ſpero celebrare; at commemoratio pro mortuis non eſt propriè applicatio ſacrificij, ſed oratio, quam fundit ſacerdos ad Deum, vt velit animas illas, pro quibus orat, facere participes fructus illius ſacrificij, quod tunc offert; qui fructus datur perfecto ſacrificio: vnde; ex hoc, quod Eccleſia orat pro mortuis poſt conſecrationem, deducitur, quod adhuc non ſit perfectum ſacrificium, niſi poſt ſumptionem.

25 Obiicies primò contra ſecundam partem. Si ſumptio eſſet pars integralis ſacrificij, ſemper teneretur ſacerdos ad ſumptionem: ſed communiter docent Doctores, quod ſi contingat corpus Chriſti in altari apparere ſub ſpecie carnis, non teneatur ſacerdos illam ſumere, neque aliam hoſtiam conſecrare, vt ſumat; ergo ſumptio hoſtiæ, & calicis non eſt pars integralis ſacrificij.

Reſpondeo veram eſſe maiorem, ſi Deus non cenſeatur diſpenſare; dato autem caſu illo miraculoſo, cenſetur Deus diſpenſare ob peculiares fines, quos intendit per tale miraculum; ceterum docet D. Thom. hic qu. 82. ar. 4. ad 3. quod conſultius eſſet, ſi ſacerdos iterum conſecraret, & ſumeret.

26 Obiicies 2. Quod eſt eſſentiale in hoc ſacrificio, debet fieri in perſona Chriſti; atqui ſumptio non fit in perſona Chriſti, ſed tantùm à ſacerdote, vt eſt priuata perſona; ergo ſumptio non eſt pars &c.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; debet fieri in perſona Chriſti, qui actiuè concurrat, vel permittat id fieri circa perſonam ſuam, concedo maiorem; qui actiuè ſolùm concurrat, nego maiorem; dico igitur ad minorem, ſumptionem fieri in perſona Chriſti permittente ſe ſumi, & hoc ſufficit, ſicuti enim ſacrificium crucis factum fuit à Chriſto permittente ſe crucifigi; ita incruentum hoc miſſæ, quo ad ſumptionem, ſufficit ſi fiat à Chriſto permittente ſe ſumi. Poteſt etiam abſolutè negari maior: ſicuti enim ſacerdotes gentiles non ſemper occidebat victimas, ſed ſufficiebat, ſi ſignum occidendi darent, vt dicerentur ſacrificare; ſic licèt ſumptio fiat à ſacerdote tantùm, tamen cum fiat ex præcepto Chriſti, poteſt ſpectare ad complementum ſacrificij; & ſufficit, quod in perſona Chriſti fiat conſecratio, quæ eſt præcipua, & eſſentialis pars huius ſacrificij.

27 Obiicies 2. In ſacrificio debet deſtrui victima: ſed per ſumptionem non deſtruitur Chriſtus, ſed tantùm ſpecies, quæ non ſunt victima; ergo ſumptio non eſt ſacrificium, nec pars ſacrificij.

Reſpondeo ſufficere, quod deſtruatur pars, vt dicatur deſtructum totum; ſicuti in cruce non fuit deſtructa anima, neque materia corporis Chriſti; & tamen, quia humanitas fuit deſtructa par-

tes fa-

Digitized by Google

tes fuerunt ſacrificatæ; ita ſpecies cum corpore Chriſti ſunt, quæ offeruntur Deo, & ſacrificantur, & vt totum dicatur oblatum, ſufficit deſtructio vnius partis. Dico 2. per ſumptionem deſtrui corpus Chriſti ſacramentaliter, licèt non ſtatim, ſed per deſtructionem ſpecierum.

28 Obijcies 4. Si ſumptio eſſet pars ſacrificij, laici, dum communicarent, etiam ſacrificarent, aut ſaltem ſacerdos, dum de manu alterius accipit communionem; ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam, nam laicus non eſt legitimus miniſter, quod requiritur ad ſacrificandum; & etiam ſacerdos, dum de manu alterius accipit communionem, non ſacrificat incompletè, vt vult Lugus; nam tunc communicat more laico, & inſtar laici, imo ſi haberet intentionem incompletè ſacrificandi, grauiter peccaret.

29 Obijcies 5. Si ſumptio eſſet pars ſacrificij, ſequitur fideles teneri aſſiſtere miſſæ, quæ celebratur in die Paraſceues, quæcumque illa ſit, licèt fiat ex præſanctificatis, ſi in tali die incidat dies feſtus Annunciationis.

Cur fideles in die paraſceue nõ teneantur aſſiſtere, & ſi licèt eſſet dies feſtus.

Reſpondeo negando ſequelam; & ſic declarauit Sacra Rituum Congregatio die 19. Februarii anni 1622. & ratio eſſe poteſt, quia fideles tenentur audire miſſam in die feſto: talis autem non eſt miſſa.

30 Quæres an ſpecies panis, & vini ſint pars rei oblatæ in ſacrificio?

Reſpondeo quod Leſſius, & Coninchus hic ar. 1. dub. 4. id negant. Communis tamen ſententia, quam docet Suarez diſp. 75. ſec. Lugus diſp. 19. n. 97. Arriaga diſp. 50. n. 37. eſt affirmatiua, & hoc probatur: quia id, quod ſacrificatur debet eſſe quid ſenſibile; ergo requiruntur ſpecies: hæ autem tripliciter poſſunt conſiderari, vel primò, vt offerũtur cum Chriſto, & ſic ſe habent ſicuti forma cadaueris, vel vt ſunt formæ partiales in holocauſtis; nam ratione ipſarum Chriſtus eſt manducabilis: vel ſecundò pro vt ſumuntur, & ſic ſunt de perfectione ſacrificij; nam & ipſæ deſtruuntur; vel tertiò pro vt in miſſa offeruntur etiam panis, & ſic ſe habent vt accidentia in immolatione ouis.

Quomodo ſpec. ſint pars rei oblatæ.

ARTICVLVS IV.

An ex diſpenſatione Papæ poſſit ſacrificari ſub vna ſpecie ſine alia.

1 MAior in 4. diſt. 9. qu. 3. ad 5. Gabriel, Adrianus, & alii apud Azorium lib. 10. cap. 19. tenent partem affirmatiuam; imo Raphael Volateranus lib 7. Geograf. cap. 4. aſſerit Innocentium VIII. cum Noruegiis diſpenſaſſe, vt in ſola ſpecie panis conſecrarent.

D. Thom. hic qu. 80. art. 12. Caiet. ibidem Gonet diſp. 3. de materia Euchariſtiæ ar. 6. communiter Thomiſtæ, Suarez diſp. 43. ſec. 4. Vaſquez hic diſp. 123. cap. 3. Lugus diſp. 19. ſec. 8. Arriaga diſp. 50. ſec. 6. & communiter Theologi tenent partem negatiuam.

2 Concluſio 1. Pontifex non poteſt diſpenſare, vt ſub ſpecie panis tantùm, & non vini fiat conſecratio. Probatur, quia licèt Eccleſia poſſit aliqua variare circa adminiſtrationem Sacramẽtorum, & ſacrificii; non poteſt tamen variare, niſi ſalua manente ſubſtantia Sacramentorum, & ſacrificij: ſed per diſpenſationem, vt ſacrificium fiat in vna tantùm ſpecie, non ſaluatur ſubſtantia ſacrificij à Chriſto inſtituti; ergo non poteſt in hoc diſpenſare: maior patet ex Trid. ſeſſ. 21. c. 2. probatur minor, quia ad ſubſtantiam ſacrificij eſſentialiter ſpectat ſignificatio: ſed ſi fieret conſecratio in vna tantùm ſpecie mutaretur ſignificatio; ergo mutaretur ſubſtantia: probatur minor: ſignificatio inſtituta à Chriſto eſt ad expreſsè ſignificandam ſuam paſſionem, & mortem, vt conſtat & dictis Chriſti *Hoc facite in meam commemorationem*, & ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi dicitur. *Quod Chriſtus; vt dilectæ ſuæ Sponſæ Eccleſiæ viſibile ſicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur &c. Corpus, & Saguinemſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc noui teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit; & eiſdem eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam Commemorationem*. Sed, ſi non fieret conſecratio ſub vtraque ſpecie, non fieret iſta ſignificatio, & repreſentatio; ergo &c.

3 Dices hoc ſufficienter repreſentari per poſitionem vnius ſpeciei; nam eo ipſo quod fit conſecratio ex vi verborũ ſub ſpecie panis ponitur tantùm corpus, & mortuo modo; ergo ſufficienter habetur ſignificatio, quam voluit Chriſtus. Sed Contra, quia licèt ex vi verborum non ſignificetur, niſi corpus, nihilominus à parte rei non ponitur ſeparatum à ſanguine, cum realiter ponatur etiam ſanguis; ergo ad ſignificationem illius ſacrificij cruenti requiritur etiam conſecratio ſanguinis. Deinde eſto, quod aliquo modo poſſit ſignificare; nihilominus numquam ità expreſſè ſignificaretur

ſed

Digitized by Google

ſed tantùm implicitè, quod non ſufficit; quemadmodum enim iſta verba: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, implicitè ſignificant idem, quod ſignificant hæc alia: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & tamen illa non ſufficiunt ad baptiſmum, ſed iſta poſteriora requiruntur; nec poteſt Eccleſia in hoc diſpenſare; eo quod Chriſtus expreſsè voluit debere exprimi perſonas omnes Trinitatis in forma baptiſmi: ſed etiam expreſsè voluit exprimi debere ſacrificium cruentum Crucis per ſacrificium noſtrum incruentum; & hoc fit per conſecrationem ſub vtraque ſpecie; ergo conſecratio ſub vtraque ſpecie fieri debet, nec poteſt in hoc Eccleſia diſpenſare.

4 Probatur ſecundò. Pontifex non poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt de iure diuino, vt habetur in can. *Sunt quidam*, & can. *Contra* 25. *qu.* 1. non enim inferior poteſt diſpenſare in lege ſuperioris: ſed præceptum de conſecrando ſub vtraq; ſpecie eſt diuinum; ergo in hoc præcepto non poteſt Pontifex diſpenſare.

5 Dices. Papam non poſſe quidem diſpenſare in præcepto diuino, poſſe autem illud interpretari, ſi concurrat cauſa, qualis eſſet, ſi in tota aliqua regione non adeſſet vinum. Sed contra; quia nulla poteſt concurrere huiuſmodi cauſa, cum nulla ſit pars mundi, ad quam commodè non deferatur vinum.

6 Obijcies primò. Papa poteſt diſpenſare in votis, iuramentis, matrimonio rato, & reſidentia Epiſcoporum &c: ergo etiam vt conſecretur vna ſpecies ſine alia: probatur conſequentia: quia ſi non, maximè quia hoc eſſet iuris diuini: ſed etiam votum, iuramentum, matrimonium ratum, & reſidentia Epiſcoporum ſunt iuris diuini, & tamen diſpēſat; ergo etiam poterit diſpenſare, vt conſecretur vna ſpecies ſine alia.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ad probationem, nego hoc eſſe præcisè, quia ſit iuris diuini; ſed quia conſecratio ſub vtraque ſpecie eſt de eſſentia ſacrificij à Chriſto inſtituti, in eſſentia autem, & ſubſtantia ſacrificij non poteſt diſpenſare Pontifex, vt patet ex Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. & ex loco adducto in concluſione. Addo, quod nec etiam in iure diuino poteſt diſpenſare, niſi in ædificationem, & concurrente cauſa; nulla autem poteſt concurrere huiuſmodi cauſa; cum in omnes regiones etiam remotiſſimas abundè vinum deferatur.

7 Dices Innocentius VIII. diſpenſauit cum Noruegijs, vt refert Volateranus, vt conſecarent ſine vino; eo quod in Noruegia vinum non creſcat, & aliunde importatum citò aceſcat; ergo &c. Sed contra falſum eſt Innocentium diſpenſaſſe, cum de tali diſpenſatione non conſtet, nec alius hiſtoricus eam referat; neque ratio adducta vera eſt, cum ibi ſit nunc vinum abundans, etiam quoad vſus humanos, nec vlla ſit regio etiam remotiſſima, ad quam vinum non deportetur.

8 Obijcies 3. In Paraſceuè fit ſacrificium ſub vna tantùm ſpecie; ergo falſum eſt de eſſentia ſacrificii eſſe offerre vtramque ſpeciem.

Reſpondeo in Paraſceue non fieri abſolutè ſacrificium nouum, ſed fieri ex præſanctificatis, & conſummari, quo ad extenſionem præcedens.

9 Obijcies 3. Dantur multi caſus, in quibus licitum eſt conſecrare panem ſine vino; ergo per Pontificem poterit diſpenſari: probatur antecedens: primò ſi quis per errorem ſolùm panem conſecrauit, & poſtea vinum non potuit habere, vel ſi poſſit haberi, non poteſt, niſi cum magna difficultate, & offenſione populi adſtantis, tunc dicunt Maior, & Adrianus, quod licitum eſt perficere ſacrificium ſine vino. Secundò quando populus deberet communicare in Paſchate, & ægrotus eſſet proximus morti, nec adeſſet Sacramentum, nec poſſet haberi vinum. Tertiò, ſi facta conſecratione corporis adeſſet hoſtium, & inimicorum irruptio, vnde probabiliter timeret Sacerdos mortem; tunc poteſt conſumari corpus ſine conſecratione calicis; ergo etiam in conſecratione calicis poteſt diſpenſari.

Reſpondeo negando antecedens, ſcilicet, quod poſſit dari caſus, in quo poſſit conſecari panis ſine vino, hoc eſt cum intentione expreſſa non conſecrādi vinū: Ad primum caſum dico, talem Sacerdotem habuiſſe intentionem conſecrandi vinum, quare ſi probabile eſt, tunc poſſe non conſecrare vinum, eſt quia concurrit cum præcepto naturali non præbendi ſcandalum: Ad ſecundum dico nullo modo eſſe licitam conſecrationem huiuſmodi, quia maius eſt præceptum conſecrandi ſub vtraque ſpecie, quam vel communicandi, vel audiendi Miſſam. Ad tertium dico hoc eſſe probabile, quia concurrit cum præcepto naturali de conſeruanda vita; ſi quis tamen minaretur mortem, niſi conſecraret ſub vna tantùm ſpecie, deberet potius mori, quia hoc eſſet in cōtemptum fidei.

10 Quæres primò. An ſi Sacerdos

Vel-

Digitized by Google

vellet conſecrare ſolam hoſtiam, & expreſsè nollet conſecrare vinum talis hoſtia eſſet conſecrata?

Reſpondeo affirmatiuè, ita communiter Doctores contra Lugum diſp. 19. ſect. 8. Probatur tamen: quia verba conſecrationis ſunt abſoluta, & efficiũt, quod ſignificant; ergo ſi quis habeat intentionem conſecrandi panem, & verba proferat ſuper materiam debitam; etiam ſi habeat expreſſam intentionem non conſecrandi calicem, verè conſecraret corpus; & quidem hoc communiter Doctores ſupponunt, quando inquirunt, quid faciendum, ſi Sacerdos ex nequitia conſecraret in cellario dolium vini, vel in foro quantitatem panis: imò, vt notat Arriaga diſp. 50. nu. 46. aliquando contigit Sacerdotem ex nequitia conſecraſſe panes obuios ſibi, quando vinum non habebat, quod poſſet velle conſecrare, & Eccleſia illos panes habuit pro conſecratis; ergo ſi quis vellet vnam ſpeciem conſecrare, & non aliam, adhuc validè conſecraret Confirmatur Sacerdos poſt conſecrationem hoſtiæ illam eleuat, & offert populo, vt adoretur; ergo validè poteſt vna ſpecies conſecrari ſine alia.

11 Dices ex Lugo talem eſſe conſecratam, quia habuit intentionẽ etiã conſecrandi vinũ, cum intentio conſecrandi ſit etiam intentio ſacrificandi, & poteſtas ſacrificandi, & conſecrandi non ſint duæ, ſed vna, & eadem; ergo ſi quis nollet ſacrificare, nec etiam poſſet validè conſecrare, ſicuti non validè contraheret, qui vellet contrahere matrimonium, non tamen recipere Sacramentum. Sed contra, quia etſi quis habeat intentionem non conſecrandi vinum, non per hoc ſequitur, quod non habeat intentionem ſacrificandi partialiter, & conſecratio panis eſt partialiter ſacrificium, licèt non completum; ergo licèt poteſtas conſecrandi, & ſacrificandi ſit vna, & eadẽ, poteſt Sacerdos habere intentionem tantùm conſecrandi vnam ſpeciem, & ſacrificandi partialiter, non verò conſecrandi aliam, aut ſacrificandi totaliter; Vnde hæc Lugi ſententia communiter reijcitur.

12 Quæres 2. An ſacrificium miſſæ ſit vnum, vel plura?

Reſpondeo, cum communi eſſe vnum, quia licèt ſint diuerſæ ſpecies, & diuerſæ formæ conſecrationis, referuntur tamen ad eumdem finem perfecti conuiuij, & quatenus eſt vna perfecta ſignificatio repræſentans ſacrificium cruentum coaleſcens ex duplici ſpecie panis, & vini.

ARTICVLVS V.

A quibus, & pro quibus poſſit offerri Miſſæ ſacrificium.

1 INter offerẽtes hoc ſacrificium primus eſt Chriſtus, qui eſt principalis offerens; Secundò Sacerdos; Tertiò Eccleſia, quæ illum deſignauit, & cuius nomine celebrans offert. Quartò ſunt illi, qui dant eleemoſynam. Quintò ſunt circumſtantes, & de his omnibus dubia quædam offeruntur explicanda.

2 Quæres primò. Qua ratione dicatur Chriſtus offerens principalis in Miſſa?

Gabriel lect. 26. & 27. in canonem Miſſæ, Corduba lib. 1. quæſt. Theolog. quæſt. 3. Vaſquez diſp. 226. cap. 3. Amicus diſp. 33. ſect 4 & quidam alij dicunt, Chriſtum eſſe principalem offerentem; quia hoc ſacrificium inſtituit, illudq; in Eccleſia celebrari præcepit, & applicuit ſua merita, vt haberet efficaciam; vnde hi Doctores volunt Chriſtum ſolùm remotè concurrere, Sacerdotes verò celebrantes proximè.

3 Reſpondeo, Chriſtum eſſe principalem offerentem, non ſolùm remotè ratione inſtitutionis, ſed quia actu offert cum ipſo Sacerdote tamquam cum miniſtro ſuo. Sic Gonet. diſp. 11 art. 3. Suarez diſp. 77. ſec. 1. Coninch hic quæſt. 83: dub. 6. Marchinus noſter de ordine trac. 3. par. 2. cap. 5 Lugus diſp. 19 ſect. 7. Arriaga diſp. 50. ſect. 8. Probatur ex Triden. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi habetur; *Vna eademq; hoſtia; idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Quomodo autem Chriſtus concurrat; communiter dãt exemplum de Oratore Regio, qui dum tractat cum alio Principe, vel Rege, quidquid tractat nomine ſui Principis, vel Regis, cenſetur tractari ab ipſo Principe, vel Rege.

4 An verò Chriſtus in Cœlo, dum Sacerdotes ſacrificant eliciat aliquos actus, quibus offerat æterno Patri omnia illa ſacrificia. Affirmant Suarez, & Marchinus; ſed res incerta eſt, de qua non niſi diuinando poſſumus diſcurrere. Ideò &c.

5 Quæres ſecundò. An omnes Sacerdotes poſſint hoc ſacrificium conficere?

Certum eſt ſolos Sacerdotes, & nõ alios poſſe hoc ſacrificium offerre, ita definitum fuit in Concilio Niceno cap. 4. & Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. quare quæſtio eſt

de

Digitized by Google

de Sacerdotibus ab Eccleſia per cenſuras præciſis, hæreticis, vel degradatis, an poſſint validè hoc ſacrificium offerre.

Reſpondeo, validè poſſe omnes iſtos Sacerdotes iſtud ſacrificium offerre: eſt communis omnium ferè Doctorum contra Magiſtrum in 4.diſtin.13. & quoſdam alios. Ratio eſt, quia qui ſemel Sacerdos ordinatus eſt, cum recipiat characterem, numquam poteſt amplius fieri laicus, aut illum characterem deperdere, vt definit Trident. ſeſſ.23. cap. & can.4. ergo ſi conſecrat, & offert ſacrificium, validè conſecrat, & offert; quia cum habeat characterem offert in perſona Chriſti.

6 Verum equidē eſt, quod tales Sacerdotes præciſi non poſſent offerre nomine Eccleſię, ſeu tamquam miniſtri ad orādum publicè deputati, quia Eccleſia per cenſuras illos tali facultate priuauit; & hoc forſan eſt, quod volunt Magiſter, & alij, qui contrarium ſentiunt.

7 Quæres tertiò. Quomodo Eccleſia, qui dant eleemoſynam, & circumſtantes ſacrificium offerant?

Reſpondeo, Eccleſiam dici offerre ſacrificium, quia Sacerdos nomine Eccleſiæ offert illud, diuerſo tamen modo Sacerdos dicitur offerre ſacrificium in perſona Chriſti, ac nomine Eccleſiæ; nam in perſona Chriſti offert, vt inferior miniſter nomine, & mandato ſuperioris; nomine verò Eccleſiæ, vt ſuperior pro inferioribus. Eſt enim Eccleſia, prout à Sacerdotibus diſtinguitur, populus fidelis, qui hoc ſacrificium offert per Sacerdotes, vt per ſuperiores ſuos, & aduocatos apud Deum. Concurrunt denique omnes fideles ad offerendum hoc ſacrificium; etenim, vt docet Petrus Damianus epiſt.13. ad Leonem, cap.8. exponens illa verba canonis: *Vnde, & memores nos ſerui tui. In his verbis patenter oſtenditur, quod à cunctis fidelibus, non ſolùm viris, ſed etiam mulieribus ſacrificium illud laudis offertur, licèt ab vno ſpecialiter Sacerdote offerri videatur, quia quæ ille offerendo manibus tractat, hęc multitudo fidelium intenta mentium deuotione cōmendat. Quod adhuc quoque declaratur, dum dicitur: Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ &c. Quibus verbis luce clarius conſtat, quia ſacrificium, quod à Sacerdote ſacris altaribus ſuperponitur, à cuncta Dei familia generaliter offeratur.* Specialius tamen concurrunt diaconus, & ſubdiaconus, qui Miſſæ inſeruiunt, & qui ſtipem dant Sacerdoti, vt pro ipſis offerat, denique aſſiſtentes per deuotam huius ſacrificij venerationem. Sic Diu. Thom. hic quæſt.82.ar.6. Sotus in 4.diſt. 13. q.1.ar.6. Marchinus de ordine tract. 3.part.2. cap.6. Gonet diſput.11.ar.3. & Amicus diſp.33. de ſacrif. Miſſæ ſect. 4. cum alijs.

8 Supereſt modò explicandum, pro quibus poſſit hoc ſacrificium offerri, & quinam poſſint fructum huius ſacrificij participare; nam primò poteſt inquiri, an iuſti baptizati ſint capaces: ſecundò, peccatores baptizati; tertiò, an excommunicati, ſeu hæretici; quartò, an Cathecumeni: quintò, an Beati in Cœlo: ſextò, an animæ purgatorij baptizatæ, vel non baptizatæ: ſeptimò denique, an damnati; cum ferè de his omnibus ſint variæ opiniones.

9 Dupliciter autem poteſt aliquis participare fructum huius ſacrificij. vel primò per modum impetrationis, vel ſecundò per modum ſatisfactionis pro pœna temporali, quos fructus in ijs, pro quibus poteſt applicari, hoc ſacrificium cauſat.

Fructus ſacrificij quo modo participari poſſit.

10 Quæres quartò. An omnes baptizati ſiue iuſti, ſiue peccatores ſint capaces fructus huius ſacrificij.

Reſpondeo cum diſtinctione; quod vel loquimur de fructu impetrationis, & ſic omnes baptizati, ſiue iuſti, ſiue peccatores ſunt capaces huius effectus; vel loquimur de ſatisfactione, & ſic prodeſt ſolis iuſtis ex opere operato. Eſt cōmunis inter omnes Theologos; nam Sacerdos accipit in ſua ordinatione poteſtatem offerendi ſacrificium non ſolùm per ſe, ſed pro viuis, & defunctis; & D. Paulus ad Hebr. 5. dicit, quòd omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus debet offerre ſacrificia, non tantùm pro ſe, ſed etiam pro populo. Quod vero peccatores, quo ad ſatisfactionem non ſint capaces fructus huius ſacrificij, patet; quia reatus culpæ non remittitur, niſi remiſſo mortali.

11 Quæres quintò. An liceat offerre ſacrificium pro excommunicato publico, & præciſo ab Eccleſia?

Reſpondeo negatiuè. Ita communiter Doctores. Suarez tom.5.diſp.9.ſec. 1. Lugus diſp.19. num. 185. Marchinus loco citato cap. 8. Probatur breuiter; quia eſſentia excommunicationis conſiſtit in hoc, quod excommunicatus priuetur communibus Eccleſiæ ſuffragijs: ſed inter ſuffragia Eccleſiæ præcipuum eſt ſacrificium Miſſæ; ergo excommunicatus priuatur quolibet Miſſæ fructu ex opere operato, tam impetratorio, quàm ſatisfactorio.

12 Aduertunt autē Doctores, quod non per hoc excluditur, quod quilibet, vt priuata perſona, non poſſit pro excōmunicato orare, etiam in Miſſa, ſicuti poteſt alias priuatas orationes offerre pro illo; non poteſt tamen id facere nomine

Quilibet vt perſona priuata poteſt pro excommunicato orare

mine Eccleſiæ, quod ſi faciat nomine Eccleſiæ, illicitè, & inualidè id facit; imò illicitè id faceret, ſi vellet offerre pro excommunicato vt miniſter Chriſti; nam Eccleſia id prohibet, & per excommunicationem intendit priuare excommunicatum communibus ſuffragijs.

13 Quæres 6. An poſſit Sacerdos, vt Miniſter Chriſti, & nomine Eccleſiæ offerre ſacrificium pro excommunicato non vitando?

Reſpondeo negatiuè, eſt contra Nauarrum in manuali cap. 27. nu. 36. Hugolinum de cenſuris tabula 2. §. 2. Henriquez lib. 13. cap. 11. Coninchum diſ. 14 de excom. dub. 6. num. 40. Lugum loco cit. num. 187. & alios apud ipſum. Eſt tamen Valentiæ tom. 4. diſput. 7. qu. 17. pun. 1, Suarez de cenſuris loco ſupra cit. Vaſquez de excom. dub. 2. num. 3. Arriagæ diſp. 52. ſect. 4. Marchini loco cit. & aliorum apud ipſum. Probatur 1. quia de eſſentia excommunicationis eſt, quod excõmunicatus ſit priuatus communibus Eccleſiæ ſuffragijs: ſed ſi eſſet licitum nomine Eccleſiæ offerre pro illis ſacrificium, eſſent excommunicati, & non eſſent; eſſent, quia nec dum eſſent abſoluti; non eſſent autem excommunicati, quia communicarent in omnibus Eccleſiæ ſuffragijs; & ſic eſſent priuati, & non priuati, quod implicat.

14 Probatur 2. Euertendo fundamentum contrariæ ſententiæ. Si poteſt offerri ſacrificium pro excommunicato occulto, & tolerato, maximè quia ex Concilio Cõſtantienſi permittitur cum eiuſmodi excommunicatis communicare, & eos in quibuſcumque diuinis, vel extra non vitare: ſed hæc conceſſit Concilium ſolùm ad euitanda ſcandala, & ſuccurendum conſcientijs timoratis, intendens in hoc nullo modo ſe velle fauere excõmunicatis; ergo ſi mens Concilij eſt per illa, quæ conceſſit nullo modo ſe velle fauere excommunicatis, fatendum eſt, eos adhuc eſſe priuatos communibus Eccleſiæ ſuffragijs, & præcipuè hoc ſacrificio, quod eſt præcipuum ex communibus Eccleſiæ ſuffragijs.

15 Dices 1. Multi viri pij offerunt ſacrificia pro Prouincijs hæreſi infectis; ergo pro excommunicatis, & hæreticis poſſumus offerre ſacrificium, ſi ſint tolerati. Sed contra hoc nihil probat, quia illi viri non offerunt pro excommunicatis, vel hæreticis, ſed directè pro fidei dilatatione, & indirectè tantùm pro hæreticis, quo modo etiam orare poſſumus pro excommunicatis vitandis, & paganis; nam non offerimus pro ipſis ſacrificium, ſed pro dilatatione fidei.

16 Dices 2. Poſſumus excommunicatum occultum ſepelire in loco ſacro, non poteſt autē ſepeliri, niſi preces fundantur pro eo; ergo ſuffragia Eccleſiaſtica poſſunt pro huiuſmodi offerri. Sed contra hoc argumentum nimis probat; nam huiuſmodi preces poſſumus fundere, etiamſi ille ſit mortuus in peccato, vel in ſua hæreſi, vbi eſt libertas religionis; quo caſu certum eſt, cum ſit damnatus, quod pro eo non poteſt offerri ſacrificium, nec preces fundi poſſunt; quomodo ergo ſepelietur ſine precibus? Dico igitur poſſe ſepeliri in loco ſacro, quia eſt in fauorem ſepelientium, ne teneantur alia loca quærere, quam ordinaria; nec preces diriguntur ad huiuſmodi excommunicatos, ſed ad exiſtentes in purgatorio.

17 Dices 3. Tales excommunicati admittuntur cum alijs, quando Miſſa offertur, & Sacerdos orat *in memento*, dicens, *& omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus hoc ſacrificium*. ergo &c. Sed contra retorqueo argumentum; nam ibi additur, *quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio*. Ergo Sacerdos non abſolutè offert pro omnibus circumſtantibus, ſed tantùm pro illis, quorum Deo nota eſt fides, & deuotio, & pro capacibus; nam certè, ſi ibi eſset hæreticus vitandus, vel infidelis, & paganus pro eo non offerretur ſacrificium, quia non eſt capax, ita & in propoſito.

18 Dices 4. Poſsumus cum tali excõmunicato cantare officium diuinum, & dicere *Miſereatur tui*, *Dominus vobiſcum &c.* & ſi Sacerdos cum communicet poteſt dicere *Corpus Domini noſtri &c.* ergo etiam &c.

Sed contra neque hoc argumentum vrget; nam admittere ad huiuſmodi actiones excommunicatum cedit in bonum aliorum, qui non ſunt excommunicati, ne cogantur, vel ſacrum omittere, vel exire è templo, vel angi ſcrupulis conſcientiæ, vnde concilium cenſetur in his diſpenſare; at in oblatione ſacrificij nulla interuenit ratio; imò cum per talem declarationem Concilium dicat, ſe per hoc nolle fauere excommunicatis, ſemper cenſentur excluſi. Et ex hoc patet, quid dicendum ſit de hæreticis; eſt enim par omnino ratio.

19 Quęres 7. An poſſit offerri Miſsę ſacrificium pro Cathecumenis, & infidelibus non baptizatis.

Reſpondeo 1. Ad ſatisfaciendum ex opere operato nullo modo poſſe offerri, & ſi offeratur eis nullo modo prodeſſe. Eſt communis Doctorum, & probatur: Quia qui non eſt capax fructus Sacramētorum, neque eſt capax fructus ſacrificij, ex opere operato: ſed, qui non ſunt

Digitized by Google

baptizati, non ſunt capaces fructus Sacramentorum, cum baptiſmus ſit ianua ad percipienda Sacramenta; ergo neque ſunt capaces fructus ſacrificij; maior probatur; quia ſacrificium Miſſæ conſiſtit eſſentialitèr, vt dictum eſt, in conſecratione Corporis Chriſti; eo ipſo autem, quod Corpus Chriſti eſt conſecratum, eſt Sacramentum; ergo non baptizatus ſi non eſt capax fructus Sacramenti, neque erit capax fructus ſacrificij.

20 Reſpondeo 2. Quoad impetrationem poteſt hoc ſacrificium prodeſſe etiã Cathecumenis. Eſt contra Vaſquez diſput. 227. cap. 3. Marchinum loco citato cap. 7. & alios apud ipſum. Eſt tamen Suarez diſ. 78. ſect. 2. Lugi diſp. 19. ſect. 10. Arriagæ diſp. 54. ſect. 3. & aliorum. Probatur primò ex Clemente Rom. lib. 8. Conſtitut. cap. 6. vbi agens de precibus, quæ in ſacro offerebantur habet. *Omnes prò Cathecumenis Deum obſecramus.* Secundò ex D. Chryſoſt. in ſua lyturgia to. 5. vbi Diaconus dicit. *Fideles pro Cathecumenis oremus.* Tertiò ex Tertuliano lib. ad Scapulum, vbi loquens de Imperatoribus gentilibus habet. *Sacrificamus, & pro Imperatoribus.* Quartò ex ordine Romano cap. cui titulus eſt. *Incipit ordo, vel denotatio ſcrutinij ad electos*; vbi dum Cathecumeni præparantur ad baptiſmum ad infra actionem ſic habetur. *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus Domine vt placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ donum vocare dignatus es.* Ex quo loco ſic argumentor: In ritu, quem ſeruat Eccleſia Rom. in Canone Miſsæ nihil poteſt contineri falſum, vt definit Trid. ſeſs. 22. cap. 4. Sed ex Canone habetur, quod Eccleſia Romana oret, & offerat ſacrificium pro Cathecumenis; ergo in hoc nihil debet reperiri falſum, ſed ſolum purum, & verum.

21 Dices 1. ex Vaſquez Eccleſiam quidem orare pro Cathecumenis, & etiam pro infidelibus, non tamen pro illis offerre ſacrificium. Sed contra; quia ex locis adductis clarè conſtat ipsã offerre pro illis ſacrificium; dicit enim *offerimus*, & Tertulianus *ſacrificamus*.

22 Dices 2. ex Marchino, Eccleſiam offerre ſacrificium pro Cathecumenis, & infidelibus in generali, & indirectè, quatenùs orat, & offert pro fidei propagatione, & dilatatione, ex quo indirectè offert pro infidelibus, & Cathecumenis. Sed contra; quia ex loco adducto conſtat Eccleſiam ſacrificium offerre pro Cathecumenis baptizandis.

23 Vnum tamẽ notandum eſt, quo facilè poſsunt conciliari hi Doctores, qui videntur contrarij; nam Vaſquez, Marchinus, & alij, qui dicunt non poſſe offerri pro Cathecumenis, & ſi offeratur nullum fructum ex opere operato eis prouenire, loquuntur de fructu, qui ex opere operato, ſeu impetratoriè, ſeu ſatisfactoriè à ſacrificio cauſatur, & dicunt hunc fructum nullo modo à Cathecumenis participari; cum non ſint baptizati, & baptiſmus ſit ianua hos fructus percipiendi. Arriaga verò, vt patet ipſum legenti loco cit. num. 9. vult hunc fructum percipi ab ipſo offerente, cui à Deo ſit gratia, & eſt dignus, vt exaudiatur; indirectè autem hunc fructum prouenire alteri, pro quo orat; quod etiam affirmat Marchinus loco cit. num. 6.

24 Obijcies tamen 1. Auguſtinum lib. 20. de anima cap. 9. vbi habetur. *Quis enim offerat corpus Chriſti, niſi pro eis, qui ſunt membra Chriſti?* Sed nullus fit membrum Chriſti, niſi, vel in bapitſmate, vel in morte pro Chriſto, vt ſubdit idem Doctor; ergo cum Cathecumeni non ſint baptizati, non ſunt capaces, vt pro eis offeratur Corpus Chriſti.

Reſpondeo cum D. Tho. in 4. diſt. 12. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4. Ibi Auguſtinum loqui de ijs, qui moriuntur abſque baptiſmò, quibus nullo modo poteſt prodeſſe ſacrificium, ſicuti ijs, qui actu viuunt, qui licèt non ſint actu membra Chriſti, ſunt tamen potentia. Et eodem modo explicandum eſt Concilium Bracharenſe 1. cap. 35. dum prohibet fieri ſacrum, aut orationem pro Cathecumenis defunctis ſine remedio baptiſmi; licèt hoc poſſit eſſe ſtatutum in pœnam, vt ceteri ſeriùs curent baptiſmum ſuſcipere.

25 Obijcies 2. Ante offertorium ſolitus erat Diaconus cantare: *ſi quis Cathecumenus eſt recedat*; ergo ſi Eccleſia eos eijcit, ſignum eſt nullo modo eſſe capaces fructus ſacrificij.

Reſpondeo eos Eccleſiam eijcere, quia non ſunt capaces offerendi cum Sacerdote, cum ſoli fideles baptizati ſint capaces; ſic reſpondent Lugus, & Arriaga.

26 Quæres 8. An animæ in purgatorio, Beati in Cœlo, & damnati in inferno ſint capaces fructus huius ſacrificij.

Reſpondeo 1. Miſſæ ſacrificium offertur pro animabus purgatorij, quibus remittit ſatisfactorias pœnas; Eſt de fide certa contra hæreticos noſtri temporis, & definitur in Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. vbi habetur. *Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs*

neceſſi-

Digitized by Google

neceſſitatibus , ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apoſtolorum traditionem , offertur , & idem habetur ſeſſ.25. decreto de Purgatorio ; & in ordinatione Sacerdotis dicitur. *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis , & defunctis* ; ergo verè ſacrificium offerri poteſt pro animabus purgatorij.

27 An verò proſit animabus Purgatorii ex infallibili Chriſti lege, & promiſſione , an verò ſolùm ex diuina voluntate, & liberalitate. Sotus in 4. diſt.19 qu.2. art.4. Cano lib.12. de locis theologicis cap.13. ad 9. & Corduba lib.1. qu.3. opin.4. volunt prodeſſe ſolùm ex voluntate , & liberalitate Dei , ſed probabiliùs eſt illis prodeſſe ex infallibili Chriſti lege , & promiſſione . Sic Suarez diſp.79. ſect.10. Marchinus loco cit. qui allegat Azorium , Petrum Sotum , Caniſium, Couatruuiam, Nauarrum, & alios , eamdem tenet Lugus loco citato num.17. Probatur , nam forma, qua ordinatur Sacerdos eſt . *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis , & defunctis* : ſed Miſſa oblata pro viuis lege infallibili prodeſt illis ; ergo & oblata pro defunctis : patet conſequentia : nam æqualiter datur poteſtas tàm pro viuis , quàm pro defunctis . Et explicatur hoc ex differentia , quæ intercedit in applicatione indulgentiarum , & applicatione ſacrificij pro animabus Purgatorij ; nam indulgentiæ applicantur illis à Papa per modum ſuffragij ; quia illæ animæ non ſunt amplius ſub iuriſdictione Pontificis : at Miſſa offertur à Sacerdote in perſona Chriſti , cui omnes animæ ſunt ſubiectæ , & idem Chriſtus , qui offert pro viuis , offert etiam pro defunctis : atqui pro viuis Chriſtus ſemper pro ſua reuerentia exauditur; ergo & pro defunctis ſemper exaudietur .

Differentia inter ſacrificium, & Indulgentias pro defunctis.

28 Reſpondeo 2. pro Beatis poſſe dici aliquo modo offerri , non quidem , vt illis ſit propitiatorium, cum liberi ſint ab omni culpa , & pœna ; vnde rectè dixit Auguſtinus *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; offertur igitur in gratiarum actionem pro beneficijs in ipſos collatis , in honorem ipſorum , vnde Eccleſia in offertorio dicit ; *vt illis proficiat ad honorem , nobis autem ad ſalutem* : vt intercedant pro nobis , vnde ſubditur ; *vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cælis , quorum memoriam agimus in terris* . Illis tamen non offertur ſacrificium , ſed ſoli Deo , qui eos coronauit , & qui eſt auctor vitæ , & mortis , quod expreſsè definit Trid. ſeſs.22. cap.3.

29 Reſpondeo 3. Damnatis nihil omninò prodeſt hoc ſacrificium . Sic omnes Theologi contra aliquos apud Suarez , verum hæc noſtra reſponſio eſt certiſſima , quia in inferno nulla eſt redemptio . Idem dicendum de paruulis decedentibus ſine baptiſmo ; neque obſtant aliqua exempla, quæ in contrarium adducuntur , vt de anima Traiani, precibus D. Gregorii ab inferis liberata . & quibuſdam alijs; nam vel hæc facta ſunt ex ſingulari priuilegio ; & ideò non ſunt adducenda in exemplum , vel apocripha ſunt , vt probat Bellarmin. lib.2. de Purgatorio cap.8. & 18.

ARTICVLVS VI.

Quinam ſint effectus huius ſacrificij Miſſæ .

1 SErmo eſt de effectibus huius ſacrificij ex opere operato , hoc eſt de effectibus , qui cauſantur ab ipſo independenter à bonitate , vel malitia Sacerdotis offerentis , in quo ſenſu loquitur Trid. ſeſs.22. cap.1. dicens. *Nulla indignitate , aut malitia offerentium hanc oblationem inquinari poſſe* ; quia non operatur, vt actio perſonalis miniſtri , ſed vt actio inſtrumentalis Chriſti , qui eſt principalis offerens , vt dictum eſt .

2 Prima ergo difficultas , quæ venit examinanda eſt , an hoc ſacrificium ex opere operato conferat immediatè augmentum gratię, & aliquando etiam cauſet primam gratiam attrito .

Gabriel in Can. Miſsæ lect.85. & Petrus Soto lect.7. de Euch. apud Marchinum loco cit. cap.10. volunt hoc ſacrificium ex parte rei oblatæ , & ex opere operato conferre primam gratiam , & facere de attrito contritum non minus , ac faciant baptiſmus , & pœnitentia , & Valentia tom.4. diſp.6. qu.11. de ritu, & oblatione Euchariſtiæ puncto 1. §. 22. prope finem docet, per accidens hoc ſacrificium producere primam gratiam , eo modo , quo Sacramenta viuorum, & infundere primam gratiam ſanctificantem illis , pro quibus offertur , quando culpa occulta erat, neque per confeſſionem, aut cōtritionem fuit ſublata, quod probabile, & pium exiſtimat idem Marchinus cum alijs loco cit.

Communis tamen , & vera ſententia, quam docet D. Tho. in 4. diſt.12. qu.2. art.2. ad 4. vult effectum huius ſacrificij eſse delere peccata , non vt cauſam immediatam , ſed quatenus impetrat auxilia , & donum pœnitentiæ concedit, qua delentur peccata . Sic Nugnus quæſt.83. art.1. dub.6. Syluius ibidem quæſt.14. Ioan. à S. Tho. diſput.32. de ſacrificio Miſsæ art.3. Gonet. diſp.11. art 4. Suarez diſp.79. ſect.3. Vaſquez diſput.228. cap.2. Lugus diſp.19. ſect.9. num.136.

Digitized by Google

Amicus diſ.33.de ſacrificio Miſſæ ſec.5. & plures alij apud ipſum, Arriaga diſ.51. ſect.1. & innumeri alij.

3 Concluſio 1. Hoc ſacrificium non habet vim immediatè remittendi mortalia, nec conferendi primam gratiam; ſed ſolùm habet impetrare auxilia, & donum pœnitentiæ, qua deleantur peccata. Probatur primò ex Trid. ſeſs.22. cap.2. vbi aſsignatur modus, quo peccata per hoc ſacrificium remittuntur; Sic enim habet. *Huius oblatione placatus Dominus gratiam* (nempe excitantem) *& donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia, dimittit.* Et D.Tho. loco cit. habet. *Peccata mortalia in eis delet non ſicuti cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Ex quibus locis ſic argumētor. Eo modo debemus dare huic ſacrificio vim cauſatiuā gratię ſanctificantis, & remiſsionē peccatorū, quo modo id nobis innoteſcit ex Concilio, & auctoritate Doctorum; nam quantam habeat vim ſecundùm ſe non poſsumus ſcire: ſed Concilium Triden. docet hoc ſacrificium delere crimina, & ingentia peccata in illis, qui de hoc ſacrificio participant, in quantum gratiam contritionis eis impetrat, quod non eſt immediatè, ſed tantùm mediatè peccata remittere; ergo tantùm mediatè habere hanc vim, & efficaciam dicere debemus.

4 Probatur 2. Nullus Catholicorum vmquam exiſtimauit ſe à peccato mortali liberari, & ſibi gratiam ſanctificantem infundi per hoc, quod curet pro ſe ſacrificium offerri, etiamſi ſimul habeat attritionem; & omnes docent, quod, ſi Sacerdos ſit in altari, & recordetur peccati mortalis commiſſi, tenetur conteri, nec vllus exiſtimat per attritionem, & conſecrationem offerendo pro ſe ſacrificium remitti ſibi mortale, & eſſe iam in gratia; ergo immediatè hoc ſacrificium hanc cauſalitatem non habet. Confirmatur non maioris eſt efficacitatis ſacrificium Miſſæ incruentum, quam ſacrificium cruentum Crucis; ſed ſacrificium Crucis, quamuis ſit infiniti valoris, numquam tamen immediatè cauſauit gratiam in hominibus, pro quibus oblatum fuit; ergo nec ſacrificium altaris hanc cauſalitatem habet.

5 Dices: Trid. dicit, quod *ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*; igitur ſupponit Tridentinum nos accedere ad hoc ſacrificium cum pœnitentia; ergo, ſi tunc miſericordiam conſequimur, & gratia inuenimus in auxilio opportuno, nō loquitur de gratia requiſita ad ipſam bonam diſpoſitionem, quia hæc iam ſupponitur, ſed agit de ipſa immediata remiſſione peccati, & immediata infuſione gratiæ. Sed contra: quia Tridentinum ibi non poteſt loqui de vera contritione, vt ab attritione diſtincta; nam quando vera contritio eſt, eſt iam remiſſum peccatum, & infuſa gratia; loquitur ergo de attritione, & alijs diſpoſitionibus requiſitis nempe, recta fide, de vero corde, & reuerentia, quo caſu dat auxilia, quibus contritionem eliciamus, & remiſſionem peccatorum, & gratiam conſequamur.

6 Dices 2. Ad obtinenda auxilia per modum impetrationis non opus eſt, quod quis accedat cum attritione; quia etiam peccatoribus, ex efficacia huius ſacrificij poſſunt impetrari, quamuis de ſua conuerſione non cogitent; ergo, dum Concilium requirit diſpoſitionem ex parte noſtra, agit non de conceſſione auxiliorum, vt diſponamur, ſed de ipſa remiſſione peccatorum, & infuſione gratiæ. Sed contra fateor, quod ſimpliciter non ſit neceſſaria attritio; at ipſa poſita facilior redditur impetratio; Concilium enim agit de illis, qui curant per ſe ſacrificium offerri, in quibus ſupponit ſerium deſiderium conuerſionis ſuæ.

7 Concluſio ſecunda. Impetratio auxiliorum, & doni pœnitentiæ, quibus deleantur peccata cauſantur ex opere operato à ſacrificio Miſſæ in illis, pro quibus offertur. Eſt contra Suarez, Serram, & alios, qui negant hanc cauſalitatem ſacrificio Miſſæ ex opere operato. Probatur tamen. Ille effectus cauſatur ex opere operato, qui cauſatur independentèr à dignitate Sacerdotis offerentis, & illius, pro quo offertur: ſed impetratio auxiliorum, & doni pœnitentiæ cauſantur ab hoc ſacrificio independentèr à dignitate Sacerdotis offerentis, aut illius, pro quo offertur; ergo cauſantur ex opere operato: maior patet: probatur minor ex Trid. ſeſs.22. cap.2. dicente. *Quoniam in diuino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, declarat Sancta Synodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, ac donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit; vna enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens &c.* Sed quod conuenit ſacrificio ratione rei oblatæ, & ratione Chriſti, conuenit ex opere operato, non operantis; ergo quod hoc ſacrificium cauſet hoc modo gratiam, & donum pœni-

Digitized by Google

pœnitentia conuenit illi ex opere operato, non operantis.

8 Quæ dicta ſunt de prima gratiã ſanctificante, dicendum eſt etiam dẽ augmento ipſius, neque enim hoc ſacrificium habet immediatè gratiam illam cauſare; cum hoc proprium ſit Sacramentorũ; vnde Euchariſtia illam cauſat per modum cibi ſpiritualis, vt alibi dictum fuit.

9 Ex his patet, quid dicendum ſit de peccatis venialibus; fatendum enim eſt hoc ſacrificium remittere venialia, vt docet Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. dicens, quod *Per hoc ſacrificium paſſionis eius virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicatur* remittuntur autem mediatè, quatenus imperrat nobis auxilia, quibus peccata venialia deteſtamur & hoc certum eſt ex loco adducto Concilij: & ex can. *Iteratur de conſecrat. diſt. 2.* & alijs locis; ex quibus Valentia, Corduba, Nugnus, Gonet, & alij, quos adducit Marchinus loco cit. prop. 5. ſuſtinent etiam immediatè per hoc ſacrificium deleri venialia; ſed probabilius eſt tantùm mediatè deleri, eo quod numqnam deleatur aliquod veniale, niſi noua gratia ſanctificans addadatur; à qui nullum habemus fundamentum dicendi, quod hoc ſacrificium immediatè augeat gratiam ſanctificantem; ergo neque habemus vllum firmum fundamentum afferendi hoc ſacrificium immediatè delere peccata venialia. Sic Suarez, Arriaga, Bonac. Fagundez, & plures alij.

10 Dices peccata venialia remittuntur per ſacramentalia; ergo multo magis per hoc ſacrificium; quod eſt maioris efficaciæ. Sed contra, quia per ſacramentalia non remittuntur immediatè; ſed ſemper interuenit aliquis actus deteſtans venialia, vt diximus de gratia quæſt. 7. ar. 5.

11 Concluſio 3. Hoc ſacrificium habet vim ad remittendas pœnas peccatis debitas tam pro viuis, quam pro defunctis. Hæc concluſio eſt communis, & definita in Trid. ſeſſ. 22. cap 2. & can. 3. & ſeſſ. 25. in decreto de Purgatorio. Ratio etiam id ſuadet; nam cum in lege naturæ, & ſcripta fuerint ſacrificia, nõ tantùm impetratoria, ſed etiam propitiatoria; & ſacrificium noſtrum eminenter contineat in ſe omnia ſacrificiã antiqua; vnde in oratione ſecreta poſt ſeptimam Dominicam Pentecoſtes dicit Eccleſia. *Deus, qui legalium differentiam victimarum vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti* & Leo Papa ſer. 7. de paſſione. *Vt nouo expleretur ſacrificio variarum differentia victimarum*, & Aug. lib. 17. de ciuit. Dei cap. 20. *Id ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificijs veteris teſtamenti quæ immolabantur in vmbra futuri*: atqui ex antiquis ſacrificijs aliqua erant ad impetrandas gratias, alia ad remittendas pœnas, alia propitiatoria, alia impetratoria; ergo, cum hoc noſtrum omnibus illis ſucceſſerit, hanc efficaciam habere debet.

12 Obijcies contra ſecundam. Si hoc ſacrificium eſt impetratorium ex opere operato ſequitur, quod hæc impetratio auxiliorum ſit ſemper infallibilis: at ſæpe experientia conſtat offerri pro peccatoribus hoc ſacrificium, qui non per hoc conuertuntur; ergo non erit ex opere operato.

Reſpondeo, quod hæc impetratio auxiliorum eſt ſemper infallibilis, ſed non ſemper impetrantur auxilia efficaciã, ſemper tamen ſuis locis, & opportuno tempore dantur auxilia ſufficientiã; Ideo &c.

ARTICVLVS VII.

An valor ſacrificij miſſæ ſit finitus, vel infinitus tum intenſiuè, tum extenſiuè.

1 CErtum eſt hoc ſacrificium nõ habere valorem infinitum ex parte Sacerdotis offerentis, imo, ſi hic ſit in peccato mortali, nõ poteſt quicquam mereri, aut impetrare; quia cum actualiter peccet mortaliter, non poteſt eſſẽ vllius premij meritorius, ſed ſit dignus pœna, & odio; ſi verò ſit in gratia nec ſatisfactio, nec impetratio poteſt eſſe niſi finita, cum proueniat à pura creatura, quæ ſemper finita eſt; & propter eamdem rationem, prout hoc ſacrificium eſt nomine Eccleſiæ, ſemper finitum eſt, & ſi offerens ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus non poteſt ab Eccleſiã vllum valorem accipere, quia eſt contra voluntatem Eccleſiæ, quod tunc oret.

2 Dices; ergo etiam Chriſtus prohibet ne tunc offerat; & ſic neque ex Chriſto vllum valorem habebit. Sed contra quia licèt tunc talis oblatio ſit peccaminoſa, & proinde ex hac parte contra voluntatem Chriſti; quia tamen Chriſtus Dominus voluit, vt quamuis Sacerdos ſit in peccato, & peccando conficiat, validè nihilominus conficiat; hinc eſt, quod ſemper offert nomine Chriſti; vnde duas habuit Chriſtus voluntates, vnam, prohibuit Sacerdoti exiſtenti in peccato, nẽ ſacrificet, aut adminiſtret Sacramenta; alteram, quod ſi nihilominus Sacerdos peccans voluerit ſacrificare, aut adminiſtrare ſacramenta, hoc faciat vt miniſter Chriſti, & repræſentans perſonam eius

vt do-

Digitized by Google

vt docet Concilium Trid. & ſub hæc ratione cum Chriſtus ſit ſemper principalis offerens, & id, quod offertur ſit corpus, & ſanguis Chriſti, inquirimus, an ſub his rationibus conſideratum ſacrificium miſſæ ſit valoris infiniti.

3 Prima ſententia negat hoc ſacrificium habere valorē inifinitum, & conſequenter vult eius effectus eſſe finitos, & limitatos ad tot gradus, & non plures. Sic Bonauent. in 4. diſt. 45. ar. 3. qu. 3. ad vlt. Scotus quodlib. 20. Valentia diſp. 6. 3. p. qu. 11. p. 1. §. 25. Suarez diſp. 79. ſec. 12. conc. 2. Bonac. diſp4. qu. vlt. p. 4. Coninch. qu. 83. ar. 1. dub. 10. Syluius ibidem q. 15. Amicus diſp. 33. ſec. 7. Lugus diſp. 19. ſec. 12. Arriaga diſp. 52. ſec. 7. & plures alij.

Secunda ſententia docet valorem huius ſacrificij eſſe infinitum tum intenſiuè, tum extenſiuè. Sic Caiet. hic qu. 79. ar. 5. & tom. 2. opuſc. tract. 3. qu. 2. Nugnus qu. 83. ar. 1. dub. 7. & 8. Canus ſuper hunc articulum. Io. à S. Tho. diſ. 32. ar. 3. Gonet diſp. 11. de ſacrificio miſſæ ar. 5. & communis Thomiſtarum, ex noſtris Gauantus in Rub. Miſſalis par. 2. lib. 8. n. 3. & Marchinus tract. 3. de ſacrificio miſſæ par. 2. cap. 12. & 13. Vaſquez diſp. 230. cap. 3. & plures alii.

4 Concluſio prima. Valor ſacrificij ad impetrandum eſt infinitus. In hac conueniunt etiam Suarez, Lugus, Amicus, Arriaga, & plures alii. Hæc concluſio debet intelligi, non quod per hoc ſacrificium impetremus aliquid ſimpliciter infinitum; nam cum Deus non producat illud infinitum, neque etiam de facto poſſumus illud impetrare, ſed dicitur talis valor infinitus ad impetrandum, quatenus numquam poſſumus aliquid petere, quo non poſſimus petere aliquid maius, nec poſſumus pro tot orare, quin poſſimus etiam pro pluribus.

5 Ratio autem huius eſt, quia cum hoc ſacrificium incruentum, & ratione rei oblatæ, & ratione Chriſti offerentis ſit illud idem, quod ſemel oblatum fuit in ara crucis: cum illud infinitè Deo placuerit, etiam hoc infinitè placebit; vnde potero petere non ſolùm pro me ipſo vitam æternā, ſed etiā pro omnibus aliis in infinitum; hæc tamen petitio nō obtinet infallibiliter ſuū effectū, vt experiētia cōſtat; cū hic effectus dependeat ex libera volūtate *Dei* admittentis impetrationē pro vno, nō pro alio, vel eā etiam abſolutè nō admittentis; cum hoc ex ſua ſola mera liberalitate dependeat.

6 Concluſio 2. Valor ſacrificii, quo ad ſatisfaciendum, ſeu quo ad ablationem pœnæ temporalis, quam debemus pro peccatis iam condonatis, eſt intenſiuè infinitus, quo ad ſufficientiam, licèt quo ad efficaciam, ſeu ex parte effectus finitus ſit. Hæc eſt expreſſa mens D. Thom. qu. 79. ar. 5. vbi habet. *Quamuis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatiſfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.*

7 Probatur prima pars: quia valor ſacrificii ex duplici capitè deſumitur, nempe ex re oblata, & principali offerente, à quo, licèt aliorum miniſterio offeratur, eumdem ſemper habet valorem etenim *Illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt* ex Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. non poteſt autem hæc oblatio vlla indignitate offerentium inquinari: quia vt docet idem Trid. *Eſt idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit ſola offerendi ratione diuerſa*; ſed principalis offerens eſt ipſemet Chriſtus, vt definitur in cap. *firmiter* in Concilio Lateranenſi, & ex Trid. adducto, & res oblata eſt corpus, & ſanguis eius vnita hypoſtaticè Verbo Diuino; hæc autem ſunt dignitatis ſimpliciter infinitæ ratione vnionis ad Verbum; ergo & ſacrificium iſtud prout offertur à Chriſto, & ratione rei oblatæ, eſt ſimpliciter valoris infiniti. Confirmatur ſacrificium miſſæ eſt idem cum ſacrificio crucis ſola offerendi ratione diuerſa: atqui ſacrificium crucis fuit valoris infiniti; ergo & ſacrificium miſſæ.

8 Secunda pars probatur, quia non maiorem efficaciam debemus tribuere huic ſacrificio, quam illi crucis: ſed ſacrificium crucis, licèt fuerit infiniti valoris intenſiuè, quo ad efficaciam tamen ſemper finitum, & limitatum effectum habet; ergo idem dicendum de ſacrificio miſſæ.

9 A quo autem limitetur effectus huius ſacrificij, docet D. Thom loco citato, limitari à deuotione recipientis; vnde non eſt taxatus à Chriſto certus remiſſionis pœnę gradus, neque limitatur ab offerente ſacerdote, vt alii volunt, ſed ſolùm a varia diſpoſitione, & deuotione recipientis, etenim, vt optimè obſeruat Ioan. à S. Thom. loco cit. remiſſio pœnæ ex meritis Chriſti dupliciter datur in Eccleſia, primò per Indulgentiam ex theſauro Eccleſiæ, ſecundò per ſacrificium miſſę: primo modo determinatio ſpectat ad illum, qui applicat; vnde Papa aliquando concedit indulgentiam tot annorum, & dierum, aliquando plenariam, quæ remittit totam pęnam: ſecundo autem modo determinatio non fit à ſacerdote, qui offert, ſed prouenit à deuotione, & diſpoſitione i-

lius

Digitized by Google

lius, pro quo celebratur miſſæ ſacrificium,

10 Concluſio 3. Miſſę ſacrificium habet valorem extenſiuum infinitum, & æquè multis, ac paucis prodeſſe poteſt ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis. Hæc concluſio ſequitur ex dictis nam ſi eſt illud idem cum illo, quod oblatum fuit in ara crucis ſola offerendi ratione diuerſa, quatenus illud fuit cruentum, hoc incruentum, vt definit Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. ſequitur, quod ſicut illud fuit infinitum intenſiuè, & extenſiuè, & applicatur vnicuique ſecundùm propriam cuiuſcumque diſpoſitionem, etiã hoc ſit eiuſmodi.

11 Secundò probatur: ſi miſſa eſſet finiti valoris extenſiuè, ſequeretur, quo plures miſſæ interſunt, eo minorem fructum recipere, quia talis fructus diuideretur inter illos, & ideo, quo plures miſſam audirent, eo minus ſinguli acciperent, vnde conſulendum eſſet omnibus, vt audirent miſſam vbi pauciores ſint, vt maiorem fructum perciperent; Hoc autem quis non videt eſse abſurdum?

12 Dices cum Suarez, & aliis, circumſtantes induere perſonam offerentium cum ſacerdote, & ideo reſpectu illorum fructum huius ſacrificii non eſſe taxatum, neque in ſingulis diuidi, ſed multiplicari, nos autem hic loqui de perſonis, pro quibus offertur, reſpectu quorũ fructus eſt taxatus Sed conra circũſtantes nõ tantũ ſunt offerentes, ſed etiã ſun: illi pro quibus offertur, vt patet ex llis verbis canonis, *& omnium circumſtãtium &c. & pro quibus tibi offerimus*; ergo ſi ille fructus pro illis, pro quibus offertur eſt taxatus, & ſemper pro circumſtantibus offertur, ſequitur planè, quod, quo plures ſunt circumſtantes, minorem fructum ex tali ſacrificio percipiant.

13 Dices 2. ex Arriaga veriſſimum eſſe, quod ſi ſatisfactio etiam ſpecialiter offeratur à Sacerdote pro audientibus præ alijs, qui non audiunt, etiam minus fructuoſa erit, ſi plures audiant, quam ſi pauciores; verùm hoc non eſſe abſurdũ, eo quod Sacerdos nõ offerat ſpecialiter pro audientibus; nam Sacerdos pro libitu, etiam ſi præſentes ſint pauci, poteſt ſacrificium pro multis offerre; & è contra, ſi ſint multi, poteſt offerre pro paucis; ex quo deducit, quod tam audire ſacrum cum multis, quàm cum paucis ex hoc capite ſit æqualis fructus; ex alio verò capite auditio Miſſæ cum multis auget fiduciam in Deum, & deuotionem ex opere operantis. Sed contra falſum eſt primò, quod Sacerdos non offerat ſpecialiter pro circumſtantibus, vt patet ex illis verbis Canonis: *Et omnium circumſtantium &c. pro quibus tibi offerimus.* Ergo ſemper verum erit, quod quo plures ſunt circumſtantes, minorem fructum recipient ex opere operato; per accidens autem eſt, quod auditio Miſſæ cum multis augeat fiduciam, & deuotionem in Deum ex opere operantis; nam multitudo etiam ſæpè ſolet eſſe occaſio diſtractionis, curioſitatis, & euagationis mentis, vt experientia ipſa conſtat; ergo &c.

14 Dices tertiò. Talem oblationem pro circumſtantibus eſſe tantùm generalem, ſicuti ſit pro Papa, Epiſcopo, Rege, & pro omnibus fidelibus viuis, & de functis; hanc autem non minuere fructũ huius ſacrificij; ſicuti minuitur, quando offertur pro pluribus particularibus ſecundùm fructum Miſſæ medium. Sed contra ſi fructus huius ſacrficij eſt finitus, tam diminuitur per oblationem generalem, quàm per particularem; nã eo ipſo, quo aliquid finitum eſt, ſi illud in plures diuidatur, certè minor pars ſemper ſingulis obueniet, quam ſi in pauciores diuideretur, vt ex terminis ipſis conſtat; neque admittenda eſt reſponſio aliquorum, qui dicunt ſacrificium oblatum generali oblatione pro Eccleſia, & membris eius ſolùm eſſe impetratorium auxilij ſufficientis, vel congrui, non autem remittere pœnas debitas ex opere operato; etenim eſt contra ferè omnes Theologos Scotum, Syluestrum, Adrianum, Maiorem, Nauarrum cap. 25. nu. 111. Vaſquium diſp. 231. cap. 6. num. 36. & alios, qui ſupponunt tamquam certum, Miſſam pro his omnibus etiã generaliter oblatam, aliquam pœnæ partem illis remittere; & certè hoc non debet negari de animabus purgatorij, ſecus fruſtratoria eſſet oblatio illa generalis pro ipſis, cum hoc ſacrificium ipſis non poſſit impetrare auxilia vlla, vel congrua, vel ſufficientia, cum ſint incapaces meriti; ergo debet illis prodeſſe, quo ad remiſſionem pœnæ, & ſic, quo plures erũt ij, pro quibus offertur ſacrificium, ſemper minor fructus illis obueniet.

15 Obijcies primò. Si hoc ſacrificium eſt infiniti valoris, maximè quia Chriſtus eſt principalis offerens, & res oblata: ſed Chriſtus nunc non meretur, nec ſatisfacit; ergo ſacrificium, quod nunc offertur, non eſt infiniti valoris; ſic arguit Lugus.

Reſpondeo retorquendo argumẽtum, quia ſi hoc ſacrificium non eſt infiniti valoris, quia Chriſtus nunc non meretur, nec ſatisfacit; ergo neque eſt finiti valoris, pro vt eſt à Chriſto offerente; quia nunc Chriſtus nullo modo meretur, nec ſatisfacit; quam tamen

con-

conſequentiam non poteſt Lugus, nec vllus alius concedere, cum ſaltem finitum valorem hoc ſacrificium habere omnes concedant. Dico ergo, quod licèt actu Chriſtus nunc non mereatur, potuit tamen applicare eius merita, quando inſtituit hoc ſacrificium, vt ſemper haberent hunc valorem quoties à legitimis Sacerdotibus offerretur.

16 Obijcies ſecundò. Si quælibet Miſſa eſset infiniti valoris, & æquè prodeſt paucis, ac multis, non opus eſset tot Miſsas multiplicare pro eadem perſona; imò ſuperfluum eſset Miſsas in ſpeciali petere, vt pro ſe ipſo offerantur; cum vnica Miſsa hæc poſset præſtare.

Reſpondeo negando ſequelam, licèt enim ſacrificium ſit valoris infiniti quo ad ſufficientiam, eſt tamen finiti quo ad efficaciã, cum eius virtus limitetur à deuotione eius, pro quo offertur; & cum hæc deuotio, & diſpoſitio creſcat per augmentum ſtipendij variarum miſsarum, etiam fructus ſacrificij per varia ſacrificia creſcit; vnde debent plures miſsæ peti, vt quod vnica miſsa non præſtatur, per plures haberi poſſit, & in ſpeciali ſunt petendæ, quia ipſa petitio ſacrificij eſt aptior diſpoſitio ad maiorem fructum cõſequendum: tum quia, vt definit Concilium Conſtantienſe ſeſs.8. contra Vvicleff. orationes pro aliquo in ſpecie factæ plus valent pro ipſo, quam generales; ita & de hoc ſacrificio dicendum eſt.

17 Obijcies tertiò. Communis conſenſus fidelium eſt, quando petunt aliquod ſacrificium, vt pro ipſis ſolis applicetur; ergo ſupponunt tamquam certum non tantùm prodeſse, ſi eodem modo non applicaretur.

Reſpondeo, communem ſenſum fidelium eſse, quod quando petunt aliquod ſacrificium pro ipſis ſolis ſpecialiter applicetur ex iuſtitia, & eo modo, quo Sacerdos idem ſacrificium illis applicare tenetur; per hoc autem non ſequitur, quod ex charitate, non poſſit idem alijs etiam applicare, eo modo, quo poteſt, & falſa eſt conſequentia; nam ipſi fideles communiter neſciunt, an hoc ſacrificium ſit valoris finiti, vel infiniti, & hanc quæſtionem relinquunt Theologis.

18 Obijcies quartò. Si hæc ſententia eſset vera, poteſt Sacerdos vnica Miſſa ſatisfacere etiam pro infinitis (ſi iſti exiſterent) & ei omnes dediſsent ſtipendium pro Miſſis celebrandis: hoc autem eſt contra ſenſus omnium; ergo & id, vnde hoc ſequitur falſum eſt.

Reſpondeo negando ſequelam; nam vt habet Vrbanus VIII. in decretis de celebratione Miſsarum, ſi ſic fieret, deperirent piæ teſtantium voluntates obſtricta benefactoribus fides violaretur, defunctorum animæ ſuffragijs priuarentur, Eccleſijs debitus cultus ſubtraheretur, fideles ſcandalizarentur, & damnabile lucrum auaritiæ fieret à Sacerdotibus, cum tale ſtipendium detur in ſubſtentationem Sacerdoti, qui altari ſeruiens, de altari viuere debet; turpe autem, & damnabile lucrum eſset, velle vnica Miſsa pro tot ſtipendijs ſatisfacere; ideò nullo modo poteſt Sacerdos vnica Miſsa ſatisfacere pro pluribus, qui ſtipendium dederunt.

ARTICVLVS VIII.

An ſuperior poſſit contra voluntatem offerentis applicare ſacrificium.

1 NON requiri intentionem actualem, vel virtualem ad applicandum ſacrificium, ſed ſufficere habitualem, & quod poſſim hodie applicare ſacrificia, quæ cras, & ſequentibus diebus volo celebrare, eſt communis Doctorum, & conſtat ex dictis ſupra de intentione requiſita ad conficienda Sacramenta, & cur ſaltem virtualis requiratur in confectione Sacramentorum, ſufficiat autem habitualis in applicatione ſacrificij ibidem dictum eſt.

2 Præſens ergo difficultas conſiſtit in hoc, an poſſit ſuperior voluntatem offerentis impedire, v. g. Superior religioſus mandat mihi, vt ego ſacrificium offeram pro Petro, ego verò offero, vel pro Paulo, vel pro me ipſo; an præualeat applicatio Superioris, vel offerentis.

Prima opinio docet, applicationẽ dependere à voluntate Prælati, & ſi ſubditus applicet ſacrificium diuerſimodè, ac Prælatus applicauerit, valere applicationem factam à Prælato, non à ſubdito. Sic Ledeſma 1. part. quæſt. 16. art. 4. Barboſ. de officio, & poteſtate Epiſcopi. Alleg. 24. num. 28. Bordonus tom. 1. variarum reſol. 25. quæſt. 4. Gauantus in Rubrica Miſſalis par. 3. tit. 12 num. 28. quod probabile cenſet Diana prima par. tract. de celebrat. Miſſarum reſolut. 72. cum alijs.

Secunda opinio cenſet quidem peccare Sacerdotem, vel cõtra obedientiam, vel iuſtitiam, ſi applicat ſacrificium contra voluntatem Prælati, ſed applicationẽm ab ipſo offerente factam valere, & fructum ſacrificij ad ipſum peruenire, cui ipſe applicat. Sic Suarez diſput. 79. ſect. 9. Vaſquez diſp. 250. cap. 6. Lugus diſp. 19. ſect. 10. dub. 9. Coninchus hic art. 1. dub. 9. conc. 11. Auerſa quæſt.

11. de

Digitized by Google

11.de ſacrificio Miſſæ ſect.10. Arriaga diſp.53. ſect.1.

3 Concluſio eſt cũ hac ſecunda ſententia. Probatur, quia ad illũ ſpectat applicare ad quẽ ſpectat cõficere hoc ſacrificiũ: ſed ad Sacerdotẽ offerentẽ ſpectat conficere, non verò ad Prælatũ;ergo ad Sacerdotem offerẽtem ſpectat applicare ſacrificium,non verò ad Prælatum: probatur maior: quia in confectione,& applicatione quidquid fit, totum fit auctoritate Chriſti; ergo ſi auctoritate Chriſti ſacrificat,etiam applicat; Prælatus enim non eſt,qui ſacrificat. Confirmatur, non maior eſt poteſtas ſuperioris , quam ſit Eccleſiæ in ſibi ſubditos Sacerdotes: ſed ſi aliquis ſit excommunicatus,vel ſuſpẽſus, imò etiam degradatus, & velit conſecrare, & applicare alicui ſacrificium, validè conſecrat , & applicat; etiam ſi hoc ſit contra voluntatem Eccleſiæ; ergo etiam , ſi ſubditus applicabit ſacrificium contra voluntatem ſuperioris , validè erit applicatum; fateor quidem talem peccare, quia facit contra obedientiam, vel etiam contra iuſtitiam, ſi ad talem applicationem ex iuſtitia teneatur; at applicatio ab ipſo facta eſt valida.

4 Obijcies primò. Subditus non habet nec velle, nec nolle, vnde nec etiam poteſt validè efficere votum contra voluntatem ſuperioris ; ergo neque poteſt applicare ſacrificium contra ipſius voluntatem.

Reſpondeo ſubditum non habere nec velle , nec nolle circa actiones exteriores , quia eas iam ſubiecit ſuperiori : at verò habere velle, & nolle internum, ſic enim per tales actus poteſt mereri, & demereri ; cum ergo applicatio ſit actio merè interna,poteſt à ſubdito validè fieri; nec eadem paritas eſt de voto : tum quia votum ſcimus non poſſe fieri, niſi dependenter à Prælatis,quia cum votum obliget ad aliquas actiones , & hæ iam non poſſint fieri,niſi dependenter à Prælatis, dum Prælatus prohibet, nè fiant illæ actiones, prohibet etiam conſequenter, nè fiat votum , niſi dependenter ab ipſo ; at applicatio eſt actio purè interna , nec vlla alia actio exterior requiritur,quę fiat ab ipſo offerẽte,ſed applicatione poſita executioni mandatur ab ipſo Deo. Ideò &c.

5 Obijcies ſecundò. Poteſt ſuperior iuſtè præcipere, vt Sacerdos offerens applicet ſacrificium pro anima Petri, non pro alijs; ergo & ſubditus tenetur obedire; ergo ſi non applicat iuxta intentionem ſuperioris inualidè applicat.

Reſpondeo conceſſo antecedente cum prima conſequentia , negando ſecundam conſequentiam , fateor enim ſubditum teneri obedire , & ſi non obediat,peccare;at nego,quod ſi contra eius voluntatem ſacrificium applicet , inualidè applicet ; nam cum in applicatione operètur vt miniſter Chriſti, & applicacatio ſit actus purè internus,in hoc,quo ad validitatem non eſt eſſentialiter ſubordinatus ſuperiori ; nec poteſt Prælatus Chriſto inferior ipſum coarctare.

6 Quæres 1. An teneatur Sacerdos miſſam offerre pro omnibus fidelibus?

Reſpondeo affirmatiuè, vnde peccaret,ſi aliquem excluderet. Sic communiter Doctores. Ratio eſt, quia in Canone Eccleſia ponit illa verba vniuerſalia: *Sed pro omnibus fidelibus &c.* Ergo ſi Sacerdos aliquem excluderet, faceret contra præſcriptum Eccleſiæ, & peccaret.

7 Quæres 2. An ſit in poteſtate applicantis ſacrificium diuidere effectum impetrationis ab effectu ſatisſactionis?

Reſpondeo affirmatiuè. Sic Suarez, Lugus,& Arriaga locis citatis. Ratio eſt, quia ſi ego offero ſacrificium pro duobus , qui mihi dederunt ſtipendium , & ſunt contenti , verè diuido , tam ſatisfactionem , quàm impetrationem inter illos duos , ergo etiam multò magis poſſum diuidere ſatisfactionem ab impetratione; vt ſi offero ſacrificium pro anima purgatorij, & pro Petro exiſtente in peccato ; pro anima purgatorij offero ſatiſfactionem , pro Petro verò impetrationem;nam hic,cũ ſupponatur in peccato, non eſt capax fructus ſatisfactionis; ſicuti neq; anima in purgatorio eſt immediatè capax fructus impetrationis.

8 Quæres 3. An ſi Sacerdos nulli ſpecialiter applicet hoc ſacrificium , Deus nihilominus id alicui applicet?

Reſpondeo. In tali caſu probabiliùs èſt fructum totum eſſe Sacerdotis offerentis. Sic Suarez diſpu.79. Arriaga diſp. 53. ſect.2. Lugo, & alij, contra Vaſquez diſp.231.nu.10.& 11.qui vult tale ſacrificium nulli prodeſſe. Probatur , quia ſi quis ieiunet,oret, vel recitet officium,& talia opera nulli applicet , nihilominus cum ſint ab ipſo operante facta, ſunt ipſius operantis ; ergo eodem modo id dicendum eſt de ſacrificio. Fateor tamen eſſe probabile huiuſmodi ſacrificium applicari omnibus per illam applicationem generalem , qua in offertorio dicitur : *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus meis,ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis &c. vt mihi , & illis proficiat ad ſalutem*;quare ſi nulla alia accedat applicatio ſpecialis , hæc quæ nomine Eccleſiæ fit,ſufficit,vt omnibus hoc ſacrificium cenſeatur applicatum.

ARTICVLVS IX.

Quo titulo accipi poſſit ſtipendium pro Miſſa.

Difficultas vnde oriatur.

1 SAcerdos, qui recipit ſtipendium pro celebranda miſſa, tenetur ex iuſtitia non tantùm celebrare miſſam, ſed applicare ſacrificium pro illa perſona, quæ ſtipendium dedit; hæc autem prima facie videtur ſymonia, quæ eſt venditio rei ſpiritualis pro re temporali; quare Doctores, vt ſoluant quomodo non ſit ſymonia accipere ſtipendium pro miſſæ celebratione cum ſacrificij applicatione in varias abiere ſententias.

2 Primò enim aliqui dicunt hoc debitum nō eſſe ex iuſtitia, ſed ex obedientia. Sed verè hic modus dicendi non ſubſiſtit; quia debitum obedientiæ non obligat ad ſatisfaciendum ex iuſtitia: ſed Sacerdos, qui celebrauit poteſt petere ex iuſtitia, vt qui promiſſit ſtipendium ſatisfaciat; ergo non eſt tantùm ex obedientia, ſed etiam ex iuſtitia.

3 Secundò. Alii dicunt non dari pecuniam in pretium, ſed ſub conditione, *Vt tibi dabo centum, ſi Petrum ſalutaueris*; vbi ſalutaio non meretur centum, ſed tamen eſt conditio dandi centum Tertiò alij dicunt dari propter obligationem, quam Sacerdos ſubit dicendi miſſam. Sed contra hi modi dicendi nullo modo ſubſiſtunt; nam tollerent de medio omnem prorſus ſymoniam; nam poſſem dare centum, vt quis mihi miniſtret Sacramenta, vt eligerer in Epiſcopum, & eiuſmodi, & dicere, ea dare, non vt emam Sacramenta, vel Epiſcopatum, ſed quia hæc ſunt tantùm conditio dandi, vel ob obligationem, quam ſubit alius, vel adminiſtrandi Sacramenta, vel dandi Epiſcopatum, quod dici nequit: tum quia nullus dat pecuniam alteri propter obligationem, quam ſumit, ſed propter miſſas, quas vult ſibi applicari; reijciendæ ergo ſunt iſtæ opiniones.

4 Quartò. Alij dicunt ſtipendium dari pro labore, qui in ipſa celebratione reperitur, quem modum tamquam probabilem ſuſtinet Arriaga diſpu. 56. ſect. 1. Sed contra; quia ſi eſt hoc ſtipendium pro labore; ergo eo ipſo, quod quis celebrat miſſam, etiamſi non applicet ſacrificium pro illo, qui ſtipendium dedit ſatisfacit: probatur conſequentia, quia iſte ſubiuit pro eo, qui dedit ſtipendium, totum illum laborem, qui merebatur illud ſtipendium; neque ſubſiſtit, quod dicit Arriaga, quod licèt non vendatur applicatio, ſed labor, hic tāmen non venditur, niſi dependenter ab applicatione, eo modo, quo quis emendo calicem, ſi dicat, volo emere calicem conſecratum, & non alium, nullo modo quis illi ſatisfaciet, ſi alium calicem daret eiuſdem valoris non conſecratum. Contra enim eſt; nam etiam ſi quis intendat emere calicem conſecratum, & non alium, nihilominus, ſi alius det illi calicem non conſecratum tanti valoris, ac erat conſecratus nihil aliud tenetur ex iuſtitia illi dare, licèt ex alio capite talis peccet, eo quod fidelitatem non ſeruauerit dando ei in particulari eumdem calicem, quem vendere promiſerat; ergo etiam in propoſito, eſto peccet contra fidelitatem non applicando ſacrificium pro illo, qui miſſæ ſtipendium dedit; nihilominus, ſi hoc datur pro labore, quem ſubit Sacerdos in celebranda miſſa, ſi de facto Sacerdos hūc laborem ſubiuit, & illum applicauit illi, qui dedit ſtipendium, iuſtè poſſet retinere ſtipendium, licèt ſacrificium alteri applicaſſet; quod tamen falſum eſt.

5 Concluſio. Stipendium miſſæ non datur in pretium ſacri, ſed ob ſubſtentationem miniſtri. Sic Ioan. à S, Tho. diſp. 32. ar. 4. Gonet. diſp. 11. ar. 6. Lugus diſp. 21. ſect. 1. Sanchez Conſil. Mor. lib. 2. ca. 2. dub. 11. Auerſa q. 11. ſect. 17. Arriaga loc. cit. & communis Doctorum, & eam docet D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 2. Probatur, quia ſi non eſt licitum accipere ſtipendium pro miſſa celebranda, maximè. quia hoc eſſet ſymonia: ſed quando aliquid accipitur non in pretium ſacri, ſed propter ſubſtentationem non eſt ſymonia; ergo poteſt accipi; quare ſicuti quis pro celebratione miſſæ poteſt petere veſtes, ceram, & quę neceſſaria ſunt ad miſſam celebrandam abſq; vlla labe ſymoniæ; ita cum vita ipſius Sacerdotis ſit neceſſaria ad miſſam celebrandam, poteſt iuſtè petere ſui ipſius ſuſtentationem; & hoc eſt conforme cum illo Apoſtoli 1. ad Cor. 9. *Qui altari deſeruiūt, de altari participant.* Et Gloſſa ſuper illud 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præſunt Presbiteri &c.* ait: *Accipiant ſubſtentationem neceſſitatis a populo mercedem diſpenſationis à Domino.*

6 Obijcies primò. Si licèt accipere ſtipendium miſſæ propter ſubſtentationem Sacerdotis; ergo etiam licebit Epiſcopo accipere ſtipendium pro conferendis ordinibus, & Parochis pro adminiſtrarione Sacramentorum: ſed hoc nō licèt ſine ſymonia: ergo nec licèt accipere ſtipendium pro miſſa ſine ſymonia.

Reſpondeo negando ſequelam maioris; & diſparitas aſſignatur à D. Th. loc. cit. quod Epiſcopi pro collatione ordinum, & Chriſmate, & Parochi pro adminiſtratione Sacramentorum habent

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficientem ſuſtentationem ſibi aſſignatam ex redditibus, & alijs bonis, ideò nihil poſſunt accipere: at pro miſſis celebrandis Eccleſia aſſignat pro ſuſtentatione ſtipendia, quæ pro ipſis miſſis dantur.

7 Obijcies ſecundò. Quilibet tenetur ſuſtentare propriam vitam ſiue celebret, ſiue non celebret; ergo pro ſuſtentatione propriæ vitæ non poteſt Sacerdos petere ſtipendium ex iuſtitia.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; nam cum Sacerdos eo ipſo, quod talis eſt, non poſſit ſuſtentare vitam, vel mercatura, vel arte mechanica, vel aliquo officio ei indecenti Eccleſia prouidit, vt ſuſtentaretur celebrando; ideò, & qui promiſit ſtipendium tenetur illud ex iuſtitia reddere, & qui miſſam celebrauit, poteſt illud petere.

8 Quæres primò. An non ſolùm Sacerdotes pauperes, ſed etiam diuites poſſint ſtipendia pro miſſis celebrandis accipere?

Reſpondeo etiam diuites poſſe ſtipendium accipere. Ita communiter Doctores; & ratio eſt, quia etiam Sacerdos aliunde diues habet ius ſe ſuſtentandi ex altaris miniſterio; nec in hoc debet eſſe deterioris conditionis.

9 Quæres ſecundò. Quale ſit iuſtum miſſæ ſtipendium?

Reſpondeo, hoc debere menſurari ex lege Eccleſiaſtica id taxante, vel ex laudabili conſuetudine recepta, vt hic Romæ communiter ſtipendium vnius miſſæ eſt vnus Iulius, quod ſi hæc deficiant, poteſt menſurari ex frugali, & honeſta Sacerdotis in vnum diem ſuſtentatione. Ita communiter allegati Doctores.

10 Plura poſſent hic inquiri de ſtipendio miſſarum, quæ tamen, vel aliundè iam tractata fuere à Doctoribus tam Theologis, quam caſuiſtis, vel iam deciſa fuere per decreta edita ab Vrbano VIII. anno 1625. de celebratione miſſarum; & per varias Sacræ Congregationis declarationes; ideò nihil aliud addendum eſt. Eſt hęc de miſſæ ſacrificio, & de toto tractatu Euchariſtiæ dicta ſint.

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS.

DE VIRTVTE, ET SACRAMENTO POENITENTIAE.

POENITENTIAE nomine intelligimus dolorem, & afflictionem animi, & quandam voluntariam punitionem; quam pro commiſſis culpis ſibi ipſi peccator infligit, & eumdem pœnitet anteactæ vitæ; Quare non importat ſolam animi reſipiſcentiã, & peccati agnitionem, propoſitumque dumtaxat nouæ vitæ inchoandæ, vt Eraſmus, Lutherus, & alijhæretici noſtri temporis falsò dixerunt, etenim vt docet Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. *Certè qui illos Sanctorum clamores conſiderauerit. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alia huius generis: facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.* Verum, mirâdũ nõ eſt hos hæreticos ſic prolapſos fuiſſe; nam cum aſpera quęque fugiant, & quæ ad ſenſum faciunt maximè ſectentur, omnem veram pœnitentiam, dolorem, & deteſtationem peccati auerſantur. Hęc pęnitentia eſt pars Sacramenti a Chriſto Domino inſtituti, quod a præcipua ſui parte Sacramentum pęnitentiæ nuncupatur. Quare D. Th. cum hic nõ agat de virtutibus, ſed de Sacramentis, nec de virtute pęnitentiæ tractet, niſi quatenus eſt pars Sacramenti; hinc eſt, quod optima ratione prius egit de Sacramento, deinde de virtute pęnitentiæ nihilominus, cum perfectè non poſſimus cognoſcere totum, niſi prius cognoſcamus partes, facilior, & clarior forſan euadet tractatus, ſi cum Ariſtotele, & alijs incipientes ab vniuerſalioribus, prius de virtute ipſa pęnitentiæ, poſtea de Sacramento tractauerimus: plura tamen relinquẽtes, quæ de pęnitentiæ virtute dici poſſent, cum ea alibi tractata fuerint, & pręcipuè in tractatu de gratia, & iuſtificatione; quę igitur alibi explicata non fuerint hic adamuſim explicabuntur. Totum hunc tractatum ſex quæſtionibus concludemus, quarum prima erit de virtute pœnitentiæ: Secunda de actibus ipſius pęnitentiæ: Tertia de eſſentia Sacramenti pęnitentiæ: Quarta de confeſſione ſacramentali: Quinta de ſatisfactione: Sexta tandem de miniſtro Sacramenti pęnitentiæ, & obligationibus eius.

QVÆSTIO I.

De quidditate virtutis pœnitentiæ.

DAri virtutem pęnitentiæ eſt certum contra quoſdam hæreticos antiquos: nam primò aliqui dixerunt eis, qui ſemel à recta via aberraſſent non prodeſſe pœnitentiam; in hoc errore fuiſſe Ciceronem tradidit Lactantius lib. 6. diuin inſtitut. Alij ſecundò dixerunt peccãtibus poſt, perceptam notitiam veritatis non adeſſe locum pęnitentiæ: Tertiò alij affirmarunt ſemel tantùm prodeſſe pœnitentiam poſt baptiſmum: Quarto alij volebant de quibuſdam tantùm peccatis eſſe vtilem pœnitentiam, non verò de grauioribus, iſti fuerunt Armeni, vt refert Caſtro Verbo *peccatum* hæreſi 6. Qui verò alios errores docuerunt fuerunt Nouatus, Montanus, Cathari, & Cathafriges, ſuſpecti etiam fuere de his erroribus Origenes, & Tertullianus, licèt non conſtet ex tribus prioribus erroribus quemnam errorem ſinguli docuerint; certiſſimum tamen eſt, & de fide definitum in pluribus Conciliis, & ex ſcriptura apertè colligitur, dari in Eccleſia veram pœnitentiam pro lapſis poſt baptiſmum, & ante inſtitutum à Chriſto Pœnitentiæ Sacramentum, veram fuiſſe pœnitentiam, & vtilem ad remiſſionem peccatorum. Hoc colligitur clarè ex ſcriptura Matth. 18. Petro interroganti quoties deberet fratri ſuo peccatum dimittere? reſpondit Chriſtus. *Non tantùm ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties.* Hoc eſt quotieſcumque quis ad pęnitentiam redierit, vt explicant communiter Patres, & Doctores; & Matth. 16. & 18. quodcumque peccatum, & quemlibet peccatorem poſſe abſolui clarè colligitur ex illis verbis Chriſti Domini. *Quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in Cœlis.* Eadem veritas definita fuit in Concilio Niceno can. 4. contra Nouatianos. In Concilio Lateranen. cap. firmiter de Summa Trinit, & in Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. can. 19. & ſeſſ. 14. cap. 1. alijſque in locis: Quare omiſſo an ſit, ſtatim inquïrimus, quid ſit.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

An Pœnitentia ſit virtus

1 NOtandum ad euidentiam, quod hic loquimur de pœnitentia, quæ ſecundum Deum eſt; nam fateor poſse dari pœnitentiam, quæ ſit odium, & deteſtatio de peccato, & nihilominus non ſolùm non ſit virtus ſed peccatum; vt ſi quis deteſtatur peccatum ob ſolam infamiam, quæ illi euenit, de reliquo vellet de nouo peccare; vel quia doleat de aliquo facto ſuo, eo quod amiſſerit commodum patrandi alia peccata, aut ex ſimilibus motiuis; pęnitentia verò, quæ ſecundùm Deum eſt, debet deteſtari peccata ex motiuo honeſto, quale verò debeat eſſe hoc motiuum, quod ſit proprium pęnitentiæ infra dicemus; nomine autem pęnitentiæ intelligimus tum habitum, tum actum pęnitentiæ, qui dicitur actus virtuoſus, licèt magis ſit ſermo de pęnitentia, quatenus habitus eſt.

2 Concluſio. Pęnitentia ſimpliciter & abſolutè eſt vera, & propria virtus. Ita D. Th. hic queſt. 85 ar. 1. & communiter omnes ſcholaſtici. Probatur 1. ex Ariſtotele 2. Ethic. cap. 6. *Virtus eſt habitus, qui facit bonum habentem, & opus eius reddit bonum*: Sed pęnitentia eſt huiuſmodo, ergo pęnitentia eſt vera virtus: probatur minor ex D. Ambroſ. Serm. de Cathedra S. Petri, vbi habet. *Fidelior perfecto factus eſt Petrus poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit; atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amiſit*. Et Chryſ. ſerm. de pęnitentia habet. *O pœnitentia, quæ peccata Deo miſerante remittis, & Paradiſum reſeras contritum ſanas*, & infra. *Per te o pœnitentia Dauid afflictus, vel contritus factus eſt ſanctus*; & ſcriptura, & Patres non tantùm commendant pęnitentiam, ſed illam præcipiunt, & huius veritatis ſint fere innumera loca: Sed ſolùm virtutes ſunt laude dignæ, & ſolùm opera virtutum præcipiuntur; ergo, ſi pœnitentia præcipitur à ſcriptura, & Patribus, & ſummis laudibus commendatur, verè pęnitentia eſt virtus.

3 Probatur ſecundò. Ille habitus virtus eſt, qui verſatur circa difficilè, & cuius actus ſunt boni, & laudabiles: ſed habitus pęnitentiæ verſatur circa difficilè, & actus eius ſunt boni, & laudabiles; ergo eſt vera virtus: maior patet; probatur minor; & quidem, quod verſetur circa difficilè ex ſe patet; nam velle relinquere commoditates ſenſus in cibo, potu, & alijs voluptatibus difficilè eſt; cum natura humana ex ſe prona ſit ad corporis commoditates: quod verò actus pęnitentiæ ſint boni, & laudabiles probatur; quia illi actus ſunt boni, & laudabiles, qui poſſunt ex electione fieri cadunt ſuper materiam conuenientem, & sũt propter bonũ finẽ cum omnibus circumſtantiis: tales ſunt actus pęnitentiæ; ergo ſunt boni, & laudabiles: probatur minor, quia congruum eſt deliberare, quod ſit dolendum de peccatis commiſſis: Inſuper actus pęnitentiæ verſantur circa malum, illud odio proſequendo propter offenſam Dei: ſed hæc omnia ſunt ſecundùm rectam rationem; ergo &c. Sicuti enim eſt ſecundùm rectam rationem amare bonum, ita ſecundùm eamdem eſt odio habere malùm; ergo verè hi actus virtuoſi ſunt; ergo & habitus, à quo iſti actus eliciuntur vera virtus eſt.

5 Probatur 3. Virtus ex Ariſtot. & communi debet tenere mediocritatem inter duo extrema: ſed pœnitentia eſt huiuſmodi: ergo eſt vera virtus: probatur minor, quia hominem gaudere de omnibus operibus à ſe factis, ſiue bonis, ſiue malis, vitium eſt; ſicuti etiam dolere de omnibus, ſiue bonis, ſiue malis: ergo dolere de malis tantùm, quatenus ſunt offenſa Dei bonum eſt, & virtuoſum: Inſuper præſumere de venia obtinenda à Deo ſiue vlla pęnitentia vitium eſt, ſicuti etiam vitium eſt deſperare de miſericordia Dei, vt Caim, qui dixit Gen. 4. *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*; ergo pęnitere, & dolere de peccatis ſuis, quatenus ſunt offenſa Dei cum ſpe veniæ, actus erit virtuoſus, & bonus.

5 Obiicies primò. Virtus per ſe tendit in bonum: ſed pœnitentia non tendit in bonum, ſed in malum; ergo non eſt virtus.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: pœnitentia tendit in malum, illud proſequendo, nego minorem; illud fugiendo, concedo minorem; ergo &c. negatur conſequentia; virtus enim duſumit ſuam ſpeciem ex modo tendẽdi in obiectũ, nõ ex obiecto materiali deſtruẽdo; modus autẽ tẽdẽdi per modũ fugæ in malũ æquiualet modo tendẽdi in bonũ per proſecutionem, & ideo formale obiectum pęnitentiæ ſemper bonum eſt: & licèt peccatum ſit malum, nihilominus hoc eſt tantùm obiectum extrinſecum, & deſtruendum. Ideo &c.

6 Obiicies 2. Omnis virtus eſt per ſe expetibilis: ſed pœnitentia non eſt expetibilis, niſi ſuppoſito peccato; ergo per ſe non eſt virtus, ſed tantùm per accidens ex ſuppoſitione peccati.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; om-

Digitized by Google

omnis virtus eſt per ſe expetibilis ex obiecto proprio, concedo maiorem; abſolutè, & ſemper nulla facta ſuppoſitione, nego maiorem: ſufficit enim, ſi ante peccatum ſit expetibilis conditionatè ex obiecto ſuo, ſicuti expetibilis eſt medicina, ſi detur morbus: concedo poſtea minorem; & nego conſequentiam: nam ſuppoſito peccato ipſa pœnitentia eſt per ſe expetibilis ad illud deſtruendum, & ad ſatisfaciendum Deo offenſo, ideo ſimpliciter eſt virtus; ſicuti virtus eſt miſericordia, & iuſtitia punitiua, & tamen ſemper ſupponunt malum proximi.

7 Obijcies 3. Ariſt. 2. Ethic. cap. 7. docet pudorem non eſſe virtutem, eo quod naſcatur ob res malas; ſed etiam pęnitentia eſt huiuſmodi; ergo nec pęnitentia eſt virtus.

Reſpondeo cum D. Thom. ar. 1. ad 2. Ideo verecundiam, vel pudorem nō eſſe virtutem; quia ſæpè ſæpius eſt de re præſenti, & actualiter compatitur ſecum voluntatem prauam, cum ſit timor vituperij, vel obbrobrij, quod immniet, vel naſcitur, nec talis timor tollit affectū ad peccatum, aut illud deſtruit, at pœnitentia, eſt de facto præterito, & tendit ad illud deſtruendum. Secundò verecundia, & pudor eſt potius paſſio corporis, quam electio voluntatis; vnde aliquis deprehēſus in turpi facto ſæpè erubeſcit etiā ipſo inuito, virtus autem ſpectat ad electionem voluntatis. Cæterum, ſi verecundia conſideretur, vt eſt actus voluntatis electiuus timens malum ex affectu voluntatis oppoſitæ, eſt actus bonus; Verum quia vt plurimum talis non eſt, ideo dicitur, quod pudor, & verecundia non eſt virtus.

8 Obijcies 4. Virtus operatur cum delectatione: Sed pœnitentia non operatur, niſi cum triſtitia, & dolore; ergo nō eſt virtus.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Virtus operatur cum delectatione de ſuo obiecto ſemper, nego maiorem: cū delectione de ſuo actu, quem elicit circa obiectum, concedo maiorem: diſtinguo poſtea minorem: pœnitentia non operatur, niſi cum triſtitia, & dolore de obiecto, hoc eſt de peccato, quod curat tollere, concedo minorem: non operatur niſi cum dolore, & triſtitia de actu, quem elicit, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia; etenim pœnitentia dolet quidem de peccato; ſed eliciendo actum pœnitentiæ gaudet ſe dolere. Sic reſpondet D. Thom. qu. vnic. de ſpe ar. 1. ad. 14. Arriaga negat abſolutè maiorem; dicit enim de ratione virtutis eſſe, quod operetur cum facilitate, non cum delectatione. Verò reſponſio D. Thom. eſt optima; nam experientia conſtat hominem gaudere, ſe de peccato dolere.

9 Obijcies 5. Virtus eſt eſſentialiter diſpoſitio perfecti ad optimum actum; abſolutum, efficacem, & perfectum: ſed pœnitentia, quæ dolet de peccatis præteritis non poteſt de ijs dolere actu abſoluto efficaci, & perfecto, ſed tantùm inefficaci, & conditionato; nam impoſſibile eſt, quod peccatum præteritum non ſit præteritum: vnde poteſt tantùm dicere vellem non commiſiſſe peccatum, ſi eſſet poſibile; ergo non eſt virtus.

Reſpondeo pęnitentiam tendere actu abſoluto, & efficaci ad deſtruendum peccatum, quod moraliter permanet, & illud de facto tollit; quod verò non poſſit facere, quod præteritum non fuerit præteritum, nihil officit, ſed ſatis eſt ad rationem virtutis, quod efficaciter tollat peccatum moraliter permanens. licèt circa præteritum, vt præteritum, non poſſit habere, niſi actum illum inefficacem, & conditionatum, vt probat argumentum.

ARTICVLVS II.

An Pęnitentia ſit virtus ab alijs diſtincta & quodnam ſit eius obiectum.

1 PRima ſententia negat eſſe ſpecialem virtutem, ſed vult eſſe generalem quæ includitur in omnibus alijs virtutibus; cum quælibet virtus inclinet ad bonum, & deteſtetur malū oppoſitum. Sic docent Altiſiodoren lib. 4. tract. 6. cap. 1. quæſt. 3. Rubion. in. 4. diſt. 14. qu. 3, ar. 1. Maior ibidem qu. 1. & quidam alij.

Secunda communis ſententia affirmat eſſe ſpecialem virtutem, hanc docent D. Thom. hic ar. 2. Caietanus, Nugnus, Syluius, Gonet, & Thomiſtæ communiter ibidem, Vaſquez ſuper eumdem articulum, Suarez diſp. 2. & 7. Coninch. diſp. 1. dub. 4. Auerſa qu. 2. de pęnitentia ſec. 2. & 3. Amicus diſput. 1. ſect. 3. Lugus diſp. 2. Arriaga diſp. 2. & alij communiter; quia tamen hæc ſpecifica diuerſitas pœnitentiæ ab alijs virtutibus debeat ſumi ex diuerſo, & proprio ipſius obiecto, diuerſi ſunt iſti auctores in aſſignando proprio obiecto pœnitentiæ.

2 Plures recentiores, vt teſtatur Lugus diſp. 1. ſec. 2. licèt nullos in particulari citet, volunt obiectum pęnitentiæ eſſe bonum compenſationis, & præcipuum actum huius virtutis eſſe velle compenſare ſeu ſatisfacere Deo pro of-

fenſa

Digitized by Google

ſenſa propter bonum; quod inuenit in hoc, quod eſt compenſare, ſeu ſatisfacere; ex quo deducunt primò, non poſſe dari actum abſolutum huius virtutis ante peccatum, quia, qui non peccauit, non poteſt velle compenſare prò peccato. Deducunt 2. non elici actum doloris aut retractationis circa peccata præterita, quia ille actus non poſſet habere pro motiuo formali bonum compenſationis; cum peccata præterita non opponantur compenſationi futuræ, ſed ſupponantur, & neceſſaria ſint, vt ſequatur compenſatio, quam ſolam hæc virtus Vult formaliter. Porro ex affectu circa compenſationem dicunt, hanc virtutem imperare alijs virtutibus, vt retractent peccata. Hæc Lugus, & Arriaga diſp. 2. ſec. 1. vult. hanc ſententiam eſſe Vaſquez de Pęnitentia qu. 85. ar. 3. dub. vnico. Non multùm differt ab hac opinione ſententia, quam ipſe Lugus ſequitur, nempe, quod obiectum, formale pęnitentiæ ſit bonum, quod relucet in bono pacis cum Deo, ſeu in hoc quod Deus non habeat vllum ius, vt poſſit mihi iuſtè eſſe offenſus.

Caietanus hic ar. 2. quem ſequitur Coninchus diſp. 1. dub. 4. vult pęnitentiam eſſe quidem ſpecialem virtutem, ſed non diſtinctam à religione, eoquod pęnitere ſit actus, & quidam cultus Deo debitus, & plures aliæ circumferuntur ſententiæ, ſed leuioris momenti.

Communis, & vera ſententia docet, obiectum formale pœnitentiæ, ratione cuius illa ſpecificè diſtinguitur ab omnibus alijs, eſſe velle operari ad deſtructionem poccati in quantùm eſt offenſa Dei; ſub quá ratione hoc eſt proprium pœnitentiæ, nec conuenit vlli alij Virtuti. Sic expreſsè D. Tho. hic qu. 85. art. 2. Thomiſtæ cõmunitèr ſuper eumdem articulum, Syluius ibidem: Gonet diſp. 2. art. 2. Valentia qu. 2. de Pœnitentia par. 1. Suarez diſp. 2. & 7. Auerſa q. 2. ſect. 2. Arriaga diſput. 2. ſect. 6. & plures alij.

3 Concluſio prima. Pœnitentia non eſt virtus generalis, quæ tranſcendat omnes virtutes. Eſt contra primam ſententiam. Probatur; quia, vt communis ſenſus Theologorum, & omnium fidelium habet, poteſt aliquis peccator habens multa, & diuerſa peccata vnico actu ea omnia complecti, de ijs dolere, & iuſtificari per verum actum pœnitentiæ: ſed, ſi pœnitentia eſſet tranſcendens omnes virtutes, ſeu aggregatum ex omnibus virtutibus, nullus habens varia, & diuerſa peccata poſſet vnico actu, imò nec breui tempore moralitèr loquendo ea omnia peccata deteſtari, de ijs dolere, & iuſtiſicari per verum actum pœnitentiæ; ergo pœnitentia non eſt virtus generalis tranſcendens, ſeu aggregatum ex omnibus virtutibus: maior ex communi omnium conſenſu patet: probatur minor: nam qui multa, & diuerſa peccata patraſſet, deberet priùs apprehendere ſingillatim motiua ſpecialia virtutum omnium, contra quas peccauerat, deinde ſingillatim dolere de illis peccatis ſub diuerſis motiuis virtutum: hoc autem eſt planè incredibile; nam multum temporis requireretur, antequam quis poſset iuſtificari.

4 Non nego tamen, quod pœnitentia non poſſit conſiderari, vt quoddam tranſcendens omnes virtutes, & tali pacto conſiderata non eſt diſtincta ab eis, ſed eſt identificata cum ijſdem virtutibus v. g. quia ad temperantiam ſpectat velle temperatè agere in futurũ, & gaudere de temperatè factis in præterito; etiam ſpectat ad ipſam dolere de intemperatè factis, & nolle intemperatè agere in futurum. Inſuper ad charitatem ſpectat gaudere de bono Dei, & deſiderare placere Deo, ita etiam ſpectat dolere, ſeu pœnitere de peccato apprehenſo, vt malo intentato Dei, & in futurum nolle illud committere ex eodem motiuo. Tertiò ſi conſideretur peccatum, vt eſt contra legem, & obedientiam, dolere de hoc peccato ſub hoc motiuo ad obedientiam ſpectabit, & ſic de alijs virtutibus, & in hoc ſenſu concedo pœnitentiam non diſtingui ab alijs virtutibus; verùm in hoc ſenſu accipitur vt trãſcendit alias virtutes; at probabitur habere proprium obiectum, & conſequentèr eſse ſpecialem virtutem ab alijs diuerſam.

5 Concluſio 2. Obiectum formale pœnitentiæ, ratione cuius eſt ſpecialis virtus ab alijs diſtincta, non eſt bonum compenſationis pro peccato commiſso. Probatur 1. quia hæc ſententia, vt explicatur à Lugo, ponit virtutem pœnitentiæ, quæ non dolet de peccatis: ſed hoc eſt contra Patres, & Trid. expreſsè; ergo non eſt admittenda: probatur minor; nam Greg. Magnus Hom. 34. in Euangelia habet. *Pęnitentia eſt peccata præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* D. Hieron. in Pſal. 118. ſuper illa verba. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* dicit. *Vera eſt pęnitentia iugiter fletibus commiſſa diluere, & ablata non iterare.* Idem docent. Auguſtinus, Ambroſius, & alij, quos citat Lugus, & Trid. ſeſs. 14. cap. 4. enumerans actus pœnitentis, ſic definit. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pęnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo*

cum

Digitized by Google

tum propoſito non peccandi de cetero.

6 Probatur 2. ratione. Virtus pœnitentiæ, dum vult bonum compenſationis pro peccato commiſſo vult tollere peccatum: ſed non poteſt velle tollere peccatum, niſi illud odio habeat; ergo de ratione pœnitentiæ eſt, quod odio habeat, & deteſtetur peccatum commiſſum: probatur minor: in tantum vult tollere peccatum, in quantùm eſt malum, & malum odio habetur; ergo ſi pœnitentia, dum vult bonum compenſationis vult tollere malum peccati, neceſſariò odio habet, & deteſtatur peccatum; igitur falſum eſt, quod circa peccatum præteritum non poſſit elicere actum doloris, deteſtationis, & odij.

7 Ex quo clarè deducitur, quod ſi pœnitentia poſito peccato illud deteſtatur, odio habet, & de illo dolet, poteſt etiam antequam ponatur optare, ne ponatur; ſicut enim iuſtitia poſito furto vult illud tollere, illud deteſtatur, & ideò vult ponere æqualitatem, & etiam antequam ponatur optat, ne fiat, & ſi fiat, vult ponere æqualitatem; ita in propoſito &c.

8 Dices: Gratitudo non poteſt optare ne ponatur beneficium, & ipſo poſito non poteſt dolere, quod poſitum ſit; nam ſic tolleretur obiectum ſuum, nec poteſt velle recompenſare; ergo etiam pœnitentia, cum velit ponere compenſationem pro offenſa, & iniuria Deo illata, non poteſt dolere, quod peccatum fuerit præteritum, aut optare, quod non ponatur. Sed contra duplex eſt diſparitas inter gratitudinem, & pœnitentiam: prima eſt, quia beneficium non ponitur, à perſona, quæ vult gratitudinem exercere, ſed ab alia, ideò, qui vult gratitudinem exercere, non poteſt velle, quod non ponatur beneficium, aut dolere, & deteſtari, quod poſitum ſit; nam ſic vellet priuationem ſui obiecti: at in noſtro caſu, idem, qui compenſat reddendo bonum, poſuit peccatum, & malum; ergo potuit ante optare, ne poneretur, vt non contraheretur debitum, & remaneret ea æqualitas, quam vult ponere per debitam compẽſationem: ſecunda diſparitas, & clara eſt, quod poſitio beneficij eſt bonum, vult enim, qui confert beneficium ſuam oſtendere liberalitatem, & ſuum amorem erga illum, qui beneficium accipit, quod bonum nullo modo poſſet oſtendere, ſi non poneretur beneficium; nam licèt tunc eſſet æqualitas ex eo, quod ille non plus pro me feciſſet, quam ego pro illo; nihilominus non adeſſet illud bonum poſitiuum, quod benefactor, & ille, qui vult eſſe gratus intendunt: at in noſtro caſu, cum in poſitione peccati nulla ſit honeſtas, ſed pura malitia, & offenſa contra Deum; pœnitentia non ſolùm debet velle deſtruere peccatum, & de ipſo dolere, vt faciat compenſationem; ſed debet etiam optare, vt non ponatur, ne offendatur Deus.

9 Et ex iiſdem argumentis reijcitur etiam opinio Lugi, nempe, quod obiectum pœnitentiæ non ſit bonum, quod relucet in bono pacis cum Deo; ratio eſt, quia totum hoc poteſt amari, etiamſi quis non doleat de peccatis; ergo hoc obiectum amando non aſſignatur, aut ponitur pœnitentia, quia hæc, vt probatum eſt, debet dolere de peccatis: antecedens probatur: nam ſi ruſticus exiſtimet hoc bonum pacis obtineri per puram confeſſionem ſuorum peccatorum ſine dolore de illis; certè hic amaret hoc bonum pacis, & tamen non eſſet verè pœnitens, nec illa confeſſio illi remitteret peccatum; ergo bonum pacis ſimpliciter cum Deo non eſt obiectum pœnitentiæ. Quod ſi ipſe dicat hoc bonum pacis cum Deo debere poni cum dolore de peccatis, optando ne ponantur, & cum propoſito ea cauendi in futurum, iam non differret à ſententia communi, quam ponit D. Thom. & infra explicabimus.

10 Concluſio 3. Pœnitentia eſt virtus ſpecialis diſtincta ab omnibus alijs, quia eius obiectum eſt tẽdere ad deſtructionem peccati, quatenùs peccatum eſt offenſa Dei. Probat Valentia concluſionem ex Trid. quod diſtinctè hæc omnia nominauit, *credere, ſperare, diligere, & pœnitere*. Verùm efficaciter ex hoc capite non probatur; nom poteſt pœnitentia iſta oriri ab habitu charitatis, vel ſpei, vt docent illi, qui illam non diſtinguunt ab iſtis habitibus; nec Concilium ſolicitum eſt de hac diſtinctione, quam nos inquirimus; nihilominus talis locus Concilij valdè fauet, & communis conſenſus Doctorum hoc ſuadet.

11 Probant alii concluſionem ſic; Datur ſpeciale peccatum impœnitentiæ; ergo etiam datur ſpecialis virtus pœnitentiæ, cui aduerſatur. Sed neque hæc ratio quicquam probat; nam qui negant dari ſpecialem virtutem pœnitentiæ, poſſunt etiam negare dari ſpeciale peccatum impœnitentiæ, & dicere poſſunt, hoc peccatum eſſe contra charitatem, vel ſpem, vel aliam virtutem, contra quam peccatum eſt.

12 Probatur ergo ratione fundamentali D. Thom. Illa eſt ſpecialis virtus diſtincta ab alijs, quæ habet ſpecificam rationem diuerſam ab omnibus alijs,

alijs, quæ habet ſpecificam rationem diuerſam ab omnibus alijs: ſed pœnitentia eſt huiuſmodi; ergo eſt ſpecialis virtus ab omnibus alijs diſtincta: maior patet; quia virtutes ſpecificantur ex diuerſo modo tendendi in ſuum obiectum: probatur minor: tendere in deſtructionem peccati, & dolendo de peccatis, quatenus ſunt offenſa Dei, ſeu velle ſatisfacere Deo offenſo eſt aliquod bonum, & arduum, & conſequenter obiectum aptum ad dandam ſpecificationem alicui virtuti: ſed hæc ratio nulli alij virtuti conuenit, niſi pœnitentiæ; ergo verè pęnitentia eſt ſpecialis virtus.

13 Et explicatur hoc; nam in peccatis non ſolùm eſt turpitudo contra propriam virtutem contrariam, vt in furto, non ſolùm eſt turpitudo contra iuſtitiam, nec ſolùm eſt veluti quoddam malum intentatum Deo, aut malum proprium hominis, aut contra legem, & obedientiam, ſed etiam eſt, quod ſit offenſa, & iniuria illata iuri diuino; velle ergo pęnitere ſub hoc motiuo ad deſtructionem peccati de eo dolendo, & velle hominem, quantùm poteſt ſatisfacere huic iuri diuino læſo, eſt obiectum, quod ſpecificat virtutem pęnitentiæ; nam nulli alii virtuti conuenit.

14 Ex hoc reiicitur opinio Caietani aſſerentis pęnitentiam non diſtingui à religione; etenim diuerſum eſt motiuum, & obiectum religionis, ac ſit pęnitentiæ; nam motiuum, & obiectum religionis eſt ex motiuo reuerendi, & profitendi ſupremum eius dominium, & excellentiam, noſtramque vilitatem, & ſubiectionem, eo quod eſse, et plura alia beneficia à Deo accepimus: motiuum verò, et obiectum pęnitentiæ eſt ex motiuo deſtruendi peccatum, et compenſandi iniuriam illi illatam. Vnde D. Thom. in 4. diſt. 14. qu. 1. ar. 1. quæſtiunc. 5. habet. *Aliquis efficitur Deo debitor per hoc, quod ab eo aliquid recepit, & hac ratione Deo reddit debitum honorem latriæ, ſiue religio. Alio modo, quod contra Deum peccauit; & ſic reddit Deo debitum pęnitentia.*

14 Obiicies contra tertiam. Virtus ſpecialis non poteſt opponi, niſi determinato vitio; quia ſicuti habet determinatum bonum, à quo ſpecificatur; ita determinatum malum, cui opponitur: ſed pęnitentia contrariatur omnibus omnino vitijs, & peccatis; ergo non eſt determinata, & ſpecifica virtus, ſed tranſcendit omnes virtutes.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: virtus ſpecialis non poteſt opponi, niſi determinato vitio, ſi vitium accipiatur, prout vnum diſtinguitur ab alio, & ſingula opponuntur diuerſis virtutibus, concedo maiorem: Si vitia omnia accipiātur, vt conueniunt ſub aliquo motiuo vniuerſali, & ſub vna ratione contra aliquam honeſtatem, nego maiorem; concedo poſtea minorem, & nego conſequentiam; nam pœnitentia opponitur omni vitio, quatenus omnia vitia & peccata conueniunt in hoc, quod omnia lædunt ius diuinum. Quare ſicuti charitas eſt virtus ſpecialis, & tamen contrariatur omnibus peccatis: ita pęnitentia eſt virtus ſpecialis, licèt contrarietur omnibus peccatis, quia contrariatur illis in hoc, quod omnia lædunt ius diuinum, & ideo ipſa tendit ad deſtructionem omnium peccatorum intendens ſatisfacere, & compenpenſare ius diuinum.

16 Vt ſoluantur plures obiectiones, quæ poſſent fieri, ſiſtendum eſt in doctrina data, quod pęnitentia conſiderari poteſt, vt eſt quid tranſcendens ceteras virtutes, quo pacto non eſt diſtincta à ceteris virtutibus, ſed ſpectabit ad illam virtutem, ob cuius motiuum exercetur talis actus pœnitentiæ: vel pœnitentia conſideratur, pro vt dolet de peccatis tendens ad deſtructionem eorum, vt ſunt offenſa Dei, eique ſatisfacere intendens, & ſic eſt virtus ſpecialis, nam ſub hoc motiuo nulla alia virtus tendit ad deſtruendum peccatum, & ad ſatisfaciendum Deo.

17 Obijcies 2. Si pęnitentia eſt virtus diſtincta ab alijs, vel eſſet theologica vel moralis: non theologica, quia ſolùm fides, ſpes, & charitas ſunt virtutes theologicæ; non moralis; nam reſpicit Deum; ergo eſt tantùm generalis omnes tranſcendens.

Reſpondeo eſſe moralem; nego autem reſpicere immediatè Deùm: nam reſpicit immediatè peccatum deſtruendum, & reparationem, ſeu ſatisfactionem iuris diuini læſi; vnde negatur conſequentia.

18 Obijcies 3. Si pęnitentia eſſet virtus ab alijs diſtincta, ſequeretur eo magis aliquem eſſe ſtudioſum, quo magis peccaret; nam eo màgis pęnitentiam ageret, & conſequenter perfectiorem virtutem pęnitentiæ haberet; hoc autem videtur inconueniens; ergo &c.

Reſpondeo primò idem ſequi, etiamſi non poneretur diſtincta, vnde argumentum debet etiam ab aduerſarijs ſolui. Dico 2. verùm eſſe, quod quo magis quis pęnitet, ſiue de pluribus peccatis, ſiue de eodem, poteſt ille fieri magis ſtudioſus; verùm hoc erit ratione actuum virtutis, non peccatorum, quod non inconuenit.

19 Obiicies 4. Non diſtingui à charitate. Amare bonum Dei, qua tale, eſt motiuum ſpectans ad charitatem; ſed nolle Deum offenſum eſt amare bonum Dei, qua tale; ergo, ſi pœnitentia non vult Deum offenſum, tendit in motiuum ſpectans ad charitatem, & conſequenter non diſtinguitur à charitate.

Reſpondeo quod pœnitentia non dolet de peccato, vt eſt malum Dei, eiuſque bonitati contrarium, ſed vt eſt malum hominis, & vt contrarium diuinæ iuſtitiæ, & ideo tendit in peccatum vt delendum ad Deum placandum; vnde obiectum charitatis eſt Deus ſecundum ſe ſumptus, qui etiam eſt finis *cuius gratia*; at obiectum pœnitentiæ & finis eius *cuius gratia* eſt peccatum, vt deſtruibile ad placandum Deum, qui eſt finis *cui*, quare pænitentia non amat bonum Dei, qua tale, nec immediatè habet tendere in nolle Deum offenſum, ſed tendit in peccatum, vt deſtruendum ad Deum placandum.

Quomodo charitatis obiectum ſit diuerſũ ab obiecto pœnitentiæ.

20 Obiicies 5. Non diſtingui à religione. Eiuſdem virtutis eſt reddere debitum Deo benefactori, & offenſo; ratio etenim debiti non variatur ex eo, quod ſit pro beneficiis, vel pro offenſis; ſicuti debitum in accepto, vel per mutuum, vel per furtum eſt eiuſdem rationis: ſed reddere debitum Deo pro beneficiis eſt religionis; ergo etiam reddere pro offenſis eſt religionis. Confirmatur nã in lege veteri peccata expiabãtur per ſacrificia, & modo expiantur per ſuſceptionem Sacramentorũ, & per ſacrificiũ miſſæ: ſed offerre Deo ſacrificium, & ſuſcipere Sacramenta pertinet ad religionem; ergo &c.

Reſpondeo negando maiorem; diuerſimode enim quis ſe gerit in reddendo debito benefactori, & offenſo; nam benefactori reddit debitum grãtias agendo, vel retribuendo aliquid pro beneficio accepto, offenſo autem dolendo de offenſa, & compenſando iniuriam, ad ipſum placandũ: quod patet in redditione debitĩ pecuniarij; ſi quis enim accepit mutuum ab aliquo, reddendo æqualem pecuniam, & ei gratias agendo ſatisfacit; at ſi furto accepit pecuniam, non ſolùm debet illam reddere, ſed inſuper dolere, & deprecari, vt ei parcat: vnde falſa eſt maior; licèt enim ſit eiuſdem rationis debitum ex furto, & ex mutuo, prout ad iuſtitiam commutatiuam propriè ſpectat, diuerſæ tamen rationis eſt ſatisfactio pro offenſa in furto, quia hæc fit per pænitentiam, quæ eſt tantum pars poteſtatiua iuſtitiæ vt infra dicetur; concedo poſtea minorem, & nego conſequentiam. Ad Confirmationem: dico non eſſe abſurdum, quod actus elicitus ab vna virtute imperetur ab alia, & conſequenter, quod actus offerendi ſacrificia, & ſumendi Sacramenta pro expiatione peccatorum imperetur à pænitentia, & eliciatur religione; ſicuti è contrario poteſt actus pænitentiæ, vt contritio, imperari à religione, ſi ordinetur in cultum Dei: quo ſenſu intelligitur illud Pſalm. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*.

ARTICVLVS III.

Qualis virtus ſit Pænitentia.

1 EX hucuſque dictis conſtat, pænitentiam non eſſe virtutem theologicam, ſed moralem, & proinde debere reduci ad vnam ex quatuor Cardinalibus: quare videndum hic eſt, an ſit vera ſpecies alicuius virtutis cardinalis, vel tantùm ſit pars poteſtatiua, & ad quam propriè reducatur.

2 Durandus in 4. diſt. 14. quæſt. 2. Arriaga diſp. 2. ſec. 5. citans Tannerum, & alios docent pænitentiam eſſe verè, & propriè iuſtitiam commutatiuam.

Scotus in 4. diſt. 14. qu. 2. in ar. 1. docet velle punire in ſeipſo culpam eſſe iuſtitiam vindicatiuam, quã peccator tamquam miniſter Dei vindicat in ſe ipſo peccatum, quo Deum offendit; ponit verò alios actus pænitentiæ, & dicit, quod quatenus elicit alios actus, cuiuſmodi ſunt dolere, & deteſtari peccata, triſtitia, gaudium, & complacentia de triſtitia, non eſt ſpecialis virtus, ſed reducitur ad ſingulas in propria materia.

D. Thom. hic ar. 3. & in 4. diſt. 14. qu. 1. ar. 1. quæſtiunc. 5. Gonet diſput. 2. ar. 3. §. 4. Valentia quæſt. 2. p. 1. Suarez diſp. 7. ſec. 2. Auerſa qu. 2. ſec. 3. Amicus diſp. 1. ſec. 4. & communiter Doctores ſuſtinent pænitentiam eſſe partem iuſtitiæ commutatiuę, ſed poteſtatiuam.

3 Concluſio. Pænitentia eſt quædam iuſtitia commutatiua erga Deum, ſed poteſtatiua. Probatur 1. ex illo Baruch. 2. *Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, dat tibi gloriam, & iuſtitiam Domino*. Sed dare iuſtitiam Domino eſt reddere, quod iuſtum eſt, & ſoluere, quod ex iuſtitia debetur Deo; ergo pænitere de malo eſt aliqua iuſtitia, quæ à peccatore ponitur erga Deum.

4 Probatur ſecundò Ad iuſtitiam propriè requiritur debitum ſatisfaciendi alicui, eo quod hic habeat ius exigendi ſatisfactionem; ſed in Deo eſt ius exigendi

Digitized by Google

gendi ſatisfactionem à peccatore, & in iſto eſt debitum ſatisfaciendi pro peccatis ſuis Deo; ergo dum peccator per pænitentiam intendit tollere peccatum, & offerre aliquam recompenſationem Deo, aliquam iuſtitiam exercet.

5 Quod verò hæc iuſtitia ſit commutatiua, ſed poteſtatiua probatur; & quidem, quod poſſit eſſe inter Deum,& hominem iuſtitia commutatiua, ſuppono ex dictis in tractatu de Incarnatione quæſt. 2. art. 10. quod verò actus, quos exercemus, vt ſatisfaciamus Deo, non ſint ex perfectè commutatiua, ſed tantùm proteſtatiua; probatur, quia ad perfectam iuſtitiam commutatiuam requiritur perfecta æqualitas, nempe, quod tantùm reddatur, quantùm ablatum fuit: ſed peccator per actus pœnitentiæ, licèt reddat quantùm poteſt Deo, non tamen poteſt ei ſatisfacere ad æqualitatem, vt in eadem quæſt 2. de Incarnatione probatum fuit, ſed tantùm imperfectè, & inæqualiter; ergo numquam poterit Deo ſatisfacere ex iuſtitia commutatiua propriè, ſed tantùm imperfectè,& inæqualiter; imitatur tamen pœnitentia, & æmulatur rationem iuſtitiæ, quia licèt non ponat æqualitatem, reddit tamen quantùm poteſt, & aliquo modo ex iuſtitia ſatisfacit: ſicuti enim in humanis, qui non poteſt reddere æquale, nihilominus. ſi aliquid reddat, aliquo modo, ſed imperfectè ex iuſtitia ſatisfacit; ita cum pœnitentia reddat aliquam ſatisfactionem Deo, ſed inæqualem, aliquam iuſtitiam exercet commutatiuam quidem, ſed poteſtatiuam; quod totum docet D.Thom. hic ar. 3. ad 3. dicens: *Sicut eſt commutatio quædam in beneficijs (cum ſcilicèt aliquis pro beneficio accepto gratiam rependit) ita etiam eſt commutatio in offenſis, cum aliquis pro offenſa in alterum commiſſa, vel inuitus punitur, quod pertinet ad vindicatiuam iuſtitiam, vel voluntariè recompenſat emendam, quod pertinet ad pænitentiam, quæ reſpicit perſonam peccatoris, ſicuti iuſtitia vindicatiua perſonam Iudicis.*

6 Dices. In humanis, dum debitor ſoluit partem debiti, aliquid ſoluit,& remittit partem debiti, quod poteſt diuiſibiliter remitti: ſed iniuria, & offenſa illata Deo per peccatum non poteſt, niſi indiuiſibiliter tolli; ergo ſi per pœnitentiam tota non tollitur, nihil tollitur; quod ſi nullo modo tollitur, nullo modo ex iuſtitia commutatiua, etiam poteſtatiua ei ſatisfit. Sed contra ex hoc ſequitur tantùm, quod pœnitentia non ſit commutatiua propriè, hoc eſt non ſit pars ſubiectiua ipſius, ſeu ſpecies, ſed tantùm poteſtatiua, ad hanc enim ſolùm requiritur, quod faciat quantùm poteſt, vt ſatisfaciat, & conetur deſtruere peccatum, & iniuriam, licèt poſtea culpa indiuiſibiliter à Deo remittatur: quo ad pœnam tamen, quæ relinquitur poſt remiſſionem culpæ, ei ſatisfacit pœnitens diuiſibiliter per partes. Ideò &c.

7 Obiicies primò pro Scoto. Ad iuſtitiam vindicatiuam ſpectat ſumere punitionem de delicto: ſed pœnitens, dum dolet de peccatis, ſumit punitionem tamquam miniſter Dei de peccato ſuo; ergo talis actus eſt iuſtitiæ vindicatiuæ.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; ſpectat ſumere punitionem de delicto in ordine ad deſtructionem peccati, vt quantùm poteſt, ſatisfaciat Deo, nego maiorem: ſpectat ſumere punitionem habendo pro fine ipſam punitionem, non verò reconciliationem cum parte læſa, aut ipſius emendationem, ſed in ordine ad ſatisfactionem Reipublicæ, concedo maiorem: Pœnitens autem, dum ſumit punitionem de delicto, intendit emendationem deſtruendo peccatum, & ſatisfacere quantùm poteſt Deo: Differt etiam iuſtitia vindicatiua à pœnitentia, quod punitio, quæ ſumitur per vindicatiuam iuſtitiam eſt taxata à lege, & Iudice, & eſt inuoluntaria patiendi; vnde requirit ſemper diſtinctum ſubiectum; at, quæ ſumitur à pænitentia, eſt voluntaria, & actus virtutis, & debet exerceri in proprio ſubiecto: differt tertiò, quod pæna, quæ infligitur per vindicatiuam iuſtitiam extenditur aliquando vſque ad mortem, quod non conuenit pænitentiæ. Differētiæ inter pænitentiam,& iuſtitiam vindicatiuam.

8 Obijcies ſecundò. Illa eſt vera iuſtitia commutatiua, in qua tantùm redditur Deo, quantùm ablatum fuit: ſed per actum contritionis tantùm redditur Deo, quantùm ablatum fuit per peccatum; ergo eſt vera iuſtitia commutatiua.

Reſpondeo negando minorem; nam ſatisfactio deſumitur penes perſonam ſatisfacientem, offenſa penes perſonam offenſam; & cum perſona offenſa ſit infinita, nulla pura creatura poteſt ad æqualitatem ſatisfacere pro ſua culpa lethali: vide, quæ de hoc argumento fuſiùs diximus in tractatu de Incarnatione quæſt. 2. artic. 3. nè toties eadem repetamus.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

An pænitentia ſit neceſſaria ad ſalutem de omnibus peccatis, ſeu de obiecto materiali pænitentiæ.

1 NECESSARIAM eſſe pænitentiam ad ſalutem certum eſt fidei dogma; quicumq; enim aliquod peccatum graue cõmiſit ſine pęnitentia, ingredi gloriã ęternã non poteſt, dicente Chriſto Matth. 13. *Niſi pænitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis.* Et plura ſcripturæ loca hanc veritatem docent. Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra.* In nouo teſtamento D. Ioannes Baptiſta incepit prędicationem ſuam dicens: *Agite pænitentiam.* Matth. 3. & Lucæ 5. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pænitentiam.* Et innumera poſſent adduci loca hanc veritatem probantia. Certum igitur eſt, requiri in peccatoribus pænitentiam; vnde ſi quis recordatur peccatorum, debet pænitere, & ea confiteri, vt magis infra patebit. Quare, quod hic inquirimus eſt, quorumnam peccatorum ſit neceſſaria pænitentia?

2 Notandum peccata eſſe in multiplici differentia; nam aliud eſt originale, aliud perſonale: hoc aliud mortale, aliud veniale, & vtrumq; aliud habituale, aliud actuale; & in his, vel poteſt conſiderari culpa, vel macula, quæ ex peccatis relinquitur: inſuper, vel peccata conſiderantur, vt committi poſſunt, vel vt iam commiſſa ſunt; inter commiſſa, alia ſunt dimiſſa, alia memoria exciderunt, alia per ignorantiam commiſſa ſunt. Tertiò poſſunt conſiderari peccata, vel vt ſunt commiſſa ante baptiſmum, vel poſt, vt ſunt propria, vel aliena, & de his omnibus inquirimus, an ſit neceſſaria pænitentia; quod idem eſt, ac quærere, an omnia iſta ſint obiectum materiale pœnitentiæ. Incipiendo ab originali.

3 Concluſio prima. De peccato originali non eſt neceſſaria pœnitentia; poteſt tamen eſſe; ſeu peccatum originale non eſt obiectum materiale pænitentiæ propriæ, licèt aliquo modo poſſit eſſe obiectum, quatenus eſt offenſa Dei. Sic D. Thom. q. 84. art. 2. ad 3. Suarez de pænitentia diſp. 1. ſect. 1. Bonauentura, Richardus, Soto, Ledeſma apud ipſum, Lugo diſp. 3. ſect. 1. Arriaga diſp. 4. ſect. 2. & communiter Theologi; videtur contra Eſparzam lib. 10. q. 81. qui peccatum originale aſſignat pro obiecto materiali pænitentiæ, quatenus etiam hoc deletur per pænitentiam, ſed verè non differt hic auctor à communi ſententia. Probatur prima pars: Quia talis pænitentia, vel eſt ex præcepto neceſſaria, vel ad obtinendam gloriam: ſed neutro modo eſt neceſſaria; ergo nullo modo: probatur minor; non eſt neceſſaria ex præcepto, quia non datur tale præceptum; nõ ad obtinendam gloriam; quia per baptiſmum ſufficienter remittitur, & ita in lege naturæ, & ſcripta remittebatur per remedium legis naturæ, & Circumciſionem; ergo abſolutè non eſt neceſſaria pænitentia de originali. Confirmatur. Illud peccatum debemus retractare, quod eſt propria voluntate commiſſum: ſed peccatum originale non fuit propria voluntate commiſſum; ergo neque eſt neceſſe, vt per pænitentiam propria voluntate retractetur.

4 Secunda pars, quod poſſit eſſe pænitentia de peccato originali, & quod etiam ipſum poſſit eſſe obiectum materiale pænitentiæ; patet, quia illud poteſt eſſe obiectum materiale pænitentiæ, circa quod poteſt verſari pænitentia illud deſtruendo: ſed peccatum originale poteſt deſtrui per pænitentiam; ergo poteſt circa illud verſari pænitentia: etenim poteſt quis exiſtens in originali conſiderare in ipſo offenſam Dei, & damnum proprium; ergo poteſt velle deſtruere hoc peccatum; hoc autem eſt poſſe pænitere talis peccati.

5 Dices. De eo poteſt eſſe pænitentia, quod eſt propria voluntate contractum: ſed originale non eſt propria voluntate contractum; ergo de illo non poteſt eſſe pęnitentia. Sed contra: aliud eſt, quod quis non poſſit habere actum retractationis de peccato originali, quia illud ſolùm retractatur, quod eſt propria voluntate commiſſum; aliud eſt, quod pænitentia non poſſit circa illud verſari, illud deſtruendo, dolendo, quod ſit offenſa Dei, & damnum proprium, & ad hoc non requiritur, quod ſit propria voluntale contractum phyſicè, ſed ſufficit, ſi ſit moraliter contractum propria voluntate.

6 Dices ſecundò. Quaudo quis per Procuratorem init aliquem cõtractum, concurrit tantùm moraliter ad illum contractum, & nihilominus poteſt poſtea illum contractum retractare; ergo etiam, cum moraliter peccatum originale ſit nobis voluntarium, poterimus illud propriè retractare. Sed contra, quia quando quis init contractum per Procuratorem, talis habet actum proprium ſaltem, quo dat ſuas vices Procuratori, & ideò poteſt talem contractum retractare; at nullus hominum actu commiſit propriam voluntatem in voluntate

Ada-

Digitized by Google

Adami, & ideò nullus poteſt tale peccatum retractare; licet poſſit de eo dolere, quatenus eſt offenſa Dei, & damnum proprium.

7 Concluſio ſecunda. De omnibus peccatis proprijs mortalibus, ſiue ante, ſiue poſt baptiſmum commiſſis eſt neceſſaria pœnitentia. Hæc concluſio inter catholicos omnes eſt certiſſima; & quidem de peccatis commiſſis poſt baptiſmum eſt de fide, & patet ex dictis in principio huius articuli. De commiſſis etiam ante baptiſmum patet, tum ex dictis in tractatu de gratia, & de Sacramētis in communi, vbi vidimus definitum eſſe contra hæreticos noſtri temporis requiri propriam diſpoſitionem in adulto ad hoc, vt iuſtificetur. Et plura loca ſcripturæ, & Patrum hāc veritatem docent. Actorum 3. Petrus dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum.* Et de conſecrat.diſt.4.habetur ex Auguſt. *Omnis homo, qui ſuæ voluntatis arbitrer conſtitutus eſt, nouam vitam incohare non poteſt, niſi pœniteat eum veteris vitæ, à qua pœnitentia ſoli paruuli immunes ſunt.* Et ratio huius eſt, quia ſicuti propria voluntate peccatum commiſerunt, ita illa plangere debent, & retractare, vt iuſtificationem conſequantur.

8 Dices: Inter peccata mortalia eſt peccatum habituale, quod vt ſit, requirit non condonationem Dei: ſed peccator non poteſt retractare non condonationem Dei; ergo non poteſt retractare peccatum habituale: minor patet; quia non condonatio eſt actus Dei; nulla autem creatura poteſt retractare actum Dei. Sed contra: quia peccatum habituale nihil aliud eſt, niſi actus præteritus malus moraliter permanens cum priuatione gratiæ, neque non condonatio extrinſeca Dei ingreditur eſſentiam peccati, vt dictum eſt in tractatu de vitijs, & peccatis, quæſt.6. ar.1. & de iuſtificatione; ergo licèt peccator propter rationem factam non poſſit per pœnitentiam retractare non condonationem Dei extrinſecam, non per hoc ſequitur, quod non poſſit retractare ipſum actum præteritum malum, vt moraliter permanentem, & deteſtari ſe eſſe maculatum, & priuatum gratia; hoc autem eſt poſſe retractare peccatum habituale, & pœnitentiam tendere in peccatum habituale, vt adæquatè deſtruendum.

9 Concluſio tertia. Peccata venialia ſunt materia, circa quam tamquam circa obiectum materiale verſatur pœnitentia, licèt non ſint materia neceſſaria abſolutè, ſed tantùm in ordine ad ſalutem. Prima pars probatur, quia eodem modo debemus loqui de hac virtute pœnitentiæ in ordine ad ſuum obiectum, quo de alijs virtutibus in ordine ad propria earum obiecta: ſed aliæ virtutes ſe extendunt non ſolùm ad materiam grauem, ſed etiam leuem; ſic iuſtitia non tantùm eſt contra furtum graue, ſed etiam leue, temperantia non ſolùm contra gulā grauē ſed etiam in materia leui; ergo etiam pœnitentia nō tantū deteſtatur offenſam grauem Dei, ſed etiam leuem; quare obiectum materiale ipſius eſt velle deſtruere omnem offenſam Dei, ſeu omne peccatum, ſiue mortale, ſiue veniale, quia etiam hoc eſt aliqualis offenſa Dei.

10 Secunda pars patet: quia per venialia non excidimus à gratia; ergo abſolutè non eſt neceſſaria de illis pœnitentia, vt gratiam Dei conſequamur; Verùm quidem eſt, quod in ordine ad ſalutem etiam de venialibus debemus agere pœnitentiam, vel in hac vita, vt deleantur, vel in Purgatorio, vt deleatur pœna temporalis illis debita.

11 Dices: Pœnitentia tendit tantùm ad ſatisfaciendum Deo inæqualiter: ſed pro peccatis venialibus poſſumus Deo ſatisfacere ad æqualitatem; ergo peccata venialia non reſpiciuntur à pœnitentia, ſed ab alia virtute diſtincta. Sed contra, quia pœnitentia quantùm eſt ex ſe tendit ad ſatisfaciendum Deo pro ſuo peccato, & tendit in deſtructionem ipſius, vnde, quod non poſſit ſatisfacere ad æqualitatem pro mortali, eſt ratione diuerſitatis perſonæ offenſæ, quæ eſt in altiori ordine; ceterum quantum eſt ex ſe tendit ad ponendam æqualitatem. Ideò &c.

12 Quæres primò. Quid dicendum de peccatis oblitis, aut per ignorantiam commiſſis?

Reſpondeo, quod ſi ita oblita ſunt, vt nullo modo, nec in particulari, nec in generali recordemur ea patraſſe, non eſſe neceſſariam pœnitentiam diuerſam ab illa, quam quis de alijs peccatis habet. Ratio eſt, quia ita ſe habent talia peccata, ac ſi ea quis non commiſiſſet; cum de illis, vt ſuppono, nullo modo recordetur; ergo non poteſt quis ea in particulari deteſtari: vt remittantur tamen, dum quis deteſtatur alia peccata ob motiuum vniuerſale, & hæc, & alia etiam remittuntur. Si verò ſaltem in generali quis ſciat, vel dubitet ea commiſiſſe, tunc eſt neceſſaria pœnitentia ſaltem in generali de illis; & ratio eſt, quia de peccatis pœnitere debemus; ergo de peccatis in genere, ſaltem in genere debemus agere pœnitentiam. Docent tamen Doctores cōmuniter, quod dū peccator de particularibus peccatis dolet, etiam in vni-

vniuerſalis doleat de omnibus, vt eo modo, quo poteſt de omnibus habeat pænitentiam; & ad hoc facit illud Diu. Gregorij: *Bonarum mentium eſt illic culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt.* Et Apoſtol. ad Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.*

13 De commiſſis verò per ignorantiam, vel hæc ignorantia fuit inuincibilis, & ſic non ſunt peccata, nec de illis eſt neceſſaria pænitentia, quia hæc tendit ad deſtruenda peccata, & ſatisfaciendum Deo pro offenſa illi illata: vel hæc ignorantia fuit vincibilis, & culpabilis, & tunc eadem ratio eſt de his, ac de alijs peccatis.

14 Quæres ſecundò. An peccata aliena ſint materia, ſupra quam cadat pænitentia.

Reſpondeo, quod quis eſt cauſa, vel occaſio alieni peccati, & tunc de proprijs quatenus ſunt cauſa, vel occaſio alieni peccati dolendum eſt. Ratio eſt, quia dum quis eſt cauſa, vel occaſio, quod alius peccet, etiam ipſe peccat: ſed de proprijs dolendum eſt; ergo etiam de alienis, quatenus à proprijs cauſantur. Et ad hoc facit illud Dauid: *Ab alienis parce ſeruo tuo.* Si verò alieni peccati quis nullo modo eſt cauſa, vel occaſio; de tali peccato poteſt eſſe quædam diſplicentia; poteſt enim quis dolere, quod ab alijs Deus offendatur; hic autem actus erit quid ſpectans ad pænitentiam.

15 Quæres tertiò. An peccatum nondum commiſſum ſit materia pænitentiæ?

Reſpondeo, quod vel pænitentia ſumitur pro retractatione peccati, quæ retractatio eſt præcipuus actus ipſius, & ſub hac ratione peccatum nondum commiſſum non cadit ſub pænitentia; nam quod nondum commiſſum eſt retractare nun poſſumus; vel ſumitur pænitentia ſecundùm totam ſuam adæquatam rationem, & ſic ad pænitentiam veram ſpectat non ſolùm dolere de præteritis, ſed etiam proponere nolle peccare in futurum; vt magis infra ſuo loco probabitur.

ARTICVLVS V.

An pænitentia efficaciter deteſtetur peccatum præteritum.

1 EXplicato obiecto formali, & materiali pænitentiæ, nunc quos actus eliciat circa obiecta ſua videndum eſt; & in primis poteſt pœnitentia habere ſimplicem complacentiam in bono, quod intendit, nempe in deſtructione peccati, & in hoc, quod aliquo modo ſatisfaciat Deo, & pacem cũ illo conſequatur: poteſt ſecundò habere intentionem efficacem ponẽdi à parte rei hoc bonum: Tertiò ſequitur electio mediorum, nempe deteſtatio peccatorum, & dolor: Quartò ſpes, quod per talia media obtinebit finem: Quintò timor, quod talis finis ob aliquem defectum non obtineatur: & ſextò gaudium de fine obtento, ſi quis ſciret ſe finem obtinuiſſe, vel ſaltem gaudium, quod benè faciat agendo pœnitentiam, vt docet D. Thom. q. vnic. de ſpe, ar. 1. ad 14. dicens: *Vnde etiam pænitens de dolore gaudet.* Actus pænitentiæ quot ſint.

2 Præcipuus tamen actus pænitentiæ eſt pœnitere, quod pœnitere duobus modis ſit, vel per modum fugæ deteſtando dolendo, & odio habendo peccatum, & hoc modo intelligitur quomodo ſit efficax, quia operatur ad deſtructionem peccati; vel hic actus elicitur per modum proſecutionis circa bonum obſeruantiæ legis, & ideò deteſtatur ſe peccaſſe; & de hoc actu inquirimus, quomodo poſſit eſſe efficax; nam cum peccatum præteritum impoſſibile ſit, quod non ſit præteritum, nec voluntas poteſt efficaciter velle ipſum non fuiſſe præteritum; ex alia parte, cum non ſit vera pœnitentia, niſi actus ſit efficax, explicandum eſt, an talis actus aliquo modo efficax eſſe poſſit.

3 Adrianus in 4. diſt. 12. q. 1. non ſolùm negat talem actum poſſe eſſe efficacem abſolutè, ſed etiam negat poſſe eſſe efficacem conditionatè. E contra verò Alenſis 4. par. quæſt. 12. membr. 1. ar. 2. §. 2. contendit talem actum poſſe eſſe abſolutum, & efficacem, quo pœnitens dicat: *Volo me non peccaſſe.*

Communis ſententia, quam docent Medina q. 1. de pænit. Suarez diſp. 3. ſec. 2. Auerſa quæſt. 2. ſect. 11. Lugus diſp. 4. ſect. 2. Coninch. diſp. 1. dub. 2. Arriaga diſp. 5. ſect. 2. & plures alij, vult talem actum deteſtationis non eſſe abſolutè efficacem, eſſe tamen efficacem ſecundùm quid.

4 Concluſio eſt cum hac communi ſententia. Prima pars, quod talis actus non ſit abſolutè efficax probatur; quia ille actus poteſt eſſe efficax abſolutè, cuius obiectum eſt poſſibile: ſed non eſt poſſibile, neque etiam diuinitus, quod peccatum præteritum non ſit præteritum; ergo non eſt poſſibilis actus efficax abſolutè, quo voluntas velit peccatum non eſſe præteritum; vnde D. Thom. hic art. 1. ad tertium ait, quod ſtultum eſſet ſic velle; quia non datur potentia ad præteritũ; nec Deus ipſe poteſt facere, quod præteritum non ſit præteritum.

Dices

Digitized by Google

5 Dices cum Alenſi. Peccatum fuiſſe præteritum non eſt ſimplicitèr, & abſolutè neceſſarium; cum ſit tantum neceſſarium ex ſuppoſitione: ſed quod eſt tantum neceſſarium ex ſuppoſitione, non eſt ſimplicitèr impoſſibile, quod non fuerit, ſed eſt tantùm impoſsibile ex ſuppoſitione, & eſt ſecundùm ſe poſsibile; nam potuit voluntas illud non ponere; ergo voluntas nunc poteſt efficacitèr nolle illud fuiſſe; nam vellet aliquid, quod ſecundum ſe poſsibile eſt. Sed contra, quia aliud eſt, quod voluntas, antequam eſſet peccatum, potuerit illud non velle efficacitèr, & per conſequens, quod ſecundùm ſe ſit poſsibile, quod non fuerit, & hoc verum eſt; aliud eſt, quod ex ſuppoſitione, quod fuerit, voluntas hic, & nunc poſsit velle efficacitèr ipſum abſolutè non fuiſſe; & hoc falſum eſt, & implicat, quia, quod fuit, ex eo quod fuerit, licèt liberè poſitum ſit, implicat, quod non fuerit.

Præteritũ implicat non fuiſſe.

6 Probatur modo ſecunda pars, nempe, quod voluntas deteſtans peccatum præteritum ſit efficax ſecundùm quid; quia illa voluntas eſt efficax ſecundùm quid, quæ ita verſatur circa obiectum illud deteſtando, vt ſi haberet potentiam ad faciendum, quod illud non fuerit, id faceret; cuiuſmodi eſt voluntas in eo, qui eſt condmnatus ad mortem, licèt enim videat eſſe impoſſibile, quod illam non ſubeat, nihilominus talis eſt de ſe, vt poſita conditione, quod poſſet illam effugere, per talem voluntatem illam effugeret; vnde hic actus non eſt ſimplex velleitas inefficax, quæ ſolet explicari per *vellem*, ſi hoc eſſet poſſibile, per quod *vellem* non denotatur voluntas, quæ actu ſit, ſed quæ eſſet, ſi obiectum eſſet poſſibile, ſed eſt voluntas, quæ actu eſt, & poteſt explicari per *volo* hoc pacto: *volo, quod peccatum præteritum, ſi poſſibile eſſet, quod non eſſet præteritum, quod verè non fuiſſet*, & hanc dico eſſe voluntatem ſecundùm quid efficacem, quam D. Tho. & plures alij auctores vocant conditionatam; quod intelligendum eſt, quod ſit conditionata tantùm ex parte obiecti, ceterum in ſe eſt actu, & abſoluta, & ideò ſecundùm quid efficax.

Qualis ſit volũtas ſecundùm quid efficax.

7 Ex triplici autem capite talis deteſtatio peccati prçteriti poteſt dici efficax: primò, quia diſtinguitur à ſimplici odio ſeù diſplicentia, quæ poteſt dari cum affectu ad peccatum, vt ſi quis dicat: *vellem non peccare, vel non peccaſſe, ſi inde non ſequerentur alia incommoda, quæ nolo ſubire*: actus autem, quem nos ponimus dicit. *Nolo quantùm eſt in mea poteſtate, quod peccatum non fuerit, ſi hoc eſſet poſſibile*. Ideò dicitur talis actus efficax quantùm eſt ex ſe: ſecundò dicitur efficax, quoad effectum, quia quamuis realitèr facere non poſſit, quod peccatum non fuerit; talis tamen actus ex Dei acceptatione habet valorem, & vires ad delendum peccatum, perinde ac ſi non fuiſſet. Tertiò dicitur efficax quoad effectum, quia poſita illa deteſtatione, deſtruitur prior affectus ad peccatum, & homo nõ cenſetur amplius perſeuerare habitualitèr in peccato, quæ omnia non conueniunt ſimplici diſplicentiæ de peccato; vt conſideranti patet.

8 Obijcies. Hæc deteſtatio peccati præteriti debet eſſe honeſta, & laudabilis: ſed ſi vellet efficaciter, quod peccatum non fuerit, non eſſet huiuſmodi, ergo hæc deteſtatio non poteſt eſſe efficax: probatur minor; quia ſtultum eſt conari ad hoc, quod peccatum non fuerit; cum id ſit impoſſibile.

Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: ſi vellet efficacitèr abſolutè, quod peccatum non fuerit, non eſſet huiuſmodi, concedo minorem; ſi vellet efficacitèr, ſecundùm quid, ſeu conditionatè ex parte obiecti, & efficacitèr, quantùm eſt ex ſe, non eſſet huiuſmodi, nego minorẽ; ergo &c. negatur conſequentia: ad probationem dico, quod ſtultum eſt conari efficacitèr abſolutè; cum id ſit impoſſibile, non autem efficacitèr conditionatè ex parte obiecti, & certè, cum experientia conſtet nos habere odium de re præterita, quæ ſpecialis repugnantia in hac deteſtatione peccati? cum peccatum ſummo odio haberi debeatur.

QVÆSTIO II.

De contritione, & attritione.

CONTRITIO, & attritio ſunt actus præcipui pœnitentiæ, ideò poſtquam in generali de pænitentia, vt virtute egimus, nunc de actibus ipſius agendum eſt.

ARTICVLVS I.

An ſi quis doleat de peccato ex motiuo, quod ſit inferius charitate, talis actus ſit ſufficiens ad iuſtificationam.

1 CONtritionem perfectam ex ſe eſſe vltimam diſpoſitionem ad iuſtificationem extra Sacramentum pænitentiæ, & diximus in tractatu de gratia agentes de iuſtificatione, & infra magis explicabitur; nunc videndum eſt, an ſit vera contritio ſufficiens ad iuſtifica-

Sēſus quęſti qualis ſit.

ſtificationem, ſi quis doleat de peccato non propter Deum ſummè dilectum, ſed vel ex motiuo ſatisfaciendi Deo, vel conſequendi remiſſionem peccatorum, vel ex motiuo iuſtitiæ, religionis, obedientiæ, aut alterius virtutis inferioris charitate.

2 Prima ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 14. qu. 2. §. *de ſecundo*. Baſſo. qu. 2. art. 2. Richardi art. 7. qu. 1. Durandi diſtin. 17. qu. 1. num. 8. Altiſiod. lib. 4. tract. 3. cap. 2. quam probabilem iudicat Suarez hic diſp. 4. ſect. 2. & Lugo diſp. 5. ſect. 1. hæc docet contritionem elicitam ex motiuo ſatisfaciendi Deo, vel ex alio motiuo virtutis inferioris charitate eſſe ſufficientem ad iuſtificationem.

Secunda communis ſententia negat contritionem elicitam ex alio motiuo, præterquam ex motiuo charitatis, eſſe ſufficientem ad iuſtificationem extra Sacramentum. Sic D. Tho. hic quæſt. 85. art. 2. & alibi Medina Cod. de Pœniten. tract. 1. quæſt. 4. Capreolus in 4. diſt. 17. qu. 1. art. 1. concl. 1. Suarez diſp. 4. ſect. 2. Vaſquez qu. 85. art. 2. dub. vnic. Valentia diſp. 7. qu. 8. punct. 2. Coninch. diſp. 2. dub. 2. Amicus diſp. 4. ſect. 1. Arriaga diſp. 6. ſect. 3. & communiter alij Doctores.

3 Concluſio. Contritio vt ſit proxima diſpoſitio ad iuſtificationem non ſufficit, ſi ſit ex motiuo aliquo, quod ſit inferius charitate, ſed debet oriri ex motiuo peculiari charitatis, ſcilicèt, Dei ſuper omnia dilecti. Probatur ex ſcriptura. Ioan. 10. *Qui non diligit manet in morte*. & 1. ad Cor. 13. *Sine charitate nihil ſum*. Accedit Auguſt. lib de vera, & falſa pœnitentia cap. 9. & 17. *Sine amore nemo vmquam gratiam inuenit, nec veniam aſſequutus eſt*. & Ser. 7. de tempore. *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei*. & lib. 2. contra Creſconium cap. 11. loquens de dilectione habet; *Qua ſi abſit cetera fruſtra fiunt*; & plures aliæ auctoritates poſſunt adduci, quas ad longum affert Suarez loco citato.

4 Dices ex Arriaga, hæc loca nihil probare; nam cum certum ſit hominem iuſtificari in Sacramento pœnitentiæ cū ſola attritione, & hæc loca loquantur vniuerſaliſſimè, vtique nihil probant, ſed debent explicari. Sed contra, quia hic loquimur de contritione, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiā extra Sacramentum, & præſcindendo à Sacramentis: (quidquid ſit, vtrum in Sacramento pænitentiæ poſſit haberi iuſtificatio ſine charitate nec ne, de quo infra, cum de attritione) ſed extra Sacramentum ex his locis deducitur, quod ſine charitate non habetur vera, & certa pænitentia; ergo abſolutè probant intentum; & ad hoc facit illud Chriſti Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus dimittitur minus diligit*. Qui locus, cum dictus fuerit à Chriſto ante inſtitutionē Sacramenti, verè probat non poſſe haberi iuſtificationem extra Sacramentum ſine dilectione.

5 Probatur 2. Efficaciter ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi habetur. *Docet prætereà, etſi ccontritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur &c.* & infra. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur &c.* Ecce Concilium ponit differentiam inter contritionem; quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, & ſanctificat ante receptionem Sacramenti, & attritionem, quod hæc habet pro obiecto turpitudinem peccati, & pœnas inferni; illa verò eſt ex charitate; ergo per Concilium contritio perfecta, quæ ad iuſtificationem extra Sacramentum vltimò diſponit, debet eſſe ex obiecto, & motiuo charitatis.

6 Dices per charitatem intelligi à Concilio charitatem habitualem; hæc enim eſt, quæ Deo reconciliat, & ſanctificat. Sed contra primò, quia Concilium tribuit iuſtificationem contritioni, quatenus includit votum confeſſionis: ſed habitus gratiæ, & charitatis non ſunt vllo modo votum confeſſionis, ſed votum eſſentialiter includitur in actu; ergo, dum Concilium loquitur de charitate requiſita ad perfectam contritionem, loquitur de actu charitatis, non de habitu. Contra 2. ſi Concilium nomine charitatis, qua perficitur contritio, ſeu formatur intelligeret ipſam charitatem habitualem, ſeu gratiam, inanis, & ridicula eſſet definitio Concilij; nam cum ipſa charitas habitualis, ſeu gratia ſit formalis reconciliatio, ſeu ſanctificatio, definiret, quod tunc contritio reconciliat Deo, quando reconciliat, quæ eſt definitio planè identica, & indigna Concilio; ergo dicendum eſt, tunc Concilium loqui de charitate actuali.

7 Congruētia huius poteſt eſſe, quia cum peccatum ſit ſummum malum, & ſumma Dei iniuria, & offenſa, congruum fuit, vt non remitteretur, niſi per nobiliſſimum actum ſpecie, qualis eſt amor Dei ſuper omnia. Quod ſi intra Sacramentum baptiſmi, & pænitentiæ remittitur peccatum cum ſola attritione, hoc eſt ſpecialis fauor Dei, qui ſic determinauit, quia in his Sacramen-

Quod peccatum in Sacramentis remittatur ſine amore Dei ſuper omnia, vnde oriatur.

tis

Digitized by Google

tis applicantur merita infinita Chriſti Domini.

8 Obijcies 1. Trid. loco citato dicit. *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat*. Ex quo loco ſic argumentor. Id, quod accidit alicui, non eſt de eſſentia ipſius: ſed quod contritio ſit perfecta per charitatem contingit ipſi contritioni, vt definit Concilium; ergo charitas, ſeu actus charitatis non eſt de eſſentia contritionis: tum quia accipio contritionem ſine charitate, à qua formetur, vel tunc erit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem, vel non; ſi non; ergo contritio, etiamſi ſit perfecta, & diſtincta ab attrione, non erit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem; hoc autem eſt contra omnium ſenſum, qui dicunt contritionem ab attritione diſtinctam eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam: ſi verò eſt ſufficiens; ergo ſine charitate eſt perfecta contritio.

Reſpondeo dato loco Concilij: diſtinguendo maiorem: id quod accidit alicui phyſicè non eſt de eſſentia ipſius, concedo maiorem: quod accidit alicui tamquam generi, & metaphyſicè non eſt de eſſentia illius phyſicè conſiderati; nego maiorem: deinde diſtinguo minorem; ſed quod contritio, prout abſtrahit a contritione perfecta, & imperfecta, ſeù attritione, ſit formata per charitatem accidit illi in generali, & metaphyſicè, concedo minorem: ſed quod contritio perfecta prout eſt diſtincta ab attritione ſit formata per charitatem accidit illi phyſicè conſideratæ, nego minorem; ergo &c. negatur conſequentia: ſicuti enim dicimus, animali accidit eſſe rationale, vel brutum, & tamen non ſequitur, quod tali animali non ſit de eſſentia rationale; ita & in propoſito dicendum eſt, quod contritioni, vt ſic, accidit contrahi per attritionem, vel per contritionem perfectam, at quando contrahitur per cõtritionem perfectam, hæc ſemper eſt charitate formata. Ex quo patet ad confirmationem; dico enim, contritionem ſine charitate, non eſſe perfectam contritionem, & ideò non eſſe ſufficientem ex ſe ad iuſtificationem, quæ tantùm perfectæ contritioni tribuitur.

8 Obijcies 2. Ezechielis 18. habetur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*, & idem ſæpius repetitur in eodem capite: ſed hic nulla fit mentio de motiuo charitatis; ergo poteſt eſſe vera pœnitentia ſufficiens ad iuſtificationem ſine motiuo charitatis.

Reſpondeo hunc, & ſimilia loca ſcripturæ, quæ poſſunt adduci, ſicuti, & loca Patrum debere intelligi de pænitentia, quæ fit ex motiuo charitatis, vt ſupra ex dictis in probatione noſtræ concluſionis conſtat; & quidem, quod talitèr debeant intelligi, patet; nam cum non explicetur aliquod motiuum, ex quo impius agat pænitentiam, ſi deberent in ſua vniuerſalitate accipi, dicendum eſſet, quod etiamſi quis agat huiuſmodi pænitentiam metu inferni, deberet iuſtificari extra Sacramentũ, quod tamen falſum eſt; ſicuti ergo dicunt aduerſarij, quod hæc loca debent intelligi de pænitentia, quæ fit ex motiuo alicuius virtutis; ita dicimus nos, hanc virtutem deberè eſſe charitatem, vt ſupra probatum fuit.

9 Obijcies 3. Quando quis dolet, & deteſtatur peccatum, quatenùs eſt offenſa Dei, verum elicit actum contritionis, & veram pænitentiam: ſed hic actus poteſt elici ex motiuo ſolius pænitentiæ, non charitatis; ergo poteſt dari perfecta pænitentia ſine charitate: perfecta autem pænitentia ſufficit ad iuſtificationem.

Reſpondeo diſtinguendo maiòrem: quando quis dolet, & deteſtatur peccatum quatenùs eſt offenſa Dei, hoc eſt, quatenùs eſt malum ipſius Dei, veram elicit pænitentiam, & verum actum contritionis, concedo maiorem: quando quis dolet de offenſa Dei, vt malum afficiens moralitèr hominem, elicit veram pænitentiam, & verum actum contritionis, nego maiorem, in hoc autem ſecundo ſenſu poteſt dari actus pænitentiæ ſine charitate, qui tamen non erit ſufficiens ex ſe ad iuſtificationem; dolor autem, & deteſtatio peccati, quatenùs eſt offenſa Dei, hoc eſt quatenus eſt malum ipſius Dei, ſemper eſt ex motiuò charitatis; nam deteſtari malum alicuius, qua malum illi eſt, eſt formaliſſimè amor illius; velle enim ab aliquo auferre malum, non minus bonum illi eſt, quam ei velle poſitiuum bonum; ſicuti ergo dum volo alicui poſitiuum bonum, illum amo, ita etiam amabo, dum volo ab eo auferre malum: per quod patet ad argumentum.

Deteſtari malum alicuius eſt formaliſſimè amor illius

10 Obijcies 4. Ad ſuauem Dei prouidentiam ſpectat tribuere homini fragiliſſimo modum facilem, quo poſſit ſe à peccato auertere, & iuſtificari: ſed, ſi ſemper requireretur motiuum dilectionis Dei, eſſet difficile elicere actum verum contritionis; ergo attenta fragilita-

Digitized by Google

te hominum, & ſuaui prouidentia Dei erit ſufficiens ad iuſtificationem, ſi eliciatur contritio ex motiuo alicuius alterius virtutis.

Reſpondeo hunc modum facilem dediſſe in lege gratiæ in Sacramentis; & ex alia parte non eſt magis difficile pęnitere ex motiuo dilectionis Dei, quam iuſtitiæ, religionis, aut alterius virtutis imò faciliùs eſt apprehendere Deum, ſummè bonum, vt illum amem, quam bonitatem iuſtitiæ, aut religionis &c. ideò &c. Addo, quod peccatum eſt ſummum malum, vnde conueniens fuit, vt non remitteretur, niſi per actum perfectiſſimæ virtutis, quo aeuerteretur peccator à malo, & in Deum toto corde conuerteretur.

ARTICVLVS II.

An contritio neceſſaria ad ſalutem per actum proprium ſufficiat ſi ſit virtualis, & implicitè talis.

1 NEceſſariam eſſe contritionē ad iuſtificationem per actū proprium certum eſt inter ſcholaſticos, & traditur à D. Tho. 3. p. q. 84. artic. 7. ad 1. & colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi habet. *Quouis tempore fuit ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* & cap. 2. comparat pœnitentiam cum baptiſmo, qui eſt neceſſarius neceſsitate medij, & ratio huius eſt, quia id, ſine quo non poteſt tolli peccatum, eſt neceſſarium neceſsitate medij: ſed ſine contritione non poteſt tolli, vt colligitur ex Trid. loco ſupra citato; ergo eſt neceſſaria neceſsitate medij. Dixi per actum proprium; nam in lege veteri erat abſolutè neceſſaria ad iuſtificationem per actum proprium: Nunc tamen in lege gratiæ; cum ſint inſtituta Sacramenta baptiſmi, & pœnitentiæ, poteſt adultus iuſtificari ſine contritione. Hoc cum ſit certum, illud, quod hìc inquirimus eſt, an requiratur ſemper contritio formalis, vel ſufficiat virtualis, cuiuſmodi eſt actus dilectionis Dei ſuper omnia, qui actus dicitur virtualis contritio, vel quia de ſe tantæ eſt perfectionis, vt æquiualeat contritioni; vel quia, qui efficacitèr diligit Deum, vi talis dilectionis paratus eſt tollere omnia, quæ aduerſantur tali dilectioni, cuiuſmodi ſunt peccata.

Senſus difficultatis.

2 Prima ſententia docet ſufficere virtualem pęnitentiam incluſam in actu dilectionis formalis Dei ad remiſsionem peccatorum. Sic D. Tho. hic qu. 87. ar. 1. Caiet. ibidem Vega lib. 6. in Trid. cap. 34. Medina C. de pœnitentia tract. 1. qu. 2. Scotus in 4. diſt. 14. qu. 1. §. *Ex his* Valentia hic diſp. 7. qu. 3. punct. 2. Vaſquez diſp. 86. art. 2. dub. 1. Suarez diſp. 9. ſect. 1. Coninch. diſp. 1. de effectu pœnitentiæ dub. 6. & plures alij Theologi.

Secunda ſententia eſt Cani relect. de pœnitentia par. 3. Soti lect. 4. de neceſsitate pœnitentiæ, Arriagæ hìc diſput. 7. ſect. 1. & plurium aliorum, hæc docet, non poſſe peccatorem verè diligere Deum, ſi recordetur peccatorum, niſi etiam ſimul doleat de peccatis. Amicus verò diſp. 4. ſect. 3. docet non eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam illam dilectionem, quæ non ſtatim excitat peccatorem, vel ad formalem deteſtationem peccatorum, quorum memoriā habet, vel ad diligentem inquiſitionem eorum peccatorum, quæ poſsunt memoriæ occurrere, vel ſaltèm ad deteſtationem in genere, ſi dubius ſit aliqua peccata commiſiſſe; & citat pro ſe D. Tho. Caiet. Medinam, Nauarrum, Vegam, & alios.

3 Concluſio 1. Pœnitentia virtualis incluſa in actu amoris Dei ſuper omnia eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationē extra Sacramentum. Probatur 1. ex ſcriptura de Magdalena dixit Chriſtus Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & ſubiungit. *Cui autem minus dimittitur minus diligit.* Ecce quod Chriſtus remiſsionē tribuit amori, licèt ipſa Magdalena fleuerit, & doluerit. Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo.* 1. Io. 4. *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; & paſsim in tota ſua prima Epiſt. id repetit; vnde dicit. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, & plura alia poſſunt ſcripturæ loca adduci: & cū hæc loca mentionem non faciant de dolore, & contritione, fatendum eſt, actum dilectionis Dei eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem.

4 Probatur ratione. Illa eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem, qua homo perfectè conuertitur in Deum: ſed amor Dei efficax ſuper omnia eſt perfectiſſima conuerſio creaturæ in Deum; ergo eſt ſufficiens diſpoſitio: maior patet; nam eo ipſo, quod creatura perfectè ſe conuertit ad Deum, etiam Deus conuertitur ad creaturam; vt conſtat ex illo Zacch. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad nos.* Neque enim Deus ſinit ſe vinci à creatura. Minor patet ex locis ſcripturæ ſupra adductis; & confirmatur; quia poſita dilectione Dei ſuper omnia, vel Deus viciſſim amat creaturam, vel etiam odio habet: ſi pri-

Amantem non redamare peruerſum eſt.

Digitized by Google

ſi primum; ergo ſignum euidens eſt, quod dilectio Dei fuit vltima diſpoſitio ad gratiam habendam, ſi ſecundum, hoc communitèr reputatur abſurdum, & contra ſcripturas ſupra adductas, & contra communem hominum exiſtimationem, ſi enim in humanis peruerſum exiſtimatur, ſi is non redamet, qui ſummè ab altero diligitur, multò magis hoc dedecet ſummam illam, & infinitam bonitatem.

5 Probetur 2. Detur aliquis, qui peccauerit mortalitèr, & inuincibilitèr nunc ignoret ſe peccatum illud commiſiſſe, hic non debet deſtitui ordinario medio ad ſalutem: ſed hic non poteſt elicere actùm contritionis, quo doleat, & pœniteat ſe peccaſſe; cum facta quacumque diligentia, adhuc ignorèt ſe peccaſſe; ergo tunc poterit iuſtificari per actum dilectionis Dei ſuper omnia; & ſic verè dilectiò Dei ſuper omnia erit vltima diſpoſitio ad gratiam.

6 Concluſio 2. Si quis ſit memòr peccati non poteſt iuſtificari, niſi eliciat actum contritionis. Probatur ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi habet. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Ex quo loco ſic poſſum argumentari. Id quod eſt medium neceſſarium ad ſalutem, debet eligi ad hanc ſalutem conſequendam: ſed per Tridentinum contritio fuit quouis tempore medium neceſſarium ad ſalutem; ergo, vt quis ſalutem conſequatur, debet contritionem habere.

7 Dices 1. Licèt Sacramentum pœnitentiæ ſit medium neceſſarium ad ſalutem, nihilominus poteſt haberi ſalus per votum ipſius incluſum in contritione; ergo etiam, licèt contritio ſit medium neceſſarium ad ſalutem, nihilominus poterit haberi ſalus per ſolum actum dilectionis, qui actus erit votum contritionis. Sed contra, quia in re, quæ dependet à voluntate Dei, debemus id aſſerere, quod docent Concilia, & Patres: ſed Concilium Trid. licèt doceat Sacramentum pœnitentiæ eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, nihilominus dicit, poſſe obtineri ſalutem per votum ipſius incluſum in contritione: nullatenus autem dicit poſſe obtineri ſalutem per contritionem in voto, vel actum dilectionis eſſe votum contritionis; ergo quamuis Sacramentum pœnitentiæ ſufficiat ad ſalutem, vel in re, vel in voto, licèt ſit medium neceſſarium; hoc tamen non eſt dicendum de contritione. Et ratio huius eſſe poteſt; quia Sacramentum pœnitentiæ, vt recipiatur, non pendet tantùm à peccatore, ſed etiam à voluntate Confeſſarij, qui velit ipſum audire, & abſoluere; ideò ſuauis Dei prouidentia ſtatuit, vt ſufficeret ad ſalutem votum Sacramenti pœnitentiæ, quia hoc totum poteſt haberi ab ipſo ſolo pœnitente, qui in quocumque tempore poteſt ſe iuſtificare; nec eſt neceſſe, quod actu ſuſcipiatur Sacramentum pœnitentiæ, niſi inſtante præcepto; at contritio eſt actus, qui poteſt haberi ab ipſo ſolo pœnitente; ideò ſi eſt medium neceſſarium ad ſalutem, vt docet Concilium, debet actu elici, nec ſufficit in voto.

Ad ſalutē cur ſufficiat votum Sacramēti, nō votum contritionis.

8 Dices 2. Non ne diximus in priori concluſione, eſſe ſufficientem ad iuſtificationem actum dilectionis Dei ſuper omnia: ergo ſi peccator eliciat actū amoris Dei ſuper omnia iuſtificabitur, & talis actus erit votum contritionis, quia cum contritio ſit medium neceſſarium ad ſalutem, non poteſt haberi ſalus ſine tali medio in re, vel in voto. Sed contra; quia aliud eſt, quod actus dilectionis Dei ſuper omnia ſit pænitentia virtualis, & æquiualeat actui pænitentiæ, & contritionis; aliud eſt, quod ſit votum contritionis: primum eſt verum, at ſecundùm eſt falſum; nam votum alicuius eſt deſiderium efficax illius rei, ſi quis ergo ex ſe poteſt elicere actū contritionis, & non elicit, ſignum eſt, quod non habeat votum efficax illius, quod dici non poteſt de Sacramento pænitentiæ; nam hoc externè debet recipi, & eius receptio, non tantùm ab ipſo peccatore dependet, ſed etiam à voluntate miniſtri, actus verò dilectionis Dei tunc iuſtificat, vel quando quis non recordatur vllius peccati, vel non aduertit ſe peccaſſe; ceterum ſi aduertat ſe peccaſſe ſemper tenetur elicere actum contritionis, quem ſi non elicit, ſignum eſt ipſum non habere verum actum efficacem dilectionis.

9 Probatur 2. ratione. Sit aliquis, qui verè, & efficaciter diligat amicum, vel filium, ſi videt illi illatum fuiſſe aliquod graue damnum, ſtatim prorumpit in odium, & deteſtationem illius mali, & habet voluntatem illud malum deſtruendi; ergo etiam peccator, ſi videat, ſe grauiter Deum offendiſſe per peccata ſua, & vult modò elicere actum amoris efficacem erga Deum, etiam mouetur ad odium, & deteſtationem peccati, & dolet, quod ipſum offenderit. Confirmatur, ſi quis amicum grauiter offendit, deinde de nouo incipiat eum amare efficaciter, dolet, & deteſtatur offenſam illi illatam, pudore afficitur, & dolore, quod ipſum offenderit; ergo etiam in peccatore idem contingit, dum

de nouo poſt peccatum efficaciter vult amare Deum.

10 Probatur 3. Amor Dei ſuper omnia anteponit Deum omnibus alijs rebus, & mauutl omnia alia perdere, quam Deum ipſum offendere, vnde odio habet omnia peccata futura; ergo etiam à fortiori odio habebit omnia peccata præterita, & præſentia, per quæ videt ſe Deum offendiſſe; eadem enim eſt ratio; imo maior de præteritis, & præſentibus, quam de futuris, quia præſentia magis mouent.

11 Obijciès primò contra primam. Eo modo eſt neceſſaria pænitentia ad iuſtificationem, ſicuti fides; tam enim fides, quam pænitentia ſunt neceſſariæ neceſſitate medij: ſed fides requiritur formalis, & explicita, & non ſufficit virtualis; ergo etiam pænitentia debet eſſe formalis, & non ſufficit actus amoris.

Reſpondeo negando paritatem: nam fides ideo eſt neceſſaria, quia eſt fundamentum omnis diſpoſitionis ad iuſtificationem, & ex cognitione fidei mouemur; non poteſt autem mouere, niſi ſit de aliquo obiecto explicitè, & formaliter; cum ipſa ſit prima cognitio ſupernaturalis, ſine qua res ſupernaturales ſperari, & quæri, vt oportet, non poſsunt; Pęnitentia autem, ideo per ſcripturas neceſſaria eſt, quia per illam homo perfectè conuertitur in Deum; & cum eædem ſcripturæ doceant, nos perfectè cõuerti in Deũ per actum charitatis, qui eſt nobiliſſimus omnium actus; hinc eſt, quod etiam actus dilectionis ſuper omnia ſufficit, hic enim virtualiter eſt pænitentia.

12 Obijcies 2. Qui actu recordatur alicuius peccati mortalis à ſe commiſſi non poteſt verum actum dilectionis Dei ſuper omnia habere, niſi ſimul deteſtetur peccatum commiſſum; ergo quamuis nõ recordetur alicuius peccati commiſſi, non poterit habere actum dilectionis efficacem, niſi ſaltem in genere doleat ſe offendiſse Deum.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam non poteſt quis dolere de peccato commiſſo, niſi aliquo modo ſciat, & recordetur ſe illud commiſiſſe; quare qui ignorat, vel non aduertit ſe illud commiſiſſe, poterit verè iuſtificari, etiamſi illud formaliter non deteſtetur, ſed ſolùm virtualiter per verum actum amoris.

13 Obijcies primò contra ſecundam. Si actus dilectionis Dei ſuper omnia in eo, qui habet memoriam peccati à ſe commiſſi, non poteſt iuſtificare ſine formali pęnitentia; vel eſt primò, quia adſit præceptum pænitentiæ; vel quia non poſſit haberi ſine pęnitentia, vel quia ſolus actus dilectionis non ſit ſufficiens: ſed nihil horum obſtat; ergo &c. probatur minor, quo ad primam partem; quia ſupponitur eſſe tẽpus, quo non adſit præceptum pænitentiæ formalis; Quo ad 2. quia ſi non poteſt haberi, maximè quia eſt eſſentialis dependentia inter actum dilectionis, & pænitentiæ; ſed non eſt; nam verè datur aliquando vnus actus ſine alio; ergo non adeſt dependentia eſſentialis; quo ad 3. quia ſcripturæ, & Patres verè promittunt iuſtificationem Deum diligenti ſuper omnia; ergo, ſi quis memor peccati eliciat actum dilectionis Dei ſuper omnia ſine formali pænitentia, iuſtificabitur.

Reſpondeo rationem, cur non poſſit quis iuſtificari ſine formali pænitentia, ſi ſit memor peccati commiſſi eſſe, non quia pænitentia tunc ſit in præcepto, vt bene probat argumentum; certum enim eſt, quod ſi tunc non pæniteat formaliter, non peccet, cum non ſupponatur ad eſſe præceptum, ſed eſſe, quia pænitentia eſt medium neceſſarium ad ſalutem; quando verò aliquid eſt medium, debet ſuſcipi, cum per ipſum ſolùm ſtet illud ſuſcipere, vel non; vnde ſi non ſuſcipiatur, ſignum eſt dilectionem illam non eſſe efficacem, & ſuper omnia, & per conſequens non iuſtificare, nec eadem eſt ratio de baptiſmo, aut Sacramento pænitentiæ; nam ad iuſtificationem ſufficit illorum votum: tum quia de his habemus Concilium quod docet, ad iuſtificationem ſufficere, quod quis eorum habeat votum in actu contritionis incluſum, quod tamen non dicit de voto contritionis, ſed dicit fuiſſe quouis tempore neceſſariam ad iuſtificationem: ergo vbi Trid. non diſtinguit nec nos diſtinguere debemus; per quod patet ad primam probationem minoris. Ad 2. dico, id non prouenire, quia adſit eſſentialis dependentia, ſed quia in eo, qui eſt memor peccati, non erit verus actus efficax amoris ſuper omnia, niſi ſimul etiam doleat, & deteſtetur peccatum, vt probatum fuit in concluſione; per quod patet ad tertiam.

14 Obijcies 2. Si quis ex amore deteſtetur peccatum prius habebit actum amoris, quam doloris, ſeu prius amabit Deũ quam deteſtetur peccatum: ſed eo ipſo, quod quis habeat actum amoris Dei iam eſt remiſſum peccatum; ergo ad remiſſionem non eſt neceſſarius iſte dolor, aut iſta deteſtatio.

Reſpondeo negando, quod quis prius habeat actum amoris efficacem, quam deteſte-

Digitized by Google

deteſtetur peccatum, ſi ſit memor peccati; nam verus amor ſuper omnia non tantùm dicit velle bonum amico, ſed etiam velle auferre malum, & offenſam ab ipſo; vnde ſi mater videret filium malum aliquod graue patientem, quod malum poſſet tollere, & non tolleret, non cenſeretur efficaciter, & ſuper omnia amare filium; ita in propoſito dicendum eſt, præſertim cum Trid. doceat pænitentiam eſſe medium neceſſarium ad ſalutem.

15 Obijcies 3. Sequitur ex dictis, nos numquam poſſe amare Deum ſuper omnia, niſi deteſtemur omnia peccata; quæ fecimus in tota vita, etiamſi pro illis ſatisfecerimus: ſed hoc eſt contra experientiam; nam ſæpe habemus verum amorem ſine vllo dolore; ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam; nam pro peccatis pro quibus iam ſatisfecimus, cum ſupponantur iam remiſſa, & cenſeatur ablata offenſa, non eſt neceſſe, quod iterum doleamus, niſi ad ſummum ſub conditione, ſi offenſa non eſſet ablata; at quando cognoſcimus nos commiſiſſe peccatum, & offenſam Dei adhuc moraliter durare, ad verum amorem non tantùm ſpectat velle bonum ſummæ Dei bonitati, ſed etiam tollere illius offenſam.

6 Obijcies 4. Eodem modo ſunt malum extrinſecum Dei aliena peccata, ſicut propria: ergo ſi vi amoris Dei ſuper omnia tenemur deteſtari propria peccata, vt iuſtificemur; etiam teneremur deteſtari aliena.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam de ratione amoris efficacis Dei ſuper omnia eſt tantùm, quod pænitens velit potius omnia ſua perdere, quam Deum, quid autem alij ſunt facturi non curat; probabile tamen eſt, ſi quis aduertat ad aliena peccata, quibus offenditur Deus, quod dum quis elicit actum amoris Dei ſuper omnia, etiam dolere debeat, quod Deus per alios offendatur.

ARTICVLVS III.

An vera contritio debeat deteſtari peccatum ſuper omne aliud malum.

1 MAlum aliud eſt culpæ, aliud pænæ: malum culpæ eſt peccatum ipſum: malum pænæ aliud eſt temporale, vt ſunt omnia mala, quæ in hac vita patimur, aliud eſt æternum, cuiuſmodi ſunt pænæ inferni, quando quærimus, an vera contritio debeat deteſtari peccatum ſuper omne aliud malum, loquimur de malo pænæ, ſiue temporalis, ſiue æternæ; nam ſi fiat comparatio inter ipſa mala culpæ, infra videbimus, num vnum peccatum debeat eſſe alio deteſtabilius.

2 Rurſus poteſt eſſe quæſtio, an contritio, quando deteſtatur peccatum ſuper omne aliud malum, debeat eſſe intenſior, quam dolor, quem quis ſentit de amiſſione alicuius boni, vt parentis, amici, diuitiarum, famæ, ſanitatis, & huiuſmodi; an verò quomodo debeat eſſe ſuper omne malum.

3 Prima opinio eſt Adriani in 4. de Pænitentia qu. 2. hæc vult nullam dari perfectam contritionem, niſi ſit ſumma intenſiuè. Scotus ibidem qu. 2. ar. 2. Aureolus ar. 4. & Baſsol. qu. 2. ar. 2. & quidam alij docent, ad veram contritionem requiri certum gradum intenſionis, quem Deus determinauit, ita vt infra illum gradum non ſufficiat contritio ad iuſtificationem extra Sacramentum.

Secunda communis ſententia docet; contritionem nullam exigere certam intenſionem, ſed in quocumque gradu eſſe ſufficientem ad iuſtificationem, dici verò deteſtari peccatum ſuper omne aliud malum, quia eſt ſumma appretiatiuè Sic Medina Cod. de pænit. tract. 5. qu. 5. Sotus in 4. diſt. 17. qu. 2. ar. 4. Suarez diſp. 4. ſec. 4. Lugus diſp. 5. ſec, 3. & 7. Arriaga diſp. 7. ſec. 3. & diſp. 10. ſec. 1. Amicus diſp. 4. ſec. 7 & plures alij, tum antiqui, tum recentiores, quos longum eſset recenſere.

4 Concluſio prima. Contritio, vt ſit vera, & ſufficiens ad iuſtificationem non requirit, vt ſit ſumma intenſiuè, vel quod habeat aliquem gradum intenſionis. Hæc concluſio ita nunc ab omnibus communiter admittitur; vt contraria cenſeatur improbabilis. Probatur primo ex cap. *Talis de Pœnitentia cauſa 33.* diſt. 3. vbi habetur *Talis eſt erga homines pietas Dei, vt quantulamcumque & quamlibet non reſpuat pænitentiam.* Tum quia ſcriptura, & Patres promittunt gratiam contritioni, & dilectioni Dei ſuper omnia: ſed poteſt eſſe contritio, & dilectio Dei ſuper omnia, etiamſi illi actus non habeant, niſi vnum gradum intenſionis, vt infra patebit, dum noſtram ponemus concluſionem; ergo non eſt neceſſaria vlla intenſio: tum quia Trid. ſeſſ. 6. cap. 7, docet in iuſtificatione vnumquemque recipere gratiam ſecundùm menſuram propriæ diſpoſitionis; ergo ſupponit Concilium inæqualitatem in diſpoſitione: ſed ſi ſemper requireretur ſumma intenſio, non adeſſet inæqualitas, ſed omnes reciperent ſemper æqualem gratiam, nàm omnes deberent habere diſpoſitionem ſummam; & ſic tantam gratiam reciperet quilibet in ſua iuſtificatione, quantam receperunt D. Paulus, & D. Magdalena

Digitized by Google

gdalena: & alij inſigniter iuſtificati; quod falſum eſt; ergo &c.

5 Probatur 2. Nullum præceptum Dei eſt moraliter impoſſibile ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. ſed ſumma intenſio eſt moraliter impoſſibilis: ergo non requiritur: probatur minor; nam vel requiritur ſumma intenſio, quæ viribus naturæ haberi poteſt; & hæc non, cum ſit omnino impertinens ad contritionem, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam; nam hæc debet eſſe ſupernaturalis, non naturalis: vel requiritur ſumma intenſio, quæ viribus gratiæ haberi poteſt; & neque hęc; nam iſta non habet terminum, & data quacumque intenſione poteſt dari alia, & alia maior in infinitum.

6 Et ex dictis reijcitur, quod requiratur certus gradus intenſionis: nam, quod requiratur certus gradus nullo modo colligitur ex ſcripturis, aut Patribus, & ſi aliqua loca adducantur in contrarium, rectè explicantur de ſummo dolore appretiatiuo, vt infra patebit.

7 Concluſio 2. Contritio debet deteſtari peccatum ſupra omne malum pęnæ; & ideo debet eſſe ſumma appretiatiuè: hanc concluſionem Sotus appellat Euangelicam veritatem, & ad hoc probandum inſignis eſt illa ſententia D. Anſelmi de ſimilitudinibus cap. 190. vbi habet. *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & vni eorum neceſſariò haberem immergi potius me in gehennam imergerem, quam peccatum in me admitterem; malem enim à peccato purus infernum intrare, quam peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere.*

8 Probatur ratione; quia hæc deteſtatio debet eſſe proportionata amori, iuxta illud *norma doloris amor*: ſed amor Dei verus ſufficiens ad iuſtificationem debet eſſe ſuper omnia; ergo & deteſtatio debet eſſe ſuper omnia. Tum quia talis debet eſſe deteſtatio, quale eſt malum, quod quis deteſtatur, vt ſit deteſtatio proportionata, & ſecundùm rectā rationē: ſed peccatum eſt peius malum, quam quælibet pena etiam æterna: quia ſecundùm moralem exiſtimationem peius eſt aliquem eſſe dignum pœna, quam pęnam ſuſtinere; ergo, vt deteſtatio ſit proportionata, debet quis magis deteſtari peccatum, quam quamlibet pœnam etiam æternam.

9 Aduertendum tamen eſt, quando dico deteſtationem peccati, & dolorem ipſius debere eſſe ſuper omnia, non eſſe neceſſe, quod fiat comparatio cum aliquo malo in particulari, v.g. cum graui iniuria, cum morte, contumelia, graui iactura, & huiuſmodi, imo monent Doctores communiter non debere fieri has comparationes: etenim, cum homines regulariter loquendo multùm moueantur ab his rebus ſenſibilibus, dum iſtæ comparationes illis proponuntur, facilè poſſent in noua peccata cadere; Vnde formalis comparatio, nec eſt neceſſaria, nec debet fieri; ne quis ponatur in periculo cadendi in noua peccata, ſi tamen ab aliquo perfecto fiat, bona erit.

10 Reſtat igitur, quod iſta comparatio debeat eſſe virtualis, & quæ dicatur ſumma appretiatiuè; quare explicandum hic eſt, quid ſit ſummè amarè; Deum appretiatiuè, & ſummè deteſtari peccatum appretiatiuè, & miſſis varijs dicendi modis, qui à Doctoribus afferuntur.

11 Dico hanc comparationem virtualem conſiſtere in hoc, quod intellectus firmiter cognoſcat, quod in Deo eſt ſumma, & ſuprema ratio boni, & propter hanc rationem voluntas amet Deū, eo ipſo enim, quod intellectus cognoſcit firmiter, in Deo eſſe hanc ſummam bonitatem, & iudicat eſſe anteponendam omnibus alijs, & ſub hoc motiuo Deum amat, ſequitur, quod appretiatiuè magis Deum amet, & ipſum anteponat omnibus alijs rebus.

12 Quo ad deteſtationem verò peccati, dico comparationem virtualem cō-ſiſtere in hoc, quod pænitens deteſtetur peccatum, eo quod in ipſo ſit ſuprema ratio mali, quæ talis cognoſcatur firmiter ab intellectu, eo ipſo autem, quod firmiter cognoſcitur ab intellectu ſuprema ratio mali in peccato, & propter hanc rationem pænitens deteſtatur peccatum, iam virtualiter deteſtatur illud ſuper omne aliud malum, quia malum peccati eſt ſupremum.

13 Dices: Si deteſtatio peccati debet eſſe ſuper omne malum pænæ, etiā inferni debet deſiderare potius pati infernum, quam peccare, præſertim, ſi ad vitandum peccatum eſſet neceſſarium pati infernum: cōſequens autem videtur durum; nam pauci ſunt viri perfecti, qui hos actus elicient; ergo dicendum eſt quod deteſtatio peccati non debet eſſe ſupra omne malum pænæ, etiam æternæ. Sed contra; quia nos non diximus eum, qui deteſtatur peccatum ſuper omnia, debere facere hāc comparationem formalem, imò diximus non debere fieri, & eſſe periculoſum illam facere, & ideò ſufficere comparationem virtualem, eo modo, quo dictum eſt. Addo, quod infernus non eſt eligibilis ad vitandum, vel deſtruendum peccatum, cum non ſit medium ad id aptum.

Dices

Digitized by Google

14 Dices ſecundò. Poteſt dari caſus, quod quis ſit in peccato mortali, & incidat in mortis periculum, à quo non poſſit liberari, niſi committendo vnum peccatum, v. g. fornicationis, vel negandi fidem; ex alia parte exiſtimet inuincibiliter, ſe non poſſe liberari à priori peccato, niſi per Sacramentum. Hic nè committat peccatum nouum debet eligere infernum; ergo datur aliquando caſus, in quo infernus eſt eligibilis. Sed cōtra, quia eſto caſus ſit poſſibilis, de facto tamen ſtante ſuaui Dei prouidentia, puto numquam accidiſſe, vnde numquā eſt neceſſaria de via ordinaria iſta formalis comparatio; puto tamen, poſſe Deum hunc caſum permittere in pænam peccatorum præcedentium; quo caſu, ſi non eligeret talis infernum, certè peccaret; at ſi eligeret infernum; cum hæc electio procedat ex amore Dei, nè ipſum offendat, in tali actu iuſtificaretur, nec actu deberet iſte pati infernum.

15 Obijcies primò contra primam. Illa pænitentia requiritur ad iuſtificationem, quam exigunt ſcripturę, & Patres: ſed ſcripturæ, & Patres indicant ſummam intenſionem in contritione, ad hoc, vt quis iuſtificetur: ergo hęc eſt neceſſaria: probatur minor. Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Deutero. 4. *Si quæſieris Dominum Deum tuum inuenias eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Michææ 4. *Dole quaſi parturiens.* Ambroſ. ad Virginem lapſam cap. 4. *Quanta putas, & qualis neceſſaria pænitentia, quæ aut adæquet crimina, aut certè excedat.* Et idem habetur ex alijs ſcripturis, & Patribus; ergo ad veram contritionem requiritur ſumma intenſio actus.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, dico ſcripturas, & Patres loqui de ſummo amore, & ſumma contritione appretiatiuis, non de ſumma intenſione: ſecus hæc loca nimis probarent, probarent enim, quod in tota vita quis deberet permanere in his actibus, vt iuſtificari poſſet; nec Ambroſius exigit ſummam intenſionem, ſed ſolùm, quæ adæquet peccatum; adæquatur autem per hoc, quod ſit ſumma appretiatiuè.

16 Obijcies ſecundò. Homo, vt iuſtificetur, tenetur facere quātùm poteſt; ergo ſaltem debet habere intenſionem actus, quam poteſt.

Reſpondeo, debere facere quantùm poteſt, vt habeat contritionem ſummam, & amorem ſummum appretiatiuè, quia hi actus ſunt in ſe difficiles, non verò debet habere ſummam intenſionem.

17 Idem dico de duratione, nulla enim eſt neceſſaria mora, vt conſtat ex illo Dauidis 2. Reg. 12. vbi ſtatim, ac dixit *Peccaui*, ſubiungit ſtatim Propheta: *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum.*

18 Obijcies contra ſecundā. Si Beato proponeretur, an vellet potius caruiſſe omni culpa, quæ tunc illi remiſſa ſit, vel carere beatitudine, certè eligeret magis, ſe peccaſse, & modò habere beatitudinem, quam carere beatitudine, & caruiſse omni peccato; ergo ſignum eſt, quod deteſtatio peccati non debet eſse ſuper omne malum; nam non debet eſſe ſuper malum carentiæ beatitudinis.

Reſpondeo negando, beatum eligere debere ſe potius peccaſse, quam modò carere beatitudine, ſed debet potius velle carere beatitudine, quam peccaſse; illa enim conditionalis de præterito æquiualet huic. Si Beato per impoſſibile proponeretur; vel pecces, vel careas beatitudine, vtique debet potius hoc eligere; licèt caſus ſit impoſſibilis, quia beatus non poteſt in hoc diſcrimine poni, vt vel peccet, vel careat beatitudine; imò peccatum eſset cauſa carentiæ beatitudinis.

ARTICVLVS IV.

An vnum peccatum ſit alius deteſtabilius.

1 ADuerte, quod peccata non ſunt æqualia, ſed vnum eſt maius altero, non ſolùm ſi fiat comparatio inter peccata mortalia, & venialia, ſed etiam inter ipſa mortalia vnum eſt maius altero.

2 Concluſio. Peccatum, quo eſt grauius, eo eſt deteſtabilius. Sic D. Tho. in 4. diſt. 17. quæſt. 2. ar. 3. quæſtiunc. 3. & communiter Doctores, vt teſtantur Suarez diſp. 3. ſect. 10. Lugo, Arriaga, & alij. Probatur, quia peccatum eſt deteſtabile, quia malum; ergo, quo fuerit maius malū in ſuo ordine, eo erit deteſtabilius per actū, qui fugit malum illius ordinis: ſed pænitentia eſt, quæ fugit malum culpæ; ergo eo erit deteſtabilius tale malum, quo malum culpæ maius erit. Confirmatur: ſicuti ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſecundum quid ad ſecundum quid: ſed malum culpæ ſimpliciter eſt deteſtandum; ergo maius malum erit magis deteſtandum, & ſic maius peccatum magis deteſtandum eſt.

3 Obijcies primò. Omnia peccata ſunt deteſtabilia in ſummo ſecundùm appretiationem; ergo vnum non eſt deteſtabilius alio: probatur antecedens: nō poteſt quis eligere peccatum minus ad Malum culpæ nullo modo eſt eligibile.

vitan-

Digitized by Google

vitandum maius; ergo ſignum eſt, quod omnia ſunt æquè deteſtabilia, & non vnum magis alio.

Reſpondeo negando antecedens; nam ſunt quidem deteſtabilia in ſummo reſpectu mali pœnæ; at reſpectu mali culpæ vnum eſt alio deteſtabilius: ad probationem, concedo, quod quis non poſſit eligere peccatum leuius ad vitandum maius, quia malum, vt malum, non eſt eligibile, & ſi eſſet eligibile non eſſet peccatum; non ſequitur autem, quod in ſe malum non ſit.

4 Dices. Theologi communiter docent poſſe conſuli peccatum leuius, vt vitetur maius; ergo etiam poterit eligi minus, vt vitetur maius.

Reſpondeo negando conſequentiam, & diſparitas eſt de conſulente, & eligente, quod quando Doctores dicunt, poſſe aliquem alteri conſulere minus malum, ſupponũt in alio definitum affectum ad maius peccatum, & ideò qui conſulit; cum non poſſit vtrumque vitare, rectè conſulit, vt ſaltem minuatur malum maius; at qui eligit, ſemper habet in poteſtate vtrumq; vitare, nec fieri poteſt, vt commiſſio leuioris peccati ſit neceſſaria ad euitandum grauius, & ideò in eligente numquam ille actus poteſt eſſe bonus.

5 Dices ſecundò. Poteſt dari caſus, vt quis ex ignorãtia putet mentiendum eſſe ad vitandum homicidium, ſimulq; exiſtimet mentiri peccatum eſſe; maius tamen peccatum eſſe homicidium; ergo tunc poterit eligere peccatum leuius, vt vitetur maius.

Reſpondeo, quod vel iſta ignorantia erit culpabilis, & vincibilis, vel inculpabilis, & inuincibilis: Si primum etiam eligendo mendacium peccabit, quia debet deponere cõſcientiam erroneam, & iudicare ſe non debere dicere falſum: ſi verò ſit inuincibilis, videtur implicantia in terminis, quod quis iudicet eſſe ſecundum rectam rationem mentiri, & hoc debere facere, & ex alia parte putet eſſe peccatum; Verùm dato hoc caſu, dico illum tunc debere eligere id, quod iudicat minus malum, & ſic non erit peccatum, quia ei non erat liberum aliud facere, niſi committendo homicidium. Quare numquam peccatum eſt eligibile, ſed minus malũ, quod comparatione maioris mali habet rationem boni; & ſequitur etiam ex hoc confirmatio noſtræ concluſionis, quod vnum peccatum ſit deteſtabilius altero; nam dato, quod quis eſſet conſtitutus in hac neceſſitate, vt vnum, vel alterum peccatum committat, deberet eligere peccatum, quod iudicat minus, licèt, vt dixi, hic caſus in præceptis naturalibus numquam poſſit euenire, vnde in iſtis præceptis debet potius mori, quam malum eligere. Cum præcepto tamen poſitiuo poteſt hic caſus occurrere, v. g. mulier in die feſto iudicat eſſe peccatum, ſi non audiat miſſam, & item iudicat eſſe peccatum, ſi derelinquat moribundum, vel grauiter infirmum, vt audiat miſſam, quo caſu, ſi ignorantia eſt inuincibilis, debet eligere id, quod iudicat minus malum.

Minus mali quomodo poteſt eligi.

6 Obijcies ſecundò. Vnum peccatum poteſt eſſe vtile ad vitanda alia; ergo poterit eligi: conſequentia patet; quia medium vtile poteſt eligi. Confirmatur; quia licitum eſt, quod Princeps permittat meretrices, vt vitentur maiora peccata; ergo etiam licitũ eſt eligere aliquod peccatũ leuius, vt vitetur maius.

Reſpondeo negando conſequentiam: ad probationem dico, quod medium eligibile non ſolùm debet eſſe aliquo modo vtile, ſed etiam honeſtum. Ad confirmationem; nego conſequentiam, & diſparitas eſt, quia Princeps per permiſſionem non vult peccatum, ſed permiſſionem tantùm, quæ ex ſe mala non eſt, ſtante præſertim morali quadam certitudine, quod homines infallibiliter cadent in huiuſmodi peccata, ideo poteſt permittere, quod leuius eſt: at eligens, quia tenetur vitare omnia, non poteſt eligere, nec etiam, quod minus exiſtimat.

7 Quæres: Quale nam peccatum ſit magis deteſtandum, leuius nè proprium, an grauius alienum?

Reſpondeo, propriũ eſſe appretiatiuè magis deteſtandũ, etiam ſi leuius ſit. Probatur: quia illud eſt à me magis deteſtandũ, quod magis me impedit, nè Deo vniar per charitatem: ſed peccatum proprium, etiam leue, magis me impedit, quam alienum graue; nam alienum non ſpectat ad me, niſi quatenus aliquo modo à me coeffectum eſt; ſic autem non iam cenſetur alienum, ſed proprium, de quo eſt eadem ratio, ac de proprijs; ergo peccatum proprium etiam leue magis à me deteſtandum eſt, quam alienum.

ARTICVLVS V.

An vera contritio debeat cadere ſuper omnia peccata diſtinctè recogitata.

1 VT vera contritio habeatur, requiritur recogitatio, & propoſitio peccatorum facta voluntati, ad hoc, vt voluntas eliciat poſtea verum actum doloris, & contritionis, quo actu ſe diſponat ad gratiam: hæc autem re-

cogi-

Digitized by Google

cogitatio quatuor modis fieri poteſt; primò quidem vniuerſaliter cogitando malitiam peccati ſecundùm ſe, nihil cogitando de peccatis à ſe commiſſis; ſecundò vniuerſaliter cogitando ſe offendiſſe Deum ſemel, vel ſæpius: tertiò conſiderando vnum peccatum, ſed in eo conſiderando rationem formalem offenſionis diuinæ, in quo virtualiter includuntur cetera peccata, ſi fortè commiſſa ſunt: quartò deſcendendo ad particularem cōſiderationem peccatorum commiſſorum, in quo tamen poteſt eſſe latitudo, ſcilicèt deſcendendo ad genera, ad ſpecies, & ad peccata in indiuiduo, & ad vnum tantùm.

2 Certum eſt apud omnes, veram pœnitentiam, & contritionem debere eſſe de omnibus peccatis. Hoc conſtat ex illo Ezechiel. 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis.* Et de pœnit. diſt. 1. can. *Non poteſt.* Et diſt. 3. can. *Quem pænitet.* Et ex pluribus alijs locis ſcripturæ, & Patrum, & præſertim ex Auguſtino de vera, & falſa pænitentia, cap. 9. hæc veritas colligitur. Ratio eſt, quia perfecta pænitentia, & contritio, quæ eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationē, debet eſſe auerſio ab omnibus peccatis, & conuerſio in Deum; non poteſt autem eſſe talis, niſi de omnibus, quis conteratur. Hoc poſito.

3 Prima ſententia eſt Syluestri ver. *Contritio* num. 5. Angeli nu. 4. Ludulphi de vita Chriſti 1. par. cap. 20. Paludani in 4. diſt. 17. q. 1. art. 2. & aliorum; hæc vult neceſſarium eſſe recogitare omnia peccata in particulari, & in particulari per diſtinctos doloris actus de illis pænitere, & conteri.

Secunda ſententia eſt D. Thom. hic q. 87. ar. 1. & alibi, Bonauent. in 4. diſt. 16. p. 2. art. 2. quæſt. 1. Richardi, Gabrielis, & aliorum ibidem, Soti diſt. 17. qu. 2. Cani p. 3. de pænit. Ioann. Medinæ tract. 1. qu. 3. Valentiæ quæſt. 8. punc. 6. & aliorum, hæc vult debere hominem prius recogitare omnia peccata, & poſtea de illis dolere non per diſtinctos actus doloris, ſed per diſtinctam recogitationem omniū peccatorum in ſpecie, & numero; diſtincti ſunt tamen inter ſe; nam aliqui volunt id eſſe neceſſarium neceſſitate medij, alij tantùm præcepti, aliqui id limitant in ordine ad Sacramentum Confeſſionis, aliqui id volunt eſſe neceſſarium ex natura rei etiam ſecluſa Sacramenti Pænitentiæ inſtitutione.

Tertia ſententia eſt Caiet. hic q. 87. ar. 1. & tom. 1. opuſculorum tract. 4. q. 2. Vegæ 13. in Trid. cap. 25. propoſ. 7. Petri Soti de pænitentia ſect. 13. in fine, Nauarri in ſumm. cap. 1. num. 21. Vaſquez quæſt. 86. ar. 2. dub. 7. Suarez diſp. 4. ſect. 6. Coninch. diſp. 2. dub. 8. Lugi diſp. 5. ſec. 6. Amici diſp. 4. ſect. 6. Arriagæ diſput. 9. ſect. 2. Auerſæ quæſt. 2. ſect. 9. & plurium aliorum apud ipſum, hæc aſſerit ſufficere contritionem de omnibus peccatis in generali.

4 Concluſio prima. Contritio in generali de omnibus peccatis abſque diſtincta deteſtatione, & recogitatione ſingulorum eſt ſufficiēs ad iuſtificationem. Probatur primò. Non eſt poſſibile, vt ſimul peccator in vnico inſtanti habeat diſtinctam recogitationem, & contritionem de multis ſuis peccatis; quare ad hoc, vt iuſtificari poſſet, deberet tempus aliquod inſumere: ſed hoc eſt contra id, quod habetur in ſcriptura: nam Ezech. 13. dicitur: *In quacumq; horâ ingemuerit peccator iniquitatum eius ampliùs non recordabor.* Et Dauid, Magdalena, & Latro in cruce ſtatim iuſtificati ſunt, qui tamen non potuerunt tam cito omnia ſua peccata recogitare; ergo diſtincta recogitatio, & contritio omnium, & ſingulorum peccatorum in particulari non eſt neceſſaria, ſed ſufficit contritio in vniuerſali de omnibus peccatis. Confirmatur, quia ex doctrina oppoſita ſequeretur aliquē in hac vita non poſſe aliquando iuſtificari, vt ſi quis incipiat dolere de ſuis peccatis ea recogitando, ſi iſte moreretur antequam omnia poſſet recogitare, nec etiam poſſet veram pænitentiam agere, quod dici nullo modo debet; ergo neque id vnde ſequitur.

5 Probatur ſecundò. Vnico actu poteſt aliquis diligere ſummam illam bonitatem Dei ſuper omnia; ergo & deteſtari omne peccatum propter eamdem bonitatem Dei; eadem enim eſt omnino paritas.

6 Probatur tertiò. In tantùm eſſet neceſſaria diſtincta recogitatio omnium peccatorum, in quantum de ſingulis eſt agenda pœnitentia, ſed per actū vniuerſalē, quo de omnibus quis doleat verè ſingula retractantur, & de ſingulis homo agit pænitentiam; ergo diſtincta recogitatio, & deteſtatio de ſingulis in particulari nō eſt neceſſaria, ſed ſufficit, quod pœnitēs de peccatis omnibus in generali conteratur; probatur minor; nā quando ego dico *homo*, id, quod correſpondet meo actui confuſo, ſunt omnes homines in particulari, ſcilicet, Petrus, Paulus &c. ergo etiam quando doleo de omnibus peccatis propter Deum ſummè dilectum, id quod correſpondet ſunt omnia peccata à me commiſſa, quæ omnia à me retractantur, igitur iſte actus eſt ſufficientiſſimus.

7 Concluſio ſecunda. Etiam eo ip-

Digitized by Google

ſo, quod quis doleat deteſtatione efficaci de aliquo peccato ex motiuo offenſæ Dei ſuper omnia dilecti, virtualiter dolet de omnibus, & deteſtatur omnia peccata, & eſt vera contritio ſufficiens ad iuſtificationem. Probatur primò. Qui vult efficaciter aliquem finem, virtualiter vult etiam efficaciter ea omnia media, quæ ſunt neceſſaria ad conſequendum eumdem finem: ſed qui dolet efficaciter de aliquo peccato ex motiuo offenſæ Dei ſuper omnia dilecti, vult pro fine, quod non ſit offenſa Dei, ergo qui dolet efficaciter de aliquo peccato ex motiuo offenſæ Dei, virtualiter dolet etiam efficaciter de omnibus peccatis, cum dolor de omnibus ſit medium neceſſarium ad conſequendũ, quod non ſit offenſa Dei. Confirmatur: qui ex affectu efficaci gloriæ odit vnum peccatũ, quia ea gloria priuat, neceſſariò, & virtualiter debet odiſſe omnia peccata; quia omnia, & ſingula illa gloria priuant; & qui efficaciter deteſtatur pœnas inferni, ſeu abſolutè non vult eò ire, debet abſolutè, & virtualiter deteſtari omnes vias, quæ ad ipſas pœnas conducunt, cuiuſmodi ſunt omnia peccata; ergo etiam, qui vult efficaciter non offenſam Dei pro fine, & de offenſa Dei efficaciter dolet pro aliquo peccato, virtualiter etiam dolet de omnibus peccatis à ſe cõmiſſis; nam hic dolor de omnibus eſt medium neceſſarium ad conſequendum talem finem.

8 Probatur ſecundò. Eodem modo ſe habet inconſideratio alicuius peccati, ſicuti obliuio: ſed obliuio aliquorum peccatorum non tollit, quod dolor de omnibus alijs non ſit vera cõtritio; nam virtualiter in hoc dolore includitur etiã dolor de oblitis; ergo idem dicendum de inconſideratione; vnde ſi quis cogitet de vno peccato, & in eo conſideret rationem offenſæ Dei, & propter offenſam Dei efficaciter de illo doleat, virtualiter dolebit etiam de omnibus alijs, quia dolor de omnibus alijs (cum in eadem ratione omnia conueniant) eſt medium neceſſarium ad tollendam offenſam Dei.

9 Dices: Ex hoc ſequitur, quod ſi quis recogitet plura peccata mortalia, & poſtea de vno tantum doleat, quia eſt offenſa Dei, quod verè iſte iuſtificaretur; quod tamen dici nequit; nam ſicuti omnia ſunt peccata, ita de omnibus agenda eſt pœnitentia. Sed contra. Reſpondeo concedendo ſequelam, & negando minorem; talis enim de omnibus peccatis virtualiter dolet: ergo &c.

10 Reſpondet Suarez negando ſequelam, & aſſignat diſparitatem inter eum, qui habuit contritionem vniuerſalem, & illum, qui doluit tantùm de vno, quod qui doluit vniuerſaliter de omnibus, egit formalem pœnitentiam de illis, & tantùm confuſa cognitio ſe tenet ex parte intellectus, non variando rationem formalem actus voluntatis, qui actus immediatè verſatur circa omnia peccata: ſicuti quando dico *homo* hic actus meus verſatur circa omnes homines; qui verò doluit de vno, egit tantùm virtualem pænitẽtiam de alijs; cum tamen ſit neceſſaria formalis: & affert exemplum, quod ſi quis oblitus ſit peccati, & poſtea illius recordetur, tenetur agere pænitentiam formalem; ergo etiã qui propter inconſiderationem de vno tantùm doluit. Sed contra primò, quia Suarez admittit eum, qui dolet de vno quatenus eſt offenſa Dei, ſi verum actũ contritionis elicuerit, verè iuſtificari, & tamen hic actus eſt tantùm virtualis pænitentia de alijs; ergo non eſt neceſſaria formalis pænitentia, ſed ſufficit virtualis etiam per ipſum: nec exemplum eſt ad rem; nam qui oblitus eſt peccati, dum elicuit actum contritionis, & poſtea illius recordatur, non tenetur agere pænitentiam de illo, vt iuſtificetur, cum ſupponatur iuſtificatus, ſed hoc erit, vt ſubijciatur clauibus Eccleſiæ, cum omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, debeant formaliter in confeſſione explicari. Contra ſecundò: ſi quis eliciat actum amoris Dei ſuper omnia iuſtificatur, etiam ſi actu non doleat de peccatis, quę non conſiderat; ergo multò magis iuſtificabitur, qui cum hoc amore dolebit efficaciter de vno peccato, quatenus eſt offenſa Dei.

11 Dices ſecundò Si quis in præſentia duorum honeſtorum virorum vnũ tãtùm honoret, videtur eo ipſo alterum contemnere; ergo etiam, qui memoriæ habet plura peccata, & de vno tantum dolet, videtur cetera approbare. Sed contra, dato antecedenti, nego conſequentiam: diſparitas eſt clara, quia honor vnius non eſt virtualiter honor alterius, nec motiuum honorandi vnum eſt motiuum alterum honorandi; ideò nil mirum; ſi ex eo, quod quis honoret vnum, alter cenſeatur contemptus; at in peccatis, quando peccator deteſtatur efficaciter vnum peccatum, quia eſt offenſa Dei, eo ipſo deteſtatur cetera omnia; vnde nullo modo cenſetur ea approbare, ſed formaliter præciſiuè ſe habet, & virtualiter omnia deteſtatur; fateor tamen caſum eſſe difficilem, nè dicam moraliter impoſſibilem, quia eo ipſo, quod quis eſt memor plurium peccatorum, & vult amare Deum ſuper omnia, vel

Digitized by Google

vel deteſtari eius offenſam ſuper omnia, videtur, quod voluntas moraliter hoc non poſſit efficere, niſi omnia in vniuerſali deteſtetur, ceterum dato caſu, quod vnum tantùm deteſtetur ex motiuo vniuerſali offenſæ Dei, hic actus erit ſufficiens ad iuſtificationem.

12 Concluſio tertia. Modo ratione confeſſionis in lege Euangelica eſt neceſſaria diſtincta recogitatio omnium peccatorum mortalium. Probatur; quia modo tenetur pænitens confiteri peccata ſua, non tantùm ſecundùm genus, & ſpeciem, ſed etiam ſecũdùm numerum; ergo debet diſtinctè omnia recogitare; non eſt tamen neceſſe, quod poſtquam omnia recogitauit doleat de omnibus in particulari, ſed ſufficit dolor vniuerſalis de illis omnibus diſtinctè recogitatis; imò ex dictis ſufficiet dolor efficax de vno, in eo tamen conſiderando motiuũ vniuerſale, nempe rationem formalem offenſæ Dei, quia ſic virtualiter omnia alia retractantur.

13 Excipitur tamen primò Caſus neceſſitatis, in quo, ſicuti non tenetur peccator omnia peccata ſua confiteri, ſed dato ſigno doloris, & petita abſolutione poteſt abſolui, licèt, ſi tempus adſit, ad confeſſionem requiratur diſtincta cogitatio peccatorum: ita multo minus contritio exigit illam diſtinctam conſiderationem.

14 Excipitur ſecundò Caſus inculpabilis obliuionis; nam ſi quis facto examine obliuiſcitur alicuius peccati, ſi habeat dolorem vniuerſalem, definit Trid. etiam illud peccatum remitti.

15 Obijcies primò contra primam, & ſecundam concluſionem In ſcriptura ſæpius inuenitur debere haberi notitiam, & dolorem de omnibus peccatis in particulari. Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.* Pſalm. 76. *Cogitaui dies antiquos*; & plura alia loca poſſunt adduci, & præcipuè illud Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit iudicium, & iuſtitiam &c.* Et idem videntur docere plures Patres; ergo &c.

Reſpondeo, verè dolorem habendum eſſe de omnibus peccatis, vel explicitè, vel in confuſo, vel virtualiter, vt dictum eſt; non autem eſt neceſſarium, quod omnia peccata in memoriam reuocentur, & poſtea de ſingulis quiſque doleat. Addo in ſcriptura tantùm narrari, quæ optimè facta ſunt ab illis ſanctis viris, non verò ex illis colligi aliquam neceſſitatem, aut dolorem debere cadere ſuper omnia peccata in particulari. Patres autem, vel loquuntur de examine in ordine ad confeſſionem, quomodo poteſt intelligi D. Thom. loco adducto in principio articuli, nempe quæſt 87. art. 1. vel laudant illud in ordine ad contritionem; nam diſtincta recogitatio tot peccatorum vtiliſſima eſt ad mouendum hominem ad dolendum de omnibus peccatis.

16 Obijcies ſecundò. Diuerſorum morborum diuerſæ debent eſſe medicinæ; ergo eadem contritio generalis non ſufficit pro pluribus peccatis, & multò minus erit ſufficiens dolor de vno, etiam ſi virtualiter ſit de omnibus.

Reſpondeo, peccata dupliciter poſſe conſiderari; primo, vt auertunt à Deo, & inferunt mortem ſpiritualem animæ, & ſic omnia in vno conueniunt, & eadem contritio eſt ſufficiens pro omnibus: vel in ordine ad confeſſionem, vel reſtitutionem, vel ad fugiendam occaſionẽ, & ſic exigunt diuerſas medicinas, vt tollatur occaſio, vel reſtituatur ablatum, & Confeſſarius poſſit diſcernere lepram à lepra; verùm hoc nihil contra nos.

17 Obijcies tertiò. Pænitens, qui conteritur eſt vt iudex ſui ipſius ad vindicandam in ſe diuinam iniuriam; ergo, vt hoc munus rectè exerceat, oportet, vt cauſam rectè cognoſcat: patet conſequentia; nam propter hanc rationem in confeſſione eſt neceſſaria diſtincta peccatorum accuſatio, vt Confeſſarius, qui eſt Iudex perfectè cauſam cognoſcat.

Reſpondeo concedendo, quod lato modo poſſit peccator dici Iudex, imò & medicus; verum iudicium, quod debet facere, & medicina, quam debet adhibere, nihil aliud eſt, quam deteſtatio, & retractatio peccatorum auertendo ſe, ſuamque voluntatem ab omni culpa, & conuertendo ſe ad Deum; hoc autem fieri poteſt eo modo, quo diximus, & explicuimus in concluſionibus. Ad probationem: diſparitas eſt de confeſſione interna, & externa; nam prima fit Deo, qui perfectè iam cognoſcit peccata, ſecunda fit homini, qui ea cognognoſcere, & iudicare nequit, niſi illi dicantur; & in confeſſione ſacramentali Sacerdos eſt Iudex, & Medicus, qui debet cauſam ſcire, vt rectè ferat ſententiam, & medicinam applicet.

14 Obijcies quartò contra ſecundam. Poteſt quis velle dare centum propter bonum eleemoſynæ, & tamen nolit dare omnia ſua; ergo etiam quis poteſt dolere de aliquo peccato propter offenſam Dei, & tamen nolit dolere de alijs.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas

Digitized by Google

eſt, quia in actibus amoris non infertur contradictio, quod quis amet, & non amet, ſi velit alicui, vel propter aliquem bonum aliquod, & ei non velit omnia bona; nam verè volendo dare centum, imo etiam vnũ tantùm eſt aliquis amor propter bonum eleemoſynæ; at dolor cum ſit fuga ab obiecto non poteſt quis dolere de aliquo peccato propter offenſam Dei, niſi fugiat etiam virtualitèr ea omnia, quæ conſtituunt offenſam Dei, ſecus fugeret, & accederet ad idem obiectum, ſeù odio haberet, & amaret, quod implicat.

ARTICVLVS VI.

An ad veram contritionem requiratur formale propoſitum non peccandi, vel ſufficiat virtuale.

1 PRopoſitum non peccandi de cetero requiri ad veram contritionem, omnes Theologi admittunt. Difficultas modó eſt, an requiratur propoſitum formale, vel ſufficiat virtuale. Propoſitum formale eſt actus explicitus voluntatis, quo quis expreſsè proponit ſe in poſterum ab omni peccato ceſſaturum: virtuale verò eſt actus voluntatis quo quis adeo de peccatis commiſſis dolet, eaque deteſtatur, vt non ſolùm non complaceat de vllo peccato in futurum committendo, ſed etiam, ſi de futuro cogitaret, omninò proponeret, ſe ſolicitè vitaturum quodlibet peccatum mortale; vel ſecundò eſt actus, quo quis proponit ſe ſeruaturum pro viribus legem Dei; vel tertiò eſt diſplicentia peccati, cum qua eſt incompoſſibilis complacentia peccandi in futurũ; vel quartò eſt actus voluntatis, quo quis in omnibus vult Deo placere, eiuſque voluntatem adimplere.

Propoſitũ virtuale nõ peccandi quomodo explicetur.

2 Prima ſententia eſt Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 4. qu. 1. §. *Quoad ſecundum* Soti in 4. diſt. 15. qu. 1. art. 2. Cani in relect. de Pęnitentia par. 1. Bellar. lib. 2. de pœnitentia cap. 6. & 7. Ruardi art. 8. contra Lutherum, & aliorum, hæc docet ad veram contritionem requiri propoſitum formale non peccandi de cetero.

Secunda ſententia docet ſufficere propoſitum virtuale. Sic Maior. in 4. diſt. 14. qu. 1. Almainus ibidem, Medina C. de pœnitentia tract. 1. qu. 3. §. *Ad aliud*, Vega in Trid. lib. 13. cap. 21. Valentia diſp. 7. punct. 8. Nauarrus in ſum. cap. 1. num. 15. Suarez diſp. 4. ſect. 3. Vaſquez quæſt. 86. art. 2. dub. 4. Amicus diſput. 4. ſect. 4. Arriaga diſp. 10. ſect. 2. & 3. Lugo diſp. 5. ſect. 7. & communitèr nunc Doctores.

3 Concluſio 1. Vera contritio regularitèr loquendo habet annexum propoſitum formale non peccandi de cetero. Probatur primò ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi contritionem definit, *Quod ſit animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero*. Et infra. *Declarat Sancta Synodus hanc contritionem, non ſolùm continere ceſſationem à peccato, ſed, & vitæ nouæ propoſitum, & inchoationem*. Et idem habetur ex Floren. idem docent plura loca ſcripturæ; & Ambroſius, & Greg. apud Magiſt. diſt. 14. definiunt pęnitentiam, quod ſit *Præterita peccata plangere, & plangenda iterum non admittere*; & Vega in Trid lib. 15. cap. 2. Docet pingendam eſſe pœnitentiam, ita vt ei duæ facies veluti alteri Iano tribuantur, altera, quæ præteritum reſpiciat, & doleat de vita malè anteacta, altera, qua futurum reſpiciat proponendo vitare omnẽ Dei offenſam.

4 Probatur ratione. Contritio eſt dolor de peccato commiſſo, quatenùs eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti: ſed tàm peccatum præteritum, quàm futurum eſt offenſa Dei; ergo ſicuti regularitèr requiritur dolor de peccato commiſſo, ita etiam requiritur propoſitum de vitando futuro, Dixi regularitèr loquendo; nam per purum actum amoris Dei ſuper omnia poteſt quis iuſtificari, vt dictum eſt ſupra; at regularitèr, quando quis conſiderat peccata ſua, non ſolùm dolet de præteritis, ſed etiam proponit inchoare nouam vitam, vnde Amoſ. 5. habetur. *Odite malum, & diligite bonum*; & ad Epheſ. 4. *Deponite veterem hominem, & induite nouum*. Et confirmatur; quia ſi quis alium offendit, dum veniam deprecatur, dolet de præterito, & ſpondet ſe amplius in futurum id nolle peragere; & quando quis aduertit videtur moralitèr impoſſibile, quod quis eliciat verum actum contritionis de peccato quatenus eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, & non eliciat verum propoſitum non peccandi in futurum.

5 *Excipit* tamen Suarez num. 4. articulum mortis, quia inquit non oportet pro breuiſſimo tempore, & quando vita eſt deſperata habere hoc propoſitũ, nec etiam ſub conditione ſi vixero. Sed contra potiùs videtur dicendum contrarium, nempè, quod in tali articulo faciat quantùm in ſe poteſt, & proponat perſeuerare in obſeruantia præceptorum vſque in finem, licèt enim ſit breue tempus, nihilominus, quamdiù homo eſt in via, poteſt mortalitèr peccare; ergo

Etiam in articulo mortis requiritur propoſitũ.

etiam

Digitized by Google

etiam pro illo breuiſſimo tempore debet habere propoſitum non peccandi;& certè experientia conſtat Confeſſarios ad hos actus maximè adhortari pœnitentes in tali articulo conſtitutos.

6 Concluſio 2. Contritio, qua homo iuſtificatur poteſt aliquando eſſe ſine formali propoſito. Probatur ex ſcriptura 2.Reg.habetur,quod Dauid propoſito peccato ab eo commiſſo per Natan Prophetam ſolùm protulit ea verba: *Peccaui Domino*, & ſtatim iuſtificatus eſt, & tamen ibi nulla mentio fit futuræ vitæ; ſuper quem locum Auguſt. *Tres ſunt ſyllabæ, Peccaui, ſed in illis tribus ſyllabis flamma ſacrificij coram Deo aſcendit in Cœlum*; & plura loca ſcripturæ communitèr adducuntur, vt de Manaſſe 2. Paralip. 33. de filio Prodigo Ioan. 15. de Latrone in Cruce, Lucæ 23. qui omnes iuſtificati ſunt, & tamen ſcriptura non meminit propoſiti, quod habuerint non peccandi in futurum. Verum ex his auctoritatibus probabilitèr quidem probatur concluſio, non firmitèr; nam ſunt tantùm ab auctoritate negatiua, quæ non probat; nam licèt ſcriptura mentionem non faciat de propoſito,quod habuerint, nec etiam id negat; quare alitèr probanda eſt concluſio.

7 Probatur ergo ratione. Non minus eſt neceſſarius dolor de omnibus peccatis commiſſis, quam propoſitum non peccandi amplius in futurum: ſed, ſi quis oblitus ſit aliquorum peccatorum, dum dolet de peccatis, quorum recordatur ex motiuo vniuerſali offenſę Dei ſuper omnia dilecti,virtualitèr etiam dolet de oblitis, & iuſtificatur; ergo etiam virtualiter includitur propoſitum non amplius peccandi, & iuſtificabitur: probatur conſequentia: ideò virtualitèr in tali caſu pœnitens dolet de oblitis, quia etiam oblita ſunt offenſa Dei: ſed etiam futura ſunt offenſa Dei; ergo ſicuti virtualitèr retractat præterita, etiam virtualitèr proponit nolle committere futura.

8 Probatur ſecundò, & claritatis gratia ſuppono, dato hoc per impoſſibile, vel poſſibile, quod dum pœnitens dolet de peccatis commiſſis non eliciat hoc propoſitum, & inſuper ſuppono, quod non eliciendo hoc propoſitum non peccet, eo quod non habeat præceptum illud eliciendi, & ſe iuſtificandi; quo poſito ſic argumentor. Eliciat pœnitens actum doloris de ſuis peccatis ex motiuo offenſæ Dei ſuper omnia dilecti, vel eliciat actum amoris Dei ſuper omnia, ſine formali, & expreſſo propoſito; amor ille ſuper omnia, & actus ille doloris de ſuis peccatis ex motiuo offenſæ Dei ſuper omnia dilecti defectu illius propoſiti expreſſi, & formalis nihil amittunt de eorum efficacia: ſed, ſi propoſitum formale haberetur,iuſtificarent diſpoſitiuè;ergo etiam ſine tali propoſito formali,& expreſſo iuſtificabunt: probatur hæc conſequentia, quia etiam quando ſequitur tale propoſitum non iuſtificat, niſi ſolus amor, vel actus doloris de peccatis ex motiuo offenſæ Dei ſuper omnia dilecti; propoſitum enim nec partialitèr concurrit, ſed eo ipſo, quod in priori naturæ eſt amor Dei ſuper omnia, adeſt ſufficiens diſpoſitio, vnde ſi talis moreretur, antequam eliceret propoſitum verè ſaluaretur; nam diligens Deum ſuper omnia, diligitur à Deo, ergo propoſitum formale non requiritur. Confirmatur non minus in pœnitente requiritur propoſitum recipiendi Sacramentum pœnitentiæ,quam ſeruandi omnia præcepta: ſed ſi quis amat Deum ſuper omnia, & non attendit ad confeſſionis Sacramentum, & ad obligationem illud ſuſcipiendi iuſtificatur, etiam in ſententia aduerſariorum: ergo ſolus amor, aut dolor ſuper omnia de peccatis commiſſis ex motiuo offenſæ Dei ſuper omnia dilecti habent hanc vim iuſtificandi.

9 Obijcies 1. Perfecta pœnitentia ex D. Tho. 1. 2. qu.113. art.5. eſt motus, quo anima mouetur per gratiam à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ, iuxtà illud Pſal. *Declina à malo, & fac bonum*: ſed hic motus non poteſt eſſe, niſi per receſſum à malo deteſtando peccatum, & acceſſum ad bonum per propoſitum obſeruandi præcepta; ergo propoſitum ſemper requiritur. Confirmatur. Non poteſt haberi vera pœnitentia, niſi habeatur finis proximus penitentiæ: ſed emendatio vitæ eſt finis proximus pœnitentiæ; ergo hæc pœnitentia non poteſt haberi, niſi intendatur huiuſmodi finis; ſi autem intenditur ſemper requiritur propoſitum.

Reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; dico enim ſufficientèr haberi, vel per propoſitum formale, vel virtuale; non autem eſt neceſſe, quod ſemper habeatur per formale. Ad confirmationem: diſtinguo conſequens: pœnitentia perfecta non poteſt haberi, niſi intendatur finis proximus ipſius, vel formalitèr, vel virtualitèr, concedo conſequentiam: formalitèr ſemper, nego conſequentiam; dico enim ſufficere,ſi intendatur finis virtualitèr.

10 Dices. Deteſtatio peccati præteriti ſemper debet eſſe formalis; ergo & propoſitum non peccandi in futurum ſemper

Digitized by Google

ſemper debet eſſe formale. Sed contra nego antecedens, vt patet in eo, qui per actum amoris De ſuper omnia iuſtificatur; hic enim ſicuti virtualitèr tantùm deteſtatur peccatum, ità virtualitèr tantùm habet propoſitum, & tamen iuſtificatur; & ſi quis doleat de aliquo peccato ex motiuo vniuerſali, & non recordetur de alijs, virtualitèr tantùm retractat oblita, & tamen iuſtificatur; ergo etiam, ſi non attendat ad futura, nec habeat propoſitum formale, ſufficit virtuale; & per hanc diſtinctionem de propoſito, vel formali, vel virtuali ſoluuntur omnia alia argumenta, quæ à Doctoribus fiunt.

11 Objicies 2. Plura loca ſcripturæ, quæ probant ad pęnitentiam requiri nouam vitam, vt Ezechiel 18. & 33. Pſal. 50 Apoc. 2. habetur. *Noua opera fac*. Non poteſt autem hoc requiri à pœnitentia, vt actu exercenda, quia hoc ad futurum tempus ſpectat; ergo ſaltèm requiritur propoſitum formale illius. Idem deducitur ex pluribus Sanctis Patribus, & ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi contritio definitur. *Animi dolor cum propoſito non peccandi de cetero*; ergo propoſitum formale ſemper requiritur.

Reſpondeo ſcripturam, & Patres, dum dicunt ad veram pœnitentiam requiri nouam vitam, & quod noua opera fiant, poſſunt intelligi de pœnitentia, vt conducente ad vitam æternam, non verò de inducente remiſſionem peccatorum tantùm. Dico 2. quod eo ipſo, quod quis, vel elicit actum amoris Dei ſuper omnia, vel dolet, & deteſtatur peccata commiſſa propter offenſam Dei ſuper omnia dilecti, iam facit noua opera, & inchoat nouam vitam, etiamſi non habeat propoſitum formale ſeruandi omnia præcepta, ſed tantùm virtuale, quod ſufficit. Ad Trid. dico ipſum loqui de contritione prout regulariter fit; ceterum poteſt intelligi, vel de propoſito formali, vel virtuali tantùm, & hoc ſufficit, vt conſtat ex ſupra dictis.

ARTICVLVS VII.

An contritio eſſentialiter ſit dolor, vel deteſtatio, & odium de peccato commiſſo.

1 PRima ſententia docet, quod ex quatuor illis actibus voluntatis, qui ſolent contingere, dum quis verè conteritur, qui actus ſunt voluntas deſtruendi peccatum cōmiſſum, odium peccati, deteſtatio peccati, & dolor de peccato, ſolam deteſtationem ſpectare in recto, & eſſentialiter ad contritionem, dolorem verò comitari contritionem; tribuitur Alenſi 4. p. qu. 17. mem. 1. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 4. q. 1. Vegæ lib. 13. iu Trid. cap. 25. & eſt expreſſè Suarez diſp. 4. ſect. 1.

Secunda ſententia eſt D. Thom. qu. 1. in additionibus ad 3. partem art. 1. quam ſequuntur Durandus, Gonet diſp. 7. ar. 1. & alij, hæc vult eſſentialitèr eſſe dolorem; poteſt addi tertia, quæ eſt Coninchi de pœnitentia diſp. 1. dub. 2. qui docet eſſentialitèr contritionem eſſe deteſtationem, & dolorem.

2 Concluſio. Contritio, quæ ſine Sacramento diſponit ad iuſtificationem eſt eſſentialitèr dolor animi, & deteſtatio, ſeù eſt deteſtatio doloroſa peccati commiſſi. Probatur, quod ſit dolor, primò ex Florentino, quod in decreto Eugenij docet ad contritionem pertinere dolorem, & clariùs ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. quod definiens contritionem ſic habet. *Eſt animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo*; ergo verè contritio eſt dolor eſſentialitèr; nam à Trid. ponitur in recto; & à D. Tho. loco citato dicitur poni dolorem in definitione contritionis tamquam genus.

3 Probatur 2. ratione. Contritio ex vi nominis dicitur quaſi comminutio & commotio cordis, quæ conſiſtit in quadam anguſtia, & axietate animi, qua quis dolet de præteritis peccatis, ducta metaphorâ à rebus corporalibus, in quibus contritio propriè ſignificat diuiſionem corporis duri, & ſolidi in minutiſſimas partes, qua diuiſum reducitur in pulueres, quod quia fit per quandam corporis compreſſionem, & macerationem ideò tranſlatum eſt hoc nomen ad ſignificandam animi præſuram, & anxietatem: ſed hæc animi comminutio, præſſura, & anxietas cordis non poteſt haberi per ſolam deteſtationem; etenim poteſt quis deteſtari malè factum ab aliquo, & tamen non dolere de ipſo; ergo, ſi contritio eſt comminutio, præſſura, & anxietas cordis, non ſolùm erit deteſtatio, ſed etiam erit deteſtatio doloroſa.

4 Probatur 3. Contritio conſiſtit eſsentialitèr in illo actu, quo peccatum deſtruitur in ratione offenſæ, & exhibetur Deo ſatiſfactio pro iniuria: ſed hoc fit per deteſtationē peccati doloroſam, ergo deteſtatio doloroſa eſt de eſsentia contritionis: maior patet; nam virtus pœnitentiæ hunc primarium finem intendit; ergo & contritio, qui eſt primarius actus pœnitentiæ: probatur minor; nam deteſtatio pura nullâ exhibet Deo ſatiſfactionem; deteſtatio etenim in humanis poteſt eſse alicuius mali cōmiſsi,

& ni-

Digitized by Google

& nihilominus ſi offendens non det aliquam ſatisfactionem offenſo, regulariter non remittitur; ergo etiam reſpectu Dei per ſolam deteſtationem nullam pœnitens exhibet Deo ſatisfactionem: ſatisfactio enim debet aliquid ab homine auferre, & illud tribuere Deo, puniendo in ſe ipſo offenſam illatam; hoc autem fit non per puram deteſtationem, ſed per deteſtationem doloroſam. Confirmatur ſi ſola deteſtatio peccati commiſſi eſſentialiter eſſet contritio; ergo cum beati ſummè deteſtentur peccata, quæ in vita commiſerunt, in illis eſſet eſſentialiter vera contritio: quod tamen dici nequit, vt fatentur etiam aduerſarij; ergo &c.

5 Dices. In beatis talem deteſtationem non eſſe contritionem, quia de eſſentia contritionis eſt, quod ſit deteſtatio, à qua poſſit pullulare dolor ex natura ſua tamquam proprietas: cuiuſmodi non eſt deteſtatio, quam habent beati, cum è tali deteſtatione non poſſit pullulare proprietas doloris. Sed contra hæc proprietas doloris, quæ debet pullulare à deteſtatione, vel eſt proprietas metaphyſica, vel phyſica: ſed licèt nulla intelligatur pullulare nõ per hoc tollitur, quin talis deteſtatio ſit vera contritio; ergo reſponſio allata nulla eſt: probatur minor: vbicumque ſaluatur eſſentia alicuius, etiam ſi per poſſibile, vel impoſſibile nõ intelligatur proprietas ſequens, verè intelligitur eſſentia illius rei; ſic ſi daretur animal rationale, etiamſi non intelligatur riſibilitas fluẽs intelligitur homo; ergo etiam, ſi eſſentia contritionis eſt deteſtatio peccati commiſſi, ſi datur deteſtatio peccati commiſſi, etiamſi non ſequatur dolor, quæ eſt proprietas, dabitur vera, & eſſentialis contritio. Confirmatur non minus eſt proprietas gratiæ ſanctificantis metaphyſica conſtituere ſubiectum, in quo eſt filium Dei adoptiuum, quam proprietas deteſtationis, quod ſequatur dolor; ſed gratia in Chriſto, qui eſt incapax filiationis adoptiuæ, licèt ip ſum non conſtituat filium adoptiuum, adhuc eſt vera gratia eiuſdem rationis cum noſtra; ergo, licèt in Beatis non poſſit ſequi dolor de peccatis, ſi ſolùm de eſſentia contritionis eſt deteſtatio peccatorum commiſſorum, & hæc in ipſis ſit, etiam erit vera contritio: ſi verò ſit ſermo de proprietate phyſica: etiam eſt proprietas phyſica gratiæ, quod in eo, in quo eſt, ſint fides, & pœnitentia; & tamen in Chriſto eſt vera gratia eiuſdem rationis cum noſtra ſine fide & pœnitentia; ergo etiam licèt dolor non poſſit fluere phyſicè in Beatis, cum habeant veram deteſtationem de peccatis, veram haberent contritionem.

6 Obijcies 1. Trid. ſeſſ 6. cap. 6. docet deteſtationem peccati, vt eſt offenſa Dei, eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad iuſtificationem; ergo contritio non eſt eſſentialiter dolor; & ſeſſ. 14. cap. 2. docet *eſſe deteſtationem cum pio animi dolore*; ergo dolor tantùm requiritur concomitantèr, & cauſalitèr, non verò eſt eſſentialitèr dolor.

Reſpondeo ad primum locum, ibi Trid, non loqui de contritione, ſed de diſpoſitione neceſſaria in adulto ad recipiendum baptiſmum, vt patet ipſum legenti. Ad ſecundum dico hinc probari noſtrã cõcluſionem, nam per ipſum non ſufficit ſola deteſtatio, ſed requiritur etiam dolor, quomodo autem requiratur, an cauſalitèr, vel eſſentialitèr clarè deducitur ex cap. 4. vbi in recto contritio dicitur dolor, & deteſtatio.

7 Obijcies 2. Dolor ex Auguſtino eſt de illis, quæ nobis nolentibus accidunt; ergo dolor de peccatis ſupponit nolitionem peccati: ſed nolitio peccati vt eſt offenſa Dei eſt contritio; ergo antequam intelligatur dolor, adeſt vera contritio ſufficiens ad iuſtificationem.

Reſpondeo conceſſo antecedente, cũ conſequentia, diſtinguendo ſubſumptum: quælibet nolitio peccati, vt eſt offenſa Dei, eſt contritio, nego ſubſumptum, vt patet in Beatis, in quibus eſt nolle, & deteſtatio peccati à ſe ipſis commiſſi, & tamen in illis non eſt contritio: nolitio doloroſa peccati, vt eſt offenſa Dei, eſt contritio, concedo ſubſumptum; ergo &c. negatur conſequentia. Et in hoc ſenſu eſt etiam intelligendus D. Tho. ſi aliquando videatur nullam facere mentionem de dolore, ſed loquens de contritione dicat, eſſe deteſtationem, vel diſplicentiam, vel huiuſmodi; eſt enim deteſtatio doloroſa.

8 Obijcies 3. Dolor eſt de malo præſenti: ſed contritio eſt de malo præterito; ergo non poteſt eſſe dolor.

Reſpondeo ſatis eſſe, quod dolor ſit de peccato præterito ſecundùm quod eſt præſens, vel per memoriam, vel affectum, vel diſpoſitionem ad peccandum, vel per maculam, & reatum, vt docet D. Tho. in 4. diſt. 14.

9 Obijcies 4. Actus primarius alicuius virtutis debet eſſe vnus ſimplex, ſicuti ipſa virtus ſimplex eſt: ſed contritio eſt actus primarius virtutis pœnitentiæ; ergo debet eſſe vnus ſimplex, non verò aggregatum ex deteſtatione, & dolore.

Reſpondeo negando maiorem; nam non eſt ſimplex qualitas, deinde poteſt virtus eſſe ſimplex qualitas, & tamen habere

habere virtutem ad producendas plures actus, qui eſſentialiter requirantur ad conſtituendam contritionem: ſic in propoſito nos dicimus contritionem non eſſe tantùm deteſtationem, ſed deteſtationem doloroſam; quidquid ſit, an ſint duo actus, vel vnus tantùm cum diuerſis reſpectibus; de quo non diſputo, cum parum ad rem faciat.

10 Obijcies 5. In eo conſiſtit eſſentialitèr contritio, quod per ſe primò opponitur peccato: ſed deteſtatio, ſeu odium peccati opponitur per ſe primo peccato, non dolor; ergo in deteſtatione, & odio conſiſtit contritio non in dolore eſſentialitèr. Confirmatur; quia contritio idem eſt, ac diuiſio cordis à re quam prius amabat: ſed per deteſtationem diuiditur cor a peccato, quod prius amabat; ergo in deteſtatione conſiſtit contritio.

Reſpondeo negando minorem; nam deteſtatio doloroſa eſt illa, quæ per ſe primò opponitur peccato, vt eſt offenſa Dei, & peccatum deſtruit, non deteſtatio, aut odium purum, vt patet in beatis, in quibus eſt deteſtatio, & odium peccati, & tamen in ipſis non eſt contritio. Ad confirmationem dico per deteſtationem doloroſam diuidi cor à peccato, & ideo deteſtationem doloroſam eſſe cotritionem; non verò hanc eſſe puram deteſtationem.

ARTICVLVS VIII.

An per contritionem omnia peccata remitti poſſint.

1 SVppono tamquam certum inter omnes theologos. Contritionem perfectam, quæ deteſtatur peccata, & dolet de illis, quatenus ſunt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, ſtatim infallibiliter ſecum afferre remiſſionem peccatorum omnium ante receptionem Sacramenti pœnitentiæ. Hęc veritas poteſt probari ex pluribus locis ſcripturæ, & Patrum, quæ ad longum adducuntur à Lugo diſp. 5. ſec. 8. Arriaga diſp. 12. ſec. 2. Gonet diſp. 3. art. 3. & alijs, ſed ſufficiat in re clara adducere Trid. quod ſeſſ. 14. cap. 4. habet. *Hanc autem contritionem, etſi aliquãdo charitate formatam eſſe contingat, hominemque actu iuſtificare priuſquam Sacramentum ſuſcipiatur*, vbi Conciliũ de cõtritione, quam diuidit in contritionē perfectam, ſeu charitate formatam, & attritionem, definit, quod ſi eſt perfecta, & charitate formata iuſtificat ante ſuſceptionem Sacramenti; quod non facit contritio imperfecta, & quæ attritio dicitur. Huic veritati non eſt contrarius Syluius cum ipſe, qui pro contraria adducitur in editione quarta facta Duaci anno 1645. clarè explicèt, ſe numquam locutum fuiſſe de contritione perfecta, & charitate formata, ſed de contritione vt ſic, quæ eſt genus ad contritionem perfectam, & imperfectam, & miratur, quod aliqui Doctores contra ipſum ſcripſerint; cum tamen ipſe de contritione perfecta, & charitate formata, quæſtionem non inſtituerit ſic ſe explicat Syluius in comment. qu. 5 ad ſupplementum D. Thom. Hac ergo veritate ſuppoſita.

2 Dubium aliud occurrit; an dentur aliqua peccata, quæ contritio, etiãſi ſuper illa cadat, deleri non valeat; qua in re plures fuere errores hæreticorum; quos refert Suarez diſp. 8. ſec. 1. etenim Cathari, & Cathaphrigæ ex Epiphanio hæreſi 59. dixerunt peccata hominis Chriſtiani poſt baptiſmum commiſſa non deleri. Alij dixerunt per pœnitentiam ſemel poſt baptiſmum deleri peccata, non ſæpius: huius erroris fuit Montanus ex Hieron. lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis, in quem incidit Tertullianus. Alij dixerunt aliqua peccata grauiſſima per pœnitentiam non deleri. Sic Nouatiani ex Nicephoro lib. 6. c. 3.

3 Concluſio. Veritas Catholica eſt, nullum eſſe peccatum, aut qualitate ideo graue, aut ſæpius ita repetitum, quod non deleatur eo ipſo, quod vera pœnitentia ſuper illud cadat. Probatur concluſio ex varijs locis ſcripturæ Ezechiel 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: & infra. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non, vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat* Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius*, & hæc veritas definita eſt in cap. firmiter de ſumma Trinitate, vbi habetur. *Et ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum per veram poteſt ſemper pænitentiam reparari*. Idem habetur ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. & 16. & ſeſſ. 14. can. 1.

4 Ratione deſumpta ex natura rerum non poteſt hæc concluſio efficaciter probari: nam potuiſſet Deus decernere nolle acceptare contritionem, & amorem Dei ſuper omnia pro ſatisfactione, cum non ſint condignæ ſatisfactiones; vt ex dictis in quæſtione 2. de Incarnatione conſtat; De facto tamen ex ſcripturis patet, Deum acceptare huiuſmodi diſpoſitiones pro cõcedenda venia, vt probant loca ſcripturæ adducta; vnde nullum eſt peccatum tam graue,

Digitized by Google

graue, aut multitudine repetitum, quod de facto non deleatur, ſi peccator de ipſo veram pęnitentiam agat.

5 Obijcies primò. Illud ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, rurſus renouari ad pænitentiam*; & cap. 10. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia &c.*

Reſpondeo cum Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophilacto in eumdem locum, & D. Thom. qu. 84. in 3. p. ar. 10 impoſſibile eſse baptizatos, rurſus renouari ad pęnitentiam, vt iterum baptizentur; eodem modo etiam à Doctoribus explicatur ſecundus locus adductus; neque Paulus potuit habere ſenſum in illis locis intentum ab hæreticis; nam ſcripſit ad eos, qui lapſi fuerunt, vt emendarentur, & ſciebat Petrum illuminatum cecidiſse, & poſtea ſurrexiſse.

6 Obijcies 2. Pſalm. 17. *Clamauerunt nec erat qui ſaluos faceret ad Dominum, nec exaudiuit eos* Prouerb. 1. *Tunc inuocabunt, & ego non exaudiam*, & plura alia poſsunt ſimilia loca adduci.

Reſpondeo in talibus locis, vel ſermonem eſse de pæna temporali, quam ſępè Deus etiam poſita pœnitentia non condonat. Sic Iere. 14. habetur. *Cum ieiunauerint non exaudiam preces eorum, quoniam gladio, peſte, & fame conſumam eos*, vel de peccatoribus non habentibus veram pęnitentiam cuiuſmodi fuit illa Antiochi 2. Machab. 9. & Eſau, de quo ad Hebræos 12. *Cupiens hæreditare benedictionem reprobatus eſt: non enim inuenit locum pænitentiæ, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam; quia bona non erat, cum haberet animum occidendi fratrem, dixerat enim, venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*. Sic reſpondet D. Thom. qu. 86. ar. 1. ad 1. Poteſt etiam dici, Eſau non potuiſse lacrymis ſuis obtinere, vt Pater ſuus pęniteret benedictionis datæ Iacob, cuius retractationem rugiens petebat Gen. 27.

7 Obiicies 3. Chriſtus Matth. 12. & Marci 3. dixit peccatum in Spiritum Sanctum non remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro & 1. Ioan. 5. dicitur. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis*; ergo dantur aliqua peccata per pęnitentiam irremiſſibilia.

Reſpondeo peccatum in Spiritum Sanctum dici irremiſſibile ſecundùm ſuam naturam in quantùm excludit inſpirationes, & gratias Spiritus Sancti, quibus peccata delentur; non verò quod abſolutè ſit irremiſſibile, & de facto multa remittuntur, & omnia eſſent remiſſibilia, ſi ſuper illa caderet vera pęnitentia. Ita reſpondet D. Thom. 2. 2. qu. 14. ar. 3. Ad locum Ioan. reſpondet D. Aug. lib. 1. retract. cap. 19. Ibi ſermonem eſſe de impœnitentia finali, quæ cum morte temporali coniũgitur, & infalibiliter habet adiunctam damnationem, & mortem æternam, pro quo non eſt orandum, quia extenditur extra ſtatum viæ, in quo nulla fit remiſſio. Alij explicant de peccato grauiſſimo in obſtinato, à quo, vt conuertatur, non cuiuslibet, ſed magnæ ſanctitatis viri requiritur oratio; Ceterum Auguſtinus loco citato docet de nemine, licèt grauiſſimo peccatore in hac vita eſſe deſperandum.

8 Obijcies 4. ex Lugo diſp. 8. ſec. 1. Si Deus habuiſſet decretum aliquod nõ remittendi peccata in hac ſerie rerum & illud ſuum decretum ita reuelaret alicui, vt illud teneretur credere ſub peccato; ſi talis non crederet peccaret: hoc autem peccatum non poſſet nec diuinitus remitti, quia ſi remitteretur, eſſet ea reuelatio falſa; & cum illud peccatum eſſentialiter ſupponat illam reuelationem, eſſentialiter etiam eſſet irremiſſibile.

Reſpondeo primò noſtram concluſionem eſſe de facto; Deus autem de facto ſtatuit, vt ſi quis, licèt magnus peccator, de peccato ſuo veram pęnitentiam agat, ei remittatur; vnde argumentum à poſſibili non eſt contra nos vllo modo.

9 Dico ſecundò, & nego illud peccatum eſſentialiter ſupponere illam reuelationem: poſſet enim eſſe idem numero peccatum, etiamſi reuelatio non ſit vera, ſed tantùm putata ſicut idem numero peccatum eſt, ſi quis comedat carnes die iouis putans eſſe diẽ veneris, ac ſi comederet die veneris; ita idẽ peccatũ eſt, ſi quis crederet eſſe verã reuelationem, quæ præciperet nõ eſſe faciẽdum aliquid, & tamen illud faceret, cum tamen re vera non ſit reuelatio, niſi putata, ac ſi vera eſſet reuelatio: ſi igitur tale peccatum eſſentialiter non pẽdet ab hac numero reuelatione vera, ſed à vera, vel putata, ſequitur, quod ex ſe non ſit abſolutè, & eſſentialiter irremiſſibile, ſed quod poſſit remitti: & de hoc caſu ſolùm diuinitus poſſibili, & quæ nihil ad mores ſpectat ſatis dictum ſit;

19 Tractatur communiter hic alia difficultas, an Deus magnis peccatoribus deneget auxilia ad hoc, vt agere poſſint pœnitentiam, ſed hanc explicauimus in tractatu de gratia, de ſufficienti agentes; Vide quæ ibi dicta ſunt.

ARTICVLVS IX.

An per pœnitentiam poſſit remitti vnum peccatum mortale ſine alio.

1 HÆc quæſtio poteſt tractari de facto, & de poſſibili: ſi de facto loquamur, omnes Scholaſtici conueniunt non poſſe remitti vnum peccatum ſine alio; ſi de poſſibili verò ſit ſermo.

2 Prima ſententia affirmat poſſe vnum peccatum de potentia abſoluta remitti ſine alio. Ita Medina qu. 12 de Pœnitentia, Adrianus in 4. qu. 4. de Pœnitentia, Suarez diſp. 10. ſec. 1. Coninchus diſp. 2. dub. 11. Scotus in 4. diſt. 14. q. 1. & videtur deduci in ſententia illorum, qui docent poſse à Deo remitti peccatum pet ſolam condonationem extrinſecam.

Secundo ſententia negat poſse vnum peccatum remitti ſine alio etiam diuinitus. Sic D. Thom. hic qu. 86. art. 3. Thomiſtæ communiter, vt teſtatur Gonet diſp. 3. ar. 2. Sotus in 4. diſp. 15. qu. 1. ar. 3. Vaſquez 1. 2. diſp. 207. cap. 5. Valentia qu. 4. p. 3. Beccanus cap. 31. qu. 6. Auerſa qu. 3. ſec. 9. & plures alij.

3 Concluſiò prima. De facto non remittitur vnum peccatum mortale, niſi ſimul omnia alia remittantur, nec de lege ordinaria poteſt remitti vnum ſine alio. Eſt ita certa, vt cenſeatur de fide. Hæc concluſio colligitur ex Trid. pluribus in locis, ſed præcipuè in ſeſs. 5. 6. & 14. vbi docet noſtram iuſtificationem fieri per infuſionem gratiæ inhærentis, & donorum, quilibet autem gradus gratiæ ſanctificantis pugnat cum quolibet peccato mortali, ſiue originali, ſiue habituali. Idem habetur in cap. *Maiores de Baptiſmo*.

4 Probatur ratione. Peccata remittuntur de facto per iuſtitiam, & gratiam inhærentem præcedente contritione, vt diſpoſitione, vel attritione cum Sacramento; ſed gratia repugnat cum quocumque peccato mortali, & contritio, & attritio verè auertunt peccatorem ab affectu cuiuſlibet peccati mortalis, & conuertunt ad Deum: nam, vt ſupra vidimus, debent iſti actus eſse ex motiuo vniuerſali, & ſaltem virtualiter debent retractare omnia peccata; ergo numquam remittitur, aut poteſt remitti de potentia ordinaria vnum mortale ſine alio.

5 Concluſio 2. Nec etiam de potentia abſoluta poteſt remitti vnum peccatum mortale ſine alio. Probatur, quia, vt remittatur vnum peccatum mortale verè, & poſitiuè, debet infundi gratia: ſed gratia ſanctificans eſt incompoſſibilis etiam per abſolulam Dei potentiam cum quolibet peccato mortali, ſiue actuali ſiue habituali, vt probatum fuit in tractatu de gratia: ergo neque per abſolutam potentiam poteſt remitti vnum peccatum ſine alio; & hoc verum eſt, etiamſi remiſſio fieret non per gratiam ſanctificantem, ſed per vnionem hypoſtaticam, vel per claram Dei viſionem; nam hæc omnia ſunt incompoſſibilia cum peccato.

6 Dixi in probatione verè, & poſitiuè; nam non nego, quod peccator per actum contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia poſſit retractare peccata abſque eo, quod Deus infundat gratiam; verùm tale peccatum non erit poſitiuè remiſsum, ſemper enim remaneret priuatio gratiæ, & ſolùm diſpoſitiuè erit remiſsum, non formaliter, vt fuſius hoc explicuimus de gratia.

7 Obijcies primò. Poteſt Deus per abſolutam potentiam ſtatuere, vt iuſtificatio ſit per actum, vel contritionis, vel attritionis; ergo poſito tali actu poterit quis verè eſse iuſtus; ergo poterit etiam facere, vt ſit iuſtus reſpectu vnius peccati non alterius.

Reſpondeo data ſuppoſitione, negando vltimam conſequentiam: nam ſi tales actus eſsent formæ ſanctificates deberent ſanctificare eo modo, quo ſunt & quia modo, quia ſunt tantùm diſpoſitiones, diſponunt retractando omnia peccata, debent enim eſse ex motiuo vniuerſali, & debent cadere ſuper omnia peccata ſaltem vniuerſaliter; ita data illa ſuppoſitione deberent nos ſanctificare expellendo omnia peccata formaliter, ſicuti de facto hoc nunc conuenit gratiæ, & vnioni hypoſtaticæ, nec alia ratione poſsent nos iuſtificare; ceterum eſsemus iuſti, & diligeremus à Deo, & eſsemus iniuſti, & odio Deus nos haberet, quod apertè implicat.

8 Obijcies 2. De facto remittitur pœna æterna, & non temporalis; ergo etiam poterit remitti culpa peccati mortalis minus grauis, & non grauioris.

Reſpondeo negando conſequentiam: nam pœna pendet tantùm à voluntate Dei, qui vult illam infligere: at culpa quælibet mortalis repugnat cum amicitia, & iuſtitia in eodem ſubiecto. Ideo &c.

9 Obijcies 3. ex Lugo diſp. 8. ſec. 2. num. 74. licèt gratia ſit ſanctitas formalis, & non poſſit ſtare cum reatu culpæ mortalis, ſtat tamen de facto cum reatu culpæ venialis; ergo ſicuti de facto reatus pœnæ peccati mortalis, qui non poteſt

Digitized by Google

teſt ſtare cum gratia, mutatur in reatum pęnæ temporalis, cum quo ſtat gratia, ſic reatus culpæ mortalis poteſt mutari in reatum culpæ leuioris, cum quo ſtat gratia: patet conſequentia, quia reatus culpæ eſt debitum auerſionis diuinæ ob peccatum præteritum, quod debitum perſeuerat, quamdiu non remittitur à Deo; ſicut reatus pęnæ eſt debitum pœnæ ſoluendæ; ergo ſicuti Deus poteſt remittere pęnam æternam retinendo ius ad pœnam temporalem: ita etiam poteſt retinere ius ad aliquam auerſionem leuem, remittendo illud, quod habet ad auerſionem grauem.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; ad probationem; iterum concedo antecedens, & nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia pęna temporalis, & æterna ſolum differunt pęnas magis, & minus intra eamdem ſpeciem, & ideo poteſt Deus remittere ius, quod habet ad tantam pęnam, & ſolùm retinere ius ad minorem; at reatus culpæ eſt debitum auerſionis diuinę, ſeu odii diuini ad peccatum; & cum actus odij, quo Deus odit peccatum mortale ſit eſſentialiter, & ſpecie diuerſus ab odio, quo odit leue, non poteſt hunc actum remittere, niſi eſſentialiter totus tollatur: actus enim intellectus, & voluntatis eſſentialiter ſunt diuerſi ſecundùm obiectorum diuerſitatem; cum igitur mortale differat pluſquam ſpecie à veniali, non poteſt Deus eiuſdem ſpeciei odio odiſſe mortale, & veniale, aut facere, quod odium, quo oderat mortale grauiter, nunc reſpiciat idem leuiter: eſt alia diſparitas ex parte gratiæ, quia cum ius, quod Deus habet ad auerſionem grauem, in quo conſiſtit reatus culpę, remittatur à Deo, non per extrinſecam condonationem, ſed per infuſionem gratiæ; hæc repugnat cum quolibet peccato mortali, & eo ipſo, quod ponitur in ſubiecto, quodlibet mortale tolli debet; quod non contingit de pęna, quæ, vt tanta, vel tanta infligatur, dependet à pura voluntate Dei; & per hanc ſecundam diſparitatem clarè ſoluuntur omnia, quæ ad longum coacervat Lugus.

ARTICVLVS X.

An dum remittitur pecatum mortale ſemper etiam debeat remitti pæna æterna.

1 VGo de S. Victore lib. 2 de Sacramentis, & Richardus de S. Victore lib. 1. de poteſtate legandi dixerunt per contritionem ante abſolutionem Sacramentalem remitti quidem culpam, ſed non pęnam æternam, quibus aliquo modo videtur conſentire Medina qu. 38. de confeſſione §. *cum ergo* quatenus inquit, hominem ante abſolutionem remanere quodammodo exulem à regno ſicut Patres lymbi.

Magiſt. in 4. diſt. 14. qu. 2. ar. 2. Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 13. Suarez diſp. 10. ſec. 2. & diſp. 13. ſec. 2. Coninchus diſp. 2. dub. 13. Lugo diſp. 8. ſec. 2. ſuſtinent de facto remitti ſemper pęnam æternam in temporalem; de poſſibili tamen, poſse adhuc remanere pęnam æternam. Amicus verò diſp. 5. ſec. 5. docet non repugnare, quod poſſit remitti peccatum remanente pęna æterna ſenſus, non verò damni.

Communis tamen ſententia docet nec de potentia abſoluta poſſe remitti peccatum mortale, niſi remittatur pęna æterna, hanc docent Scotus in 4. diſt. 14 qu. 1. & 2 & alibi Baſſol. qu. 1. ar. 5. Gabriel qu. 1. ar. 1. Vaſquez 1. 2. diſp. 204. cap. 4. Auerſa. qu. 3. ſec. 1. & plures alij.

2 Concluſio 1. Pęnitenti, dum culpa remittitur mortalis, remittitur etiam pęna æterna. Probatur ex Trid. pluribus in locis, ſed præcipuè ſeſſ. 6. cap. 14. vbi apertè definitur pęnam æternam per iuſtificationem remitti, remanere tamen temporalem, & ſeſſ. 14. cap. 8. & can. 12. Idem colligitur ex pluribus alijs locis ſcripturę.

3 Ratio eſt; quia remiſſio peccati fit per infuſionem gratiæ ſanctificantis, qua homo conſtituitur filius Dei adoptiuus, & hæres gloriæ: ſed non poteſt aliquis eſſe hæres gloriæ, & dignus pęna æterna; ergo ſemper de facto dum culpa remittitur, etiam pęna æterna relaxatur.

4 Cur verò, dum culpa remittitur, non remittatur etiam tota pęna temporalis, rationem reddit Trid. loco cit. ſeſſ. 14. cap. 8. tum quia huiuſmodi pęnæ reuocant à peccato homines, cautioresque reddunt in futurum: tum quia per actus bonos, quibus pro temporali pęna ſatisfacimus, auferuntur reliquiæ peccatorum, & vitioſi habitus, quos per peccata contraximus.

5 Concluſio 2. Nec etiam de potentia abſoluta poſſunt remitti peccata mortalia, ita vt quis recipiatur in gratiam, & adhuc debeat pati pęnam æternam, ſiue damni, ſiue ſenſus. Probatur concluſio: implicat, quod aliquis habeat ius ad gloriam, & ſit hæres gloriæ, & ſimul ſit dignus, vt ſit priuatus gloria, & deſtinatus ad pænas æternas; nam ſic haberet ius, & non haberet ius ad gloriam, eſſet deſtinatus ad gloriam,

& non diſtinatus; ſed per gratiam homo habet ius ad gloriam, & eſt hæres gloriæ; ergo non poteſt eſſe deſtinatus ad pœnas æternas.

6 Dices ex Amico, rationem factam probare quidem Deum non poſſe conſtituere aliquem iuſtum cum iure ad gloriam, & illum priuare in æternum gloria, at non implicare, quod aliquis etiam iuſtus, & videns Deum deſtinetur ad pœnam æternam ſenſus ob peccatum præteritum; quia obligatiò ad pœnam etiam æternam ſtare poteſt ſine peccato, vt in Chriſto, qui fuit obligatus ad pœnam mortis, etiamſi in ipſo non eſſet peccatum: neque in hoc vlla eſt implicantia, quia peccatum conſtituitur per reſpectum difformitatis ad rectam rationem, & per auerſionem à Deo, vt fine ſupernaturali, debitum ad pœnam per reſpectum ad publicam iuſtitiam, cui per talem pœnam ſatisfit. Sed contra ius ad gloriam eſt ius ad habendum ſummum bonum, cum carentia cuiuſcumque mali: ſed gratia conſtituit hominem habentem ius ad gloriam; ergo habuit ius ad habendum ſummum bonum cum carentia cuiuſcumque mali; ergo non poterit ei eſſe debita pœna æterna ſenſus; nam hæc malum grauiſſimum eſt; nec eadem eſt ratio de pæna temporali; nam hæc non contrariatur iuri, quod quis habet ad gloriam; imò hoc ius in actu ſecundo non eſt in iuſto, niſi poſt ſolutam omnem pænam temporalem: at eo ipſo, quod quis in actu ſecundo habet ius ad gloriam poſſidendam, habet etiam ius, vt careat omni malo; ſi ergo concedit Amicus, implicare, quod quis ſit iuſtus, & puniatur pæna damni in æternum, debet etiam fateri implicare, quod puniatur in æternum pæna ſenſus; talis enim eſſet beatus, & non eſſet, eſſet, vt ſupponitur, quia poſſideret gloriam, & ſummum bonum, non eſſet; quia illud, quod poſſideret non eſſet ſummum bonum, quia non eſſet cum carentia omnis mali: nec exemplum de Chriſto eſt ad rem; nam ille erat ſimul comprehenſor, & viator, vnde ſicuti viator ad tempus poterat pati, ex eo quod ſe obligauerit ſatisfacere Deo pro peccatis hominum: at iuſtus eo ipſo, quod eſt extra ſtatum viæ, & poſſidet gloriam, illam debet habere tamquam ſummum bonum, cum carentia omnis mali, ſecus gloria non eſſet.

Attenta ſola omnipotentia poteſt, ſi actus deſtinari ad pænas æternas.

7 Non negauerim tamẽ, quin Deus attenta ſua ſola omnipotentia, & non iuſtitia, aliquem eximiè etiam ſanctum poſſit deſtinare ad pænas æternas, verum tales cruciatus non erunt per modum pænæ, nec eſſent ſicuti modò ſunt in damnatis, ſcilicet cum peruerſa voluntate, obſtinatione in malo, inimicitia cum Deo, & verme conſcientiæ; his enim omnibus carere debet voluntas illa hominis iuſti, ſi eſſet deſtinatus ad illa tormenta.

8 Obijcies primò. Poteſt remitti pæna, abſque eo, quod relaxetur culpa; ergo etiam è contrario poterit remitti culpa non pæna. Confirmatur, quia non repugnat Deum velle, quod homo iuſtificatus puniatur in æternum, ſicuti de facto nunc punitur ad tempus: ſed hoc eſt remittere culpam, non pænam æternam; ergo &c.

Reſpondeo, quod poteſt quidem relaxari pæna ſine culpa; at Deus non poteſt facere, quod talis non ſit dignus pæna; eo ipſo autem, quod eſt remiſſa culpa per gratiam, iam ille homo conſtituitur amicus Dei, filius ipſius adoptiuus, & habens ius ad hæreditatem gloriæ, vnde non poteſt eſſe deſtinatus ad pænas æternas, vt dictum fuit in concluſione. Ad confirmationem: nego, quod ſicuti poteſt punire ad tempus, poſſit etiam in æternum; & diſparitas eſt, quia, quod velit punire ad tempus, non facit, quod adhuc non habeat ius ad gloriam, ſed ſolùm, quod debeat ſeruari iuſtitia; at deſtinatio ad pænas in æternum inuoluit contradictionem, nam ſupponeretur ius ad gloriam, & non ſupponeretur; nam hoc ius numquam poſſet reduci ad actum ſecundum, dato quod eſſet deſtinatus ad pænas æternas.

9 Obijcies ſecundò. Poteſt Deus remittere peccatum alicui, abſq; eo, quod infundat gratiam; ergo tunc poterit iſtũ deſtinare ad pænas æternas. Conſequentia patet; quia pæna non ſupponit peccatum permanens, ſed ſufficit, quod aliquando fuerit.

Reſpondeo primò, dato hoc caſu, nihil ſequi contra noſtrã concluſionem; nam quæſtio noſtra eſt, an remiſſio peccati, ita vt quis recipiatur in gratia, poſſit ſtare cum pæna æterna; & hoc nos negamus. Dico 2. quod per ſolam extrinſecam condonationem non poteſt remitti peccatum, vt dictum fuit in tractatu de gratia. Si autem Deus per aliquem actum, vel habitum vellet remittere peccatum, & ſanctificare hominem, talis actus, vel habitus deberet præſtare id, quod nunc præſtat gratia. Ideò &c.

10 Quæres primò. Quomodo fiat hæc mutatio pænæ æternæ in temporalem?

Reſpondeo, ideò mutari pænam æternam in temporalem, quia Deus poſtquam liberaliter remiſit pænam

æter-

Digitized by Google

æternam, decernit aliam temporalem, quam pænitens debet pati. Eſt Durandi in 4.diſt.17.quæſt.3. Medinæ tract.1.de pænitentia quæſt. 7. & tract. 3. quæſt. 1. Suarez diſp. 10. ſect. 3. Arriagæ diſp. 19. ſect. 2. Contra Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 4. quæſt. 4. & Sotum in 4. diſt. 15. q. 1. art. 4. qui dicunt duas pænas eſſe taxatas pro quolibet peccato mortali, vnam æternam correſpondentem auerſioni à Deo, alteram temporalem correſpondentem conuerſioni ad creaturas, illamque eſſe pænam damni, hanc ſenſus, quæ ex ſe finita eſt, ſed per accidens fit æterna per coniunctionem ad auerſionem; dicuntq; Deum remittere pænam æternam, dum quis iuſtificatur, & remanere temporalem. Verum hæc ſententia impugnatur; quia pæna æterna per hos auctores eſt pæna damni: ſed hanc debent pati omnes iuſti in purgatorio: ergo falſum eſt, quod omnis pæna damni remittatur, & remaneat pæna ſenſus: tum quia Trident. ſeſſ. 14. cap. 8 docet, ideò à Deo vniuerſam pænam non condonari pænitentibus, *Quia templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidauerint*: ſed violatio templi Dei, & contriſtatio Spiritus Sancti fuit non per conuerſionem tantùm, ſed per auerſionem à Deo; ergo non tantùm pro conuerſione, ſed etiam pro auerſione datur à Deo pæna temporalis à iuſtis exoluenda poſt remiſſionem peccati mortalis; & pluribus refutatur hæc opinio à Suarez, & Arriaga loc. citatis.

11 Remanet igitur dicẽdum, quod mutatur à Deo pæna æterna in aliam temporalem, dum quis iuſtificatur; nam licèt adhuc exoluenda ſit pæna, tum damni, tum ſenſus; nihilominus in modo habendi illam eſt magna diuerſitas; etenim æterna habet deſperationem cõiunctam, odium Dei, & obſtinationem in malo, pœna autem temporalis habet coniunctam conformitatem cum Deo, & ſpem certam, quæ certò ingens gaudium cauſat in anima; quæ omnia indicant pœnas æternas, & temporales eſſe diuerſas, ideoq; Deum pœnam æternam in aliam temporalem mutaſſe.

12 Contra hãc veritatem ſtant Lutherus, Caluinus, & alij hæretici, qui contendunt per pœnitentiam totam pœnam remitti, vnde conſequenter negant Purgatorium, ſuffragia, & indulgentias; & hæreticorum obiectiones fundantur in infinita ſatisfactione Chriſti; verùm facile ſoluuntur, vt viſum fuit in tractatu de Incarnatione; nam Chriſtus ſatiſfecit pro omnibus ſuperabundanter, quo ad ſufficientiam; at talia merita debent nobis applicari efficaciter per Sacramẽta, & bona opera.

Hæreticorũ errores.

13 Dices tamen: Si per primam contritionem tollitur omnis pœna æterna; ergo per ſecundam debet tolli omnis temporalis; quia minor eſt temporalis, quam æterna; imò per eumdem actum intenſum poterit tolli tota pœna temporalis, quia, ſi per actum contritionis, vt vnum, tollitur pœna æterna; per eumdem, vt duo, deberet tolli tota pœna temporalis. Sed contra reſpondeo, quod actus, tum primus, tum ſecundus contritionis poteſt eſſe ita intenſus, vt omnem tollat pœnam; & ita factum cum Magdalena Patres concedunt, & de aliquibus eximiè contritis varia exempla leguntur: at nõ ſemper per actum ſecundũ contritionis, aut per actum vt duo omnis pœna temporalis tollitur; nam licèt actus, vt vnum, tollat omnem pænam æternam; ideò eſt, quia æterna tollitur gratis, eo quod pœnitens recipiatur in amicitiam Dei, quæ non poteſt ſtare cum debito æternæ pęnę, vt ſupra viſum eſt; nec pro tali iuſtus poteſt ſatisfacere: at pro temporali iuſtus poteſt, & debet ſatisfacere ſecundùm iuſtitiam: ideò &c.

Cur ſecundus actus cõtritionis non tollat omnẽ pænam temporalem.

14 Quæres 2. Quanta ſit pæna temporalis, quæ remanet ſoluenda pro ſingulis peccatis?

Reſpondeo, nobis non innoteſcere; pendet enim ex iudicio iuſto Dei, qui determinauit talem pænam talibus peccatis, & maiorem grauioribus: quanta autem pro vnoquoque ſit, nobis manifeſtum non eſt, ſolùm certum hanc admuſſim debere à pænitentibus ſolui.

ARTICVLVS XI.

An contritio ſit in præcepto, & quomodo obliget.

1 Circa primam tituli partẽ; neceſſariam eſſe pænitẽtiam ad iuſtificationem ex hucuſq; dictis patet; quod ergo hic inquirimus eſt, an talis ſit obligatio faciendi pænitentiam, vt ſi aliquis eam voluntariè negligat, nouum committat peccatum; & non loquimur hic tantùm de contritione perfecta, & formata gratia, ſed etiam de attritione cum Sacramento Pænitentiæ; nam hæc etiam, vt infra videbimus, ſimul cum Sacramento cauſat effectum contritionis, ſcilicet gratiam.

2 Victoria apud Canum relectione de pænitentia par. 4. ſuſtinet non dari vllum præceptum peculiare pænitentiæ, ſeu contritionis.

Communis tamen ſententia eſt, dari om-

ri omnino præceptum pænitentiæ, vt abſtrahentis à contritione, & attritione coniuncta Sacramento Pęnitentiæ. Ita D. Thom. hic q. 84. ar. 7. ad 1. & pluribus aliis in locis, Bonauentura, Richardus, Durandus, Sotus, Canus, Vega, & plures alii, quos citat, & ſequitur Suarez diſp. 15. ſect. 1. Gonet diſp. 7. ar. 5. Vaſquez qu. 86. ar. 2. dub. 2. Tannerus diſp. 6. quæſt. 6. dub. 3. Lugus diſp. 7. ſect. 12. Amicus diſpu. 9. Arriaga diſp. 16. ſect. 1. & alii communiter.

3 Concluſio noſtra eſt cum hac cõmuni ſententia. Poteſt primò probari ex pluribus ſcripturæ locis, ſed præcipuè ex illo Lucæ 17. *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peritis*; qui locus licèt conetur Arriaga oſtendere, quod non probet intentum: ſicut nec alia, quæ communiter adducuntur, eo quod talem locum intelligat, quod omnes ſimul peribunt propter peccata præterita, non propter nouum peccatum impænitentię, quod committatur non agendo pænitentiam; nihilominus ex tali loco verum deduci præceptum, ſic oſtenditur. Si quis ſit in periculo moriendi, & poſſit ſe liberare, & nolit, peccat contra præceptum non procurandi ſalutem corporis: ſed magis incomparabiliter tenetur quis procurare propriam ſalutem, vt non incurrat æternam damnationem; ergo ſi quis non procurat propriam ſalutem, & non vitat æternam damnationem, cum poſſit hoc per cõtritionem, vel attritionem in Sacramento Pęnitentiæ, peccat contra præceptum de procuranda propria ſalute. Confirmatur ex præcepto charitatis omnes tenemur ad fraternam correptionem, & ad procurandum ſalutem proximi: ſed ex lege charitatis magis tenemur ad procurandam noſtram ſalutem, quam illam proximi; ergo ſi ad procurãdam ſalutem proximi tenemur ex præcepto, multò magis ad procurandam ſalutem noſtram per pænitentiam tenebimur ex præcepto.

4 Quare ex triplici capite docet D. Thom hic quæſt. 85. ar. 5. ad ſecundum tenemur agere pænitentiam. Primò ex lege iuſtitiæ, quæ dictat, vt ſeruemus ius illæſum, & ſatisfaciamus quantùm poſſumus Deo pro iniuria illata: Secundò ex lege charitatis erga Deum, qua tenemur Deum amare ſuper omnia, & deteſtari quicquid eius Diuinæ Maieſtati diſplicet: Tertiò, quia vnuſquiſq; tenetur adhibere media ad conſequendum vltimum finem, ad quem eſt ordinatus: ſed pro obtinenda æterna beatitudine, qui eſt finis, ad quem Deus homines ordinauit, in eo, qui peccatum aliquod graue commiſit, medium neceſſarium ſeſt pænitentia per contritionem, vel attritionem cum Sacramento; ergo, qui in peccatum lapſus eſt, ad pænitentiam ex præcepto tenetur.

5 Ex his rationibus adductis deducitur cum S. Thom. hic quæſt. 84. ar. 7. ad 1. hoc præceptum contritionis, ſiue attritionis cum Sacramento non ſolùm eſſe poſitiuum à ſola Dei voluntate poſitum, ſed etiam naturale; nam ratio naturalis dictat magis eſſe curandam ſalutem animæ, quam corporis, magis propriam, quam illam proximi, & inſuper, quod debeam curare media, quæ ad finem vltimum conſequendum ſunt neceſſaria, ſeruareq; illæſum ius, & Deo ſatisfacere, ſi per peccatum offenſus fuit.

Pænitentiæ præceptum eſt etiam naturale.

6 Obijcies primò. Pręcepto peculiari opponitur ſpeciale peccatum: ſed impænitentia, ex D. Thom. 2. 2. q. 14. art. 1. ad 3. & art. 2. non eſt ſpeciale peccatum, ſed tantùm circumſtãtia cuiuslibet peccati, in quo peccator perſeuerat; ergo non datur ſpeciale præceptum de pœnitentia.

Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem cum eodem S. Thom. in 2. diſt. 43. ar. 3. ad tertium: etenim impænitentia dupliciter poteſt conſiderari, primò, vt dicit nudam permanentiam in peccato vſque ad mortem, ſine aduertentia illius, qui debet pænitere, & dici poteſt permanentia materialis: Secundò formaliter, quando peccator aduertit, & expreſsè, vel implicitè, & virtualiter non vult pænitere: primo modo eſt tantùm circumſtantia, ſicuti permanentia in bono opere eſt circumſtantia boni operis: ſecundò modo eſt ſpeciale peccatum in Spiritum Sanctum.

Impænitẽtia quando ſit ſpeciale peccatum.

7 Obijcies ſecundò. Nullum eſt ſingulare præceptum conſeruandi gratiam, alioquin numquam contingeret ſimplex peccatum, ſed eſſent ſaltem duo peccata, vnum contra particulare præceptum, puta non occidendi, alterum de conſeruanda gratia; ergo è contrario nullum datur ſpeciale præceptum recuperandi gratiam amiſſam mediante pænitentia; alioquin nullus damnaretur propter vnum peccatum, ſed omnes ſaltem propter duo.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam ad conſeruandam gratiam ſufficit obſeruantia aliorum præceptorum, non ſic ad recuperandam, ſed ad hanc requiritur ſpecialis pænitentia, quã ſi quis negligat in articulo mortis, damnabitur non ſolùm ab alia peccata, in quibus inuenietur, ſed etiam ob impænitentiam. Dico 2. etiam adeſſe ſpeciale præceptum illam non amittendi, nempe quando eſt periculum non reparandi

am;

Digitized by Google

ampliùs illam, vel ob mortem imminentem, vel ob amiſſionem vſus rationis.

8 Obijcies 3. Si datur ſpeciale præceptum pœnitentiæ, vel hoc eſt naturale, vel poſitiuum; non naturale, quia non datur in præceptis decalogi; non poſitiuum, quia non inuenitur; quando ſit poſitum; ergo non datur.

Reſpondeo hoc præceptum eſſe poſitiuum, & eſſe tale colligitur ex ſcripturis, & rationibus adductis in concluſione; nempe ex lege iuſtitiæ, & charitatis erga Deum, & erga ſe ipſum; & eſſe etiam naturale propter eaſdem rationes, & reducitur ad primum præceptum decalogi de diligendo Deum ſuper omnia.

Præceptū pœnitētiæ reducitur ad primū decalogi.

9 Quoad ſecundam tituli partem: Idem eſt quærere quomodo pœnitentia obliget, ac quærere, an pœnitentia debeat eſſe continua; Duobus autem modis intelligi poteſt pœnitentiam debere eſſe perpetuam, ſeu continuam: primò negatiuè: ſecundò poſitiuè: primo modo pęnitentia dicitur perpetua, quatenus numquam retractatur, nec quis habet diſplicentiam, quod pęnitentiam egerit; talis enim actus perpetuus dicitur non quidem poſitiuè, ſed negatiuè, & ſecundùm moralem exiſtimationem: ſecundo modo pœnitentia dicitur moralitèr perpetua, quando illa talis eſt, vt quoties homo de peccatis recogitat, toties etiam de illis conteratur.

Quæſtionis ſenſus.

10 Concluſio 2. Pœnitentia de peccatis debet eſſe perpetua negatiuè, non poſitiuè. Prima pars eſt communis, & probatur; nam pęnitentia ſemel habita de peccatis commiſſis numquam debet diſplicere, aut retractari; talis enim diſplicentia, & retractatio intrinſecè mala eſt, & virtuti pænitentiæ, & præcepto ipſius ſpecialiter repugnans; eo quod ſit quidam quaſi contemptus pænitentiæ, & complacentia in peccatis commiſſis; ergo negatiuè debet pęnitentia eſſe perpetua.

11 Secunda pars eſt contra Alenſem 4. p. quæſt. 17. mem. 2. art. 2. §. 2. Bonauent. in 4. diſtin. 16. art. 3. qu. 2. Paludanum diſt. 17. quæſt. 1. art. 3. Marſilium, Angelum, Syluestrum, & alios quos citant Suarez diſput. 15. ſect. 4. & Amicus diſp. 9. num. 34. Eſt tamen D. Tho. hic qu. 84. art. 8. & 9. Caiet. ibidem, & to. 1. opuſc. tract. 17. qu. 1. Medinæ C. de pænitentia qu. 6. dub. 2. Soti, Nauarri Suarez loco cit. & communis. Probatur: ſi homo tenetur toties actualiter conteri de peccato, quoties de illis actualitèr cogitat, talis obligatio oriretur ex aliquo præcepto; vel ergo ex aliquo præcepto poſitiuo, vel naturali: non poſitiuo; nam hoc vel eſset humanum, vel diuinum: non ex humano; quia cum contritio, & attritio ſint actus purè interiores non poſsunt cadere ſub præcepto humano: neque ex diuino, quia nullibi ſcriptum habetur, nec vlla traditione receptum. Neque etiam hæc obligatio oritur ex præcepto naturali; nam, poſtquam ſemel quis egit pænitentiam veram, peccatum remittitur, & in gratiam homo recipitur, vnde præceptum confeſſionis ſemel tantùm obligat; ergo & præceptum pænitentiæ.

12 Dices forſan hoc præceptum dari ad vitandam complacentiam peccati recogitati. Sed contra poteſt vitare hanc complacentiam diuertēdo ad alia obiecta honeſta: tum quia poteſt homo eſse firmus in propoſito non peccandi; vnde nullum erit periculum conſenſus. Non negauerim tamen eſse regularitèr vtile peccata deteſtari, quoties memoriæ occurrunt, vel habere diſplicentiam de illis, & hoc præſertim ad vitandum periculum, quod oriri poteſt noui conſenſus, & præſertim hoc eſt verum, ſi quis cognoſcat inclinationem ſuam propenſam ad aliquod peccatum; quo caſu per accidens aliquando poteſt eſse neceſsaria contritio, ne quis in peccatum labatur; at hoc eſt verum, non ſolùm dum quis cogitat peccatum præteritum, ſed etiam futurum, licèt aduertant Doctores maius eſse periculum de præterito propter experimentum delectationis habitæ; & in hoc ſenſu per accidens eſt, quod contritionis præceptum obliget, cum quis poſſit varijs alijs modis hoc periculum vitare.

Vtile eſt peccata deteſtari cum memoriæ occurrunt.

ARTICVLVS XII.

An hoc præceptum obliget ſtatim.

1 PArtem affirmatiuam ſuſtinēt Pariſienſis, Argentina Paludanus, Maior, Alenſis, & alij, apud Suarez diſput. cit. ſect. 5. Lugo citat etiam Marſilium, & Syluestrum, quam opinionem ſpeculatiuè eſse probabilem ſentit Arriaga loco cit. ſect. 2. Negatiua eſt nunc communis inter Theologos, quam docent D. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3 art. 1. Durand. qu. 10. num. 5. Angelus verbo contritio, Medina Cod. de pęnitentia tract. 1. qu. 6. Adrianus, Soto, Cano, & alij apud Suarez diſp. 15. ſect. 5. quos ſequitur, eamdem ſuſtinent. Gonet diſp. 7. art. 5. §. 3. Vaſquez q. 86. art. 2. dub. 5. Lugo diſp. 7. ſect. 11. Amicus diſp. 9. num. 15. Arriaga diſput. 28. ſect. 2. ſubſec. 1.

2 Concluſio 1. Præceptum contritionis

Digitized by Google

tionis nō obligat ſtatim, ac commiſſum eſt peccatum. Probatur ex perpetuo vſu Eccleſiæ, & fidelium; nam neque iſti ſe accuſant de tali dilatione, nec vllus Confeſſarius de hoc interrogat tamquā de peccato, niſi pænitens prætermiſerit annuam confeſſionem; neque hoc poteſt procedere ex minus perfecta instructione pænitentium, & Confeſſariorum; nam hoc eſſet malè ſentire de tota Eccleſia, quæ totum hoc cognoſcit, nec corrigit. Tùm quia ſequeretur numquam eſſe licitum accedere ad confeſſionem cum ſola attritione; nam inter peccatum, & confeſſionem intercedit ſemper aliquod tempus, in quo debuiſſet haberi contritio. Tùm quia Eccleſia erraſſet, dum Catheeumenos non permittebat baptizari, niſi in Paſchate, & Pentecoſte, & tamen ſupponebat eos in peccato, & per baptiſmum renaſci, & iuſtificari: tum quia ſequeretur ſemper hominem ſingulis momentis de nouo peccare quamdiù differt pęnitentiam, quia ſemper eſſet noua obligatio pænitēdi, vnde ſemper deberet explicari tempus, exquo commiſſum eſt peccatum, ſecus non poſſet Confeſſarius formare iudicium de conſcientia pœnitentis; quæ omnia ſunt contra praxim in Eccleſia iam receptam.

3 Poteſt 2. Probari à priori hæc opinio, quia præceptum contritionis eſt præceptum affirmatiuum: ſed præceptum affirmatiuum non obligat ſtatim, ſed pro determinato tempore, nec ſemper; ergo hoc præceptum non ſtatim obligat poſt commiſſum peccatnm.

4 Dices. De ratione præcepti affirmatiui eſt, quod non obliget ſemper: ſed dicendo, quod obliget ſtatim poſt commiſſum peccatum; non per hoc dicitur quod obliget ſemper; ergo hæc ratio nulla eſt; tum quia hæc obligatio, ideò datur, ne homo ſe exponat periculo moriendi ſine pœnitentia, & proinde eſt obligatio negatiua, & obligat ad numquam manendum in peccato. Hæc Arriaga. Sed contra, quia vel obligat ſolùm ſtatim poſt commiſſum peccatū, vel ſemper, donec quis iterum recipiatur in gratia: primum dici non poteſt, niſi deſtruatur ipſa cōcluſio aduerſariorum, quod ſi probo: ſi poſt primum inſtans peccati quis non conteratur, peccat mortalitèr de nouo per aduerſarios; ergo ſtatim in ſecunda morula debet conteri, & ſi non conteratur peccat, & ſic de reliquis; ergo hoc præceptum non obligaret ſemel tantùm, ſed ſemper, quod tamen dici non poteſt de præcepto affirmatiuo, quod ſemper non obligat; neque dici poteſt, quod ſit obligatio negatiua, & præceptum negatiuum; nam obligatio contritionis eſt per præceptum affirmatiuum, vt omnes concedunt; & ſi eſſet negatiuum non ſolùm obligaret ſtatim, ſed ſemper quod aduerſarij non admittunt; fatendum igitur, eſt eſſe præceptum affirmatiuum, quod nec ſtatim, nec ſemper obligat.

5 Obijcies primò: Si quis non tenetur poſt commiſſum peccatum ſtatim conteri, poſſet licitè velle manere in peccato: ſed velle manere in peccato peccatum eſt; ergo ſtatim debet conteri: ſequela patet, quia nolle pœnitentiam eſt velle, quod peccatum perſeueret.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam minoris: poſſet licitè velle manere in peccato, hoc eſt poſſet licitè nole ſtatim pœnitentiam agere, concedo ſequelam; poſſet velle abſolutè, quod peccatum duret, nego ſequelam; eodem modo proportionalitèr diſtinguo, concedo, & nego minorem, & deinde nego conſequentiam; & ſimilitèr nego ſequelæ probationem: etenim duo eſſentialitèr includuntur in permanentia peccati habitualis: vnum eſt præteritio ipſius peccati: alterum eſt carentia pœnitentiæ; hoc ſecundùm vult, qui differt pœnitentiam, non primum. Explicatur hoc exemplo: ſi quis ſit infirmus, ſed talitèr, vt ſciat probabilitèr, quod licèt ſtatim non adhibeat medicinam, vel aduocet Medicum, non per hcc deterior fiet infirmitas, non adhibens medicinam, vult tantùm carentiam Medici, & medicinæ; de cetero ei diſplicet infirmitas, nec infirmitatem vult; ita in propoſito, quod quis peccauerit, peccatori non placet, eo tamen ſuppoſito, ſtatim non vult agere pœnitentiam, illam acturus, cum præceptum inſtabit.

6 Obiicies 2. Peccatum eſt exponere ſe periculo æternæ damnationis: ſed differens pęnitentiam exponit ſe periculo æternæ damnationis; nam poſſet mori antequam agat pœnitentiam; ergo differens pœnitentiam, & ſtatim eam non agens ſemper peccat.

Reſpondeo, quod exponere ſe periculo æternæ damnationis probabili, & veriſimili eſt peccatum; non verò ſi hoc periculum probabilitèr nō ſit futurum; vti moraliter, & probabiliter non datur in homine ſano, præſertim, cum in eius poteſtate ſit pœnitentiam agere, quod verò aliquando contingat in quibuſdam mors repentina, non facit, quod moralitèr, & probabilitèr adſit in omnibus hoc periculum, ſed potiùs, quod vniuerſalitèr non adſit; & ideò non adeſt hæc obligatio.

7 Obijcies 3. Cum quis in morbum incidit

Digitized by Google

incidit. aut vulnus recipit ſtatim tenetur adhibere medicamentum, ne ſalus corporis periclitetur; ergo multò magis, cum quis peccauit, tenetur ſtatim adhibere medicamentum pœnitentiæ, ne æterna ſalus periclitetur.

Reſpondeo cum D. Thom. in ſupplemento infra qu. 6. ar. 5. ad 2. *Quod non eſt de neceſſitate ſalutis temporalis, vt ſtatim medicus quæratur, niſi quando neceſſitas curationis incumbit, & ſimiliter eſt de morbo ſpirituali*, per hoc enim, quod differatur pœnitentia, non fit grauius peccatum, aut difficilius, vt curetur. Ideo &c.

8 Obiicies 4. Ex præcepto charitatis magis tenemur nos à peccatis liberare per contritionem, quam correctionem fraternam alijs facere, vt eos à peccatis liberemur: ſed correctionem fraternam ſtatim tenemur facere delinquenti; ergo etiam ſtatim tenemur poſt peccatum elicere contritionem.

Reſpondeo negando minorem; etenim ad correctionem fraternam non tenemur ſtatim, ac quis peccauit, ſed data opportunitate, niſi ſit periculum noui peccati, vel non ſperetur opportunitas alia, in qua poſſimus ita commodè fratrem corripere, quod non euenit reſpectu noſtri, quia noſtra ſalus ſemper eſt in manu noſtra, non verò illa proximi, ideo alios corripere debemus cum opportunè poſſumus, non noſmetipſos, quia ſemper in poteſtate noſtra erit nos ipſos emendare.

9 Obiicies 5. Qui retinet alienum, vel damnum intulit in honore, fama, vel bonis corporis, tenetur ſtatim reſtituere: ſed peccatum eſt iniuſtitia contra Deum; ergo tenemur ſtatim eidem ſatisfacere per contritionem.

Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia homo per furtum, vel læſionem famæ, & honoris patitur damnum, ideo homo tenetur ſtatim reſtituere, dum poteſt: at Deus non patitur vllum damnum per peccatum: ſecus ſi per noſtra peccata periclitaretur fama Dei apud homines, vt ſi quis diſſeminaſſet falſam doctrinam contra Deum, teneretur ſtatim illam retractare apud eoſdem, ne maior ſequatur infamatio, at ex hoc non deducitur, quod debeat elicere actum contritionis, ſed ſolùm, quod debeat retractare, quod malè dixit, vel fecit.

10 Obiicies 6. Ex charitate erga Deum tenetur homo non eſſe illi infenſum, & inimicum; ergo ſtatim ac quis peccauit tenetur reſarcire amicitiam per contritionem. Confirmatur primò ſi filius offendat parentem, & nollet citò petere veniam, cenſeretur grauiter parentem offendere. Secundò ſi quis Regi occurrēti ſtatim reuerentiam non exhiberet, faceret contra reuerentiam ei debitam. Tertiò, ſi Deo reuelanti non ſtatim crederem peccarem peccato infidelitatis. Quartò, ſi quis peccauit peccato infidelitatis, tenetur ſtatim credere iuxta probabiliorem ſentētiam; ergo etiam poſtquam quis cecidit ab amicitia, ſtatim ad eam redire per contritionem tenetur.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ex charitate tenetur non eſſe infenſus Deo peccando, concedo antecedens, agendo ſtatim pœnitentiam de peccato commiſſo, nego antecedens; ſufficit enim, quod non placeat ei peccatum, & velit pœnitere, quando tenebitur: Quare non facere ſtatim pœnitentiam eſt quidem præter amicitiam, non contra illam. Ad primam confirmationem, concedo antecedens, nego conſequentiam: nam parentes, qui cor filij non intuentur, anguntur, dum filius non petit veniam, & putant ipſum adhuc permanere in actuali offenſa, & auerſione quod non euenit de Deo, qui corda intuetur nec afflictionis eſt capax. Ad ſecundam confirmationem, dico nimis probare, probat enim, quòd deberemus ſemper exhibere Deo adorationem, quia ſemper eſt nobis præſens, & nos videt; dico igitur hanc reuerentiam externam deberi Regi occurrenti, quia iſti actus denotant inferioritatem nòſtram reſpectu perſonæ regię; quare diuerſa reuerentia colitur à ſubditis ordinarijs, ac colatur à Principibus, at diſtinctio cuiuſcumque creaturæ à Deo eſt ſatis clara ſine iſtis ſignis exterioribus Ad 3. & 4. concedo antecedens, & nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia non credendo facimus Deum mendacem; quare ſicuti, ſi dixiſſem alicui Deum eſſe mendacem, tenerer ſtatim me retractare, vt ille falſam opinionem deponat, ita qui ſic peccat, debet ſtatim falſam opinionem deponere, quod non euenit in alijs peccatis, nam per illa non ſentio malè de Deo.

11 Obiicies 7. Plura loca ſcripturæ Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem*, & Aug. ſer. 57. de tempore habet. *Pœnitentia, quæ ab infirmo fit, infirma eſt; quæ autem à moriente petitur, timeo ne, & ipſa moriatur*, & plura alia poſſent adduci; ergo ex his deducitur, quod pœnitentia ſtatim facienda eſt.

Reſpondeo loca ſcripturæ hortari nos ad non differendam pœnitentiam, ne præoccupati die mortis quæramus

Digitized by Google

ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſsimus; at non eſſe præceptum, quod ſtatim facienda ſit; & Patres reprehendunt peccatores, qui differunt vſque ad mortem pœnitentiam, at non dicunt, quod ſtatim facienda ſit ex præcepto.

12 Ex dictis deducitur contra Marſilium, Angelum, & Gabrielem non eſſe neceſſe, quod quis conteratur in diebus feſtis; nam rationes, quæ probant non eſſe præceptum, quod ſtatim fiat pœnitentia, probant etiam de diebus feſtis. Secundò nec religioſos teneri ſtatim agere pœnitentiam: contra D. Bonauenturam; nam obligatio religioſorum eſt obſeruantia votorum, & ſuarum regularum, vt docet D. Thom. loc. cit. ſupplementi in 3. p. qu. 6. ar. 5, non verò, quod ſtatim debeant agere pœnitentiam de peccato commiſſo.

ARTICVLVS XIII.

Quando nam præceptum contritionis obliget.

1 CErtum eſt apud omnes præceptum contritionis obligare circa horam mortis, aut quando eſt graue periculum vitæ, ſi enim ante illud tempus quis non egit pœnitentiam, pro tunc contritionis præceptum obligare omnes admittunt; etenim tunc eſt maximè neceſſaria contritio, ne ſalus æterna deperdatur: tum quia, ſi tunc non vrgeret præceptum contritionis, amplius hoc præceptum ſeruari non poſſet, quia poſt hanc vitam non datur locus pœnitentiæ; an verò pro tunc obliget, etiamſi quis habeat copiam cõfeſſarij, dicam infra: nunc inquirendum eſt, an in aliquo alio tenpore hoc præceptum obliget, & quando.

2 Prima ſententia docet ex natura rei, & ab intrinſeco peccatorem non teneri ad pœnitentiam ante mortis articulum, vel graue periculum Ita D. Th. in 4. diſt. 17. qu. 1. Durand. qu. 10. n. 5. & 6. qui quamuis loquantur de confeſſione, eadem tamen eſt ratio de pœnitentia interiori Caiet. in ſum. verbo contritio. Adrianus qu. 3. de confeſſ. Medina cod. de Pœnitentia tract. 1. q. 60. ar. 1. Sotus diſt. 17. qu. 2. ar. 6. Nauarrus in ſum. cap. 1. nu. 31. non negant tamen hi Doctores per accidens peccatorem teneri ad pœnitentiam in alijs caſibus, quos infra adducemus, ſed dicunt, ab intrinſeco, & ex natura rei extra mortis articulum, vel graue periculum non teneri ex ſpeciali præcepto ad contritionem, hanc ſequitur Vaſquez q. 86. dub. 2. cum Valentia q. 8. punc. 4. & alijs.

Secunda ſententia docet peccatorem teneri, etiamſi, nullum extaret præceptum poſitiuum, ex natura rei, & ab intrinſeco, ad pœnitentiam agendam aliquando in vita, & non poſſe ſine peccato illam multum differre. Ita Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 6. num. 6. Suarez diſp. 15. ſec. 6. Coninch diſp. 5. de pœnitentia dub. 3. conc. 3. Auerſa qu. 1. ſec. 7. Lugus diſp. 7. ſec. 11. §. 2. Arriaga diſp. 18. ſec. 3. Syluius quæſt. 4. in ſupplement ar. 2. quæſt. 3, & alij apud ipſum.

3 Concluſio eſt cum hac ſecunda ſententia. Solet probari concluſio ex locis ſcripturæ, & Patrum, qui ſæpè acriter reprehendunt eos, qui diu pœnitentiam differunt: ſed verè ex his locis, vt notauit Lugus non rectè, & firmiter probatur concluſio; nam huiuſmodi loca non tam militant contra differentes pænitentiam, quam contra differentes pænitentiam peccata noua antiquis addendo; quare ex his locis nulla ſolida probatio deduci poteſt.

4 Probatur ergo ratione. Illud eſt peccatum, quod eſt valde rationi diſſonum: ſed quod velit peccator per totam vitam, aut diuturno tempore non reſurgere à peccato, & pœnitentiam non agere, quamuis non velit alia noua peccata committere, eſt valde rationi diſſonum; ergo nolle agere pœnitentiam, niſi in morte, vel niſi poſt diuturnum tempus peccatum eſt; quod ſi peccatum, ſequitur clarè, quod detur præceptum non differendi pænitentiam per tantùm tempus: probatur minor: maior enim per ſe patet: quia exponere propriam ſalutem morali periculo damnationis, de illa non eſſe ſolicitum, imo illam negligere, eſt valde rationi dioſsnum: ſed ſic ſe habet, qui vult differre pænitentiam vſque ad finem vitæ; tum quia neſcit diem, neque horam mortis: tum quia plures mortes repentinæ occurrunt, quas non poteſt præuidere: tum quia videtur contemni propria ſalus; ergo differre pænitentiam vſque ad mortem ſemper peccatum eſt, & ad hoc faciunt omnes illæ rationes, quas in articulo præcedenti ſoluimus, licèt enim non probent ſtatim eſſe faciendam pænitentiam, certè ſaltem probant non eſſe differendam vſque ad finem vitæ.

5 Quantùm vero temporis poſſit ſine nouo peccato impænitentiæ differri ipſa pænitentia incertum eſt, & vix poteſt determinari, ſed arbitrio prudentis viri ponderantis hic, & nunc omnes circumſtantias decidendum eſt. Arriaga loco citato num. 43. exiſtimat hoc præce-

Digitized by Google

præceptum obligare ſingulis annis, quẽadmodum præcepta dilectionis Dei, fidei, & ſpei, licèt ſint affirmatiua, obligant non tantùm in fine vitæ, ſed ſingulis annis: alij admittunt ſpatium duorum, vel trium annorum, vt Coninchus de Charitate diſp. 24. dub. 3. num. 53. & Lugus loco cit. nu. 253. ſed verè pro diuerſo ſtatu perſonarum, & circumſtantiarum debet hoc tempus arbitrio prudentis viri determinari; nec aliter firmum quicquam poteſt dici.

6 Extra hunc caſum dantur plures alii, in quibus conueniunt Doctores obligare præceptum contritionis, & pænitentiæ. Primus eſt inſtante periculo perpetuæ amentiæ, qui æquiualet periculo proximo mortis.

7 Secundus caſus, quando occurrit occaſio obligans ad actionem, quam licitè in ſtatu peccati facere non poſſumus; ſic diximus agentes de Sacramentis, quod ſi quis debeat adminiſtrare Sacramenta, debet agere pęnitentiam, & elicere actum contritionis, ſi ſit in peccato, item ſi debeat Sacramenta viuorum recipere. Dixi viuorum: nam ad recipiẽda dignè Sacramẽta mortuorum non requiritur contritio, vt ex alibi dictis ſuppono. Item ſecundùm probabiliorem opinionem Diaconus, & Subdiaconus ſolemniter fungentes officio ſuo in miſſa tenentur eſſe in gratia, & ideo, ſi peccatum habere cognoſcunt, obligantur ad contritionem.

8 Tertius caſus, quando quis eſt in morali periculo vitæ, non in quo vnus aut alter mori ſoleat, ſed in quo plerique moriuntur, vt in longa, & periculoſa nauigatione, in tempore peſtis, vel belli, vel ſit in mari, & grauis inſurgat, & periculoſa tempeſtas.

9 Quartus caſus, quando occurrit pręceptum communicandi in Paſchate, & non adeſt confeſſarius; verum hic non diſtinguitur à ſecundo.

10 Quintus caſus cum vrget grauis tentatio, quam ſine contritione homo moraliter non poteſt ſuperare. Sextus in caſu publicæ neceſſitatis, quando quis timet à Deo puniri populum ob peccata particularia. Verum hi duo vltimi à pluribus non admittuntur; non primus; nam nulla eſt adeo grauis tentatio, quæ cum auxilio diuinæ gratiæ, & aliis remedijs ſuperari non poſſit: neque ſecundus; nam in tali caſu ſufficit Deum orare, & poteſt quilibet exiſtimare, quod propter ſua peccata Deus populum non puniat: tum quia ſemper, vel ferè ſemper quis teneretur elicere actũ contritionis, cum in quolibet Regno; vel ſint bella, vel penuriæ, vel tempeſtates, vel ſiccitates, vel alia huiuſcemodi mala.

11 Quæres an ſi in periculo, vel articulo mortis quis poſſit confiteri in tali caſu ſufficiat attritio cum confeſſione, & abſolutione, vel requiratur contritio.

Reſpondeo probabilius eſſe adhuc requiri contritionem, eſt contra Fagundez in ſecundo præcepto lib 2. cap. 4. num. 13. Layman lib. 4. Moralium trac. 6. cap. 6. nu. 6. Turrianum in ſelectis p. 1. diſp. 21. dub. 2. Lugum hic diſp. 7. Vaſquez, & alios. Eſt tamen Nugni hic qu. 2. de pænit. ar. 4. dub. 4. Suarez diſp. 15. ſec. 4. nu. 17. Tanneri tom. 4. diſp. 6. qu. 6. dub. 3. Coninch diſp. 3. dub. 1. Gonet diſp. 7. nu. 103. Arriagæ diſp. 17. nu. 25. & aliorum. Probant aliqui reſponſionem, quia incertum eſt, an attritio cum confeſſione ſufficiat ad iuſtificationem; in articulo autem mortis debemus adhibere omne remedium, ne ſalus periclitetur. Sed hæc ratio non probat, nam verè, vt infra videbimus, poſt Tridentinum eſt ſententia certiſſima, quod attritio cum confeſſione ſufficiat ad iuſtificationem; ergo ex hoc capite nullo modo eſt neceſſaria contritio, cum Deus in lege Euangelica pro remiſſione peccatorum, & iuſtificatione voluerit acceptare attritionem cum Sacramento; vnde ex hoc capite probabilem exiſtimo contrariam.

12 Moueor ergo ad aſſerendum contritionem requiri, quia in tali articulo etiamſi quis ſit iuſtus, ſecundùm probabiliorem ſententiam debet elicere actum dilectionis; ergo ſi memor ſit peccatorum, etiam actum contritionis; non enim moraliter quis memor peccati poteſt elicere actum dilectionis Dei, niſi etiam doleat, & deteſtetur peccata: tum quia, cum incertum ſit, an ſacerdos ipſum abſoluens habeat omnia requiſita, debet conari quantum poteſt, vt tutiorem viam ſuſcipiat; etenim vt inquit Auguſtinus. *Neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere, vt ſine pænitentia migraret a vita.*

13 Dices ergo tenebitur confeſſarius admonere pænitentem in articulo mortis conſtitutum, vt eliceat actum contritionis, cum adhuc actũ teneatur, quodſi non eliceat nõ poterit ipſum abſoluere, quia non haberet animum ſeruandi omnia præcepta. Sed contra dico confeſſarios vt plurimum hoc facere, & conari, vt pænitentes eliciãt actus cõtritionis, imo fidei, ſpei, & charitatis: non tenentur tamen ad hoc, quia etiam contraria eſt in praxi moraliter tuta, & ideo poſſunt ipſos pœnitentes abſolue-

Digitized by Google

niſi vel ob illorum turpitudinem, vel propter pænas, quas cauſant ipſa peccata; ergo à Trid. fuit tradita diuiſio adæquata.

7 Dices: Poteſt quis dolere de peccatis per attritionem non ſolùm propter pænas inferni, ſed etiam nè careat beatitudine; ergo non eſt adæquata. Sed contra, quia carentia beatitudinis eſt pæna grauiſſima damni, quam damnati in inferno patiuntur. Ideò &c.

8 Quæres ſecundò. An, vt attritio ſit vera, & chriſtiana requiratur, quod pænæ ſint æternæ, an verò ſufficiat, quod quis doleat ex motiuo pænæ temporalis?

Reſpondeo, ſufficere ad veram attritionem, quod ſit ex metu pænæ temporalis, vel alterius vitæ, vt Purgatorij, vel etiam huius vitę, quatenus tamē pęnę à Deo infliguntur. Eſt contra Vaſquez q. 92. art. 2. dub. 3. eſt tamen Suarez diſp. 5. ſect. 2. Lugi diſp. 5. ſect. 9. Arriagæ diſp. 12. ſect. 1. & aliorum. Et quidem, quod attritio vera poſſit eſſe ex motiuo pænarum purgatorij: probatur. Detur quis habens tantùm peccata venialia, certè hic poteſt accedere ad Sacramentum Pænitentiæ, ſunt enim materia ſufficiēs: ſed talis non poteſt habere attritionem ob pænas æternas inferni; ergo ſufficit, quod attritionem habeat ex metu pænarum purgatorij; talis enim attritio poteſt eſſe ſupernaturalis, & vniuerſalis, & conſequenter vera attritio, & diſpoſitio ſufficiens cum Sacramento ad gratiam.

9 Secunda pars probatur exemplo adducto à Concilio Trid. de Niniuitis, qui veram attritionem habuerunt ex metu ſubuerſionis Ciuitatis: debent tamen iſtæ pænæ concipi, vt infliguntur à Deo; tum quia ad veram attritionem requiritur, quod aliquo modo homo conuertatur in Deum, vel colendo eum, vel ei obediendo, vel eum timendo, & eum amare incipiendo: hoc autem poteſt fieri ob metū pænarum à Deo inflictarum, vel infligendarum, non autem à Iudice humano: tum quia pænæ, quæ infliguuntur ab homine non ſufficiunt ad arcendum hominem à voluntate peccandi, ſed tantùm ab actione externa; nam Iudex quilibet de internis non iudicat; ſi autem concipiantur, vt infliguntur à Deo, cum Deus ſcrutetur corda, pænæ etiam temporales ſunt ſufficientes ad arcendum hominem à quocumq; peccato, & ideò ex metu ipſarum poteſt elici vera attritio.

ARTICVLVS XV.

An attritio ex timore pænarum ſit honeſta.

1 LVtherus, eiuſq; ſequaces volunt dolorem conceptum ex metu pænarum non eſſe bonum, ſed facere homines hypocritas, & magis peccatores; id etiam dixere aliqui Theologi, qui ſcripſerunt ante Concilium Tridentinum, vt Greg. in 2 diſt. 26. q. 1. ar. 3. Almainus, & Adrianus quodlib. 4. qu. 2. Verum nunc poſt definitionem Concilij omnes Theologi Catholici sētiunt talem attritionem eſſe actum bonum, & laudabilem.

2 Concluſio. Catholica veritas eſt de fide attritionem ex metu gehennæ, & pænarum eſſe actum bonum, & laudabilem, & vtilem ad ſalutem. Hæc concluſio eſt definita in Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit.* Et ſeſſ. 14. cap. 4. habet: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pænitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat.* Poteſt etiam probari pluribus locis ſcripturæ, & Patrum, quæ ad longum adducunt auctores de hac difficultate tractantes; verùm allata definitio Concilij ſufficiat.

3 Probatur ratione. In attritione de peccatis ex metu gehennę interuenit intentio finis, electio medij, & ordinatio medij ad finem: ſed hæc omnia ſunt honeſta, & bona; ergo & ipſa attritio bona eſt, & honeſta: probatur minor intentio finis eſt, quod peccator velit ſe liberare à pænis, hoc autem, vt ex ſe conſtat, honeſtum eſt; electio medij eſt velle carere peccatis, quod in ſe honeſtiſſimum eſt; ordinatio etiam medij ad finem, nempe velle carere peccatis, vt liberetur à pænis, ex ſe honeſtiſſimum eſt; ergo ſi hæc omnia honeſta ſunt, & bona, etiam attritio ipſa talis erit. Confirmatur: id poſſum honeſtè, & licitè facere circa me ipſum ſiſtendo in amore mei, quod poſſum facere erga proximum ſiſtendo in amore ipſius; tam enim ego ſum pars naturæ rationalis, ſicuti eſt ille: ſed ſi ego poſſum liberare Petrum à doloribus, vel à periculo vitæ, teneor illum liberare,

& cum

Digitized by Google

nam ſi obiectum reddatur malum, in illud per talem actum non poteſt homo tendere; ſed debet tendere per alium: vt patet, quis amat ieiunium hic actus bonus eſt: ſi prohibeatur ſub pœna peccati grauis ieiunium alicui, primus actus quo quis honeſtè amabat ieiunium, non poteſt nunc amare ieiunium prohibitũ; ſed ſi amauerit, erit actus diuerſus, vt dictum fuit de actibus humanis; ita in propoſito cum actus attritionis dicat efficaciter *nolo peccatum*, & hic actus ex obiecto ſit bonus, implicat, quod ſimul dicat *volo obiectum peccaminoſum*, cum non poſſit idem actus eſſe volo; & nolo.

9 Obijcies 4. Ordinare maius bonum ad minus bonum eſt vituperabile; ſed qui dolet de peccatis ex metu pœnæ ordinat vitationem culpæ, quæ eſt maius bonum ad vitationem pœnæ, quæ eſt minus; ergo &c.

Reſpondeo, ordinare maius bonum ad minus tamquam ad finem vltimum eſſe vituperabile, non verò tamquam ad finem proximum; Sic Deus ordinauit incarnationem ad noſtram ſalutem; ordinamus ergo per attritionem vitationẽ culpæ ad vitandam pœnam tamquam in finem proximum, at vltimatè, & adæquatè ordinamus in Deum, quem timemus. Ideò &c.

ARTICVLVS XVI.

An attritio ſit ſufficiens diſpoſitio in Sacramento ad iuſtificationem.

1 PLures Doctores, qui ante Concilium Tridentinũ ſcripſerunt, docuerunt ad effectum Sacramenti pœnitentię hoc eſt ad iuſtificationem neceſſariò requiri contritionem. Sic Magiſter, Richardus de S. Victore, Alenſis, Bonauentura, Gabriel, Maior, & Medina. Alij ſufficere quidẽ attritionem, ſed putatam contritionem. Alij requiri ſemper contritionem, ſed per Sacramentum excitari hominem, ſi accedat cum ſola attritione ad eam mutandam in contritionem; huius opinionis fuere Henricus, Caietanus, & alij, quos ad longum enumerat Suarez diſp. 20. ſect.1.

Syluius quæſt.1. ſupplementi art.3. quær.3. qui citat Gamacium, Fauentinum, & alios vult attritionem ſufficientem ad iuſtificationem in Sacramento debere eſſe actum charitatis imperfectũ, nec ſufficere attritionẽ, qua quis dolet de peccato ex ſolo timore pęnarũ inferni.

Ianſenius verò, quem ſequuntur Ianſeniani, vult non ſufficere attritionem ex metu gehennæ, ſed requiri contritionem ex amore procedentem.

Communis tamen, vera, & certa ſententia docet ſufficere attritionem ex metu gehennæ, pœnarum, vel ex turpitudine peccati conceptam ad iuſtificationem cum Sacramento. Ita D. Thom. in 4. diſt.17. qu.3. art.5. qu.1. & alibi. Scotus in 4. diſt.14. qu.4. art.3. Thomiſtæ, & Scotiſtæ nunc communiter, Suarez, Vaſquez, Lugus, & omnes è ſocietate Ieſu, quos viderim.

2 Concluſio. Attritio ſupernaturalis ex metu gehennæ, pœnarum, vel ex turpitudine peccati concepta eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationis gratiam in Sacramento pęnitentiæ obtinendam. Probatur primò ex Trid. ſeſs.14. cap.4. vbi condiſtinguens contritionem perfectam, quæ eſt ex charitate à contritione imperfecta, quæ attritio dicitur, & aſſignans obiectum attritionis inquit. *Quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum.* Et infra: *Et quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Ecce, quod Concilium clarè diſtinguit contritionem perfectam ab attritione, quod illa procedit ex charitate, & ſufficit ad iuſtificandum extra Sacramentum, cum ſit vltima diſpoſitio: attritio verò procedit ex metu pœnarum, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, & dixit eſſe diſpoſitionem ad gratiam cum Sacramẽto Pœnitentiæ.

3 Dices 1. Concilium ibi loqui non de diſpoſitione vltima, & ſufficiente, ſed de remota, & inſufficiente. Sed contra primò; quia Concilium eodem modo dicit eſſe diſpoſitionem attritionem in Sacramento, quo modo eſt contritio diſpoſitio extra Sacramentum: ſed contritio extrà Sacramentum eſt diſpoſitio proxima; ergo etiam attritio in Sacramento: tum quia diuerſo modo attritio diſponit ad gratiam in Sacramento, ac extrà: ſed extrà diſponit remotè; ergo in Sacramento proximè.

4 Dices 2. Concilium non dicere attritionem eſſe proximam diſpoſitionẽ ad gratiam in Sacramento, ſed eſſe diſpoſitionem ad dignè ſuſcipiendum Sacramentum, ſicuti etiam eleemoſynæ, & alia pia opera præcedentia diſponunt ad dignè recipiendum Sacramentum, cuius virtute pœnitens iuſtificetur, verùm dignam Sacramenti ſuſceptionem

fieri

fieri per hoc, quod poſita attritione, & accedente Sacramento excitatur pœnitens à Deo ad actum contritionis, quo poſito iuſtificationis gratiam conſequitur. Sed contra; quia ſi attritio ſola cum Sacramento non ſufficit; ergo falſum eſt, quod dicit Concilium, nempe; quod *ad Dei gratiam in Sacramento pęnitentię impetrandam diſponit*; nam deberet dicere iuxtà aduerſariorum opinionem, quod diſponit ad impetrandam contritionem: tum quia ſi poſita attritione data fuit contritio ante receptionem Sacramenti, etiam data fuiſſet gratia, & ſic numquam Sacramentum primò daret gratiam, quod tamen falſum eſt: tum quia Concilium loquens de attritione habet: *Et quamuis ſine Sacramento pęnitentię per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pęnitentię impetrandam diſponit*; ergo, ſi poteſt cum Sacramento, cum eodem erit vera diſpoſitio ſufficiens.

5 Ex dictis reijcitur opinio Syluij dicentis attritionem, quæ in Sacramento requiritur, debere eſſe actum charitatis, ſed imperfectum. Sed contra hoc videtur apertè contrariari Concilio; nam quando Concilium dicit attritionem eſſe diſpoſitionem cum Sacramento, loquitur de illa, quæ concipitur ex metu gehennæ, & ex turpitudine peccati: ſed hæc certè non eſt actus charitatis, niſi impropriè, quatenùs omnis voluntas non peccandi eſt aliquis amor; ergo &c. & in hoc ſenſu etiam puto locutum fuiſſe Syluium.

6 Obijcies 1. ex Ianſenio dolor ſufficiens ad iuſtificationem cum Sacramento debet eſse ſupernaturalis: ſed attritio ex metu gehennæ non eſt ſupernaturalis; ergo &c. Probatur minor; nam non eſt ex gratia Chriſti, inquit enim *Nam iſta gratia effectum prorſus oppoſitum in voluntate facit; eſt enim inſpiratio cęleſtis delectationis, qua Deus incipit dulceſcere, quem timebat; quaque dulcedine perfuſus animus iam non formidine pœnæ, ſed iuſtitię dilectione operatur bonum.*

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem ad probationem, nego antecedens; Concilium enim dicit talem attritionem eſse donum Spiritus Sancti, non inhabitantis, ſed mouentis; mouet autem Deus per gratiam ſuam; quare non tantùm eo modo, quo dicit Ianſenius, ſed etiam per timorem mouet gratia ſua; nam etiam timor conducit ad ſalutem; omne autem conducens ad ſalutem debet eſse ſupernaturale & ex gratia; vt alibi in tractatu de gratia fusè probatum fuit.

7 Obijcies 2. Actus, qui debet eſſe ſufficiens diſpoſitio in Sacramento ad iuſtificationem, debet tollere affectum ad peccatum: ſed attritio ex metu pœnarum nō tollit affectum ad peccatum; ergo non eſt ſufficiens: probatur minor, quæ fiunt ex metu partim ſunt voluntaria, partim inuoluntaria, vt Theologi omnes concedunt, & patet de Mercatore proijciente merces in mare, qui voluntariè proijcit ob metum tempeſtatis; at non proijceret, ſed ſeruaret merces, ſi non eſset tempeſtas; ergo etiam, qui dolet de peccatis ex metu gehennæ, ita dolet, vt non doleret, ſi non eſſet gehenna; hoc autem eſt habere affectum ad peccatum, vt de ſe patet.

Reſpondeo conceſsa maiori, negando minorem: ad probationem, nego vniuerſalitèr eſſe verum, quod ea, quæ fiunt ex metu ſint mixta ex voluntario, & inuoluntario; nam quæ ſunt animæ lucroſa ſunt ſimplicitèr voluntaria, vt diximus de actibus humanis agentes de metu, & huiuſmodi eſt attritio de peccatis ex metu gehennæ &c. fateor quidem mercatorem proijcientem merces ob metum tempeſtatis hoc facere ex voluntario mixto cum inuolũtario; verùm hoc prouenit, quia proijciendo merces damnum ſibi ipſi aſſert, non lucrum; ideò &c.

8 Obijcies 3. Qui conuertitur debet mutare voluntatem à peccato: ſed timor hoc non poteſt facere ſine charitate; ergo timor non ſufficit ad iuſtificationem etiam in Sacramento: probatur minor; nam timor premit non exhaurit cupiditatem, continet manum, non animum, qui eodem modo fixus manet ad peccatum.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem, vnde Concilium dicit, *ſi voluntatem peccandi excludat*, ſentit ergo Cõcilium attritionem ex timore pœnarum conceptam poſſe pœnitus voluntatem peccandi excludere; nec probatio minoris vllo modo vrget; nam eſt timor mundanus, qui eſt huiuſmodi non timor fugiendi pęnas à Deo Iudice infligendas; nam cum Deus puniat non ſolùm peccata externa, ſed etiam cordis, ſi quis habet voluntatem fugiendi has pęnas, debet etiam habere voluntatem fugiendi omne peccatum.

9 Quæres an ſi quis doleat de peccato ob turpitudinem eius cõtra naturam rationalem, veram attritionem habeat ſufficientem cum Sacramento ad iuſtificationem?

Reſpendeo affirmatiuè. Eſt Suarez, & Arriagæ diſp. 11. ſect. 2. contra Lugum diſp. 5. ſect. 9. Ratio eſt, quia Concilium

Digitized by Google

cilium ſimpliciter dicit attritionem ex turpitudine peccati conceptam eſse ſufficientem; ergo &c. tum quia fundamentum Lugi ex dictis de peccatis nullum eſt; eo ipſo enim, quod peccatum eſt contra naturam rationalem, eſt etiã contra Deum, qui eſt caput naturæ rationalis, vnde qui dolet de peccato ob turpitudinem, ſaltem implicitè, & virtualitèr conuertitur in Deum.

10 Ex hucuſque dictis, & ex dictis ſupra de contritione conſtat attritionem Chriſtianam ſufficientem in Sacramento ad iuſtificationem debere eſſe de omnibus peccatis ſaltèm mortalibus, & ideò debere eſſe vniuerſalem, cum ſpe veniæ, ſupernaturalem, & poſſe oriri, vel ex pœnis æternis, ſiue damni, ſiue ſenſus, ſiue temporalibus à Deo iudice inſligendis, vel ex turpitudine peccati; non tamen ſi eſſet tantùm de pœnis ab humano iudice, vel alio inſligendis, nam timor mundanus non excludit omnem voluntatem peccandi.

11 Tractant hic communitèr Doctores an peccata aliquando reuiuiſcãt, & merita; de conſtitutiuo peccati, de remiſſione peccatorum venialium, quæ omnia iam à nobis tractata fuere de iuſtificatione agentes, & de vitijs, & peccatis; nec opus eſt iterùm actum agere.

QVÆSTIO III.

De eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.

HVCVSQ; diximus de virtute pœnitentię, nunc de ipſa, vt Sacramentum eſt, agere debemus, hæc vocatur ſecunda tabula poſt Baptiſmum, reconciliatio cum Deo à principali ſuo effectu, abſolutio peccatorum, quia peccatores à vinculis peccatorum abſoluit, exomologeſis græcè, quod latinè ſonat confeſſio, teſte Tertull. de pœnitentia cap. 9. lauacrum lacrymarum, à Triden. ſeſs. 14. cap. 2. laborioſus baptiſmus, quia fletibus, & lacrymis, id quod per peccatum poſt baptiſmum perdidimus, per Pœnitentiæ Sacramentum recuperamus; & pluribus alijs nominibus à Cõcilijs, & Patribus nominatur.

ARTICVLVS I.

An detur verum Sacramentum Pœnitentiæ à Chriſto Domino inſtitutum,

1 PLures fuere errorres circa Sacramentum pęnitentiæ. Primus fuit Mõtani, à quo eius ſequaces dicti fuere Montaniſtæ hic negauit vllum eſſe in Eccleſia remedium, quo peccantes poſt baptiſmum poſſent Deo reconciliari, de hoc erore mentionem facit Hier. Epiſt. 54. ad Marcellam, & Epiſt. ad Cteſiphontem cap. 2. in hunc errorem incidit Tertullianus ex eodem Hier. locis citatis. Secundus error fuit Nouati Carthaginenſis, & Romanæ Eccleſiæ Preſbiteri dicentis eos, qui poſt baptiſmum in aliquod graue peccatum incidiſſent, non eſſe amplius ab Eccleſia recipiendos, neque penes Eccleſiam hanc poteſtatem eſſe. De quo Euſeb. lib. 6. cap. 35 Nouatiani tamen non negabant lapſos poſt baptiſmum non poſſe agere pænitentiam, & reconciliari, ſed dicebant hanc poteſtatem non eſſe in Eccleſia, ſed à ſolo Deo fieri poſſe de quo Socrates lib. 4. Hiſt. cap. 13. Tertius error eſt Lutheranorum, & Caluiniſtarum, qui concedunt quidem dari remedium in Eccleſia pro remittendis culpis poſt baptiſmum; ſed volunt hoc remedium nihil aliud eſſe, niſi memoriam baptiſmi ſuſcepti cum fiducia remiſſionis peccatorum. Ex Bellar, lib. 1. de pænitentia cap. 11. & 12. Quartus eſt aliorũ hæreticorum huius tẽporis, qui conuincti ex ſcipturis, & Patribus admittunt verum ſacramentum pænitentiæ, ſed illud ita conſtituunt in ſola abſolutione, & quodam ritu, vt negent requiri confeſſionem.

2 Concluſio. Catholica veritas eſt in Eccleſia eſſe verum, & proprium Pænitentiæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & à baptiſmo diſtinctum. Ita definitum fuit in Concilijs Conſtantienſi ſeſſ. 15. in Florentino in Decreto Eugenij, & demum in Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. & can. 1. & 2. Probatur ratione ducta ex ſcriptura; ſi aliqua res exiſtit in ſcriptura, & ab Eccleſia recipiatur tamquam verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, illa propriè Sacramentum eſt: ſed ita res ſe habet in propoſito; ergo pænitentia eſt verum Sacramentum: maior patet ex alibi dictis: probatur minor; nam per Sacramentum pænitentiæ intelligimus Sacramentum quoddam inſtitutum in abſolutione ſacerdotis, & in actibus pænitentis remiſſiuum peccatorum poſt baptiſmum: ſed hoc habetur clarè ex ſcripturis; nam Ioan. 20. habetur. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt,* quod ante promiſerat Petro Matth. 18. *Tibi dabo claues &c.* ergo per talem poteſtatem conſtituit eos iudices peccatorum; iudicium autem non poteſt fieri ſine manifeſtatione peccatorum; & hæc omnia recipiuntur ab Eccleſia tam-

Digitized by Google

quam verum Sacramentum; ergo &c.

3 Ex quo habes quando fuit à Chriſto Domino hoc Sacramentum inſtitutum nempe Ioan. 20. vt definit Trid. ſeſs. 14. cap. 1. Eſſe autem hoc Sacramentum à baptiſmo diſtinctum definit Trid. eadem ſeſſ. cap. 2. cum ſit diuerſa materia, & forma Sacramenti pænitentiæ, ab illa baptiſmi, & miniſter baptiſmi non debet eſſe iudex, ſicuti eſt miniſter Sacramenti pænitentiæ.

4 Probatur 2. Ratione D. Thom. hic qu. 84. ar. 1. Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis homines: ſed pænitentia, quæ fit in Eccleſia eſt aliquod ſignum ſacrum ſanctificans homines, tam ex parte pænitentis peccata confitentis, & de eis dolentis, quam ex parte ſacerdotis abſoluentis; ergo eſt verum Sacramentum: maior patet: probatur minor; nam in confeſſione doloroſa, quam facit pænitens, iam intelligitur deteſtatio, & fuga, quam habet de peccatis, abſolutio etiam ſacerdotis ſignificat remiſſionem peccatorum, & ſanctificationem pænitentis; ergo eſt verum & proprium Sacramentum.

5 Obiicies primò Sacramenta nouæ legis diſtinguuntur ex diuerſitate gratiæ, quam ſignificant, & conferunt: ſed gratia, quam ſignificat pænitentia, non eſt diuerſa à gratia baptiſmi; vtraque enim tribuit vitam peccatori; ergo pænitentia non eſt Sacramentum diſtinctum à baptiſmo.

Reſpondeo Sacramenta non tantùm diſtingui ex diuerſitate gratiæ; quam conferunt, ſed etiam ex materia, & forma, ſic materia, & forma pænitentiæ eſt longè diuerſa ab illa baptiſmi, præterea miniſter pænitentię eſt iudex non ille baptiſmi, hic delet per gratiam, quam confert omnem culpam, & pænam; non ſic ſacramentum pænitentiæ; tandem baptiſmus dat primam vitam ſpiritualem, pænitentia ſuſcitat ad vitam deperditam, non dat primam vitam.

6 Obiicies 2. Aug. lib. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 33. habet. *Lauacro regenerationis non tantùm peccata præterita ſed etiam poſtèrius admiſſa remittuntur*; ergo ad remiſſionem peccatorum non requiritur Sacramẽtum diſtinctum à baptiſmo, ſed ſufficit baptiſmus in memoriam reuocatus cum fide, quod peccata remiſſa ſint.

Reſpondeo ab Auguſtino dici remitti per baptiſmum etiam peccata poſterius admiſſa radicaliter, eo quod ipſe ſit ianua Sacramentorum, nec poſſit recipi Sacramentum pænitentiæ, niſi prius quis ſit baptizatus; & hunc eſſe verum ſenſum Auguſtini patet ex eo, quod addit; dicit enim. *Quid enim prodeſſet, vel ante baptiſmum pænitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet.*

ARTICVLVS II.

Quænam ſint partes ſacramenti pænitentiæ.

1 PArtes Sacramenti pænitentię poſſunt eſſe, vel metaphyſicæ, vel phyſicæ; metaphyſicæ ſunt genus, & differentia, & pro genere eſt ſignum ſacrum efficax, pro differentia, gratiæ remiſſiuæ peccati poſt baptiſmum commiſſi, & de his non eſt difficultas, ſed eſt de partibus phyſicis concurrentibus ad conſtituendum Sacramentum pænitentiæ. Et in primis cum definitum ſit in Concilio Florentino, & Trid. omnia Sacramenta nouæ legis conſtare materia forma, & intentione miniſtri, etiam ad conſtituendum hoc Sacramentum hæc omnia requiri, conſtat ex dictis de ſacramentis in communi qu. 1.

2 Secundò certum eſt inter Theologos catholicos, quod ad hoc, vt Sacramentum pænitentiæ fructuoſum ſit, hæc omnia requiruntur. Primò, quod pænitens peccatum aliquod commiſerit poſt baptiſmum. ſecundò, quod confiteatur hoc peccatum ſacerdoti habenti ordinem, & iuriſdictionem: Tertiò, quod habeat dolorem ſcilicet contritionem, vel ſaltem attritionem ſupernaturalem, cum propoſito emendationis. Quartò, quod à Sacerdote abſoluatur cum intentione abſoluendi; ſi enim vnum ex his deſit Sacramentum non conficitur, ſaltem cum fructu, (abſtraho nunc ab eo, an poſſit dari Sacramentum pænitentiæ validum, & informe, & quomodo requiratur ſatisfactio, de his enim infra agemus) hoc certùm, cum ſit, mirum eſt in quam varias abierint opiniones theologi, præſertim in quæſtione, quæ inter eos non poteſt eſſe, niſi de voce, in aſſignandis partibus phyſicis huius Sacramenti.

3 Prima opinio eſt Scoti in 4. diſt. 14. qu. 4. & diſt. 16. qu. 1. Maironis, & Rubionis, hæc docet eſſentiam huius Sacramenti conſiſtere in abſolutione, prærequirere tamen tamquam quid præuium contritionem, & confeſſionem & tamquàm quid ſubſequens, ſatisfactionem.

Secunda eſt Soti in 4. diſt. 14. qu. 1. ar. 1. Henriquez lib. 4. de Sacra. cap. 11. aſſerentium conſiſtere in contritione, confeſſione, & ſatisfactione, connotata abſolutione.

Tertia eſt Durandi in 4. diſt. 14. qu. 3.

& diſt.

Digitized by Google

& diſt 16. qu. 1. & Palatios ibidem volentium conſtare confeſſione, & abſolutione.

Quarta Gabrielis in 4. diſt. 14. qu. 2. ar. 1. & aliorum volentium partes eſſe confeſſionem, & ſatisfactionem, non contritionem, quia hæc non eſt ſenſibilis.

Quinta Lugi diſp. 12. ſec. 2. & Arriagæ. diſp. 30. ſec. 6. volentium peccata poſt baptiſmum commiſſa, contritionem, confeſſionem, & abſolutionem à ſacerdote habente ordinem, & iuriſdictionem cum intentione abſoluendi datam, eſſe partes conſtituentes hoc Sacramentum.

Sexta communis & vera docet conſtare materia, & forma; & pro materia aſſignat contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, pro forma illà verba *abſoluo te &c.* Sic D. Thom. qu. 84. art. 1. Thomiſtæ communiter, Suarez diſput. 18. ſec. 2. & 3. Amicus diſp. 10. ſec. 4. & communis Doctorum.

4 Aduerte ex dictis de Sacramentis in communi quæſt. 1. art. 13. quod licèt hoc Sacramentum non ſit permanens, vt Euchariſtia, ſed tantùm conſiſtat in vſu in ipſo tamen poſſumus, & debemus diſtinguere, & fieri, & factum eſſe, quæmadmodum, ſi Deus produceret aliquod ſubiectum calidum, quod tamen ſtatim, ac productum eſt, eſſet deſtruendum, nihil omnis in ipſo adhuc poſſumus conſiderare ea, quæ intrinſecè requiruntur ad fieri ipſius; & ea, quæ intrinſecè requiruntur ad factum eſſe eiuſdem calidi; ita in propoſito de Sacramentis dicendum eſt, etenim ſi hoc Sacramentum conſideretur in fieri, includit eſſentialiter materiam formam, & intentionem miniſtri, vt dictum fuit vniuerſaliter de omnibus Sacramentis loco ſuprà citato, ſi verò loquamur de Sacramento pęnitentiæ in facto eſſe, in quo ſenſu agitatur hæc quæſtio.

5 Concluſio. Sacramentum pęnitentiæ includit contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem tamquam partes integrales materiam, & abſolutionem tamquam formam. Conſtat hoc ex Trid. ſeſſ. 14. cap 3. vbi definit quod illa verba *abſoluo te &c.* ſunt forma huius Sacramenti, & infra. *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*; dicuntur autem a Concilio iſti actus quaſi materia; non quia propriè non ſint materia huius Sacramenti; ſed quia non ſunt materia eo modo, quo in alijs Sacramentis, in quibus materia eſt aqua, vel oleum &c. ceterum habere hos actus veram rationem materiæ huius Sacramenti patet, quia id habet rationem materiæ in aliquo Sacramento, quod habet rationem determinabilis per formam: iſti actus habent rationem determinabilis per formam abſolutionis; ergo verè habent rationem materiæ.

6 Probatur modo concluſio de ratione cuiuſcumque compoſiti eſt, quod conſtet materia, , & forma, & hoc verum eſt, non tantùm in naturalibus, ſed etiam in artificialibus, & moralibus: ſed Sacramentum pœnitentiæ eſt quoddam compoſitum artificiale, ſeu morale; ergo conſtat eſſentialiter materia, & forma: atqui per Trid. loco citato materia ſunt actus pęnitentis enumerati, forma ſunt illa verba *abſoluo te &c.* ergo his omnibus tamquam partibus phyſicis eſſentialiter conſtat.

7 Obijcies primò. Id quo ablato ceteriſque ab eo diſtinctis manentibus aufertur denominatio alicuius totius eſt pars conſtitutiua illius totius: ſed ſi auferatur ordo, vel iuriſdictio, vel intentio ab abſoluente, vel baptiſmus à ſuſcipiente, vel peccatum poſt baptiſmum commiſſum, non remaneret Sacrmentum pænitentiæ; ergo hæc omnia ſunt partes intrinſecè conſtituentes ipſum Sacramentum pænitentiæ. Sic Lugus.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quæ eſt vera, ſi formaliter auferatur denominatio illius totius, non verò ſi auferatur conſecutiuè: Quare ablato vno ex enmeratis remanet Sacramentum pænitentiæ adhuc formaliter, licèt non conſecutiuè: etenim hic loquimur de partibus intrinſecis conſtituentibus Sacramentum, non de extrinſecis ipſi Sacramento. In propoſito igitur ſacerdos, ordo, iuriſdictio requiruntur ad faciendum Sacramentum ex parte cauſæ efficientis, non formaliter, & intrinſecè; cuius ſignum eſt, quia ſi hoc Sacramentum eſſet permanens, vt eſt permanens Sacramentum Euchariſtiæ, ſicuti hoc permanet etiamſi poſt conſecrationem moriatur ſacerdos, & pereat eius intentio, itaſpaſtquam data fuit vera abſolutio, ſi periret ſacerdos cum ordine, iuriſdictione, & intentione, adhuc permaneret hoc Sacramentum. Itē baptiſmus in ſuſcipiente requiritur tamquam ſubiectum huius Sacramenti, non tamquam pars ipſius; ſicuti enim ſubiectum caloris non eſt de eſſentia caloris; ita nec homo baptizatus eſt pars eſſentialis Sacramenti intrinſeca, ſed ſubie-

ctum Sacramento extrinſecum: multò minus peccata intrinſecè conſtituunt Sacramentum; nam quod eſt pars compoſiti, debet remanere in compoſito peccata verò deſtruuntur, non remanent; vnde peccata ſunt materia deſtruenda, non quę componat intrinſecè Sacramentum.

8 Obijcies 2. pro Scoto. Hoc Sacramentum conficitur, & confertur à ſacerdote tamquam à miniſtro, & iudice: ſed ſacerdos non dat niſi abſolutionem; ergo in ſola abſolutione conſiſtit.

Reſpondeo quod licèt ſacerdos non det niſi abſolutionem; nihilominus dicitur ab eo confici, & conferri, quia ipſe ponit formam tamquam partem principalem; quemadmodum agens naturale dicitur generare totum, licèt non producat niſi formam, & ſtatuarius ſtatuam effecit, licèt niſi formam artificialem introduxerit. Ita &c.

9 Obijcies 3. Omne quod intrinſecè componit Sacramentum pænitentiæ eſt cauſatiuum gratiæ: ſed ſola abſolutio cauſat gratiam; ergo ſola abſolutio conſtituit intriſecè Sacramentum pænitentiæ: probatur minor, quia ſi actus pænitētis cauſarent gratiam, pænitens diceretur ſe ipſum iuſtificare, dare ſibi gratiam, & ſeipſum abſoluere; ergo &c.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, nego ſequelam; nam verùm eſt, quod pænitens per ſuos actus de congruo mereatur gratiam, ſicuti miles ab egregiè ab ipſo patrata meretur comitatum à Rege; at ſi comitatum accipiat; non per hoc dicitur ſibi donaſſe comitatum, ſed Rex illi comitatum donauit; ita licèt actus pænitentis cauſent gratiam, & promereantur vt ei Deus remittat peccata, aut eum abſoluat; non dicitur tamen ſe ipſum abſoluere, aut ſibi donare gratiam; quia iſtæ denominationes *dono*, & *remitto* ſpectant tantùm ad illum, qui eſt dominus iuris, aut ad illum, qui habet facultatem à Domino iuris; ideo poteſt dici, quod miniſter donat gratiam, abſoluat, & remittat peccata, non verò pænitens, licèt actus ipſius, vt conſtituunt Sacramentum, producant gratiam.

10 Obijcies 4. Pars alicuius Sacramenti debet eſſe ſenſibilis: contritio non eſt ſenſibilis; ergo non eſt pars Sacramenti pænitentiæ.

Reſpondeo reddi ſenſibilem per confeſſionem, & hoc ſufficit.

11 Obijcies 5. Pars eſſentialis eſt illa, ſine qua totum exiſtere nequit: ſed ablata ſatisfactione, adhuc remanet Sacramentum pænitentæ: ergo ſatisfactio non eſt pars eſsentialis.

Reſpondeo, quod ſatisfactio dupliciter poteſt conſiderari, primò, vt dicit voluntatem ſatisfaciendi, & obtemperādi Confeſſario præcipienti, & hoc modo dico eſſe partem eſſentialem, & eſſentialiter requiſitam; nam ſi quis haberet animum nullam faciendi pœnitentiam, nec etiam eſſet diſpoſitus, neq; poſſet abſolui: ſecundò pro vt dicit actualem ſatisfactionem, & ſic eſt pars integralis, & delet partem pœnæ, nec eſt neceſſe, quod ſit ante formam; nam etiā partes, quæ aggenerantur ſunt poſt formam, & integrant vnam materiam, vnde ſi quis abſcinderet digitum ab homine, adhuc eſſet eſſentialiter homo, ſed mutilus, ita ſi non efficiatur ſatisfactio impoſita, adhuc Sacramentum verum fuit, ſed mutilum.

12 Quæres, quæ ex his partibus dicantur in recto?

Reſpondeo, omnes eſſe de intrinſeco conſtitutiuo Sacramenti Pœnitentię, & ideò poſſe dici ſignificari in recto, hoc eſt omnes partes enumeratas eſſe de intrinſecà ratione talis Sacramenti, ceterum hoc ſpectat ad modum explicandi huiuſmodi concreta, nam tam poſſumus dicere, Sacramentum Pœnitentiæ eſt *Confeſſio, contritio, & ſatisfactio pænitentis propriorum peccatorum, & abſolutio illi data à Sacerdote*, quomodo omnes partes dicuntur in recto; quam dicere: *Eſt confeſſio, contritio, & ſatisfactio cum abſolutione*; vel *Abſolutio cum confeſſione &c.* Idem enim explicamus; quare hoc nullius momenti eſt, quidquid alij conentur fusè explicare, ſed hoc, vt dixi, ſpectat ad noſtrum modum explicandi.

ARTICVLVS III.

Quanam ſit forma Sacramenti Pænitentiæ.

1 ORdo doctrinæ videtur exigere, vt prius ageremus de partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ, quam de forma; verùm, cum partes materiales longiorem exigant diſquiſitionem, & forma ſit præcipua pars, Angelicuſq; Præceptor prius egerit de forma, quam de materia, ideo & nos ipſum ſequētes prius de forma agemus, vt hac difficultate expedita, commodius ea, quæ de partibus materialibus dicenda ſunt explicare valeamus.

2 Suppono primò tāquam certum contra quoſdam, quos refert Suarez diſput. 19. ſect. 1. ad formam Sacramenti Pœnitentiæ requiri eſſentialiter verba

nec

Digitized by Google

nec Sacerdotem poſſe ſcriptura aliqua, vel nutibus abſoluere peccatorem Sacramentaliter. Ratio eſt, quia quando aliquid, vt tale ſit, dependet à voluntate Chriſti inſtitutoris, debemus dicere id eſſe eſſentialiter requiſitum, quod Chriſtus determinauit; Sed ex Concilio Florentino habetur, quod omnia Sacramenta Matrimonio excepto, conſtant verbis tamquam forma; ergo, cum exceptio firmet regulam, debemus fateri omnia alia Sacramenta, adeoq; Sacramentum Pœnitentiæ, cōſtare verbis pro forma: potuit quidem Chriſtus inſtituere, vt abſolutio fieret per ſcripturam, vel aliud ſignum, ſicuti Iudex poteſt proferre ſententiam per ſcripturam, vel nutus: at de facto inſtituiſſe, vt forma abſolutionis conſtaret verbis proprijs, & ex Florentino loco citato, & ex perpetuo vſu Eccleſiæ conſtat.

2 Suppono ſecundò ex Trid. ſeſſ.14. cap.3. non eſſe neceſſaria omnia verba, quæ de facto dicuntur, vt ſunt illa: *Miſereatur tui &c. Indulgentiam &c. Dominus noſter &c. Paſſio Domini noſtri &c.* Hæc enim, vt inquit Concilium loco citato, ſunt *Preces, quæ laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant.* Quare in concurſu plurium pœnitentium Confeſſarij multoties omittunt illas preces. Difficultas ergo eſt de illis verbis: *Ego te abſoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; vtrum omnia iſta ſint de eſſentia formæ abſolutionis.

4 Prima opinio docet eſſe de eſſentia formæ, quod quis dicat: *Abſoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Sic Durandus in 4. diſt.22. q.2. Ioann. de Neapoli diſtin.16. quæſt.5. Maior diſt.14.qu.2. Gerſon, & quidam alij.

Secunda ſententia vult ſaltem eſſe neceſſaria illa verba *Abſoluo te à peccatis tuis.* Sic Palud. in 4.diſt.22.q.3. Petrus Soto, Viguerius, & alij.

Tertia ſententia eſt Soti in 4.diſt.12. q.1. ar.1. §.*Poſtremum tamen dubium*; hæc vult ſufficere, ſi quis dicat: *Abſoluo*; quod probabile etiam cenſet Arriaga diſp.49. ſect.4. n.23.

Quarta communis ſententia docet illa duo verba: *Abſoluo te*, ſufficere ad eſſentiam Sacramenti. Sic D.Thom. hic q.84. ar.3. Caietanus, Nauarrus, Syluester, Suarez diſp.19.ſect.1. Vaſquez dub.4. Gonet.diſp.12.ar.1. Lugus diſput.13. ſect.1. Coninchus diſp.4.dub.3. Amicus diſp.11.ſect.1. & fere omnes Doctores.

5 Concluſio. Sola illa duo verba, *Abſoluo te* cōſtituunt eſſentialem formam huius Sacramenti. Probatur primò ex Florentino, & Tridentinò ſeſſ.14. cap.3. vbi dicitur, formam conſiſtere in illis verbis: *Abſoluo te &c.* & talis eſt etiam cōmunis ſenſus Theologorum, & Summiſtarum; quod ſi Trid. addat &c. illud non addit, eo quod putet reliqua verba eſſe eſſentialia, ſed vt abſtrahat à controuerſia Theologorum, eo quod aliqui putent etiam alia eſſe eſſentialia.

6 Secundò probatur ratione. Illa tantùm verba ſunt eſſentialia pro forma huius Sacramenti, quæ eſſentialiter exprimunt effectum principalem huius Sacramenti per modum iudicij: ſed illa verba: *Abſoluo te*, ſufficienter, & eſſentialiter exprimunt effectum principalem huius Sacramenti, nempe abſolutionem à peccatis, & eorumdem liberationem; ergo illa tantùm ſunt neceſſaria; maior patet: probatur minor; nam poſita confeſſione peccatorum, eo ipſo, quod Sacerdos dicit: *Abſoluo te*, eo ipſo intelligitur, & determinatur talis forma ad abſolutionem illius hominis à peccatis confeſſis; ex circumſtantijs enim, & cōmuni hominum ſenſu id intelligitur, non aliud; ergo &c. Confirmatur: ſi illa verba *Abſoluo te* non ſufficiunt, maximè quia requiritur etiam ly pronomen *ego*, vel *à peccatis tuis*, vel inuocatio Trinitatis, vel illa verba: *In nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*: ſed verè ly *ego* non requiritur; nam implicitè includitur in ly *abſoluo*; idem enim eſt dicere *abſoluo*, ac *ego abſoluo*: neque requiruntur illa verba *à peccatis tuis*; nam poſita confeſſione peccatorum; cum miniſter dicit *Abſoluo te*, ſufficienter ex circumſtantijs intelligitur, quod illum abſoluit à peccatis: neque tertiò requiritur inuocatio Trinitatis; nam Chriſtus Ioann. 20. dum inſtituit hoc Sacramentum non dixit: *Quorum remiſeritis peccata cum inuocatione Trinitatis*, ſed ſolùm, *quorum remiſeritis peccata*; ergo non eſt neceſſaria inuocatio Trinitatis. Ex quo patet, quod multò minus eſt neceſſe, quod quis dicat *Abſoluo te ab omnibus peccatis tuis*; vt vult Gabriel in 4. diſt. 14. quæſt. 2. imò nec debet dicat *ab omnibus &c.* tum quia in Rituali nouo Romano expuncta ſunt illa verba *ab omnibus*; tum quia falſa poſſet reddi forma; nam ſi pœnitens tacuit peccatum aliquod veniale, certe ab illo non abſoluit; ergo ab omnibus non abſoluit, ſed tantùm à confeſſis.

7 Dices: Si eo ipſo, quod Sacerdos dicit tãtùm *abſoluo te*, determinatur forma ex circumſtantijs, & communi hominum exiſtimatione ſuppoſita peccatorum confeſſione ad abſolutionem illius pœnitentis à peccatis; ergo etiam poſita confeſſione, ſi Sacerdos tantùm dicat,

abſol-

Digitized by Google

abſoluo, determinatur tale verbum ab abſolutionem à peccatis; ergo non eſt neceſse addere ly *te*, ſed ſufficiet dicere *abſoluo*. Sed contra; quia actio abſolutiua debet eſſe determinata ad ſubiectum: ſed per ly *abſoluo* non determinatur ad ſubiectum; ergo non ſufficit, niſi dicatur *abſoluo te*; quemadmodum enim ſi Iudex audito reo ſolum diceret *abſoluo*, non per hoc diceretur reus ille abſolutus; nam ly *abſoluo* ſolitariè prolatum eſt indifferens, vt cadat tam ſuper hunc reum, quam ſupra alium, imò ſub nullum determinatè cadit, ita in propoſito dicendum eſt; & ratio eſt, quia actio magis pendet à termino, ſuper quem immediatè cadit, & circa quem verſatur, quã à termino *à quo*: ergo debet illum determinatè afficere; ſic in baptiſmate, & confirmatione &c. eſſentialiter debet dici *Baptizo te, confirmo te &c.*

8 Quæres primò. An ſaltem ea verba *à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, concurrant de facto ad infuſionem gratiæ, & remiſſionem peccati?

Reſpondeo, gratiam produci in inſtanti prolationis illorum verborum *Abſoluo te*, nec alia verba concurrere. Eſt contra Vaſquez q.84. dub.4. Henriquez lib.4. de pœnitentia cap.11. Amicum loco citato nu. 17. qui volunt ly *à peccatis tuis* concurrere ad infuſionem gratiæ, licèt concedant alia *In nomine Patris &c.* non concurrere; noſtra tamen reſponſio eſt Gonet. loco cit. nu.11. Lugi loco cit nu.28. Arriagæ diſp.49. ſect. 5. & communis. Probatur breuiter: effectus ponitur neceſſariò poſita cauſa ſufficienti, & eſſentiali: ſed poſita confeſſione doloroſa peccatorum, cum propoſito ſatisfaciendi, & illis verbis, *abſoluo te*, cum debita intentione abſoluendi eſt poſita cauſa ſufficiens, & eſſentialis; ergo ſtatim producitur gratia.

9 Dices primò. Differri ex intentione proferentis. Sed contra, quia effectus ſequitur neceſſariò poſita cauſa; ergo non eſt in poteſtate proferentis illum ſuſpendere. Confirmatur, quia ſi eſset in poteſtate proferentis ſuſpendere effectũ, ſi quis hoc modo diceret, *A peccatis tuis abſoluo te ego*, non deberet dari gratia, donec prolatum eſset verbum *ego*; imò poſsent addi plura alia verba, nempe *Abſoluo te à peccatis tuis, ſcilicet mendacijs, periurijs, furtis, & alijs, quæ confeſsus es ego*, quis autem non videat hoc eſse abſurdum; cum non ſit in poteſtate proferentis ſuſpendere effectum, ſed neceſsariò ſequatur poſita cauſa ſufficienti.

10 Dices ſecundò ex Amico. Effectus Sacramenti pendet non ſolùm ex materia, & forma, ſed etiam ex intentione miniſtri, vt conſtat ex Florentino: ſed poteſt miniſter habere intentionem abſoluendi à peccatis poſt totam formam, quoad omnia verba etiam non eſsentialia abſolutam; ergo tantùm tunc producetur gratia, non ante, cum antè non habuerit intentionem. Confirmatur, poteſt Confeſsarius abſoluere ab vno veniali, non ab alio; Sacerdos conſecrans poteſt ex decem hoſtijs velle conſecrare vnam, non alias. Baptizans per trinam immerſionem velle eleuare aquam ad faciendum Sacramentum in prima, non in ſecunda; ergo à pari poterit habere intentionem abſoluendi à peccatis poſt totam formam abſolutam. Sed contra, quia quando Confeſsarius dicit verba, *abſoluo te*, vel habet intentionem abſoluendi actualem, vel ſaltem virtualem, & faciendi, quod facit Eccleſia, vel nullam intentionem habet: ſi habet; ergo poſita forma eſsentiali ab ipſo non dependet amplius, quod nõ ſequatur effectus, ſed neceſsariò ſequitur: ſi verò nullam habet; ergo licèt eam habeat poſt prolata verba eſsentialia formæ, nullum conficit Sacramentum, vt dictum eſt in tractatu de Sacramentis in communi q. 5. ar.6. Quæres ſecundò. Intentio enim requiritur ad dandam ſignificationem Sacramentalem formæ; ergo ſi verba eſſentialia formæ ſunt prolata ſine intentione, intentio non poteſt cadere ſupra ſignificationem: ablata autem ſignificatione, tollitur Sacramentum; vide quæ ibi dicta ſunt. Neque exempla, quæ adducit quicquam probant; nam Confeſſarius poteſt dirigere ſuam intentionem, vt cadat ſupra talem materiam ſufficientem ad faciendum Sacramentum, non ſupra aliam: ſic poteſt velle abſoluere ab vno veniali, non ab alio, validè, ſed non licitè; quia vnum veniale eſt materia ſufficiens ad conficiendum Sacramentum, item vnica ablutio eſt ſufficiens ad baptiſmum, & vnica hoſtia ad conſecrationem: at ſi nullam habet intentionem, quando profert verba eſsentialia formæ, etiam ſi poſtea eam habeat, talis intentio non poteſt cadere ſupra ſignificationem ſacramentalem, & ideò nullum eſt Sacramentum.

11 Quæres 2. An forma Sacramenti Pœnitentiæ deprecatoriè prolata, ſit valida?

Reſpondeo, abſolutionem per modum deprecationis expreſsam non eſse validam. Ita D.Thom. hic quæſt.84. art. 3. & opuſc.22. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, vt teſtatur Gonet diſp. 12. ar.8. Suarez diſp.19. ſect.1. Vaſquez q. 84. ar.3 dub.3. Lugus, Arriaga, Amicus

locis

Digitized by Google

locis citatis, contra Alenſem, Bonauenturam, Mayronem, & alios antiquos relatos à D. Thom. dicto opuſculo, qui eos confutat; quorum opinionem iampridem è ſcholis exploſam, nouiſſimè docuerunt Ioannes Morinus, & Ioannes Launoyus, quos refellunt Baronius p. 2. Theologiæ moralis diſp. 2. ſect. 3. ar. 3. & Nicolai 8. par. quæſt. 84. art. 3. Vaſquez, Amicus, & Gonet, qui volunt eſſe erroneam.

12 Probatur ex Trid. ſeſs. 14. cap. 3. vbi habet: *Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe, ego te abſoluo &c.* Et can. 9. definit abſolutionem debere fieri per actum iudicialem, & non eſſe nudum miniſterium: ſed ſi forma deprecatoriè prolata eſſet ſufficiens, non conſiſteret in illis miniſtri verbis, *ego te abſoluo &c.* & iam pœnitens eſſet abſolutus, quando miniſter dicit, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat*; & iſta: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus.* Cum tamen à Trid. loco citato dicantur laudabiles preces, quæ tamen ad eſſentiæ formam minimè ſpectant; ergo ſi clarè conſtat ex Trid. debere formam proferri per modum iudicij, & Sacerdotem abſoluentem eſſe Iudicem, & iudicium in abſolutione exercere, non poteſt abſolutio fieri modo deprecatorio, quia deprecatio eſt per modum ſupplicantis, Iudex autem eſt per modum auctoritatem exercentis.

13 Dices primò. Remittere peccata eſt proprium Dei; ergo Sacerdotes tantùm remittunt per modum deprecatium. Sed contra: eſt proprium Dei remittere peccata per modum agentis principalis; cum quo ſtat, quod Sacerdotes, vt miniſtri delegati, ſint verè iudices abſoluentes, & remittentes peccata.

14 Dices ſecundò. Græci non abſoluunt, niſi deprecatiuo modo. Sed contra falſum antecedens, vt Pater Goar Ordinis Prædicatorum teſtatur ex Goneto loco citato, & idem docet Arcudius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. nam phraſi Græcæ, qua dicitur, *Habeo te abſolutum* æquiualet Latinè *ego te abſoluo.*

15 Dices tertiò. Græci deprecatiuè baptizant dicendo, *Baptizetur ſeruus Chriſti*, ergo etiam poteſt dari abſolutio. Sed contra falſum eſt antecedens, vt rectè obſeruarunt P. Nicolai 3. par. q. 60 art. 8. & 66. art. 5. Lugus, & alij; non enim dicunt *baptizetur*, ſed *baptizatur*; quo ſenſu etiam vera eſſet abſolutio, ſi in paſſiuo dicatur: *Tu abſolueris à me à peccatis tuis*; vel *Petrus abſoluitur à me à peccatis.* Tunc enim non fit mutatio eſſentialis formæ:

16 Dices quartò. Sacramentum Extremæ Vnctionis fit modo deprecatiuo; ergo & Pœnitentiæ. Sed contra: negat D. Thom. in opuſc. cit. conſequentiam, quia in extrema vnctione petitur etiam ſalus corporis, quam non ſemper expedit dare, & ideò eſt modo deprecatiuo; at in Sacramento Pęnitentiæ datur gratia, quam ſemper expedit dare, & debet dari per modum iudicij.

17 Dices quintò. In can. *Multiplex* de pœnitentia diſt. 1. habetur ex Leone Papa: *Indulgentiam Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum obtineri non poſſe.* Sed contra reſpondet D. Thom. hic quæſt. 84. ar. 1. ad 2. talem locum intelligi de orationibus, quæ præmittuntur ad abſolutionem, quæ preces non ſpectant ad eſſentiam formæ, vt inquit Trid. loco cit. ſeſs. 14. cap. 3.

ARTICVLVS IV.

Quem ſenſum habeant ea verba Abſoluo te &c.

1 DIfficultas procedit in caſu, quo quis iam eſt abſolutus per præcedentem confeſſionem, & à culpa, & à pœna, ſi denuò ſubijciat eadem peccata clauibus Eccleſiæ, quomodo poſſit intelligi, quod verificetur forma? nam, quando non eſt pœnitens abſolutus, facilè intelligimus, quomodo forma verificetur; ſuppono enim cum communi, & vera, quod Sacerdotes verè habeant poteſtatem abſoluendi à culpa, quo caſu clarè intelligimus, quod ſenſus illorum verborum *Abſoluo te &c.* poſſit eſſe, *ſoluo te à vinculis peccatorum tuorum, & à pœnis æternis, quas pro his peccatis merebaris.*

2 In hac quæſtione poteſt verè illud dici, quot capita, tot ſententiæ, aliquas ponam, & probabiliorem ſeligam.

3 Prima eſt Magiſtri in 4. diſtinc. 18. quem ſecuti ſunt Bonauentur. Gabriel, Maior, Alenſis, & alij: hæc vult ſenſum illorum verborum *Ego te abſoluo*, idem eſſe, ac abſolutum oſtendo, & declaro. Secunda, quod ſit idem, ac libero te ab obligatione ſubijciendi peccata tua clauibus Eccleſię, hanc indicant Bonauent. & Alenſis. Tertia libero te à debito pœnæ ęternæ, vel temporalis; ſic Vgo de S. Victore, & Scotus in 4. diſt. 14. q. 2. Verum hæ omnes opiniones fundantur in falſa opinione, quod Sacerdos abſoluens non poſſit remittere culpam, ſed tantùm pœnam. Et quidem Magiſtri opinio contradicit Concilio Tride. ſeſs. 14. cap. 3. vbi habet: *Res, & effectus huius Sacramenti quantùm ad eius vim, & efficaciam*

Digitized by Google

tatiam pertinet, *reconciliatio eſt cum Deo;* Sed reconciliatio fit per gratiam remiſſiuam culpæ: ergo non eſt idem *Te abſoluo*, ac *abſolutum oſtendo, & declaro*. Et can. 9. dicitur: *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti &c. anathema ſit.* Quæ definitio, vt patet videtur eſse apertè contra opinionem Magiſtri. Vnde D. Thom. opuſc. 22. cap. 1. vocat hanc Magiſtri opinionem præſumptuoſam, & erroneam. Ex quibus locis Tridentt. etiam ruunt ſecunda, & tertia opinio, & amplius ſic reijciuntur: quia ſi quis ſit alias confeſſus peccata ſua, & ſi liber à culpa, & pœna non tantùm æterna, ſed etiam temporali, vt de facto poteſt eſse, iam hic non habet debitum ſubijciendi clauibus Eccleſiæ peccata ſua, quia iam ſemel ritè ea ſubiecit, nec poteſt liberari ab vlla pæna, quia ſuppono ipſum iam eſse liberum; & tamen poteſt iterum abſolui, ſi demùm confiteatur peccata iam confeſsa, ergo ſenſus formæ abſolutionis non eſt ille, quem iſtæ opinones aſſignant.

4 Ex dictis remanet etiam confutata opinio Medinæ Cod. de Pœnitentia, qui docet ly, *abſoluo te*, eſſe idem, ac aperio tibi Ianuam Regni Cœleſtis; ſi enim quis iam ſit in gratia, & ſine peccato, huic certè eſt aperta Ianua Regni Cœleſtis; & nihilominus poteſt Sanctè, & bene iterum confiteri peccata remiſſa, & abſolutionem obtinere.

5 Quinta opinio eſt Coninchi diſ. 4. dub. 8. qui dicit peccatum præteritum ſemper remitti de nouo, quatenus etiam poſt ablatam culpam, & remiſſam pœnam remanet ſemper aliqua indignitas, qua ceteris paribus ille, qui peccauit minus dignus eſt, vt accipiat beneficium à Deo, quam alius, qui numquam peccauit.

Sexta eſt Lugi hic diſp. 13. ſect. 3. qui dicit ſenſum verborum formæ abſolutionis eſſe. *Ego te ſoluo à vinculis*, vel *tibi remitto offenſam diuinam*, quam formam, ſi Sacramentum ſit inualidum defectu diſpoſitionis ſubiecti, dicit non eſſe neceſſe, quod verificetur: ſi verò ſit validum, & informe, dicit verificari eo modo, quo verificatur forma ordinis in eo, qui eſt in peccato, dum Epiſcopus dicit, *accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ verba faciunt hunc ſenſum, *quantùm eſt in me do tibi Spiritum Sanctum*; & in propoſito facit hunc ſenſum. *quantùm eſt in me ſoluo te à vinculis*. Si verò quis iam ſit abſolutus, & liber à pœna, & culpa, dicit in eo caſu etiam eſſe vera ea verba, quia non mentitur, qui poſt dimiſſum ſemel debitum, vel offenſam, iterum rogatus dicit ſe dimittere; eo modo, quo ille, qui vota religionis emiſit poteſt ſæpius renouare eadem vota.

Septima eſt D. Tho. hic qu. 84. art. 3. ad 5. Caiet. ibidem Gonet diſp. 2. ar. 3. & communis Thomiſtarum, hæc docet ſenſum formæ abſolutionis eſſe; *ego tibi Sacramentum abſolutionis impendo*: ideſt quantùm eſt ex me verè te abſoluo à vinculis, & gratiam remiſſiuam peccati tibi confero; hanc tenent etiam Suarez diſp. 19. ſect. 2. Amicus diſp. 11. ſect. 5. Arriaga diſp. 49. ſect. 6. ſubſec. 3. & communiter Doctores.

6 Concluſio prima reijciuntur opiniones Coninchi, & Lugi. Impugnatur opinio Coninchi: vel per abſolutionem minuitur illa indignitas, vel ſeper remanet eadem: ſi minuitur; ergo cum ſit finita per repetitas abſolutiones poterit omninò deſtrui, vt de facto concedit idem auctor in Beatis, qui peccarunt, eſt enim in iſtis omninò deſtructa; deſtruatur ergo in viatore, vel per repetitas abſolutiones, vel quia Deus dando gratiam cedat omni iuri ſuo, adhuc iſte viator poterit confiteri iterùm peccata ſua, & verè abſolui: ſed non poteſt abſolui à peccatis, & pœnis, quia ſuppono iam hæc omnia eſſe remiſſa; non abſolui ab ea indignitate, quia iam eſt omninò deſtructa; ergo alium ſenſum debent habere illa verba, *abſoluo te*. Si vero dicatur, quod illa indignitas remaneat ſemper eadem, ergo ab ea per Sacramentum non abſoluitur; etenim, ſi quis poſt abſolutionem remanet ligatus, vt ita dicam ea indignitate, certe ab ea per abſolutionem non abſoluitur.

6 Eodem fere modo reijcitur opinio Cardinalis de Lugo; nam ſi ſenſus verborum formæ eſt, *ego te abſoluo à vinculis*, vel *tibi remitto offenſam diuinam*, ſi ſupponatur caſus, quod quis ſit iam liber à vinculis peccatorum, & ei remiſſa ſit offenſa diuina, quomodo poterit adhuc ſolui à vinculis, aut ei remitti offenſa diuina?

8 Dices ſicuti non mentitur, qui poſt dimiſſum ſemel debitum, iterùm rogatus dicit, ſe dimittere, & qui ſemel vouit, poteſt iterùm vouere; ita licet pœnitens ſit liber ab omni pęna, & culpa, tamen, cum iterum roget confitendo peccata ſua iam confeſsa, & abſoluta, poterit iterùm cum veritate abſolui. Sed contra bene capio, quod qui eſt obligatus ad votum, poteſt iterùm ſe obligare, quia qui eſt ligatus, poteſt magis ligari, & vinculis obſtringi; ſicuti, qui eſt indutus veſtibus, poteſt alijs ſuperindui: at ſicuti, qui eſt omninò ſpoliatus veſtibus,

Digitized by Google

bus, non poteſt amplius ſpoliari; ita, qui omninò liber eſt à culpa, & pæna, non poteſt amplius liberari; à quo enim debet liberari, cum nihil in eo ſit, à quo teneatur? vnde falſum eſt, quod poſt dimiſſum omninò debitum, iterum rogatus aliquis, vt dimittat idem debitum, poſſit cum veritate dicere, nunc remitto; etenim cum remittere ſit cedere iuri, quod habet, ſi nullum ius hic, & nunc habet contra aliquem, certè nulli iuri cedere poteſt, vt ex terminis ipſis conſtat.

9 Concluſio ſecunda. Senſus proprius verborum formæ abſolutionis eſt, *Ego confero tibi gratiam ex ſe remiſſiuam eius peccati, quod commiſiſti.* Et idem eſt ſenſus Angelici Doctoris, dum dicit idem eſſe dicere *abſoluo te &c.* ac *Sacramentum abſolutionis tibi impendo*, dum enim dicit, *impendo Sacramentum*, cum omnia Sacramenta ſint collatiua gratiæ, idem eſt dicere *impendo Sacramentum*, ac *do tibi gratiam, quam omnia Sacramenta cauſant*; dum verò dicit *abſolutionis* ponit differentiam huius Sacramenti ab alijs, nam producit gratiam remiſſiuam peccati quantũ eſt ex ſe, ſi remiſsum non ſit. Quo ſenſu ſemper talis forma eſt vera; nam vel pœnitens habet peccata, & verum recipit Sacramentum cum fructu, & ſic peccata ei dimittuntur, & pœna remittitur, vel eſt validum, ſed informe, & tunc adhuc eſt vera talis forma, quia vel reuiuiſcet Sacramentum, & tunc gratia remittet peccatum; vel non reuiuiſcet, & tunc adhuc eſt vera; ſicuti enim in ordinis collatione Epiſcopus dicit, *Accipe Spiritum Sanctum*; qui tamen non recipitur, ſi ſubiectum non ſit diſpoſitum; & tamen verum dicit, quia ſenſus illorum verborum eſt, *Quantùm eſt ex me do tibi Spiritum Sanctum*, qui ſenſus ſemper eſt verus, ita & in propoſito. Vel tertiò nullum eſt Sacramentum, & tunc non eſt neceſſe, quod forma verificetur. Vel quartò peccata ſunt dimiſſa, ſed non tota pœna, & tunc eſt vera, quia gratia illa eſt remiſſiua pœnæ. Vel quintò tota culpa, & pæna remiſſa eſt, & tunc adhuc eſt vera, quia quantùm eſt ex ſe illa gratia, quæ confertur eſt remiſſiua, ſi adeſſet aliquid in ſubiecto, quod remittendum eſſet.

10 Obiicies primò ex Lugo. Verba abſolutionis debent eſſe vera in ſua naturali ſignificatione; ſed in ſua naturali ſignificatione ly *abſoluo te* non ſignificat gratiam; ergo in ſua naturali ſignificatione eſſent falſa.

Reſpondeo data maiori, & non conceſsa; nam multi dicunt in baptiſmo ly *baptizo* ſignificare ablutionem ſpiritualem; nego minorem; nam ſicuti homines, quando offenſo dicunt, *ego tibi remitto offenſam* idem ſignificant realiter, ac *ego te recipio in gratiam priſtinam*: ita multò magis in propoſito; nam pænitentes, dum confitentur peccata ſua id faciunt, vt recuperent gratiam diuinam, quam per peccatum amiſerant.

11 Obiicies 2. Quando homo confitetur ſola venialia non ſupponitur amiſiſse gratiam; ergo tunc verè non dicitur, *do tibi gratiam*.

Reſpondeo etiam venialia eſse offenſionem Dei, quæ offenſio, licèt leuis, tollitur per infuſionem gratiæ; vnde ſemper in noſtra ſententia practicè verba illa *Abſoluo te* ſunt vera, cum ſemper ponatur gratia, & ſolùm quando Sacramentum nullum eſt, non verificantur, ſed neque eſt neceſse, quod tunc verificentur.

ARTICVLVS V.

An hoc Sacramentum ſit neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem.

1 SAcramentum pænitentiæ eſſe neceſsarium lapſis poſt baptiſmum, ſicuti eſt neceſsarium baptiſma nondum regeneratis, eſt de fide definitum in Trid. ſeſs. 14. cap. 2. vbi habet. *Eſt autem hoc Sacramentum pænitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe baptiſmus.* Inſuper iure diuino neceſsarium eſse conſtat ex eodem Trid. cap. 5. & can. 6. & 7. Quare quæſtio eſt, an ſit neceſsarium neceſſitate medij, vel tantum præcepti diuini, & Eccleſiaſtici, & quomodo.

2 Concluſio. Sacramentum pænitentiæ in re, vel in voto eſt neceſsarium neceſſitate medii ad remittenda peccata poſt baptiſmum commiſsa. Probatur ex Trid. loco cit. cap. 2. vbi ſic definit. *Eſt autem hoc Sacramentum pænitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe baptiſmus.* Ex quo loco ſic argumẽtor. Eo modo per Concilium eſt neceſsarium Sacramentum pænitentiæ lapſis poſt baptiſmum, quo modo eſt neceſsarius baptiſmus nondum regeneratis: ſed baptiſmus nondum regeneratis eſt neceſsarius neceſſitate medij in re, vel in voto ad ſalutem; ergo etiam Sacramentum pænitentiæ lapſis poſt baptiſmum eſt neceſsarium in re, vel in voto neceſſitate medij ad ſalutem: minor patet ex eodem Concilio ſeſs. 6. cap. 4. & ex communi Doctorum: conſequentia ex ſe currit.

3 Probatur ratione. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medij, quod eſt neceſſa-

Digitized by Google

ceſſarium ad cauſandam primam gratiam. In hoc enim diſtinguitur neceſſitas medij à neceſſitate præcepti, quod ea, quæ ſunt tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti, ideo debent obſeruari, ne quis ea non obſeruando cadat per peccatum ab accepta gratia: vnde ſi omitterentur ex ignorantia inculpabili, cum tunc homo non peccet, neque amitteret ius ad gloriam: at ſi quis omittat ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, etiam ex ignorantia inculpabili, licèt non peccaret ea omittendo, nihlominus, cum ſint inſtituta ad cauſandam primam gratiam, ſine iſtis nullo modo poteſt haberi ſalus; atqui Sacramentum pęnitentiæ, vel eius votum eſt neceſſarium ad cauſandam primam gratiã in lapſis poſt baptiſmum; ergo eſt neceſſariũ neceſſitate medij: minor patet ex Trid ſeſſ. 14. cap. 4. vbi loquens de contritione ſic habet. *Etſi contritionem hanc aliquando charitatè perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur: ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in ea includitur, non eſſe adſcribendam.*

Differentia inter ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, & præcepti.

4 Vnde verò colligatur hæc neceſſitas medii huius Sacramẽti ex ſcriptura; Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. docet colligi ex illo Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt* & ex hoc loco docet iure diuino Apoſtolos relictos eſſe iudices, ad quos deferantur omnia peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa: nec Eccleſia potuit ex ſe hoc præceptum ab initio ponere, ſaltem quo ad peccata interna, quæ non ſubſunt eius foro, niſi Chriſtus hoc præcepiſſet. Poteſt autem deſumi hæc neceſſitas ex metaphora clauium regni cęleſtis, quas dedit Chriſtus Petro, & Apoſtolis omnibus dedit poteſtatem abſoluendi, & remittendi peccata; ſicuti enim nullus poteſt ingredi domum, ſi ianua fuerit clauſa, & niſi illa aperiatur; ita nullus poteſt ingredi cęlum, & ſaluari, ſi poſt baptiſmum mortaliter peccauit, niſi ianua cęli illi aperiatur, aperitur autem abſoluendo ipſum à peccatis ſuis: Quare Concilium, ex eo quod Chriſtus dedit Apoſtolis facultatem abſoluendi, & retinendi peccata poſt baptiſmum commiſſa, ſi quis poſt baptiſmum in mortale lapſus eſt, intulit, ipſum teneri iure diuino vti hoc medio Sacramenti pænitentiæ, vt à peccato liberari poſſit, & ſaluari.

5 Obijcies 1. Ad remiſſionem peccati mortalis poſt baptiſmum cõmiſſi ſufficit vera contritio: ſed cõtritio vera poteſt eſſe ſine voto Sacramenti pænitentiæ; ergo Sacramentum pænitentiæ, aut illius votum non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem; maior patet ex alibi dictis: probatur minor; nam poteſt fieri, vt quis exiſtens in peccato eliciat actum contritionis de peccatis ſuis propter offenſam Dei ſuper omnia dilecti, & nihilominus, vel ex obliuione, vel ex ignorantia inuincibili non recordetur Sacramenti confeſſionis; ſed in tali caſu nullum habebit votum Sacramenti pænitentiæ, & nihilominus iuſtificabitur: ergo hoc Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medij in re, vel in voto.

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem; ad probationem, conceſſa maiori, ad minorem dico, in tali caſu huiuſmodi pænitentem nullum habere votum explicitum Sacramenti pænitentię, quia cum illius non recordetur, vel habeat ignorantiam inuincibilem eiuſdem, illud explicitè non opptat; nihilominus dico habere votum implicitum, quatenus ſi homini ſic contrito veniat in memoriam Sacramentum pænitentiæ, & inſtet tempus illud recipiendi, vi eiuſdem contritionis vellet illud ſuſcipere, & tenetur illud ſuſcipere non eo modo, quo tenetur ſeruare vi contritionis alia præcepta; nam alia præcepta tenetur velle ſeruare, ne amittat gratiam; Sacramentum autem pænitentiæ tenetur velle tamquam cauſam influentem, & dantem primam gratiam.

6 Dices. Poſtquam quis elicuit actum contritionis, iam habet gratiam; ergo non poteſt recipere Sacramentum pænitentiæ, vt dans primam gratiam; ergo tantùm illud reſpicit vt alia pręcepta, quæ debet obſeruare, & quæ ſi non obſeruentur, quis cadet à gratia.

Reſpondeo, quod ſi quis, poſtquam elicuit actum contritionis, habet iam gratiam, habuit etiam votum implicitum Sacramenti pænitentiæ, ſine quo voto, vt inquit Concilium Trid. ſeſſ. cit. cap. 4. contritio non obtinuiſſet gratiam: diſtinguo poſtea conſequens; ergo poſtquam contritio cum voto Sacramenti attulit gratiam nõ poteſt reſpicere Sacramentum pænitentiæ in re ſuſcipiendum, vt dans primam gratiam, concedo conſequentiam: ergo abſolutè contritio non reſpicit Sacramentum in re, vel in voto, vt dans primam gratiam, nego conſequentiam; non enim dicimus, quod ſemper Sacramentum pænitentiæ in re ſit medium neceſſariũ, ſed eſt tantùm neceſſarium in re, vel in voto: poſito ergo, quod quis cum contritione, & voto explicito, vel implicito Sa-

Digitized by Google

to Sacramenti pænitentiæ iuſtificatus ſit, non tenetur ſuſcipere actu Sacramentũ pænitentiæ tamquam medium neceſſarium ad ſalutem, ſed ſolùm ne iterum cadat à gratia, ſicut tenetur obſeruare alia præcepta.

7 Obijcies 2. Sacerdotes habent etiam poteſtatem abſoluendi, & retinandi venialia, & tamen non eſt neceſſe ea deferre ad ſacerdotes, vt abſoluantur; ergo idem dicendum de mortalibus.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam etiamſi ſacerdotes nolent venialia abſoluere, nõ per hoc clauderetur homini ianua Regni cæleſtis, ſed adhuc habẽti venialia ianua cęli aperta eſset, quod dici non poteſt de mortalibus; vnde non ſunt venialia materia neceſſaria, ſed tantùm ſufficiens. Ideo &c.

8 Obijcies 3. Sacramentum pænitentiæ eſt inſtitutum in fauorem, & vtilitatem animarum; ſed nullum eſset priuilegium, & nullus fauor, ſed potius onus arduum impoſitum, ſi non poſsemus iuſtificari ſine Sacramento pænitentiæ, ſiquidem ante Euangelium poterant homines iuſtificari ſine ſacramento pænitentiæ, vel eius voto; ergo dicendum eſt non eſse neceſsarium neceſſitate medij.

Reſpondeo negando minorem; nam maximum priuilegium datum eſt nunc fidelibus, quod poſſint iuſtificari cum attritione, quæ cum Sacramento iuſtificat, cum facilius hæc haberi poſſit, quam contritio; & licèt confeſſio peccatorum poſſit vocari onus, coniuncta eſt tamen cum tot aliis vtilitatibus, vt propriè non ſit onus, per hanc enim participes efficimur paſſionis Chriſti, cuius merita per hoc Sacramentũ nobis communicatur: per hoc Sacramẽtũ, vt docet Conc. Trid. ſeſs. 14. c. 3. *Conſcientia pax, ac ſerenitas cum vehementiſpiritus conſolatione conſequi ſolet*, & ex alia parte, ſi quis inuincibiliter ignoraret hoc Sacramẽtũ, vel illius obliuionem haberet, eliciendo actum contritionis; quæ eſset etiam votũ ſolùm implicitum illius Sacramẽti iuſtificaretur; ad hanc autẽ cõtritionẽ eliciẽdã nullà prorſus maior difficultas nunc eſt, quam fuiſset in eliciendo actum contritionis ante Euangelium, vnde Sacramenti pænitentiæ inſtitutio non onus, ſed maximum Eccleſię priuilegium dicendum eſt.

9 Quæres quando nam hoc præceptum diuinum obliget?

Reſpondeo obligare in articulo, vel periculo mortis eo modo, quo ſupra diximus de obligatione contritionis, vide, que ibi dicta ſunt; eſt enim eadem ratio. De præcepto verò annuæ confeſſionis infra dicemus agentes de confeſſione.

QVÆSTIO IV.

De confeſſione.

CVm ex dictis conſtet, partes Sacramenti pænitentiæ, quæ conſtituunt materiam proximam ipſius Sacramenti, eſse contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, hinc meritò poſtquam de eſsentia, & neceſſitate ipſius Sacramenti egimus, de partibus ipſius agendum eſt; verùm cum ea, quæ de contritione dici poſsent, iam explicata ſint ſupra agentes de pænitentia virtute, hinc eſt, quod hic de contritione nihil peculiare dicemus, eadem enim contritio, & attritio, quæ ſunt actus virtutis pænitentiæ ſpectant ad materiam proximam Sacramenti pænitentiæ. Quare ſtatim gradum facimus ad ſecundam partem, nempe, confeſſionem, de qua variæ, & celebres ſolent agitari difficultates, & ſi aliqua de contritione videntur deſiderari, ex dicendis de confeſſione facilè, & aptius explicabuntur.

ARTICVLVS I.

Quæ peccata ſint materia neceſſaria, vel ſufficiens confeſſionis ſacramentalis.

1 MAteria confeſſionis ſacramentalis duplex eſt remota, & proxima; remota ſunt peccata, quæ per ſacramentalem confeſſionem deſtruenda ſunt, vnde non ſunt materia, ex qua conſtituatur Sacramentum, ſed circa quam Sacramentum verſatur; & quæ ſupponitur, vt poſſit iudicium fieri. Hæc autem peccata, vel ſunt mortalia numquam confeſsa, vel aliquando confeſsa, vel venialia; mortalia numquam confeſsa ſunt materia neceſſaria, ideſt ſunt materia, quę debet neceſsariò ſupponi clauibus Eccleſiæ; mortalia alia confeſsa, & venialia ſunt materia ſufficiens, nempe, quæ eſt ſufficiens, vt Sacramentum conficiatur, non tamen ſunt neceſsariò confitenda: inſuper peccata, vel poſsunt conſiderari, vt commiſsa ante baptiſmum, vel poſt baptiſmum, vel vt commiſsa ſunt in ipſo actu, quo recipitur baptiſmus; & de his omnibus poteſt eſse dubitatio, an ſint materia remota Sacramenti pœnitentiæ. Proxima verò materia ex qua conſtituitur Sacramentum ſunt tres actus pœnitentis, nempe contritio, con-

 feſſio,

Digitized by Google

feſſio, & ſatisfactio; hi enim actus ſunt partes integrantes materiam huius Sacramenti.

2 Suppono tamquam certum inter Theologos, peccata commiſſa ante baptiſmum nullo modo eſſe materiam huius Sacramenti: ſunt enim peccata hominis, qui nec dum eſt ſudditus Eccleſiæ, & cum *Eccleſia*, vt definit Trid. ſeſs. 14. cap. 2. *In neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi inquit Apoſtolus de ijs, qui foris ſunt iudicare?* 1. ad Cor. 5. hinc eſt, quod nec originale, nec veniale, nec mortale ante baptiſmum commiſſa vllo modo ſunt materia huius Sacramenti; neque Eccleſia poteſt hæc iudicare, ſed omnia hæc delentur per baptiſmum, tàm quoad culpam, quàm quoad pœnam. Hoc tamen totum verum eſt ſuppoſita voluntate Chriſti, qui ſic inſtituit; ſecus cum ipſe haberet iuriſdictionem etiam in non baptizatos, potuiſſet hanc etiam communicare Eccleſiæ, vt Sacerdotes abſoluerent etiam non baptizatos; at de facto eam non communicauit, vt ex Trid. & Apoſtolo locis citatis diximus.

3 De peccatis commiſſis in ipſo inſtanti baptiſmi, an ſint materia confeſſionis, dictum eſt fusè de Sacramentis in communi qu. 3. art. 12. vbi diximus, talia peccata, ſiue ſint concomitantia baptiſmum, ſiue ſubſequentia debere explicari in confeſſione, quia ſunt peccata hominis habentis characterem, & ſubditi Eccleſiæ, & hanc opinionem eſſe in praxi ſequēdam notant Lugus diſ. 16. ſect. 1. & Arriaga diſp. 81. ſect. 1. licèt ſpeculatiuè contraria poſſit ſuſtineri; & rationem reddunt; quia nemo ſcire poteſt quando terminatum fuerit Sacramentum baptiſmi, neque quando deſierit voluntas illa mala, quæ erat peccatum mortale; quare cum homo ſcire nequeat, an illa voluntas mala deſierit ante inſtans illud, quo terminatur baptiſmus, vel continuata fuerit, debet tale peccatum ſaltèm tamquam dubiū confiteri ſecundùm malitias proprias talis peccati.

4 Concluſio. Peccata mortalia commiſſa ab homine poſt baptiſmum ſunt materia neceſſaria Sacramenti pænitentiæ; venialia verò, & mortalia aliàs confeſſa ſunt materia ſufficiens. Prima pars eſt de fide ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ſunt enim peccata hominis ſubditi Eccleſiæ, & quæ à Sacerdotibus abſolui poſſunt, & debent.

5 Secunda pars, quod mortalia aliàs confeſſa ſint materia ſufficiens, licèt aliqui dubitauerint, nihilominus certum eſt. Ita docet Benedictus XI. in Extrauaganti 1. de Priuilegijs; vbi dicit *eſſe ſalubrem talem confeſſionem*, & ſic habet communis vſus fidelium, qui peccata aliàs confeſſa clauibus iterùm ſubijciūt. Ratio eſt; quia vbi eſt noua materia proxima, & noua forma cum debita intentione, ibi poteſt eſſe nouum Sacramentum: ſed dum quis de nouo confitetur peccata alias confeſſa ponit nouam materiam, & ponitur noua forma cum debita intentione; ergo ponitur nouum Sacramentum.

6 Quod verò peccata venialia ſint materia ſufficiens definitum eſt in Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7.

7 Obijcies 1. contra ſecundam partem. Quando peccatum eſt iam remiſſum tunc nō poteſt verificari forma abſolutionis; ergo &c. Verùm ad hoc argumentum iam reſponſum fuit ſupra quæſt. præcedenti explicando ſenſum verborum formæ abſolutionis.

8 Obijcies 2. Poſt latam definitiuā ſententiam ſuper aliquam litem in vltimo iudicio fruſtraneum eſt eamdem litem in iudicium adducere: ſed iudicium abſolutionis eſt vltima, & definitiua ſententia de peccatis; ergo fruſtra iterum in iudicium adducuntur.

Reſpondeo non eſſe eamdem rationem iudicij ſecularis, & ſacramentalis; nam in illo poſt datam definitiuam ſententiam ex natura ſentētiæ nihil ſupereſt abſoluendum, aut condemnandum; at in hoc ex natura abſolutionis ſupereſt aliquid pœnæ exoluendæ, & dato etiam, quod nihil ſupereſſet pœnæ exoluendæ, ſemper remanet effectus Sacramenti, qui poteſt conferri, nempe gratia. ideò &c.

ARTICVLVS II.

An, dum quis facit confeſſionem generalem, teneatur diſtinguere peccata aliàs confeſſa à non confeſſis.

1 Diximus peccata aliàs confeſſa eſſe materiam ſufficientem confeſſionis, ex hoc oritur dubium, an ſi quis dicat Confeſſario ſe velle facere confeſſionem generalem, & poſtea confiteatur peccata ſua, & non diſtinguat in confeſſione peccata aliàs confeſſa à non confeſſis, confeſſio ſit valida, & bona. [illegible]

2 Prima opinio eſt Luiſij Turriani in opuſc. Theolog. Centur. Theolog. 4. dub. 7. hæc vult neceſſariò debere pœnitentem diſtinguere in confeſſione peccata aliàs confeſſa à non confeſſis; & ità

Digitized by Google

ità hanc opinionem amplectitur, vt dicat contrariam non eſſe probabilem, nec in praxi tutam, ſed potiùs bonis moribus perniciosſam.

Secunda communis opinio docet nō eſſe neceſſe, quod pœnitens diſtinguat peccata. Ita noſter Homobonus de Bonis volum.2. par.5.reſp.132. Sanchez in decalogum lib.1. cap.10. num.71. Suarez diſp.22. ſect.9. Bonacina diſp.5. de Sacra. quæſt. 5. ſect.2. p. 2. §. 3. diff.4. Lugus hic diſp.16.ſect.2. Arriaga diſ.31. ſect.2. Boſſius par.2. mor. tit.1. n. 1765. & alij apud ipſum.

3 Concluſio noſtra eſt cum hac ſecunda ſententia. Probatur, quia illa eſt valida, & fructuoſa confeſſio, in qua pœnitens ſe accuſat de omnibus peccatis à ſe commiſſis explicando ſpecies, & numerum: ſed in propoſito pœnitens ita ſe accuſaret; ergo validam, & fructuoſam confeſſionem faciet; cum enim peccata ſint eadem, ſiue antea confeſſus ea fuerit, ſiue non, & confeſſarius ea ſic apprehendat, veram, & integram facit pœnitens confeſſionem.

4 Obijcies 1. Magis diſtat peccatum mortale remiſſum à non remiſſo, quam veniale à mortali; nam ens & non ens magis diſtant, quam ens magnum, & paruum: ſed pœnitens debet explicare eam circumſtantiam, quæ facit, vt peccatum tranſeat de veniali in mortale, vel è contra; ergo etiam debet fateri, an aliàs confeſſus ſit tale peccatum, vel nō, cum hoc transferat materiam neceſſariā in non neceſſariam.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: magis diſtat peccatum mortale remiſſum à non remiſſo, quam veniale, & mortale, quando commiſſa fuere huiuſmodi peccata, nego maiorem: ſecundum ſtatum præſentem, concedo maiorem; concedo poſtea minorem, & nego conſequentiam; nam pœnitens non ſe accuſat de perſeuerantia peccati, ſed de peccato, quod commiſit; Secus deberet etiam dicere, ſi de peccato habuit contritionem, vel ſolùm attritionē; nam poſita contritione eſt non ens; hoc autem nullus admittit.

5 Obijcies 2. Poteſt ſæpè contingere, quod caſus ſit reſeruatus, quando tale peccatum commiſſum fuit, vel è contra; ergo debet explicari, vt cognoſcatur.

Reſpondeo, quod ſi confiteatur alicui non habenti iuriſdictionem abſoluendi à reſeruatis, & habeat caſum reſeruatū, vtique illud debet dicere; Verùm hoc ceſſat, ſi confiteatur habenti iuriſdictionem; ſecundò ceſſat, ſi non eſt reſeruatum, & in articulo mortis, quando nulla eſt reſeruatio. Ideò &c.

6 Obijcies 3. poteſt pœnitens eſſe in proxima occaſione peccandi; ergo debet fateri, an aliàs confeſſus ſit tale peccatum.

Reſpondeo, quod vtique, ſi eſt in proxima occaſione peccandi, debet hoc dicere, at non ſequitur, quod debeat fateri ſe alias confeſſum eſſe talia peccata, ſed tantùm, quod ſit in proxima occaſione peccandi.

7 Obijcies 4. Si pœnitens habet conſuetudinem præſentem peccandi debet illam explicare, vt Sacerdos applicet medicinam, & iudicet; ergo &c.

Reſpondeo hoc argumentum nullum eſſe; nam ex eo, quod nunc confiteatur omnia peccata ſua poteſt Sacerdos cognoſcere, an habeat conſuetudinem peccandi, & magis, quam ſi confiteretur tantùm peccata, de quibus aliàs non eſt confeſſus.

8 Obijcies 5. Poteſt Confeſſarius interrogare, an huiuſmodi peccata aliàs confeſſus ſit; ergo & pœnitens reſpondere.

Reſpondeo concedendo, quod poſſit interrogare: at ſi non interrogat, non ſequitur, quod pœnitens id teneatur dicere, ſed tantùm, quod interrogatus poſſit reſpondere, & vtique melius faciet; at non ſequitur, quod ſi Confeſſarius non interroget, nec pœnitens illud explicet, valida, & fructuoſa non ſit confeſſio.

Dico 2. quod etiamſi interroget poteſt non directè reſpondere, ſed ſolùm dicere; *ego hæc omnia peccata commiſi, & de illis doleo paratus adimplere omnem pœnitentiam, quam mihi iniunget.*

9 Obijcies 6. Qui dicit ſe velle facere confeſſionem generalem, dicit ſe velle fateri peccata alias confeſſa; ergò decipiet Confeſſarium, nec proportionatam poterit iniungere pœnitentiam.

Reſpondeo quod, qui dicit ſe velle facere confeſſionem generalem, dicit ſe velle omnia peccata fateri à ſe commiſſa; ergo ſi ea omnia confitetur, etiamſi non dicat de tali, & tali iam confeſſus ſum, & abſolutus, nihilominus verum dicit; cum omnia illa peccata commiſerit paratus omnem adimplere pœnitentiam.

10 Aliud argumentum tangit Lugus, quod peccatum factum hodie non ſit id, quod factum fuit heri; & conſequentèr non videatur quis fateri idem numero peccatum, niſi dicat tempus. Sed verè hoc argumentum non eſt ad rem præſentem; nam data Lugi ſententia, ſequeretur, quod pœnitens deberet dicere commiſi tale peccatum heri v. g. hora

Digitized by Google

hora tali, in tali inſtanti; non verò, quod aliàs illud confeſſus fuerit nec ne; & abſolutè eſt falſum; nam quod peccatum ſit commiſſum hodie, vel anno præterito non diuerſificat ipſum in genere moris, eſto ratione durationis eſſent phyſicè diuerſi; quod nihil ad punctum præſens conducit.

11 Quæres, an qui dicit ſe velle facere confeſſionem generalem teneatur confiteri omnia peccata aliàs ritè confeſſa, vel poſſit aliqua omittere.

Reſpondeo in confeſſione generali poſſe pœnitentem reticere ea peccata, quæ aliàs ritè confeſſus eſt. Contra Victoriam in ſumma §. 153. aliàs 166. & Ledeſmam 2. par. 4. quæſt. 8. art. 2. eſt tamen communis, Henriquez lib. 2. de pœnit. cap. 12. Dianæ tom. 2. tract. 4. reſol. 86. & aliorum apud ipſum, Lugi diſp. 16. ſect. 2. num. 56. & Arriagæ loco cit. num. 23. Ratio eſt, quia talia peccata non tenetur dicere cum illa ritè iam confeſſus ſit, & ab eis abſolutus; nec decipit Confeſſarium, aut falſum dicit, nam hic verè facit confeſſionem generalem plurimorum peccatorum, quæ aliàs confeſſus eſt, licèt non omnium; nam nec omnia dixit ſe velle fateri, ſecus teneretur fateri etiam omnia venialia, cum & illa ſint peccata.

ARTICVLVS III.

An peccata dubia ſint neceſſariò in confeſſione explicanda.

1 Quæſtio conſiſtit in hoc. Quis poſt factam diligentem diſcuſſionem conſcientiæ ſuæ, dubitat, an aliquod peccatum commiſerit, v. g. an conſenſerit alicui cogitationi prauæ furti, vindictæ, vel luxuriæ, & hoc dubium dicitur facti, ſeu actionis à ſe patratæ; vel quis ſcit, ſe aliquid feciſſe, & dubitat, an ſit veniale, vel mortale, puta, cum quis laborauit per horam in die feſto, vel furatus eſt aliquid, & dubitat, an tales actiones à ſe factæ ſint mortale, vel veniale, & hoc dicitur dubium de iure. Quæritur modò, an homo ſic dubitās teneatur huiuſmodi peccata dubia confiteri.

Dubium aliud facti aliud iuris.

Senſus quæſti.

2 Layman lib. 1. tract. 1. cap. 4. n. 37. Coninch. de Sacramentis diſp. 7. dub. 8. num. 69. Ioannes Præpoſitus in 3. p. q. 74 dub. 3. & quidam alij Doctores exiſtimant probabilem eſſe opinionem, quod quis non teneatur confiteri peccata dubia ſiue facti, ſiue iuris, quæ verè dubia ſunt, excepto tamen articulo mortis. Coninchus tamen ſolùm loquitur de dubio facti non iuris.

Cōmunis tamen, & vera ſentētia affirmat huiuſmodi peccata dubia eſſe neceſſariò cōfitenda, vt dubia. Sic Suar. Sanch. Nauarrus, Syluester, & innumeri alij Doctores, quorum plures allegat, & ſequitur Boſſius par. 2 mor. tit. 1. §. 48. Lugus hic diſp. 16. ſect. 2. §. 3. Arriaga diſpu. 31. ſect. 5. & alij.

3 Concluſio. Dubium ſiue facti, ſiue iuris de mortali, ſi poſt factam diligentem diſcuſſionem conſcientiæ adhuc perſeuerat, debet neceſſariò ſub dubio in confeſſione explicari. Probatur primò concluſio. Certum eſt, quod Chriſtus in inſtitutione Sacramenti Pœnitētiæ potuit obligare fideles, vt peccata mortalia dubia ſub dubio confiterentur ſicuti enim ante inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ tenebantur homines ad contritionem de illis in caſibus, in quibus obligat præceptum contritionis, ita potuit Chriſtus obligare fideles, vt hæc peccata dubia ſub dubio cōfiterentur: ſed quod Chriſtus ita inſtituerit, clarè deducitur ex vſu, & praxi omnium fidelium, cuius initium non agnoſcitur, & ex communi ſenſu Doctorum, qui communitèr tamquam rem certam hoc præceptum intellexerunt; ergo de facto adeſt hoc præceptum confitendi peccata mortalia dubia ſub dubio.

4 Probatur 2. Per Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. habetur *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri*; deinde excipit tantùm venialia ab obligatione confeſſionis; & poſtea infra habet. *Reliqua autem peccata, quæ diligentèr cogitanti non occurrunt, in eadem confeſſione in vniuerſum incluſa eſſe intelliguntur.* Sed verè de peccatis dubijs quis conſcientiam habet, nam conſcientia dubia eſt vera conſcientia, & memoriæ occurrunt, & occurrunt non tamquam venialia ſolùm; ergo ex Concilio clarè deducitur, quod ſint neceſſariò confitenda.

5 Obijcies primò. In dubio legis latæ lex non obligat, vt traditur communiter de legibus: ſed Chriſtus clarè, & expreſsè non obligauit ad confitenda peccata mortalia dubia; ergo hæc lex non obligat.

Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Chriſtus clarè, & expreſsè non obligauit ad confitenda peccata dubia; hoc eſt, iſtud non eſt definitum de fide tamquam certum, concedo minorem; non eſt certum moralitèr, & per concluſionem certam deductum, ita vt hoc non ſit dubium, nego minorem; ergo &c. nego conſequentiam: etenim aliud eſt, non conſtare de fide

hoc

Digitized by Google

hoc præceptum; aliud eſt, quod ſit dubium dari hoc præceptum; primum verum eſt; at ſecundum falſum; nam cum deducatur per rationes firmiſſimas; hoc præceptum non eſt amplius dubium, ſed moraliter certum, licèt non de fide.

6 Obijcies ſecundò. Si eſt neceſſarium confiteri peccata dubia, maximè quia Chriſtus potuit obligare ad eorum confeſſionem, & id deducitur ex praxi, & vſu totius Eccleſiæ: ſed hoc non ſufficit ad probandam neceſſitatem confeſſionis huiuſmodi peccatorum; ergo non datur huiuſmodi obligatio: maior eſt fundamentum noſtræ concluſionis: probatur minor: obligatio confitendi mortalia dubia, ſi datur, debet eſſe ex iure diuino: ſed praxis, & vſus Eccleſiæ non poteſt inducere, niſi præceptum humanum; ergo ſaltem ex præcepto diuino non tenemur ad eorum confeſſionē, & ſi tenemur, debet aſſignari fundamentum huius obligationis.

Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem, iterum concedo maiorem, & diſtinguo minorem: praxis, & vſus Eccleſiæ non poteſt inducere, niſi præceptum humanum, ſi ſecundùm ſe tantùm conſideretur, concedo minorem: ſi conſideretur vt explicatiua iuris diuini; nego minorem: ergo &c. negatur conſequentia; etenim nō dicimus nos, hoc præceptum eſſe tale ex praxi Eccleſiæ, ſed dicimus praxim Eccleſiæ immemorabilem, quæ orta fuit ab Apoſtolis, qui verè potuerunt cognoſcere mentem Chriſti, nobis certò moraliter indicare mentem ipſius Chriſti, quod ſint hæc peccata dubia neceſſario explicanda in confeſſione.

7 Obijcies tertiò. In alijs dubijs ſpeculatiuis, vt in dubio de lege, de voto, iuramento, obligatione reſtituendi, excommunicatione, irregularitate extra caſum homicidij, & ſimilibus, quis non obligatur præcepto, quia poſſeſſio ſtat pro libertate dubitantis, & ſtante tali dubio poteſt formari iudicium practicum; quod quis non teneatur, quia melior eſt cōditio poſſidentis: ſed hoc idem euenit, dum quis dubitat, an commiſerit peccatum, vel ſi ſciat illud commiſiſſe, nihilominus dubitat, an ſit mortale, vel veniale, & per conſequens etiam eſt dubius, an tale peccatum comprehendatur ſub præcepto confeſſionis; ergo ſicuti in alijs dubijs poteſt formare iudicium practicum, quod nō teneatur, quia melior eſt conditio poſſidentis; ita etiam in hoc dubio de obligatione confeſſionis talium peccatorum dicendum eſt.

Reſpondeo, quod non eſt dubium, an tale peccatum ſub præcepto confeſſionis cadat, fateor quidem non eſſe certum de fide; at nihilominus eſt moraliter certum, non dubium propter efficaces rationes adductas in probatione concluſionis; vnde argumentum nullum eſt, quidquid ſit de maiori.

8 Obijcies quartò. Trid dicit peccata mortalia, quo ad numerum, & ſpeciē eſſe confitenda, & mentionem non facit de dubijs peccatis: ergo ſignum eſt, quod hæc non ſunt neceſſariò explicanda.

Reſpondeo explicitè non facere mentionem de dubiis, facere tamen implicitè, dum excipit tantùm venialia, & dum dicit, ea confiteri debere, quorū poſt diligentem diſcuſſionem quis conſcientiam habet; vnde deducitur tantum non eſſe de fide, quod debeant talia peccata explicari in confeſſione; at non ſequitur, quod non ſit moraliter certum.

9 Ex dictis ſequitur primò opinionem contrariam non eſſe probabilem; cum ſit contra torrentem Scholaſticorum, ſenſum, & praxim totiùs Eccleſiæ, quare ad faciendam eam probabilem non ſufficit, quod aliqui id dixerint, præſertim, cum eorum fundamenta facilè ſoluantur.

10 Sequitur ſecundò à fortiori, quod ſi quis ſit certus ſe moraliter peccaſſe, dubitet tamen, an ſit confeſſus; tūc clariſſimè conſtare, quod talis teneatur ad tale peccatum confitendum; quia tunc poſſeſſio ſtat pro debito certo confeſſionis; à debito autem certo quis non liberatur per dubiam ſolutionem. Sic communiter omnes Doctores.

11 Colligitur tertiò. Diſparitas, cur in dubio, an caſus ſit reſeruatus non teneatur pænitens ſemper adire ſuperiorem, vt ab eo abſoluatur (dico ſemper, quia Lezana verb. Caſus reſeruatus, excipit aliquos caſus) ſi verò quis ſit dubius de peccato mortali ſemper teneatur illud in confeſſione explicare. Ratio enim diſparitatis eſt, quia obligatio confitendi dubia peccata prouenit ex voluntate Chriſti nobis manifeſtata per praxim, & communem ſenſum Eccleſiæ, & Doctorum: è contra verò, quod peccata ſint reſeruata, prouenit ex voluntate ſuperiorum, cōſtat autem ex cōmuni ſenſu Doctorū, quod peccata dubia non ſubſunt reſeruationi, cū tamen ſuperiores poſſent etiam illa reſeruare ſi vellent. Addo etiam, quod reſeruatio eſt odioſa pænitenti, confeſſio eſt in fauorem animæ, odioſa autem ſunt reſtringenda, fauorabilia amplianda; ceterum licet hæc ſecunda reſponſio ſit probabi-

Digitized by Google

babilis; firma tamen eſt prima.

12 Quæres. Quomodo peccata dubia ſint confitenda?

Reſpondeo. Peccata dubia debere explicari in confeſſione, vt dubia, non vt certa, & inſuper debent explicari circumſtantiæ mutantes ſpeciem. Sic Boſſius par.2.mor.titulo 1.nu.1763. & apud ipſum Suarez, Sanchez, Coninch, Breſſerus, Bonacina, & alij. Ratio eſt, quia dicere peccatum dubium pro certo eſt mendacium, & variat iudicium Confeſſarij, quare volunt eſſe ex genere ſuo mortale, licèt ſæpe excuſet ſimplicitas pænitentis, & bona fides eiuſdem exiſtimantis melius eſſe ſe accuſare, quam excuſare. Quod verò debeant explicari circumſtantiæ mutantes ſpeciem, patebit ex dicendis infra, cur debeant hæ circumſtantiæ explicari; tum quia hoc Trident. docet: tum quia ſine iſtis non poteſt Confeſſarius formare iudicium de ſtatu pænitentis. Verùm de hoc latius infra.

ARTICVLVS IV.

An peccatum confeſſum vt dubium, ſi poſtea cognoſcatur eſſe certum ſit iterum in confeſſione explicandum.

1 Status quæſtionis eſt. Quis cōfitetur peccatum tamquam dubium, quia non poteſt certò illius recordari; poſtea recordatu r, ſe certò illud commiſiſſe, quæritur, an teneatur iterum illud, vt certum confiteri.

2 Prima ſententia eſt affirmatiua. Sic Sanchez lib.1. ſum. cap.10. num.69. Turrianus de pænitentia q.9.a1.2.diſput. 26. dub.6. Hurtadus de Sacramentis diſp.9.de pænitentia diff.7. Diana p.2.tract. 4.reſol.91.

Secunda eſt negatiua, & hanc aliquatenus probabilē eſſe ſuſtinet Lugus diſp.16.de pænitentia ſect.4. illamq; dicit iudicaſſe probabilem Nicolaum Richardum Sacri Palatij Magiſtrum, eam vt probabilem ſuſtinet Breſſerus lib.4. de conſcientia cap.18.n.197. Merolla tom. 1.diſp.3. nu.557.& 559. ex Diana par.4. tract.3. reſol.5. eamdem vt non improbabilem iudicat Boſſius par.2.mor. tit.1. num.1769. & ſequentibus, & eam abſolutè ſequitur Arriaga diſp. 31. de pænitentia ſect. 6.

3 Concluſio. Probabilis eſt hæc ſecunda ſententia. Probatur voluntas Chriſti, vt quis confiteretur peccata ſua fuit, vt directè abſolueretur ab illis: ſed quando pænitens prima vice confitetur peccatum, vt tunc eſt in eius conſcientia directè, & directiſſimè abſoluitur à tali peccato; ergo ſi eſt directè abſolutus non eſt neceſſe, vt iterum de eodem abſoluatur; iam enim Deus clariſſimè cognouit, & cognoſcit quale peccatum fuerit illi remiſſum, nempe eſſe illud, quod pænitens certò commiſit, licèt hic, & nunc pænitens dubitet, an illud commiſerit nec nè. Confirmatur: ſi quis bona fide in confeſſione ſe accuſet: commiſi peccatum fornicationis decies circiter, plus, minus ve, ſi poſt confeſſionem recordetur, ſe illud peccatum duodecies commiſiſſe, non tenetur iterum illud confiteri; vt docent Sotus in 4.diſt. 18.q.2.ar.1, Ledeſma in ſumma tom.1. cap.17. Vega, Suarez, Vaſquez, Reginaldus, Nugnus, Coninchus, Bonacina, Villalobos, Barnes, & alij, quos citat, & ſequitur Boſſius loco cit.nu.1771. Sed iſte confitetur tantùm tamquam certa decem peccata, vndecimum verò, & duodecimum tantùm ſub dubio, & tamen nec vndecimum, nec duodecimum tenetur ampliùs confiteri; ergo peccatum confeſſum vt dubium, etiam ſi poſt abſolutionem cognoſcam certò illud commiſiſse, non debeo de nouo neceſſariò illud confiteri.

4 Probatur 2. Illud, quod quis tenetur confiteri, non eſt quicquam, quod ſe teneat ex parte cognoſcentis, ſed eſt peccatum, quod ſe habet, vt obiectum; ſed certitudo, vel dubium ſe tenent ex parte cognoſcentis, & quidquid ſe tenet ex parte peccati explicatur cum omnibus ſuis circumſtantijs requiſitis, & à tali peccato directiſſimè abſoluitur; ergo non eſt neceſsè, quod iterum abſoluatur, quia vltra directam abſolutionem non eſt neceſse aliam quærere. Confirmatur ex Lugo. Si quis ſit dubius de voto, vel cenſura, & petat abſolutionem ſub conditione, ſi votum emiſit, vel ſi cenſura ligatus ſit, & iſta abſolutio detur, ſi poſtea deprehendat, ſe re vera votum habuiſse, vel cenſura ligatum fuiſse, non tenetur ampliùs petere abſolutionem, quia re vera abſolutus fuit; ergo & in propoſito idem dicendum eſt.

5 Obijcies. Si peccatum fuiſset ab initio certum, debuiſset vt tale dici; ergo etiam poſtquam pænitens deprehendit illud certum, debet illud dicere.

Reſpondeo primò retorquendo argumentum: ſi quis, dum confitetur, ſcit certò numerum peccatorum debet illum dicere, nec ſufficit dicere commiſi tale peccatum decies plus, minuſue, ſi re vera commiſit illud duodecies; ſufficit autem ſi dicat commiſi tale peccatum

decies

Digitized by Google

decies plus minuſue, ſi pænitens ſcit ſe decies illum commiſiſſe, & eſt dubius, an illud commiſerit duodecies; ergo poſtquam deprehendit numerum certum, v.g duodecies ſe illud commiſiſſe, deberet illum explicare; quod tamen communis ſententia negat, & hoc argumentum poteſt retorqueri contra omnia, quæ obijci poſſunt, cum nulla poſſit aſſignari diſparitas, vt benè obſeruant Lugo, Arriaga, & Boſſius.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio eſt, quia peccatum, vt abſoluatur, debet dici vti eſt in conſcientia, vnde ſi fuit certum, debet vt tale dici; at poſt abſolutionem directam non eſt neceſſe illud de nouo confiteri, quia pænitens iam fuit directiſſimè ab eo abſolutus.

6 Obijcies ſecundò. Aliud iudicium format Confeſſarius quando peccatum eſt certum, ac quando eſt dubium, & diuerſam imponit pænitentiam; quia quãdo eſt dubium, poteſt pænitens eſſe innocens; ergo eo ipſo, quod deprehenditur, vt certum, debet dici.

Reſpondeo, ad ſummum ex hoc deduci adeſſe obligationem in Confeſſario dicendi tibi impono talem pænitentiam, quia peccatum dubium eſt, quod ſi deprehederis eſſe certum, talem maiorem tibi impono; dixi ad ſummũ; nam falſum eſt, quod Confeſſarius debeat cognoſcere omnia, quæ conducunt ad maiorem, vel minorem pænitentiam imponendam; nam circumſtantiæ aggrauantes conducunt ad maiorem pænitentiam imponendam; & tamen communis ſententia docet, non eſſe neceſſariò explicãdas; ſed de hoc infra ſuo loco.

7 Dices: Ergo ſi quis confiteatur peccatum non vt factum, nec vt dubiũ, ſed vt poſſibile, & abſoluatur; ſi poſtea deprehendatur, vt certò factum, non debebit ampliùs illud confiteri. Sed contra hoc argumentum vocatur ab Arriaga valde mirabile; nam in ea narratione nihil de accuſatione, de dolore, aut de petitione abſolutionis, ſicuti eſt in noſtro; vnde negat conſequentiam. Sed verè ex hoc argumentum nec dum videtur ſolutum; nam pænitens poteſt cum dolore ſe accuſare, & petere abſolutionem de peccato, quod poſſibile putat à ſe commiſſum. Reſpondeo tamen, & nego conſequentiam, quia materia abſolutionis non eſt peccatum vt poſſibile, ſed prout eſt in conſcientia; non datur autem conſcientia peccati poſſibilis, datur autem cõſcientia dubia de peccato à ſe commiſſo. Ideo &c.

8 Obijcies tertiò. Si pænitens oblitus ſit confiteri circumſtantiam mutantem ſpeciem, deinde illius recordetur, tenetur talem circumſtantiam explicare, & ſi aliter non poteſt, tenetur repetere peccatum; ergo etiam in propoſito, ſi oblitus fuit peccati certi, & poſtea illius recordetur, debet illud de nouo ſubjjcere clauibus.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia quando quis oblitus eſt circumſtantiæ mutantis ſpeciem, oblitus eſt alicuius, quod ſe tenet ex parte obiecti, nempe ex parte ipſius peccati, & circumſtantia mutans ſpeciem moraliter eſt nouum peccatum; at certitudo, vel incertitudo, licèt dicat ordinem ad peccatum, nihilominus tantum ſe tenet ex parte ſcientiæ, & cognitionis, & peccatum totum ſecundùm omnes ſuas ſpecies eſt explicatum, & directiſſimè abſolutum; ideò neceſſarium eſt explicare ſpeciem peccati, cuius pænitens erat oblitus; non verò certitudinem.

9 Obiicies quartò. Quando agitur de ſalute æterna pœnitens debet ſequi opinionem tutiorem: ſed tutior opinio eſt, quod pœnitens iterum confiteatur tale peccatum eo ipſo, quod deprehendit fuiſſe certum, quod confeſſus fuerat vt dubium; ergo debet illud iterum in confeſſione explicare.

Reſpondeo negando minorem; nam cum pœnitens verè directiſſimè fuerit à tali peccato abſolutus, ad nihil amplius tenetur; vt patet, ſi in articulo mortis quis confiteretur peccatum dubium, quia ſic illud habet in conſcientia, & præuio vero dolore abſolueretur, hic ſaluaretur, & tamen peccatum erat certum, vt ſuppono, licèt in conſcientia talis pœnitentis fuerit ſolum dubium; ergo tuta videtur hæc opinio.

10 Hæc dixi diſputando, ſi per principia intrinſeca hanc opinionem inſpiciamus, ſecus ſi per principia extrinſeca inſpiciatur, & in praxi magis in contrariam inclino, quia hic eſt communis ſẽſus, vt teſtatur Lugus, dicens, ſe nolle in hoc puncto aliquid definire, ſed ſecuriorem partem conſulere, & etiam, quia eam ſequendo nullum damnum euenit pænitenti; imò vberiores fructus gratiæ ipſi obueniunt.

11 Quæres primò. An ſi quis confeſſus eſt certò aliquod peccatum, quod certò ſcit ſe commiſiſſe, de quo tamen dubitabat, an eſſet veniale, vel mortale, de quo dubio etiam Confeſſarius tenebatur; ſi poſtea doctior factus cognoſcit ipſum fuiſſe mortale, teneatur de nouo illud confiteri.

Digitized by Google

Reſpondeo negatiuè. Ita Corduba in ſumma q. 9. Sanchez, Diana, Lugus locis citatis, & Boſſius nu. 1775. Ratio eſt, quia iam integrè pænitens confeſſus eſt peccatum certum, & ab eo fuit abſolutus; neque ad confeſſionis valorem requiritur, quod pęnitens, vel Confeſſarius ſciant illud eſſe peccatum mortale; quare ſi ex alio capite confeſſio non eſt irrita, neque ex hoc capite reddetur; dummodo (aduertunt Sanchez, & Boſſius) pænitens data opera non quæſiuiſſet Confeſſarium ignarum, & inſufficientem ad confeſſiones adminiſtrandas.

12 Dices ex Arriaga: Magis differt peccatum mortale à veniali, quàm vnũ mortale differat ab alio, nam differt genere: ſed non benè eſſet confeſſus, qui non manifeſtaret omnes ſpecies peccati mortalis; ergo neque etiam, qui non manifeſtaret mortale tamquam diuerſum à veniali. Sed contra: quia ſi pænitens explicaret omnes ſpecies alicuius peccati mortalis; & Confeſsarius ignarus neſciret eas diſcernere, ſed nihilominus pænitentem abſolueret, verè eſſet abſolutus, quia hoc penderet ex ſtoliditate Confeſsarii, quam pænitens non tenetur examinare; ergo etiam ſi pænitens ita explicauit ſuum peccatum, vt poſſit diſcerni, an ſit mortale, vel veniale, & abſoluatur, licèt nec pænitens, nec Confeſſarius illud diſcernant, erit verè abſolutus, quia hoc prouenit tantùm ex ignorantia Confeſsarii: Vnde non eſt par ratio de eo, qui non confitetur circumſtantiam mutantem ſpeciem; nam talis tacet aliquod peccatum, quod tenetur confiteri; in propoſito autem caſu narratur cum omnibus circumſtantiis, vti eſt in conſcientia pænitentis. Ideò &c.

13 Quæres 2. Quantus numerus debeat intelligi, quãdo quis ſe accuſat *Peccaui decies plus minuſue?*

Reſpondeo, in hoc non poſse certam regulam tradi, ſed totum hoc pendere à prudentum taxatione; quidam tamen volunt debere eſse quartam partem, vt ſi dicatur duodecim, intelligãtur tria plus minuſue; alii dicunt tertiam, alii quintam; ſed certè non poteſt taxari regula; nam ſi quis diceret mille, quarta pars eſsent 250. qui tamen numerus non comprehenditur ſub illis verbis, quibus aliquis dicit, *Peccaui millies circiter plus, minuſuè*; ad prudentiam ergo Cõfeſsarij hoc remittendum eſt, qui variis interrogationibus debet ſufficienter cognoſcere ſtatum ipſius pænitentis.

ARTICVLVS V.

Quid ſit confeſſio Sacramentalis, & quæ eius conditiones.

1 EXplicata materia confeſſionis ſacramentalis, nunc remanet explicãdum, quid ipſa ſit, & quales ſint eius conditiones.

2 Deſcribitur autem confeſſio in Cathechiſmo Parochorum iuſſu Beati Pij V. edito de Sacramento Pœnitentiæ hoc pacto: *Confeſſio eſt legitima, & Sacramentalis accuſatio de proprijs peccatis ad eorum veniam virtute clauium obtinendam coram Sacerdote facta.* Dicitur primò accuſatio loco generis, in quo conuenit confeſſio ſacramentalis cum confeſſione fori externi, & contentioſi: reliqua ponuntur loco differentiæ: dicitur ſacramentalis, quia hæc debet eſſe ordinata ad conſtituendum Sacramentum: dicitur legitima, hoc eſt vera, & prout eſt in conſcientia: dicitur de proprijs peccatis, quia pœnitens debet ſe accuſare de peccatis à ſe commiſſis poſt baptiſmum; eſt enim reus, & teſtis, & per ly *peccatis* indicatur materia, quæ ſunt peccata, ſiue mortalia, & ſunt materia neceſſaria, ſiue venialia, & ſunt materia ſufficiens, & debent eſſe poſt baptiſmum commiſſa, quia commiſſa ante baptiſmum non ſubijciuntur clauibus: dicitur coram Sacerdote facta, quia ille ſolus eſt Iudex in hoc tribunali, debetq; proferre ſententiam ſuper materiam præſentem: dicitur ad eorum veniam, &c. vt exprimatur finis confeſſionis, qui eſt remiſſio peccatorum, & iuſtificatio per gratiam.

3 Conditiones autem, quas debet habere iſta confeſſio ſacramentalis, continentur his carminibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, quæ ſit parere parata.

4 Explicantur breuiter ſingulæ particulæ. Dicitur ſimplex, quæ particula, vel ſignificat debitam intentionem, vel certè non debere eſſe artificioſè compoſitam, vt aliquid occultetur, & ita ad alteram de integritate reducitur: dicitur humilis ex recognitione, & dolore proprij peccati: dicitur pura, & fidelis; ideſt ſine fuco, & artificio, & ſine mendacio, & explicentur peccata, prout ſunt in conſcientia, ad hanc autem reducitur alte-

Digitized by Google

altera, quod ſit nuda: dicitur frequens, quia optimum eſt ſæpius hoc Sacramẽtum frequentare; & propter eamdem rationem dicitur accelerata; diſcreta, ideſt, quæ prudenter fiat; libens ideſt voluntaria; verecunda reducitur ad humilem; integra, quia debent explicari omnia peccata mortalia, ſed de hac infra; ſecreta, quia ordinariè ita fieri debet, nec peccata publicè quis confitetur; lacrymabilis, ideſt cum dolore ſaltem attritionis ſupernaturalis: dicitur deniq; accuſãs, & quæ ſit parere parata, quia quilibet accedens ad hoc Sacramentum debet propria peccata accuſare, & habere pro poſitum obediendi Confeſſario; hęc ſummatim dicta ſint; explicandæ ſunt modò in particulari aliquæ circumſtantiæ, quæ requiruntur ad bonam, & fructuoſam confeſſionem.

ARTICVLVS VI.

An ſint neceſſariò confitendæ circumſtantiæ aggrauantes.

1 VAriç ex enumeratis circumſtantijs confeſſionis, licèt requirantur, vt vndequaq; ſit bona, & fructuoſa, nihilominus non omnes neceſſariò requiruntur, vnde licèt confeſſio ſecreta, & auricularis debeat ordinariè taliter fieri, non ſequitur, quod ſi quis alta voce, & publicè confiteatur peccata ſua Sacerdoti ad hunc finem, vt ab illis abſoluatur, talis confeſſio non ſit valida; idem dicendum ſi quis non frequenter, ſed rarò ſolùm confiteatur peccata ſua, & de variis aliis conſtat ex ſe, & communi praxi. Difficultas præcipua eſt circa integritatem, quæ neceſſariò requiritur; & circa iſtam hic inquirimus, an ſint neceſſariò confitendæ circumſtantiæ aggrauantes.

2 Suppono ex dictis de vitiis, & peccatis, circumſtantias alias eſſe mutantes ſpeciem, aliàs ſolùm aggrauantes intra eamdem ſpeciem, & notabiliter. Et quidem debere explicari circumſtantias mutantes ſpeciem, definitum eſt in Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 6. vbi damnat eos, qui contrarium dixerint; vnde poſt definitionem Concilij non eſt ampliùs de hoc dubitandum; ſermo tamen eſt de circumſtantijs mutãtibus ſpeciem mortalis; nam ſi aliqua circumſtantia mutaret ſpeciem, ſed eſſet tantùm venialis, vt ſi furto graui adueniret leuis aliqua vanagloria; ſicuti venialia non ſunt neceſſariò explicanda, ita neque hæc ſpecies, quia eſſet tantùm venialis; dicuntur autem aggrauãtes intra eamdem ſpeciem, quando non extrahunt peccatum à tali ſpecie, aggrauant tamen notabiliter intra eamdem; vt furtum mille aureorum non extrahit peccatum à ſpecie furti, aggrauat tamen notabiliter peccatum ſupra furtum vnius aurei.

3 Prima ſententia affirmat, debere explicari circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eamdem ſpeciem. Eſt Caiet. 1. 2. q. 7. & in ſumma ver. *Confeſſio.* Victoriæ in ſumm. nu. 236. Soti in 4. diſt. 18. q. 2. ar. 4. Gonet. diſp. 10. ar. 3. qui dicit hanc eſſe communem Thomiſtarum, Suarez diſp. 22. ſect. 2. Arriagæ diſpu. 32. Amici diſp. 13. ſec. 3. Sanchez, Coninchi, Tanneri, & aliorum.

Secundam ſententiam docent D. Thom. in 4. diſt. 16. quæſtiunc. 3. ar. 2. Durandus, Gabriel; Paludanus, Scotus, Almainus, & plures alij, quos refert, & ſequitur Vaſquez quęſt. 91. ar. 1. dub. 2. Valentia diſp. 7. q. 11. par. 1. Diana tract. 7. de circumſtantiis aggrauantibus, & innumeri apud ipſum, Lugo diſp. 16. ſect. 3. & communiter Doctores; hæc negat eſſe neceſſariò exprimendas circumſtantias aggrauantes.

4 Concluſio. Circumſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſario exprimendæ in confeſſione. Probatur, quia confeſſio ſacramentalis non debet grauior, & oneroſior reddi, quam illam reddiderint Chriſtus, & Eccleſia: ſed ex inſtitutione Chriſti non colligitur hæc obligatio; & Eccleſia in Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. explicans diuinum præceptum de confeſſione, & ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad illius integritatem meminit tantùm circumſtantiarum mutantium ſpeciem, & numeri peccatorum mortalium; ergo circumſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſariò confitendæ.

5 Confirmatur; quia Concilium poſtquam definiuit circumſtantias mutantes ſpeciem debere explicari, & has circumſtantias non fuiſſe ab hominibus otioſis excogitatas, neque confeſſionem hoc modo præceptam eſſe impoſſibilẽ, aut carnificinam conſcientiarum, ſtatim ſubdit *Conſtat enim nihil aliud exigi &c.* ergo per Concilium nihil aliud exigitur, niſi vt confeſſio fiat cum explicatione circumſtantiarum, quæ mutant ſpeciem, & numeri peccatorum mortalium.

6 Dices. Illa verba Concilij; *Conſtat enim nihil aliud exigi*, non referri ad illa, quæ prius dixerat, ſed ad ea, quæ ſubiungit, nempe: *Quam, vt poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrũt in vniuerſum, eadem confeſſione incluſa*

Digitized by Google

intelliguntur: igitur per illa verba, *nihil aliud*, non excluduntur circumſtantiæ aggrauantes, ſed peccata, quæ memoriæ non occurrunt. Sed contra primò, quia Concilium inquit, *Conſtat enim.* & ly *enim* eſt particula aſſignans cauſam eius, quod ſuperius dixerat, nempe quod talis confeſſio circumſtantiarum mutantium ſpeciem non eſt impoſſibilis non eſt carnificina &c. & rationem aſſignat, quia intentum Concilij eſt tantùm, quod poſt conſcientiæ examen diligenter factum, ea peccata pœnitens confiteatur, quibus ſe Deum mortaliter offendiſſe meminerit; ergo verba poſteriora Concilij regulanda ſunt ſecundùm id, quod prius dixerat; ſecus ſi poſſet intelligi de circumſtantijs aggrauantibus, Concilium aliquid poſuiſſet in conſequentia, quod non deduceretur ex antecedenti. Contra ſecundò, quia qui explicat in confeſſione omnes circunſtantias mutantes ſpeciem, verè, & in rigorè confitetur totam eſſentiam peccati; Sed hoc eſt, quod requirit Concilium, non aliud; ergo circumſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſariò confitendæ; eſſentia enim peccati deſumitur ab obiecto ſuo, non ab accidentibus, vt ſunt circumſtantiæ aggrauantes.

7 Probatur ſecundò. Confeſſio Sacramentalis nullo modo eſt impoſſibibilis, vt apertè definit Trid. loco citato: ſed, ſi deberent explicari omnes circumſtantiæ aggrauantes peccatum, redderetur impoſſibilis; ergo per Concilium non ſunt neceſſariò explicandæ: probatur minor; quia quod actus fuerit intenſus, vt quatuor, vel vt octo, eſt circumſtantia aggrauans idem peccatum: ſed eſt impoſſibile, quod quis explicet quot gradus intenſionis habuerit in aliquo actu, cum id naturaliter cognoſci non poſsit; ergo falſum eſt, quod circumſtantiæ aggrauantes ſint neceſſariò confitendæ.

8 Dices, fere numquam eſſe hanc obligationem declarandi intenſionem, quia non poſſumus ſcire, an fuerint tres, vel quatuor gradus, vnde Suarez, & Arriaga dicunt ſufficere, ſi hæc circumſtantia explicetur, quando eſt cum vehementia affectus valde extraordinaria. Sed contra etſi non poſsimus cognoſceſcere, an fuerint tres, vel quatuor gradus intenſionis; poſſumus cognoſcere fuiſſe talem actum cum aliquali intenſione, quæ intentio eſt circumſtantia aggrauans peccatum, & nihilominus hanc circumſtantiam non tenemur explicare per hos auctores, niſi ad ſummũ quando eſt cum vehementia affectus valde extraordinaria; ergo falſum eſt vniuerſaliter; quod circumſtantias aggrauantes teneamur explicare. Ex quo deduco, quod ſi non tenemur explicare intenſionem, niſi quando eſt cum vehementia extraordinaria; nec etiam in furto (ſupponamus, quod furtũ trium Iuliorum ſit peccatum mortale) tenebitur quis cõfiteri ſe furatũ fuiſſe quatuor iulios, vel quinque, vel ſex, & huiuſmodi, ſed ſolùm quando furatus fuiſſet maximam ſummam valde extraordinariam, vt centum mille aureos, vel vnum millionem; vel certè aſsignetur diſparitas, quam vtique non video Contra ſecundò: quia per Suarez, & Arriagam quis non tenetur explicare intenſionem, niſi, quando eſt cum vehementia valde extraordinaria, quo poſito inquiro: vel eſt neceſsè, quod quis confiteatùr vehementiam illam valde extraordinariam intenſionis, quia eſt circũſtantia aggrauans, vel quia notabiliter, & valde aggrauans; non primum, quia intenſio, vt quatuor, actus eſt aggrauans circumſtantia, & tamen per ipſos non eſt neceſſe, quod explicetur: neque ſecundum dici poteſt, quia intenſio actus, vt quatuor reſpectu actus, vt vnum, eſt valde aggrauans eum actũ; nam conſtituit eum triplo intenſiorem, & nihilominus non eſt neceſſe, quod hæc intenſio explicetur: tum quia, ſicuti ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſecundum quid, ad ſecundùm quid: ſed intenſio vt quatuor, quæ eſt ſimpliciter intenſio actus, non eſt neceſſariò explicanda, & ſine hac explicatione fit vera, & rigoroſa confeſsio peccati; ergo nec maior intenſio, & quæ ſit cum vehementia valde extraordinaria erit neceſſariò confitenda, quia hæc eſſet intenſio ſecundum quid, cum poſsit dari maior, & ſine hac circumſtantia aggrauante vera, & rigoroſa peccati confeſſio fiet; & quod dicitur de circumſtantia aggrauante ratione intenſionis, de alijs purè aggrauantibus dicendum eſt, cum ſit par omnium ratio.

9 Obijcies primò. Varios canones, & varia decreta antiqua Eccleſiaſtica, & præſertim ex Concilio Vormatienſi habetur can. 25. *Debet ergo ſacerdos ſingulorum cauſas ſingillatim conſiderare origenem modumque culparum*; & ex can. *Conſideret* de pænitentia diſt. 5. ergo cauſas, modum, & origenem culparum per hos canones debemus explicare; huiuſmodi autem ſunt circumſtantiæ aggrauantes.

Reſpondeo ex his locis nihil probari contra nos, & ſolùm deduci particulares quoſdam vſus aliquorum in illis circumſtantijs explicandis; ceterum Trid, quod

quód explicuit quænam eſſent neceſſariò explicanda in confeſſione ſolùm recenſuit peccata mortalia, & circumſtantias mutantes ſpeciem; quare licèt optimum conſilium ſit etiam circumſtantias aggrauantes explicare, & timorati eas explicent, non eſt tamen neceſſarium. Ad Auguſtinum in dicto can. *conſideret*; dico ipſum ibi enumerare multa, quæ etiam ſecundùm aduerſarios non ſunt neceſſariò exprimenda, vt quo tempore, ſi in feſto, vel non, ſi in die ieiunii, ſi in domo Dominorum, & pluraalia; vndè in tali capite dat conſiliũ quo modo debeat quis perfectiſſimè deflere peccatum, non præceptum, quo debeat fieri confeſſio.

10 Obiicies 2. ex Trid. loco citato Sacerdos debet in hoc Sacramento iudicium exercere, & æquitatem in pænis iniungendis ſeruare: ſed non poſset hoc iudicium rectè exercere, neque æquitatem ſeruare in pænis iniungendis, ſi non manifeſtarentur circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, diuerſum enim iudicium fertur de illo, qui furatus eſt aureum, ac de illo, qui furatus eſt mille aureos, & diuerſa pænitentia eſset iniungenda; ergo &c.

Reſpondeo Concilium ibi explicare circa quod debeat ſacerdos exercere iudicium, nempe circa peccata mortalia, & circumſtantias mutantes ſpeciem, & ſufficit, quod ſeruet æquitatem ſubſtantialiter in pænis iniungendis, non accidentaliter; tum quia, ſi quis furatus eſt mille aureos, & dicat ſolùm in confeſsione. *Furatus ſum materiam grauem peccati mortalis*; poteſt ſacerdos illi dicere, *Quod furatus es, iterum reſtituas, & ſi, quod furatus es, ſit vnus aureus tibi impono talem pœnitentiam, ſi maior quantitas talem, & talem.*

11 Obijcies 3. Sequeretur ex noſtra ſententia, quod quis poſset permanere per menſem in odio mortali contra proximum, & poſtea dicere in confeſſione, ſemel odjo mortali habui proximum; nam duratio eſt tantùm circumſtautia aggrauans. Secundò, ſi quis vno ictu occidiſſet tres homines, ſatisfaceret dicendo, vno ictu fui homicida. Tertiò non eſſe neceſſ: confiteri peccatũ externum; cum actus externus, non ſuperaddat malitiam actui interno.

Reſpondeo negando omnes ſequelas, & ratio negationis primæ eſt, quia licèt duratio, ſi ſecundùm ſe conſideretur, ſit tantùm circumſtantia aggrauans, & ideo non neceſſariò explicanda: nihilominus quando quis durat multùm temporis in aliquo peccato, non eſt ſemper idem actus, ſed multoties reperitur cum noua, & diſtincta libertate, & per conſequens facit diuerſa peccata numero, & hoc verùm eſt abſolutè, quando diù quis durat v.g. in odio, vel alio affectu peccaminoſo: quia ſæpè ſæpius interumpitur talis actus etiam moraliter, vel per actiones diſperatas, vt per ſomnum, vel per aliam actionem diſparatam externam, vel per ceſſationem: vbi autem ſunt diuerſa numero peccata, debet talis numerus explicari. Ratio negationis ſecundæ eſt; qùia qui occidit tres homines vno ictu tria peccata numero ſaltem inadęquatè cõmittit; cum peccatum ſit complexum ex actu libero, & obiecto malo; vnde ſi tres ſunt homines, tria peccata numero inadæquatè committit; peccata autem numero diuerſa debent adæquatè explicari. Ratio negationis tertiæ eſt; quia peccatum externum, licèt non ſuperaddat malitiam actui interno, conſtituit tamen vnum peccatum cum interno, & afficitur eadem malitia, & ideo debet explicari.

12 Dices ſaltem, quando Confeſſarius interrogat, debent explicari. Sed contra, quia cum confeſſio debeat eſſe voluntaria; ſi non tenetur ſimpliciter pænitens aliquid dicere; nec tenetur interrogatus, ſed poteſt reſpondere, *Peccatum mortale, quod commiſſi eſt, quod explicui, mihi imponat pænitentiam condignam, & illam faciam*, nec ad aliud tenetur.

13 Obiicies 4. Sæpè ordinarii ſibi reſeruant peccata ratione alicuius circumſtantiæ aggrauantis, vt inceſtus in primò, vel ſecundò gradu; ergo tunc ſunt neceſſariò confitendæ; ergo ſimpliciter ſunt explicandæ, nam quæ confiteri non tenemur, nec etiam poſſunt reſeruari, vt patet de venialibus.

Reſpondeo, quod Eccleſia reſeruat peccatum mortale cum tali circumſtantia commiſſum, nec ſequitur, quod ſit neceſſarium illam circumſtantiam fateri, etiam præſcindendo à reſeruatione; ſed ſolùm poſita reſeruatione, vt patet: ſequẽti exẽplo: Eccleſia ſibi reſeruat furtũ de bonis naufragorũ, & ſi quis huiuſmodi furtum committit, debet explicare hanc circũſtantiã; cum tamen præſcindendo à reſeruatione, nec etiam ſit circumſtantia multùm aggrauans; ita &c. falſum autem eſt inceſtum in primo, & ſecundo gradu non diſtingui ſpecie; licèt enim omnes ſint contra pietatem; pietas tamen non eſt vna virtus ſpeciei infimæ, ſed habet ſub ſe varias alias virtutes ſpecie diuerſas, licèt non ita clarè cognitas, & proprijs, & diuerſis nominibus explicatas.

Poteſt

Digitized by Google

14 Obijcies 5. Poteſt quis furari decẽ aureos, qui ſpectẽt ad diuerſas perſonas, tunc deberet explicari illa circumſtantia aggrauans decem aureorum ad diuerſas perſonas ſpectantium; ergo ſemper, cum nulla ſit diſparitas.

Reſpondeo negando antecedens; nam læditur tantùm vnicum ius, quod in ſolidum ſpectat ad omnes illas perſonas; ſi tamen quis ſurriperet decem aureos, quorum ſinguli determinatè ſpectarent ad diuerſas perſonas; iam diuerſa numero peccata inadæquatè committeret; numerus autem peccatorum eſt explicandus.

15 Tractant hic communiter de illis ſeptem circumſtantijs, quæ illo carmine continentur, nempe.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Verùm de his abũdè agimus in tractatu de actibus humanis: trctatur etiam quomodo, & exquo cognoſcatur diuerſitas ſpecifica peccatorum, ſed etiam de hoc ibi egimus, & in tractatu de vitijs, & peccatis; diximus enim deſumi ex diuerſitate obiectorum, ſeu, quod idem eſt ex oppoſitione, quod habet peccatum ad diuerſas virtutes; vnde hic nihil addendum; vide, quæ ibi dicta ſunt.

ARTICVLVS VII.

An vt ſaluetur integritas confeſſionis ſit explicenda circumſtantia perſonæ complicis mutans ſpeciem, & alia circa integritatem.

1 Integritas confeſſionis alia eſt materialis, alia formalis; integritas materialis tunc eſt, quando quis verè, & realiter confitetur omnia peccata, quæ commiſit cum omnibus circumſtantijs ſpeciem mutantibus, & ſimul explicat verùm numerum peccatorum, quæ commiſit: integritas verò formalis eſt, quando aliquod peccatum commiſſum non explicatur, & nihilominus confeſſio eſt valida, & fructuoſa, eo quod impediatur pœnitens propter aliquod cauſam rationabilem a confeſſione integra materialiter.

2 Dantur autem plures caſus in quibus confeſſio eſt bona, & fructuoſa etiãſi ſit integra tantùm formaliter, non materialiter.

3 Primus caſus eſt, ſi poſt diligentem diſcuſſionem propriæ conſcientiæ quis obliuiſcatur aliquorum peccatorum, quæ commiſit, & ſolùm confiteatur ea, quorum recordatur, ſi cum debita attritione recipiat abſolutionem confeſſio eſt valida, & oblita etiam remittuntur. Ita deducitur ex Trid. clarè ſeſſ. 14. cap. 5. & communiter tradunt Doctores.

4 Secundus caſus eſt in periculo mortis; Triplex autem periculum excogitari poteſt: primum autem eſt defectus ipſe pœnitentis, qui, ſi vellet actu confiteri omnia ſua peccata, deficeret antequàm abſolutionem reciperet: ſecundùm eſt periculum exiſtentium in naufragio, aut alio ſimili, vt ſi plures eſſent in aliqua domo, quę incenderetur, & difficilè poſſent aufugere. Tertium eſt defectus vitæ ſacerdotis, vel quia ſumet graue contagium, vel mortis periculum, ſi longo tempore ægrotum audiret, & in his caſibus ſufficit confeſſio integra formaliter; ita vt pœnitens abſolui poſsit ante perfectam confeſsionem materialem. Quod probatur, quia præceptum confeſsionis integræ eſt morale, quod non obligat, vel ad ſimpliciter; vel ad moraliter impoſſibile: ſed in his caſibus integra confeſſio materialiter cenſetur moraliter impoſſibilis; ergo in his caſibus, ſufficit integra confeſſio formaliter: vt autem cenſeatur integra formaliter ſufficit, ſi in genere quis dicat peccaſſe, vel ſaltem exhibeat ſigna doloris in ordine ad confeſsionem; cum impediatur pęnitens propter aliquam neceſſitatem abſolutam, vel cauſam rationabilem ad confeſſionem integram materialiter omnium peccatorum; in his autem caſibus ſemper curandum eſt, ſi fieri poſſit, vt pęnitens ponat materiam certam potius, quam dubiam, & mortalia magis, quam venialia, & inter mortalia id, qnod grauius eſt; ſi autem periculum mortis ceſſauerit, continuari debet confeſſio, ita vt perducatur ad integritatem materialem.

5 Dixi ſufficere in his caſibus, ſi quis dicat in genere ſe peccaſſe, vel exhibeat ſigna doloris; nam hoc ſufficit ad dandam abſolutionem: tum quia modò videtur eſſe in vſu talis confeſſio: tum quia exhibitio doloris de peccatis ſuis corã ſacerdote eſt ſufficiẽs accuſatio peccatorum, & alia particularis cenſetur impoſſibilis: tum quia confeſſio in generali alicuius mortalis, quando nimrum quis ſcit ſe peccaſſe mortaliter; ignorat autem, cuius ſpeciei fuerit illud peccatum, poteſt eſſe ſufficiens materia Sacramenti extra neceſſitatem; ergo multò magis in caſu extremæ neceſſitatis, & ſic tradunt communiter doctores; licèt varij apud Dianam tract. 3. de abſolutione moribundi dicant cõtrarium.

6 Tertius caſus eſt, quando pœnitens ſibi, vel alteri probabilitèr timet aliquod

quod damnum graue, quo caſu communis, & certa ſententia docet, poſſe pænitētē reticere in cōfeſſione illud peccatum vel illi circumſtantiā mutantē ſpeciem, quam alias deberet explicare. Sic Suarez, Lugo, & communitèr Doctores, vt teſtatur Arriaga diſp. 33. ſect. 1. ex quo colligunt Doctores, quod ſi quis percuſſit, vel occidit fratrem Confeſſarij, vel rem habuit cum ſorore, vel nepte ipſius, in loco, & tempore, quo ſi pænitens fateretur ſuum peccatum, poſſet probabiliter odium, & perſecutionem confeſſarij timere, non teneretur tale peccatum confiteri, dummodo non poſſet ad alium confeſſarium accedere, & tempus inſtaret, vel ſumendi Euchariſtiam, vel inſtet præceptum Paſchatis, vel aliud, quo pęnitens teneatur iuſtificari; nam ſi poſſet alium Confeſſarium quærere, vel differre confeſſionem, ad hoc teneretur, vt poſſet facere confeſſionem integram. Sic Suarez diſp. 23. ſect. 1. Coninchus, Hurtadus, Arriaga, Auerſa qu. 10. ſec. 15. & alij apud ipſum: & vniuerſaliter, quando maius bonum eſt dimidiare confeſſionem, quam illam integram facere; poteſt dimidiari; varij aute caſus, qui ex hoc principio deducuntur, videri poſſunt apud Doctores Scholaſticos, & Summiſtas.

7 Dubium maius eſt, an ſi quis commiſit aliquod peccatum cum aliquo complice probè noto eidem confeſſario; v. g. quis commiſit inceſtum cum propria ſorore, vel matre, quas cognoſcit confeſſarius, an teneatur dicere talem circumſtantiam, nullo alio imminente damno, niſi ſola infamia complicis apud confeſſarium.

8 Prima ſententia eſt, quod poſſit taceri excepto mortis articulo. Sic Scotus in 4. diſt. 18. qu. 2. ar. 5. ad. 4. Bannes 2. 2. qu. 33. dub. 8. Valentia hic. qu. 11. p. 1. Nauarrus cap. 7. nu. 3 Villalobos tom. 1. tract. 9. dub. 38. & plures alij, quos refert Auerſa loco cit.

Secunda ſententia negat in tali caſu poſſe dimidiari confeſſionem; eſt D. Thom. in 4. diſt. 16. qu. 3. ar. 2. & opuſc. 12. ar. 6. Durandi ibidem qu. 4. num. 8. Caiet. in ſum. v. Confeſſio condit. 3. Medinæ cod. de Conf q. 9. Nugni in addit. ad 3. p. q 9. ar. 2. Suar. diſp. 34. Vaſq. q. 91. ar. 2 dub. 3. Amici diſp. 13. ſec. 9. & aliorum apud ipſū, Auerſæ q. 10 ſec. 15. Lugi diſp. 16. ſec. 7. Arriagæ diſp. 35. ſec. 2. qui tamen etiā cōtrariā iudicat probabilem.

9 Concluſio. Quando aliquod peccatum habet circumſtantiam annexam mutantem ſpeciem, & non poteſt explicari in confeſſione ſine manifeſtatione complicis, pœnitens non ſolùm licitè, ſed etiam ex præcepto tenetur talem circumſtantiam manifeſtare. Ad probandam hanc concluſionem varias afferunt rationes Doctores, quas fere omnes acutè reiicit Arriaga loco citato; quare non eſt animus omnes adducere ſed ſolùm adducam illas, quæ mihi videbuntur efficaciter concluſionem probare.

10 Probatur. Quando ex aliquo actu ſequitur vtilitas, vel corporis, vel animæ, quiſquis poteſt vti iure ſuo quærendo propriam vtilitatem corporis, vel animæ, etiamſi ſequatur incommodum proximi: ſed ex confeſſione peccati habentis annexam circumſtantiam mutantem ſpeciem ſequitur vtilitas, tum corporis, tum animi ipſius pœnitentis, ſi manifeſtetur complex, quæ non ſequitur, ſi non manifeſtetur; ergo poteſt vti iure ſuo, & licitè poteſt manifeſtari: maior conceditur, & patet varijs exemplis: nam quis contrahens cum infideli aliquem contractum poteſt ab eo exigere iuramentum, etiamſi ſciat ipſum per falſum numen iuraturum: mulier poteſt pergere ad Eccleſiam, vt miſſam audiat, vel vt peccata ſua confiteatur; etiamſi præuideat aliquem ſcandalum recepturum, & plura alia poſſent exempla adduci: probatur minor; nam confitendo circumſtantiam, qua reuelatur complex, liberat ſe ab obligatione ſubiiciendi clauibus illud peccatum coram alio confeſſario, quæ obligatio, cum ſit onerosa, tum animæ, tum corpori, ab hac ſe liberando vtilitatem, & commodum conſequitur.

Dices primò ex Arriaga: de hoc iure eſſe dubium, an illud pęnitens habeat: tum quia ius debet eſſe fauorabile reſpectu eius, in quo eſt ius: ſed obligatio faciendi aliquod onerosum nullo modo poteſt dici fauorabile; ergo nec dici ius; ſed potius aliquod odioſum pœnitenti dici debet. Sed contra, quia falſum eſt de hoc iure eſſe dubium; nam dubium eſt, an pœnitens poſſit manifeſtare complicem; nòn verò eſt dubium, quod pęnitens non teneatur manifeſtare tale peccatum alteri confeſſario, ſi illud non manifeſtet illi, cui primò confitetur igitur, vt ſe liberet ab hac obligatione iterum comparendi coram alio confeſſario, pænitens habet ius proprium, & eſt illi fauorabile, non onerosum, aut odioſum; quemadmodum, ſi quis haberet plures lites, quæ poſſent decidi à varijs iudicibus, ſi poſſet eas omnes vnica vice coram vnico iudice terminare, & de facto terminarentur, vtique hoc eſſet illi fauorabile; nam libe-

rare-

raretur ab obligatione comparendi coram alijs Iudicibus; ita & in propoſito dicendum eſt.

12 Dices ſecundò. Tunc ſolum aliquem habere ius ad aliquem actum, quando ex eo ſequitur vtilitas, & commodum proprium, & damnum proximi ſequitur tantùm ex malitia alterius; vt patet de ineunte contractũ cum infideli, à quo poteſt exigere iuramentum; quia talis infidelis poteſt, ſi vult, iurare per verum Deum, & ſi iuret per falſos Deos, eſt ex ipſius malitia; & in fœmina pergente ad Eccleſiam; nam ſi aliquis eam videt, & ſcandalum recipit eam cõcupiſcendo, ex malitia propria id facit, nec mulier huius eſt cauſa: at in propoſito caſu dũ pœnitens narrat illam circumſtantiam Confeſſario, ex qua reuelatur complex, directè infamatur complex apud Confeſſarium; ergo numquam hoc erit licitum. Sed contra, quia falſum eſt, quod directè ſequatur complicis infamia ex huiuſmodi confeſſione, ſequitur enim tãtùm ſecundariò ex eo, quod pœnitens confitendo talem circumſtantiam velit ſe liberare ab obligatione iterum comparendi coram alio Cõfeſſario, & ex eo, quod Confeſſarius cognoſcat complicem, accidit autem, quod hic Cõfeſſarius complicem cognoſcat; & ideò per accidens tantùm, & ſecundariò à pœnitente confitente peccatum ſuum infamatur; quemadmodum, ſi quis cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendat; ſi ex tali defenſione ſequatur mors alterius, talis mors ſe defendenti non imputatur; ita & in propoſito: fateor quidem, quod non poſſit pœnitens directè velle confiteri huic Confeſſario, vt infamet complicem, & eumdem teneri inquirere alium Confeſſarium, ſi poteſt: at ſi vrgeat præceptum ſe iuſtificandi, nec habeat copiam alterius Confeſſarij, vtitur iure ſuo, ſi vult ſe liberare ab obligatione iterum comparendi coram alio Confeſſario; & per accidens tantùm, & ſecundariò ſequitur complicis infamia, & complex debet ſibi imputare, ſi fuit complex criminis.

13 Probant alij concluſionem primò: Quia in iudicio publico, ſiue priuato ſocius criminis ſubditur ei, qui habet auctoritatem in delinquentem; vnde teſtis, & accuſator, qui deferunt crimen, habent ius deferendi ſocium criminis, & Iudex habet ius inquirendi ſocium criminis; ergo cum hoc Sacramentum ſit inſtitutum à Chriſto, vt iudicium, & pœnitens ſit accuſator, ac teſtis, habet ius deferendi etiam ſocium criminis. Secundò, quia integritas huius Sacramenti, & reuerentia illi debita magis exigit, vt ſit integrum, dicendo omnes ſpecies peccatorũ, quã quod relinquatur imperfectũ ſine manifeſtatione complicis præſertim, cum talis manifeſtatio non ſit nociua complici. Tertiò: quia vtilitas pœnitentis id exigit, vt melius eius conſciẽtiæ proſpiciatur, & pœnitentia ſalutaris commodius imponatur. Sed contra iſtæ rationes non probant, vt benè aduertit Arriaga, & eas refellit. Non prima; nam in primis falſum eſt; in hoc Sacramento eſſe ſeruandas omnes conditiones iudicij publici, ſiue priuati; quod patet; nam ſi in humano iudicio quis dicat, furatus ſum mille, cum alijs; ſtatim Iudex poteſt interrogare, & cogere ad detegendos complices etiam cum damno rei, & cõplicum; quod non euenit in hoc iudicio; nam ſi quis dicat furatus ſum mille cum aliis decem, vel adulterium commiſi, ad rectam confeſſionem nullo modo conducit, quod Confeſſarius ſciat, an illi decem fuerint Plato, vel Sortes, vel &c. vel, quod adulterium commiſerit cum Berta, vel alia, imò ſi damnum pœnitens ſibi obuenturum timet, probabiliter non tenetur tale peccatum fateri. Et ratio diſparitatis eſt, quia in iudicio humano Iudex intendit bonum Reipublicæ, vt mali puniantur; quod non euenit in hoc Sacramento, quod ordinatur tantùm ad bonum pœnitentis. Neque ſecunda ratio probat, ſed ſupponit id, quod eſt probandum; vnde enim probatur, quod etiam in tali caſu, in quo debeat reuelari complex, requiratur ea integritas? Ad id, quod dicitur, manifeſtationem in confeſſione non eſſe nociuam complici, falſum eſt; nam apud Confeſſarium illum deperdit bonum nomen, quod fortè prius habebat; & certè, ſi quis ſciret probabiliter Confeſſarium dicturum in confeſſione alteri Confeſſario peccatum, quod confitetur, poteſt illud tacere, nè ſubeat infamiam apud alium Confeſſarium; ergo ſignum eſt, quod hæc notitia nociua eſt. Neque tertia ratio probat; nam hæc vtilitas, vel eſt, vt pœnitens ponatur in ſtatu gratiæ, vel vt recipiat aliquam inſtructionem à Confeſſario, vel vt ei imponatur pœnitentia: ſed nulla ex his datur; non prima; nã ſi non obligatur eam circumſtantiam fateri, adhuc ponitur in ſtatu gratiæ per confeſſionem integram formaliter; vnde prius eſt probanda hæc obligatio, non ſupponenda; neque ſecunda nam non ſemper requiritur inſtructio; poteſt enim pœnitens eſſe inſtructus; neque tertia, quia poteſt adhuc pœnitens rogare Confeſſarium, vt maiorem illi pœnitentiam imponat. Quare nulla propriè ſequitur in pœnitente vtilitas,

niſi

Digitized by Google

niſi quia ſe deobligat confiteri tale peccatum alteri, quare ſolùm firma manet ratio, quam primo loco adduximus.

14 Lugus probat cõcluſionem hac ratione. Maior requiritur obligatio ad hoc, vt quis ſe ipſum infamet, quam vt infamet alterum; cum poſſit quis ad vitandum graue damnum proprium alterum infamare: ſed Chriſtus obligauit fideles, non obſtante infamia, quæ ex confeſſione oritur, ad detegenda omnia peccata ſua integrè Sacerdotibus; ergo etiam obligauit ad ea detegenda, licèt ſequatur infamia complicis.

15 Dices: Hanc rationem eſſe quidem probabilem; nihilominus poſſe negari conſequentiam; quia ſi tranſitus ab vna perſona ad aliam, quæ etiam eſt obligata integrè ſua peccata confiteri; poteſt autem obligari pœnitens ad detegenda ſua peccata propter vtilitatem maximam, quam accipit, quam vtilitatem non recipit ex eo, quod manifeſtet complicem, & complex nullam vtilitatem ſentit, ſed ſolam infamiam. Sed contra: quia ex Trid.ſeſſ.14.cap.5. conſtat, quod ex inſtitutione Chriſti inſtituta eſt integra peccatorum confeſſio, quo ad omnia mortalia, & omnes circumſtantias mutantes ſpeciem; ergo ſi integritas confeſſionis, vt ſaluetur, obligat, vt omnia peccata dicantur, non obſtante infamia propria, quæ ex confeſſione oritur; etiam eadem integritas obligabit, vt dicantur omnia, etiam ſi ſequatur reuelatio complicis; præſertim cum cenſeatur amiſiſſe ius ad propriam famam, eo ipſo, quod fuit complex criminis. Contra ſecundò, quia pœnitens confitendo omnia peccata conſequitur vtilitatem, quia non tenetur ampliùs coram alio Sacerdote comparere, & habet ius ad ſe deobligandum ab hoc onere; ergo poteſt vti iure ſuo ea dicendo, etiam ſi ſequatur alterius infamia; & hoc modo hæc ratio reducitur ad primam rationem, quam primo loco poſuimus, quæ meo iudicio firmiſſima eſt.

16 Secunda pars, quod etiam quis teneatur complicem manifeſtare, ſi alia via non poteſt confeſſionem integram facere, facilè probatur. Quia quando poſſum licitè ſeruare aliquod præceptum, debeo illud ſeruare, cum nullum adſit impedimentum, ratione cuius illud ſeruare non poſſim; ſed licitè poſſum complicem detegere, vt probatum fuit; ergo etiam, vt ſeruem præceptum integræ confeſſionis, illum detegere debeo.

17 Obijcies primò. Quando concurrunt duo præcepta, ſeruandum eſt illud, quod magis obligat; ſed præceptum de ſeruanda fama proximi, quod concurrit cum præcepto integræ confeſſionis, magis obligat; cum ſit iuris naturalis; hoc verò tantùm diuinũ poſitiuum; ergo primum ſeruandum eſt.

Reſpondeo negando minorem, licèt enim præceptum iuris naturalis ceteris paribus magis obliget, quam diuinum poſitiuum; in hoc caſu cetera non ſunt paria, quia obſeruantia præcepti diuini coniunctum eſt cum vtilitate illud obſeruantis; nam illud obſeruando ſe liberat ab obligatione illud peccatum iterum ſubijciendi clauibus, & ideò poteſt, & tenetur illud obſeruare, vt dictum eſt; ſicuti enim, ſi ea infamatio reſultaret in vtilitatem alterius, poteſt quis ipſum infamare, quia talis infamatio compenſatur vtilitate eiuſdem; ita cum reſultet in vtilitatem confitentis, poteſt vti iure ſuo, præſertim, cum conſtituendo ſe ſocium criminis, cenſeatur cedere iuri ſuo, vt tale peccatum poſſit in confeſſione explicari; nec propriè eſt infamatio, quia nec fit animo infamandi, & indirectè tantùm fit ad manifeſtandum proprium peccatum.

18 Obijcies ſecundò. Non tenemur confiteri per interpretem; nec tenemur confiteri aliquam circumſtantiam mutantem ſpeciem, quando quis timet graue damnum ex tali confeſſione, vel ſibi, vel tertiæ perſonæ; vt ſi ex tali manifeſtatione quis probabiliter timeat grauem perſecutionem Confeſſarij, vel aliquod damnum graue, vel ſibi, vel tertiæ perſonæ; ergo etiam in propoſito caſu idem dicendum.

Reſpondeo negando conſequentiã; nam duplex malum poteſt ſequi ex confeſſione, alterum ex natura ipſius confeſſionis; alterum ex malitia, & imprudentia Confeſſarii: hoc ſecundum excuſat, non primum; & ratio diſparitatis eſt, quia præceptum confeſſionis integræ non obligat, niſi ad ea, quæ ſunt cõnexa cum re præcepta; nam ea tantùm cadunt ſub intentione præcipientis, vnde ſi non eximantur, ſemper comitantur rem præceptam; quare cum diminutio famæ apud Confeſſarium ſit neceſſariò connexa cum confeſſione, ſi Deus obligat ad confeſſionem, obligat ad id, quod connexum eſt cum hac confeſſione; non verò obligat ad ea, quæ ex imprudentia, vel malitia alterius ſequerentur.

19 Ceterum ſi opinio contraria poſſet ſuſtineri, nimia ſequeretur relaxatio huius præcepti; nam coniuges non tenerentur dicere peccata, quę committuntur in abuſu matrimonij; nec coniu-

Digitized by Google

gatus teneretur dicere adulterium commiſi, quia hoc redundat in infamiam alterius coniugis, & hoc præſertim, ſi ambo coniuges eſsent noti Confeſsario; quæ omnia ſunt aliena ab vſu, & praxi omnium fidelium.

Abſurda, quæ ſequerentur ex opinione contraria.

20 Obijcies tertiò. Si ex cōfeſſione alicuius peccati timeo mihi aliquod graue damnū poſsum illud reticere, & etiā dicere, quia poſsum cedere iuri meo; ergo etiam ſi timeo damnum complicis, licèt propter vtilitatem meem poſſim illud dicere, potero etiam illud reticere, cedendo iuri meo.

Reſpondeo negando conſequentiā; nam eo ipſo, quod poſsum illud dicere, teneor; quia iam ad illud dicēdum obligat præceptum integræ confeſſionis; quod non euenit in priori caſu, vt patet ex ſe.

21 Quæres primò. An manifeſtari poſſit complex peccati venialis, vel mortalis aliàs comfeſſi.

Reſpondeo negatiuè. Nam peccata venialia, & mortalia aliàs confeſsa non tenemur iterum confiteri; ergo non eſt licitum tūc manifeſtare complicem; nam nulla eſt neceſſitas, nec vtilitas in confitente, ſi complicem manifeſtet; quare ſi complex eſt de veniali, puto pænitentem venialiter peccaturum; ſi dicendo veniale manifeſtaret mortale complicis, grauiter peccaret; & idem dicendum de mortali iam remiſſo. Sic Lugo loco cit. n.4.10. Arriga dicta diſp. ſect.3. cum alijs.

22 Quæres 2. an poſsit etiam fieri manifeſtatio tertiæ perſonæ non complicis.

Reſpondeo affirmatiuè. Ita Lugo, Arriaga, & Suarez locis citatis eadem enim eſt ratio, & per accidens eſt, quod quis fuerit complex. Excipiunt tamen Suarez, & Arriaga caſum, in quo virgo aliqua planè violenter fuerit violata; ne ſine ſua culpa ſubeat aliam infamiam, dum à ſtupratore in confeſsione detegitur; vndè tunc dicunt pœnitentem ceſſare debere ab hoc, quod vtatur iure ſuo, vt ſe deobliget à præcepto iterum confitendi, cum in hoc caſu ipſe ſolus peccauerit, & debeat ſubire detrimentum. Hoc probabile eſt, ceterum non caret probabilitate contrarium; nam ſi per vim abſolutè violata fuit; famam non deperdit; ſed vt dixit Diua Lucia: *Caſtitas illi duplicabitur ad coronam.*

ARTICVLVS VIII.

An aliquando ſit obligatio idem peccatum bis confiendi, & confeſſionis repetendæ.

1 CVM ad conficiendum Sacramentum pœnitentiæ interueniant pœnitens, & Sacerdos abſoluens, tum ex parte pœnitentis, tum ex parte confeſsarij dantur plures caſus, in quibus repetenda eſt confeſsio; de his breuiter hic agendum eſt.

2 Ex parte pœnitentis, certum eſt repetendam eſse cōfeſsionem primò, ſi non eſt confeſsus omnia mortalia, ſed vnum, vel aliqua voluntariè tacuit; ſecundò ſi acceſsit animo non recipiendi abſolutionem: tertiò, ſi acceſsit ſine dolore, & propoſito requiſito ad valorem Sacramenti: quartò, ſi quis fingeret peccatum mortale, quod non commiſit, & illud ſubijciat pro materia certa, peccabit mortaliter; nam eſt cauſa, quod Sacerdos indebitè proferat formā abſolutionis ſupra totam illā materiam. Dixi, ſi fingat mortale; nam ſi ſit tantùm veniale id, quod fingit, dummodò dentur alia mortalia, aut venialia, de quibus verè doleat, non redderetur inualida, & repetenda. Sic vterque Sotus, Angelus, Sylueſter, Nauarrus, quos ſequitur Vaſquez quæſt.91.art.1. dub.7. Suarez, Lugo, Arriaga diſp. 31. ſect. 7. ſi tamen fingeret veniale, & illud ſolùm supponeret, pro materia, cum non ſit; peccaret mortaliter; nam ſupponeret materiam inualidam, ſupra quam abſolutio cadere non poteſt. Idem ſentit Arriaga loco cit. num. 62. & Tannerus diſp.6. quæſt.4. dub.12. ſi quis confiteatur peccatum mortale, & dicat ſe alias illud confeſsum fuiſse, cum tamen re vera confeſsus illud non ſit; Lugus tamen tenet contrarium.

3 Ex parte verò confeſsarii eſt repetenda, primò, quando deeſt intentio, de qua tamen non eſt dubitandum, niſi ipſe Confeſsarius aſserat, vel ſigno aliquo id indicet, vt ſi ſit dormiens, ebrius. vel amens. Secundò ſi non proferat verba formæ: Tertiò quando caret iuriſdictione ordinaria, vel delegata, & hoc, vel quia non eſt approbatus, vel quia eſt publicè ſuſpenſus ab officio, vel publicè excommunicatus, & non toleratus. Quartò, quando inferior abſoluit à reſeruatis indirectè propter neceſsitatem repetenda eſt confeſsio reſeruatorū ſuperiori, vt ab illis directè abſoluatur.

4 Aliqui vt Sylueſter, & D. Anton. dicunt

dicunt teneri pœnitentem repetere confeſſionem, quando oblitus eſt pœnitentię impoſitæ;alij quando eam non adimpleuit.Sed verè vtrumq; eſt improbabile. Ratio eſt,quia pænitentia non eſt pars eſſentialis, ſed integralis, & tunc eſt pars integralis,quãdo pænitens acceptat pęnitentiam cum propoſito illam faciendi; vnde, ſi non adimplet poſtea illam, non redditur inualidum Sacramentum,quod prius fuit validè factum, ſed ad ſummũ erit obligatio perficiendi eam pænitentiam, & accuſandi ſe de peccato commiſſo in omiſſione ſatisfactionis. Ita cõmuniter Doctores.Hęc certa;aliqua ſunt magis dubia. Ideò &c.

5 Quæres 1. An ſi quis confiteatur Confeſſario ignaro, teneatur poſtea totam confeſſionem repetere?

Vaſquez quæſt. 93. art.3. dub.2. citans Sylueſtrum,Richardum, & Nauarrum, Turrianus de pęnitentia diſput.25. dub. 2. cenſent, ſi Confeſſarius eſt omnino ignarus, vt nec communia mortalia ſciat diſtinguere à venialibus; tunc confeſſionem eſſe innalidam;quia perinde eſſet, ac ſi quis confeſſus fuiſſet dormienti, vel amenti, vel ignoranti idioma: ſi verò communia mortalia à venialibus poſſit diſtinguere, etiam ſi in particulari neſciat poſtea vnum ab altero diſcriminari, tunc confeſſionem fore validam. Ita ſentit etiam Homob. tom. 2. par.5. reſol.86. Medina tamen quæſt. de iteranda confeſſione ob defectum Confeſſarij. Nugnus quæſt.8.art.5. dub. 4. Syluius ibidem quæſito 7. Suarez diſput.28.ſect.1. Lugus diſp.16. ſect.1.§.1. Hurtadus diſput.10.diſſer.15. Arriaga diſput.35.ſect.1.Auerſa quęſt.10.ſect.19. & plures alij tum antiqui, tum recentiores apud ipſum, negant in his caſibus eſſe obligationem iterandi confeſſionem.

6 Reſpondeo primò: Si pænitens ex induſtria quærat huiuſmodi confeſſariũ ignarum diſcernere neſcientem inter mortale,& veniale, quando fieri debeat reſtitutio, & fugienda occaſio, quando non, talem confeſſionem eſſe irritam, ſacrilegam, & repetendam. In hoc conueniunt omnes Doctores.Ratio eſt,quia qui ſic accedit, videtur velle malè confiteri,& iudicari; quare ſi quis bona fide accedit ad huiuſmodi Confeſſarium, & deprehendit ipſum eſſe omnino ignarum,debet ipſum deſerere,& alium idoneum quærere; niſi pænitens ſit doctus, vt valeat inſtruere Confeſſarium,eique qualitates ſuorum peccatorum indicare, & obligationes, paratus ea omnia adimplere,quæ neceſſaria ſunt;nam in tali caſu ſapientia pænitentis ſupplet ignorantiam Confeſſarij.

7 Reſpondeo 2. Si pænitens acceſſit bona fide ad huiuſmodi Confeſſarium, confeſſio fuit valida. Ratio eſt, quia in Confeſſario non requiritur, quod ſciat diſcernere inter omnes ſpecies peccati, neque an aliquid ſit mortale, vel veniale, ſed tantùm, quod intelligat mea peccata, & ea abſoluat; ſed talis Confeſſarius intelligit huiuſmodi peccata, & ea abſoluit; ergo validè ab omnibus abſoluit. Confirmatur ad hominem contra aduerſarios: ſi Confeſſarius ſaltem ſciat diſtinguere communia peccata mortalia à venialibus; etiam ſi vnum,aut alterum neſciat diſtinguere,confeſſio eſt valida; ergo etiam ſi neſciat diſtinguere mortalia communia à venialibus erit valida: probatur conſequentia: accedat aliquis ad Confeſſarium, qui ſciat in communi diſcernere mortalia à venialibus, neſciat autem in particulari de aliquo peccato, & confiteatur tantùm huiuſmodi peccatum; de hoc talis confeſſarius neſcit diſcernere, & tamen per aduerſarios verè abſoluit,& confeſſio eſt valida; ergo ſcientia, qua diſcernatur mortale à veniali non requiritur; ſed ſufficit,quod peccata intelligat, & ea abſoluat.

8 Dices primò. Confeſſarius, qui ſaltem in cõmuni ſcit diſtinguere mortalia à venialibus, aliquo modo ea cognoſcit; ſed qui nullo modo ſcit diſtinguere, ita ſe habet, ac ſi dormienti, vel ignoranti idioma fuiſſem confeſſus; ergo ſicuti confeſſio facta dormienti, vel ignaro idiomatis non eſt valida, ſed eſt repetenda; etiam facta illi, qui aliquo modo neſcit diſtinguere mortalia à venialibus, erit inualida. Sed contra falſum eſt, quod ſit talis, ac ſi facta fuiſſet dormienti, vel ignaro idiomatis; nam dormiens, & ignarus linguæ nullo modo percipiunt peccata; at ſi quis dicat: *Mentitus ſum cum iuramento ter, fornicatus ſum decies, furatus ſum decem iulios &c.* certè ille ignarus cognoſcit, & percipit eſſe diuerſa peccata, & tot peccata; licèt neſciat diſtinguere, an ſint mortalia, vel venialia; ergo diſpar eſt omnino ratio. Contra ſecundò retorqueo argumentum in caſu, quod quis confiteatur aliquod peccatum, quod Confeſſarius neſcit diſcernere, an ſit mortale, vel veniale, licèt ſciat diſcernere in communi, certè reſpectu huius peccati neſcit diſcernere, & tamen valida eſt confeſſio; ergo etiam in caſu noſtro; nulla enim eſt diſparitas.

9 Dices 2. Confeſſarius debet ſcire imponere pænitentiam proportionatam peccatis; ſed ſi neſciat diſcernere pec-

Digitized by Google

cata non poteſt imponere pœnitentiam proportionatam ergo &c. Sed contra, dico ex hoc ſequi, quod non ſe exponat licitè ad audiendas confeſſiones, quia rectè non poteſt fungi officio ſuo nec interrogare de circumſtantijs mutantibus ſpeciem, neque imponere proportionatam pœnitentiam: at non ſequitur, quod confeſſio non ſit valida, quia pænitentia, quæ iniungitur non eſt pars eſſentialis, & ſi eſſet, ſufficeret, ſi aliqua iniungeretur, licèt non eſſet proportionata peccatis.

10 Dices 3. Sæpe ſæpius ex imperitia confeſſarij poteſt eſſe, quod quis non dicat ſpecies peccatorum, neque circumſtantias mutantes ſpecies, neque numerum; ergo tunc eſt repetenda confeſſio. Sed contra, quia aliud eſt, quod pænitens, ſi deprehendat, ſe non explicuiſſe ſpecies peccatorum, & circumſtantias mutantes ſpeciem, cum verò numero, teneatur de nouo explicare in confeſſione id, quod non explicuerat, aliud eſt, quod prima confeſſio non fuerit valida; hoc falſum eſt, primum autem verum.

11 Quæres ſecundò; An ſi quis aduertat confeſſarium dormire, dum confitetur peccata ſua, teneatur talia peccata repetere.

Reſpondeo ſi pœnitens aduertat vnũ; aut alterum peccatum non fuiſſe intellectum à confeſſario, certum eſt talia peccata eſſe repetenda, quid quid dicat Diana tom. 2. tract. 4. de Sacra. reſol. 109. Ratio eſt, quia illa peccata non fuerunt audita; vnde aliud eſt, quod non ſit repetenda tota confeſsio, nempe etiam quo ad illa peccata, quæ fuerunt audita, eo quod confeſſio fuerit valida, etiamſi vnicum tantùm peccatum à cõfeſſario auditum fuerit, & hoc verùm eſt vt docent Henriquez lib. 5. cap. 14. num 5. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 9 n. 5. Lugus diſp. 16. num. 606. & Arriaga loco citato; aliud, quod non debant repeti peccata illa, quæ depræhendit non fuiſſe audita, & hoc falſum eſt; nam perinde ſe habent, ac ſi non fuiſſent confeſſa.

12 Remanet ergò adhuc dubium practicum, quod eſt hoc, an ſi pœnitens poſt confeſſionem aduertat confeſſarium aliquantulum dormiſſe, & dubitet, an aliquod peccatum intellexerit, necne, neſciat autem quale ſit, an teneatur totam confeſſionem repetere. Dixi ſi aduertat poſt confeſsionem; Nam ſi aduertit hoc, dum actu confitetur, debet ceſſare à confeſſione, & expectare, quod confeſſarius excitetur, vel ipſum excitare, & ab illo quærere, an peccata ſua omnia intellexerit, & ea, quæ non intellexit, iterum explicare; & hoc videtur certum propter rationem allatam: ſi verò hoc aduertat poſt datam abſolutionem; vel pœnitens prudenter dubitat de ſingulis peccatis, an audita fuerint, aut de vno tantùm, vel altero in particulari, aut de vno, vel altero tantùm vagè: ſi primum repetenda eſt tota confeſſio: ſi ſecundum, repetenda ſunt illa, de quibus dubitat: ſi denique tertium, dicunt Lugus, & Arriaga ſufficere, ſi quis in confeſsione poſtea dicat. *Vnum peccatum non intellexit Confeſſarius, neſcio, quod illud fuerit, & proinde de illo me accuſo, vt poſſum.* Et rationem addunt, quia nimis oneroſum eſſet pœnitenti propter ſomnolentiam confeſſarij, & ſine ſua culpa, ſi propter vnum aut alterum ſolùm peccatum, a quibus non fuit directè abſolutus, deberet totam confeſſionem plurium peccatorum repetere. Hæc probabiliter dicta ſunt.

13 Sed ego tutius iudicarem debere pœnitentem eumdem Confeſſarium adire, & ab eo petere, an omnia peccata ſua intellexerit, &c. ſi aliqua non intellexit, non eſt onus ita graue eadem repetere coram eodem confeſſario, ſed potius onus, & erubeſcentia erit confeſſarij; & hoc probatur, quia ea repetendo, Vel illa confeſſarius alias intellexit, & ſic non eſt tantum onus in pœnitente, vel verè non intellexit, & ſic quid mirũ ſi teneatur illa ſubijcere clauibus, vt directè abſoluatur.

14 Quæres tertiò, an repetenda ſit confeſſio omnium peccatorum commiſſorum, quando quis v.g. adoleſcens fecit aliquam confeſſionem inualidam eo quod voluntariè tacuit in confeſſione aliquod peccatum mortale, & deinde huius peccati oblitus per plures annos, vel ſolùm menſes, plures aliàs confeſsiones fecit, in quibus explicuit ea omnia, quorum memoriam habuit, tandem recordatur ſe malè confeſſum fuiſſe.

Reſpondeo pœnitentem tantùm teneri repetere peccata confeſſa, in illa confeſſione inualida, quia illa numquã rectè confeſſus eſt, nec illorum obtinuit directam abſolutionem, quam curare debet poſt illorum recordationem; non tenetur tamen aliàs confeſſiones repetere, quia validè fuerunt factæ, & ab illis peccatis directam abſolutionẽ obtinuit Ita communiter Doctores.

15 Quæres 4. an propter excõmunicationem non ablatam repetenda ſit confeſſio.

Reſpondeo, quod, ſi excommunicatus accedit

Digitized by Google

accedit ſcienter ad confeſſarium non habentem iuriſdictionem abſoluendi à cenſura, confeſſio eſt irrita ex defectu diſpoſitionis debitæ; petit enim vt abſoluatur ab eo, qui non poteſt. Ita communiter Doctores. Si verò pænitens bona fide accedat immemor excommunicationis, tunc validè ſuſcipit Sacramentum pœnitentiæ, nec talis confeſſio eſt iteranda. Sic Petrus Soto, Nauarrus, Caiet. Medina, quos refert, & ſequitur Suarez, & Diana tom. 2. tract. 4. de Sacra. Reſol. 78. & plures alij apud ipſum; Lugus diſp. 16. ſec. 15. nu. 612. Arriaga diſp. 35. ſec. 2. contra Vaſquez tom. 4. in 3. p. tract. de excom. dub. 4. & quoſdam alios.

15 Probatur. Non alia ratione poteſt eſſe irrita hæc confeſſio, niſi quia per excommunicationem Eccleſia intendit reddere illum inhabilem ad recipiendam abſolutionem ſuorum peccatorum: ſed non poteſt dici, quod Eccleſia habeat hanc intentionem reddendi inhabilem ad recipiendam abſolutionem illum, qui bona fide accedit, ergo verè abſoluitur: maior patet: probatur minor; quia ſi talis eſſet immemor excommunicationis, numquam peteret abſolutionem ab illa, & ſic numquam poſſet iuſtificari per Sacramentum pœnitentiæ. Addo, quod quando quis accedit bona fide, cum ſemper præmittatur à confeſſario abſolutio ab excommunicatione ex ritu Eccleſiæ, fatendum eſt, Eccleſiam nolle negare abſolutionem à peccatis illi, qui bona fide accedit.

17 Quæres 5. An repetenda ſit confeſſio quando confeſſarius non recordatur peccatorum, quæ pœnitens confeſſus eſt.

Reſpondeo cum diſtinctione: vel enim quis fecit confeſſionem inualidam apud aliquem confeſſarium, quocumque modo fuerit inualida, & poſtea vult abſolui, & ritè confiteri alteri confeſſario, & tunc certum eſt, quod debet repetere omnia peccata in illa, vel illis confeſſionibus inualidis, quia hic ſecundus debet eſſe iudex; ergo debet omnia cognoſcere, & iudicare vt poſſit abſoluere; & hoc omnes Doctores admittunt.

18 Vel confeſſio fit eidem confeſſario, & tunc ſufficit, quod confeſſarius ſaltem in confuſo recordetur de ſtatu conſcientiæ pœnitentis, nec neceſſe eſt totam confeſſionem repetere, ſed ſufficit, ſi ſe de nouo accuſet vno verbo de omnibus peccatis tunc dictis, & de ſacrilegio commiſſo, ratione cuius inualida fuit confeſſio. Sic D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. Nauarrus in ſum. cap. 9. nu. 19. Vaſquez qu. 92. ar. 3. dub. 3. Valentia qu. 11. p. 3. Toletus lib. 3. cap. 10. Lugus diſp. 16. ſec. 15. an. 626. Arriaga diſp. 35. ſec. 3. Auerſa qu. 10. ſec. 20. & plures alij apud ipſum. Ratio eſt, quia requiritur quidem diſtincta notitia in confeſſario, & ideo requiritur diſtincta confeſſio, at non eſt neceſſe, quod adſit tunc, quando impendenda eſt abſolutio, ſed ſatis eſt, quod antea fuerit, & quod tunc ſaltem recordetur in confuſo de ſtatu conſcientiæ pænitentis, ſecus impoſſibile moraliter eſſet, quod aliquis confeſſarius teneat memoriæ omnia peccata, & ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm numerum, præſertim quando confeſſiones ſunt longæ, & per plures dies fiunt, ſufficit ergo, quod recordetur ſtatus conſcientiæ pænitentis, & poſſit congruam iniungere pænitentiam.

19 Quæres 6. An, qui oblitus eſt circumſtantiæ mutantis ſpeciem teneatur poſtea repetere ipſum peccatum, an verò ſufficiat dicere oblitus ſum talis circumſtantiæ non repetendo peccatum.

Reſpondeo quòd ſi circumſtantia poteſt declarari non declarato peccato, non eſt neceſſe declarare denuo peccatum, ſed ſufficit explicare circumſtantiam: ſi verò non poteſt declarari, niſi explicato iterum peccato; debet illud iterum in confeſſione explicare. Ita Bonacina de pænit. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. p. 2 §. 3. num. 9. & apud ipſum Coninchus, Henriquez, Suarez, Valentia, Regnaldus & alij. Nauarrus in ſum. cap. 6. Sanchez lib. 4. in Decalogum cap. 11. num. 24. Lugus diſp. 16. ſec. 16. Arriaga diſp. 35. ſec. 4. & communis. Ratio eſt, quia, vt ſatisfiat præcepto confeſſionis, ſufficit, ſi quis confiteatur integrè peccata ſua: ſed quando quis explicuit peccatum, & nunc explicat circumſtantiã, quam omiſerat, integrè confitetur peccata ſua; ergo &c. Vnde, ſi quis iurauit ieiunare in die præcepto, vel vouit caſtitatem; ſi confeſſus eſt, ſe non ieiunaſſe vel fornicationem commiſiſſe, ſufficit ſi poſtea dicat iuramentum, vel votum non ſeruaui in re graui. Si verò non poſſit explicari circumſtantia, niſi iterum explicato peccato, clarum eſt debere, repeti peccatum, quia circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt neceſſario exprimendæ: ergo ſi non poſſunt exprimi, niſi explicato peccato, etiam hoc explicari debet.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

An poſſit abſolui infirmus qui nullum dedit ſignum doloris, nec confeſſionem petijt.

1 EX ijs quæ dicta ſunt articulo ſeptimo conſtat, poſſe, & debere abſolui moribundum, qui petijt abſolutionem, vel aliquod peccatum dixit in particulari, vel ſaltem in generali; nunc videndum eſt, an ſi moribundus nullum ſignum dederit doloris, & de facto agat animam, & non poſſit dare vllum ſignum doloris certum, neque petere abſolutionem, an nihilominus poſſit abſolui.

2 Prima ſententia docet poſſe, ac debere ſub conditione abſolui huiuſmodi moribundum. Sic Homobonus noſter p.1. tract.7. cap.18. qu.8. Molfeſius tom.1. ſum. tract.7. cap.5. nom.48. & 49. Antonius de litteratis p.1. ſum. cap.35. num, 7 Alexander Ludouiſius tunc Archiepiſcopus Bononienſis, & poſtea Sūmus Pontifex Gregorius XV. in memoriali confeſſariorum edito Bononiæ anno 1623. c. 1. de forma Sacramenti pęnitentiæ nu.16. quam probabilem cenſet Diana p.1. tract. 3. reſol.8. & huic opinioni plures alij recentiores adhærent tamquam probabili, ſi vir ille erat homo bonæ vitæ, & confeſſionem frequentabat.

Secunda opinio tenet inualidam eſſe talem abſolutionem, & proinde dari non poſſe illi, qui nulla ſigna dedit. Sic Vaſquez, Suarez, Coninchus, Lugus, Henriquez, Diana, Syluius, Arriaga, Boſſius noſter, & plures alij apud ipſum p.1. mor. tit.1. §, 25. nu. 382. qui contrariam cenſet improbabilem.

3 Concluſio. Moribundum, qui nullum ſignum dedit, neque ſub conditione poteſt abſolui. Probatur breuiter miſſis alijs rationibus, & auctoritatibus: Sacramentum pœnitentiæ debet conſtare materia & forma, & materia proxima ſunt actus pęnitentis, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio, & confeſſio ipſa debet eſſe ſenſibilis, non tantùm in ſe, ſed etiam ipſi confeſſario tamquam iudici: ſed qui nullum ſignum dat doloris nullam confeſſionem ſenſibilem facit ipſi confeſſario; ergo ſi nulla adſit materia ſenſibilis, nullum ſemper erit Sacramentum.

4 Dices primò cum Auerſa. Poteſt eſſe, quod moribundus dederit ſignum, vel confeſſionem petierit, licèt nec confeſſarius, nec alius id perceperit; ergo ſub dubio danda eſt abſolutio ſub conditione, ſi capax eſt. Sed contra, nego conſequentiam; nam eſto dederit ſignum, vel confeſſionem petierit, ſi tamen hoc nullo modo innoteſcit Confeſſario, numquam adeſt materia proxima Sacramenti vel certa, vel dubia.

5 Dices 2. Adeſſe aliquo modo materiam per teſtificationem, & bonam famam de tali moribundo, vnde illa agonia Chriſtiana eſt veluti accuſatio propriorum peccatorum. Sed cōtra; quia talis teſtificatio per bonam famam alicuius non facit, quod talis agonia ſit accuſatio peccatorū, ſecus talis agonia eſſet etiam accuſatio in quocūque peſſimo homine, qui quamuis peſſimè vixerit, nihilominus præſupponitur velle ſaluari, quare ſi non eſt accuſatio, ſeu confeſſio peccatorum, non aderit materia Sacramenti pęnitentiæ, & ſic ſemper nullum erit.

6 Dices 3. Ex Sacerdotali Romano ex D. Antonino habetur. *Infirmus, qui amiſit loquelam, vel vſum rationis, ſi bene viuebat, quamuis non petierit Sacramenta debet præſupponi contritus, & ſacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia, & peccato.* Sed contra dico tale Rituale non fuiſſe approbatum, & multos continere errores; de quo Lugus de Euch. diſp. 20. ſec. 3. agit.

7 Dices 4. vita bene, & Chriſtianè acta eſt ſufficiens accuſatio peccatorum quatenus innoteſcit confeſſario coniuncta cum illa agonia; præſupponitur enim quod ſit virtualis confeſſio, quod patet in iudicio humano externo, ſi quis inueniatur ſuſpenſus in cubiculo, damnatur a Iudice tamquam homicida ſui; ergo &c. Sed contra, quod quis bene vixerit, vel malè non facit, quod talis agonia nunc ſit confeſſio peccatorum Sacerdoti, nec exemplum eſt ad rem; nam ad hoc vt damnetur reus, ſufficit, quod eius delictum, vel in facto, vel per teſtes, vel per eiuſdem confeſſionem innoteſcat Iudici; vt verò abſoluatur, debet innoteſcere confeſſario per confeſſionem ipſius, quod ſit contritus; nec ſufficit quod quis deprehendatur in facto, niſi pęniteat.

8 Quare ſi loquamur per principia intrinſeca ego nō video quomodo cōtraria opinio ſit probabilis; licèt aliquo modo dici poſſit probabilis ex auctoritate Doctorū, qui illā docuerūt, & hac opinione ad miſſa; Si ſaltē materia eſſet dubia, & talis agonia hominis Chriſtiani poſſet aliquomodo cēſeri cōfeſſio peccatorū, teneretur cōfeſſarius ſub conditione dare abſolutionē huiuſmodi moribūdo; ſicutienim in caſu neceſſitatis moribondi, ſi quis non habeat aquā naturalem, quæ eſt materia certa pro baptiſmo, debet vti aqua roſacea, aut aliqua

alia

Digitized by Google

alia materia dubia, & conferre baptiſma ſub conditione; ita & in propoſito caſu dicendum eſt.

9 Quæres 1. an Sacerdos, vel alius dicendo Officium, apoplexia de repente correptus poſt dictam confeſsionem generalem, taliter vt nullum aliud ſignum poſsit dare pœnitentiæ, debeat abſolui a peccatis ſuis.

Reſpondeo negatiuè. Ita Layman lib. 5. tract. 6. Lugus loco cit. n. 23. Boſsius part. 1. Mor. Tit. 3. n. 379. Arriaga loco citato, & alij. Ratio, eſt quia talis confeſsio generali non eſt ſacramentalis, & multoties dicitur ab ijs, qui habent affectum ad peccatum.

10 Quæres 2. an ſi infirmus non petijt confeſsionem, ſed ſolùm dedit ſigna doloris, verbi gratia, tundendo pectus, vel dicendo Deus propitius eſto mihi peccatori, poſsit, & debeat abſolui ſub conditione.

Reſpondeo affirmatiuè. Ita Chapeavilla, Layman, quos refert & ſequitur Diana tom. 2. tract. 3. reſol. 2. Lugo diſp. 16. ſec. 7. Arriaga diſp. 36. ſec. 2. & alij. Ratio eſt, quia ſigna illa doloris planè ſunt in ordine ad petendam veniam, & remiſsionem peccatorum; & cum ſint in homine fideli credente ad hanc eſse neceſsariam confeſsionem ſacramentalem, vtique ad illam ordinantur; in contrarium ſunt tamen varij, quos Diana dicto loco allegat; ſed reſponſio data eſt omnino tenenda.

ARTICVLVS X.

An confeſſio in abſentia facta ſit valida.

1 DVpliciter hæc quæſtio poteſt agitari; primò an per litteras, vel per nuncium poſsit quis confiteri ſua peccata ſacerdoti abſenti, & ab eodem abſente abſolui, & in hoc clarum eſt, non eſse talem confeſsionem licitam, nec validam; cum apertè damnata ſit opinio contraria(, quam aliqui ſuſtinebant), vt falſa, temeraria, & ſcandaloſa à Clemente VIII. in decreto emanato die 20. Iunij anni 1602,

2 Secũdò poteſt eſſe quæſtio, an quis poſſit per litteras, vel per nunciũ abſẽti confiteri, ab eo autem non poſſit abſolui, niſi in præſentia, & hoc dupliciter poteſt contingere, vel enim quando fit præſens confeſſarius, pænitens ratificat omnia ſua peccata, quæ ſcripſerat, vel per nũciũ confeſſus fuerat: & in hoc ſenſu omnes concedunt poſſe fieri, & validam eſſe abſolutionem, quia tam confeſſio, quam abſolutio fit in præſentia; cum ratificatio æquiualeat confeſſioni, & veluti per accidens ſe habeat, quod prius confeſſarius peccata pænitentis ſciuerit, vel per nuncium, vel per litteras; cum confeſſio ſufficens fiat in præſentia, & abſolutio impendatur.

3 Dubium tamen remanet inter Doctores, an ſi quis per litterras, vel per nuncium confeſſus ſit peccata ſua Sacerdoti abſenti, poſſit poſtea ab eodem præſente abſolui abſque eo, quod ratificet peccata ſua, vel ſignum aliquod doloris det Sacerdoti præſenti. Hoc autẽ adhuc dupliciter continge re poteſt; nã primò poteſt eſſe quæſtio, an poſſit abſolui à Sacerdote præſente, etiãſi nõ det vllum ſignum doloris: cum tamen pænitens poſſit, ſi velit, & confeſſionem factam ratificare, & ſignum doloris dare; ſecundò, an poſſit abſolui à ſacerdote præſente, etiamſi non det vllum ſignum doloris, eo quod proximus morti ſit, ſenſus iam amiſerit, nec vllum ſignum dare poſſit.

4 Prima opinio negat abſolutè in quocumque caſu licere per litteras, ſeu per nuncium confiteri abſenti, vi cuius confeſſionis poſſit poſtea à præſente abſolui, niſi, quando præſens eſt, ratificet confeſſionem factam. Sic plures Thomiſtæ antiqui, vt Victoria in ſum, nu. 121. Nugnus in addit. 3. p. qu9. ar. 3. diff. 2. Petrus Dufai in qu. 1. ſupplem. ar. 2. diſp. 3. Aluarez in 1. 2. diſp. 80. Candidus & alij.

Secunda opinio vult, licere abſolui pænitentem præſentem, qui per litteras, vel per nuncium confeſſus eſt; neque videtur diſtinguere de caſu, in quo poteſt pænitens ratificare confeſſionem, à caſu moribundi, qui non poteſt ratificare confeſſionem, eo quod ſit ſenſibus deſtitutus, ſed vult decretum Clementis VIII. quo prohibuit. *Non licere per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere* debere tantùm copulatiuè intelligi non diſiunctiuè. Sic Suarez diſp. 23. ſec. 1. §. Atque ex hac reſolutione. Beccanus de Sacramentis cap. 37. qu. 8. Filliucius tom. 2. trac. 7 c. 1. Coninch, Villalobos, & alij apud Dianam part. 3. tract. 3. reſol. 8. Amicus diſp. 11. ſec. 4. & alij. Arriaga diſput. 36. ſec. 4. vult non tantùm copulatiuè, ſed etiã diſiũctiuè quo ad vnam partem damnari, nempe quo ad abſolutionem, non tamen damnari, quod non poſſit fieri confeſſio abſenti, vt ab eo præſente poſtea abſoluatur. Boſsius noſter par. 1. mor. tit. 1. §. 25. num. 363. Marchinus de Bello diuino par. 3. cap. 13. num. 8. & fere innumeri alij Doctores, quos allegant, dicunt poſſe fieri

confeſ-

Digitized by Google

confeſſionem abſenti, licèt non poſſit quis abſolui, niſi à præſente vnum noto, quod fere omnes iſti Doctores, licèt non diſtinguant de eo, qui poteſt ratificare confeſſionem ſacerdoti præſenti, & de illo, qui deſtitutus eſt ſenſibus & non poteſt talem confeſſionem ratificare, nihilominus, dum probant propriam ſententiam, omnes vtuntur exemplo moribundi, & ſenſibus deſtituti, & confirmant auctoritatibus, quæ tantùm de hoc caſu loquuntur.

5 Concluſio prima. Si confeſſio facta ſit per litteras, ſeu per internuncium abſenti, & pænitens ſit ſui compos, dum ſacerdos eſt poſtea præſens, non poteſt ab eo abſolui, niſi ratificet confeſſionem factam. Probatur ex decreto Clementis VIII. vbi ſic habetur. *Sanctiſſimus &c. maturè, ac diligenter conſiderata hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit &c.* Sed in hoc decreto, non tantùm damnatur opinio, quæ dicebat poſſe licitè dari abſolutionem abſenti, ſed etiam, quæ dicit poſſe confeſſionem fieri ſacramentalem abſenti; ergo ſicuti inualida eſt abſolutio, etiam inualida erit confeſſio, niſi de nouo ratificetur in pręſentia Sacerdotis.

6 Dices cum Suarez diſp. 21. ſect. 4. damnari à Pontifice talem propoſitionem copulatiuè, non diſiunctiuè, & quod non poſſit dari abſolutio abſenti, non verò, quod quis non poſſit confiteri abſenti. Sed contra: quia hanc explicationem Paulus V. die 14. Iulij 1605. decreuit non ſubſiſtere, & iterum confirmat decretum Clementis VIII. ergo ſi hæc expoſitio non ſubſiſtit, debemus fateri mentem Pontificis eſſe, non licere ſacramentaliter nedum abſolui ab abſente, ſed nec etiam abſenti ſacramentaliter confiteri.

7 Probatur ratione: Sacerdos debet eſſe moraliter certus, quod pænitens animum non mutauerit, nec aliud peccatum commiſerit: ſed ſi daret abſolutionem pænitenti propter peccata, quæ in abſentia audiuit, ſiue per litteras, ſiue per internuncium, non eſſet certus moraliter, niſi pænitens prius ratificaret in præſentia Sacerdotis confeſſionem per litteras, vel internuncium factam; ergo confeſſio facta in abſentia nullo modo eſt licita, nec valida.

8 Concluſio ſecunda. Si moribundus in abſentia Sacerdotes petijt Sacramentum Confeſſionis, vel ſigna, vel nutus denotantia deſiderium confeſſionis, & pænitentiæ oſtenderit, ſi adueniente Sacerdote oppreſſus infirmitate ſignum aliquod dare nõ poſſit, ſed adſit aliquis, qui teſtetur ipſum petijſſe cõfeſſionem, vel deſiderium confeſſionis oſtendiſſe, debet à Confeſſario ſuperueniente abſolui. Eſt aperta ſententia D. Tho. opuſcul. 65. §. *De Sacramento Extremæ Vnctionis*; vbi habet: *Si autem infirmus, qui petit vnctionem amiſit notitiam, vel loquelam antequam Sacerdos veniret ad eum; nihilominus vngat eum Sacerdos, quia in tali caſu debet etiam baptizari, & à peccatis abſolui.* Vnde fatetur Gonetus diſput. 12. ar. 4. §. 4. illos Thomiſtas, qui oppoſitum docent, tam apertum D. Thom. teſtimonium non vidiſſe.

9 Probatur ex Rituali Romano iuſſu Pauli V. edito, vbi ſic præſcribitur: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat: nutibus, & ſignis conetur Sacerdos, quo ad fieri poterit, peccata pænitentis cognoſcerè. Quibus vtcumq; vel in genere, vel in ſpecie cognitis; vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* Imò idem Clemens VIII. interrogatus, an moribundus in caſu, de quo loquimur, deberet ſacramentaliter abſolui, reſpondit debere abſolui, & ſe eum abſoluturum, neque huiuſmodi caſum vllo modo ſuo decreto comprehendi, vt anno 1608. 16. Aprilis teſtati ſunt ex eo audiuiſſe Cardinalis Bellarminus; & Archiepiſcus Armacanus, qui præterea litteras ſua manu ſubſcriptas dedit Franciſco Florentino è Societate Ieſu Prouinciali in Belgico, & P. Leonardo Leſſio, quæ omnia referunt Coninchus, & Ioannes Sancius diſp. 44. & ſimile teſtimonium Archiepiſcopi Armacani refert Lugus diſpu. 17. ſect. 4. ſub die 6. Iunij 1624. Ex quo ſic formo argumentum etiam pro confirmatione noſtræ primæ concluſionis. Exceptio firmat regulam: ſed Clemens VIII. & Paulus V. Pontifices excipiunt ſolùm caſum moribundi ſenſibus deſtituti, vt poſſit abſolui, ſi in eorum abſentia deſiderium confeſſionis oſtenderit, vel confeſſionem petierit; ergo ſi ſenſibus non fuerit quis deſtitutus, non poterit abſolui, niſi cõfeſſionem factam in abſentia ratificauerit; tum quia in Rituali præſcribit Paulus V. quod adueniente Confeſſario, ſi pœnittens loquelam amiſit, conetur ab eo nutibus, vel ſignis cognoſcere, an verè pœniteat, & abſolutionem deſideret; ergo ſi quis ſit ſui compos, etiamſi per litteras, vel internuncium confeſſus ſit, antequam abſoluatur debet ſaltem confeſſionem ratificare, quæ ratificatio eſt confeſſio in præſentia.

De-

Digitized by Google

10 Demum noſtra concluſio clarè habetur ex Concilio Arauſ, 1. can. 11. vbi dicitur: *Subitò obmuteſcens (prout ſtatutum eſt) baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu.* Item ex Concilio Carthag. 4. cap. 63. ex Euſebio Papa, vt refert Yuo in ſuo decreto par. 15. cap. 35. & Leo Magnus epiſt. 91. ad Theodorum. Et talis eſt vſus, & praxis totius Eccleſiæ, vnde concluſio noſtra eſt certiſſima.

11 Obijcies. Confeſſio facta abſenti, non eſt licita, & damnatur, qui docet contrarium, à Clemente VIII. tum quia Confeſſarius, quando ſit præſens, non eſt moraliter certus pœnitentem non mumutaſſe ſententiam, vel aliud peccatum non commiſiſſe: ſed hoc idem euenit in moribundo ſenſibus deſtituto, qui ſigna pænitentiæ dedit, vel confeſſionem petijt in abſentia Confeſſarij; ergo dum Confeſſarius præſens eſt, non poteſt ipsũ abſoluere, niſi de nouo ſignis, vel nutibus ratificet confeſſionem.

Reſpondeo hunc caſum de moribundo non comprehendi in decreto Clementis, vt patet ex dictis: falſum autem eſt, quod reſpectu moribundi non ſit moraliter certus Confeſſarius pænitentem non mutaſſe ſententiam, quia cum moribundus agat animam, ſi ante petijt confeſſionem, & poſtea ſenſibus fuit deſtitutus, moraliter etiam cenſetur durare in tali diſpoſitione, cum agatur de æterna animæ ſalute inſtante periculo proximo mortis. Ideò &c.

12 Quęres primò. An Sacerdos poſſit abſoluere moribundum, quando illi, qui teſtantur de voluntate, & petitione confeſſionis hoc non audierunt ab ipſo moribundo, ſed ab alijs; vnde ſunt teſtes tantùm mediati.

Reſpondeo, ſufficere teſtes mediatos: nam etiam notitia mediata notitia eſt; & hoc deducitur ex Rituali, quod habet: *Si confitendi deſiderium per ſe, vel per alios oſtenderit abſoluendus eſt.* Sic Lugus diſpu. 27. ſect. 5. & non eſt neceſſe, quod ſint plures teſtes, ſed ſufficit vnus. Sic Boſſius loco cit. nu. 367. Sancius in ſelectis diſp. 44. nu. 35. Diana dicto tract. 3. reſol. 8, Breſſerus, & alij, quos Diana citat. Nec eſt neceſſe, quod talis teſtis ſit Catholicus; neque enim præſumitur, quod in hoc caſu paganus, vel hæreticus velint mentiri; cum potius vellent tale Sacramentum non miniſtrari. Ita prædicti Doctores.

13 Quæres ſecundò. An hoc teſtimonium debeat dari Sacerdoti coram infirmo, an ſufficiat hoc illi dare in abſentia, vt in itinere; vel in domo Sacerdotis, qui aduocatur?

Reſpondeo ſufficere, quod per aliquem teſtem, vel aliquos innotuerit Sacerdoti deſiderium moribundi petentis abſolutionem. Sic Bonacina hic diſp. 5. q. 5 ſect. 2. pun. 2. §. 4. n. 10. & 3. tomo de cenſuris diſp. 2. qu. 3. punct. 33. vbi dicit Romæ à pluribus ita iudicatum fuiſſe. Lugus diſp. 17. ſect. 5 §. 2. Ioann. Sancius diſp. 40. nu. 15. Boſſius loco citato n. 370. Marchinus de peſte cap. 13. num. 15. Arriaga, & plures alij, quos citat Diana d. tract. 3. reſol. 7. licèt iſte teneat contrariam. Quod ſufficiat vnus teſtis patet, quia hic non agitur de prȩiudicio alicuius, ſed ſolũ de bono ipſius pænitentis: quod verò ſufficiat notitia habita etiam in abſentia, vel in domò Confeſſarij; probatur, quia iſte caſus non comprehenditur in decreto Clementis VIII. vt ſupra dictum eſt; & in hoc caſu verificantur, quæ præſcribuntur in Rituali; nempe: *Si deſiderium confitendi per ſe, vel per alios oſtenderit, abſoluendus eſt*; ergo abſolui poteſt.

14 Quæres tertiò. Vtrum Sacerdos non ſolùm poſſit, ſed debeat huiuſmodi pænitentem abſoluere, de quo circumſtantes teſtificantur petijſſe confeſſionem?

Reſpondeo, teneri Confeſſarium illum abſoluere: colligitur ex dicto Clementis VIII. qui interrogatus, an huiuſmodi caſus comprehenderetur in ſuo decreto, reſpondit negatiuè; imo dixit ipſum puniturum illum Sacerdotem, qui noluiſſet talem pænitentem abſoluere. Sic ſupradicti Doctores omnes; & ratio eſt clara, quia hæc ſententia ad minus eſt probabilis; ergo ex charitate erga infirmum tenetur Confeſſarius ſe illi accomodare; cum agatur de æterna animę ſalute.

15 Ex quo ſequitur ſolutio alterius caſus, quod abſolutio poſſit abſolutè dari: cum noſtra opinio ſit probabilis, non dubia: quando verò operamur ex aſſenſu probabili, poſſumus abſolutè operari abſque alia conditione appoſita. Ita Vaſquez q. 91. ar. 2. dub. 1. nu. 39. Ioann. Sancius in ſelectis diſp. 44. num. 32. Lugus, & Arriaga locis citatis.

ARTICVLVS XI.

An vnicus dolor de peccatis ſufficiat pro diſtinctis confeſſionibus.

1 AD veram, & fructuoſam confeſſionem requiri dolorem de peccatis, qui ſit, vel contritio, vel attri-

Digitized by Google

tritio ſupernaturalis,conſtat ex dictis ſupra quæſtione ſecunda; poteſt tamen verti in dubium, an hæc contritio, vel attritio debeant præcedere cōfeſſionem, vel ſufficiens ſit, quod detur iſte dolor, ſiue ſit contritio,ſiue ſolùm attritio,poſt confeſſionem, ſed ante abſolutionem. Coninchus diſput. 4. dub.6. & Layman lib. 5. cap. 4. volunt hunc dolorem debere præcedere confeſſionem; fundamentum horum eſt; quia dolor requiſitus ad confeſſionem debet eſſe ſenſibilis,& cum non ſit ſenſibilis per ſe, cum ſit actus internus, debet fieri ſēſibilis per confeſſionem; ergo debet præcedere ipſam confeſſionem, vt poſſit fieri ſenſibilis; nam ſi ſequeretur nullo modo per confeſſionem poſſet fieri ſenſibilis. Contraria tamen opinio, quam docent Suarez diſp.20. ſect.4. Bonac.de Sacram.diſput.5.q.3.punct.2.nu.18. Lugo diſp.14. ſect.2. Nauarrus,Henriquez, Fagundez, Vaſquez, & alij apud ipſum, Arriaga diſp.37.ſect.2. & alij, eſt certa, & iuxta praxim fidelium omnium tam pœnitentium, quàm Confeſſariorum, qui poſt confeſſionem omnium peccatorum ſolent excitari, & excitare ad contritionē: nec fundamentum contrarium eſt alicuius roboris; nam dolor fit ſenſibilis per illam confeſſionem, cum hæc ſit cum dolore connexa; nam confeſſio fit, vt obtineatur abſolutio: debet tamen eſſe ante abſolutionem; quia eſt pars materiæ proximæ Sacramenti, ſupra quam debet cadere abſolutio.

2 Maior difficultas eſt: An ſi quis habuit dolorem de peccatis, à quibus fuit abſolutus,& poſtea iterum confitetur peccata antiqua, debeat habere nouum dolorem,vel ſufficiat dolor præcedens. Dixi peccata antiqua confiteatur; nam ſi noua peccata confitetur,certum eſt, quod requiratur nouus dolor, cum præcedens dolor non ſe extendat ad peccata de nouo commiſſa; eſt ergo quæſtio, vel de peccatis oblitis in prima confeſſione, vel de iterum confeſſis in ſecunda confeſſione, an ad conficiendum Sacramentum requiratur nouus dolor.

3 Prima ſententia eſt Henriquez lib. 4. de pœnitentia cap. 26. §. 7. Petri Ledeſmæ in ſumm.cap.4.de Sacramen. pœnitentiæ, Ioan. della Cruz in directorio par.2. de Sacram.Pœnitent. q.1.dub. 6. Lugi diſp. 14. ſect.3. Arriagæ diſp.37. ſect.5.hæc docet vnum, eumdemq;dolorem eſſe ſufficientem pro pluribus cōfeſſionibus,& Sacramentis conficiendis.

Secunda ſententia requirit nouum dolorem ſemper in quacumque noua confeſſione. Ita Vaſquez quæſt.92. ar.3. dub.5. Bonacina de Sacram.diſp.5.qu.4. punct. 4. & alii, quos ſuppreſſo nomine citat Diana tom.2. tract.4.de Sacramen. reſol. 116.

4 Concluſio eſt cum hac ſecunda ſententia. Probatur, quia ad faciendum aliquod Sacramentum eſſentialiter requiritur materia,& forma:ſed nō ſolùm confeſſio, ſed etiam dolor eſt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ; ergo non tantùm requiritur noua confeſſio, ſed etiam requiritur nouus dolor, vt nouum Sacramentum fiat. Confirmatur, quia in baptiſmo eadem ablutio nō poteſt inſeruire pro duplici Sacramento, ſpecies iam conſecratæ non poſſunt inſeruire pro alia conſecratione, & ſic de aliis Sacramentis eadem materia proxima non poteſt inſeruire pro duplici numero Sacramento; ergo etiam in Sacramento Pœnitentiæ, cum dolor ſit materia proxima Sacramenti, idem dolor non poteſt inſeruire pro duplici Sacramento.

5 Obiicies 1. Ad hoc,vt ſit nouum Sacramantum non eſt neceſſe, quod omnes partes illius ſint nouæ; ergo neque in Sacramento Pœnitentiæ requiritur,vt omnes illius partes ſint nouæ; ergo idem dolor poteſt inſeruire pro duplici Sacramento numero: antecedens patet in Sacramento Euchariſtiæ, in quo Chriſtus eſt ſemper idem numero ſub tot ſpeciebus; & in hoc Sacramento pœnitentiæ, ſi quis poſt confeſſionem peccatorum, & abſolutionem recordetur alterius peccati, & illud confiteatur, & petat de illo abſolutionem,poteſt Cōfeſſarius iniungere eamdem pœnitentiā ſeu ſatisfactionem iam impoſitam,& de inde dare abſolutionem; ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem dico, quod in plurium ſententia corpus Chriſti non eſt pars materialis Sacramenti Euchariſtiæ, cum plures ſuſtineant ſolas ſpecies conſecratas eſſe Sacramentum; quod licèt nos non concedamus,dicimus tamen corpus Chriſti, vt reproductum ſub ſpeciebus. vel ſecundùm alios,realiter per nouam actionem adductiuam ſub ſpeciebus adductum ſpectare ad eſſentiam Sacramenti, quare licèt ſit idem corpus realiter, virtualiter tamen æquiualet pluribus: in Sacramento autem Pœnitentiæ, licèt imponatur eadem pœnitentia, nihilominus per diuerſum actum imponitur, & per diuerſam acceptationem à pœnitente acceptatur,talis autem acceptatio noua eſt pars integralis pœnitentiæ. Ideò &c.

Obii-

Digitized by Google

6 Obiicies ſecundò. Si quis petat confeſsionem, & oſtendat ſigna doloris, deindè amittat ſenſus, ſignaque doloris amplius dare non poſsit, etiamſi in tali ſtatu duret per hebdomadam, & etiam plus antequam adueniat Sacerdos, illo poſtea adueniente, virtute prioris doloris oſtenſi debet abſolui, quia virtute cenſetur durare: ergò etiam, ſi quis prius fuit abſolutus à peccatis, & poſtea recordetur alicuius peccati, & illud de nouo confiteatur, poterit abſolui virtute prioris doloris, qui virtualiter cenſetur adhuc durare.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ratio diſparitatis eſt; quia in priori caſu talis dolor adhuc eſt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, cum ad aliud Sacramentum conficiendum non inſeruierit; in poſteriori verò, cùm talis dolor iam inſeruierit pro materia proxima Sacramenti, non poteſt inſeruire pro alio Sacramento, niſi dolor renouetur, & repetatur.

ARTICVLVS XII.
An poſſit dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe.

1 QVæſtio eſt, an ſicuti dantur alia Sacramenta, quæ ſunt valida, licèt actu non conferant gratiam ex defectu diſpoſitionis requiſitæ, vt patet in eo, qui cum affectu ad aliquod peccatum baptizatur, vel ſuſcipit ordinem, vel confirmationem, hic recepit Sacramentum validum baptiſmi, ordinis, vel confirmationis, & tamen nõ recipit gratiam, & ideò dicitur recipere huiuſmodi Sacramenta validè, ſed ſine fructu gratiæ, & ideò informia; & hic inquirimus, an poſsit Sacramentum pœnitentiæ eſſe validum, hoc eſt habere ea omnia, quæ requiruntur ad eſſentiam huius Sacramenti, abſque eo quod producatur gratia, & ideò ſit informe.

2 Prima ſententia negat poſſe dari Sacramentum pęnitentiæ validum, ſed informe; ſic Gabriel in 4. diſt. 17. q. 1. art. 1. dub. 2. Maior. quæſt. 9. Adrianus quæſt. 5. de confeſs. Vega lib. 13. in Trid. cap. 26. & 34. Vaſquez hic quæſt. 92. art. 2. Coninch. diſp. 4. dub. 5. & 11. Turrianus diſp. 28. dub. 1. Laymain. lib. 5. Mor. tract. 6. cap. 9. Arriaga tom. 7. de Sacramentis in genere diſp. 13. ſec. 1. 2. & 3. Syluius in ſuplem. q. 9. art. 1. Amicus diſp. 12 ſect. 6. & alij.

Secunda affirmat omninò poſſe dari hoc Sacramentum validum, & informe. Sic D. Tho. in 4. diſt. 17. q. 3. ar. 4. quæſtione 1. Durand. q. 13. Capreolus, Paludanus, Richardus eadem diſt. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 5. quæſt. 5. Syluester, Nauarrus, Couar. Ledeſma, Toletus in Sum lib. 3. cap. 20. Bonacina qu. 3. de pœnit. punc. 3. num. 9. & quæſt. 5. p. 15 Suarez diſp. 20. ſec. 2. Lugus diſput. 14. ſect. 6. Gonet. diſp. 10. art. 1. & dicit hanc eſſe communem Thomiſtarum, Auerſa quæſt. 14. ſect. 5. & plures alij apud ipsũ, licèt varij ſint in explicando, in quo caſu poſsit eſſe hoc Sacramentum validum, ſed informe. In hac quæſtione fateor propter tot inſignes Doctores, vtramque ſententiam probabilem, præſertim cum nulla ſit firma ratio, tam pro affirmatiua, quam pro negatiua ſententia, quæ facilè ſolui non poſsit, nihilominus, quid probabilius exiſtimem ſequentibus concluſionibus innoteſcet.

3 Concluſio prima. Non eſt valida confeſſio, & informis, ſi quis confiteatur omnia peccata, quorum recordatur, ſine dolore; neque ſi quis confiteatur omnia peccata, quorum recordatur, ſed ſine ſufficienti examine; neque ſi quis putet ſe habere dolorẽ ſufficientẽ, cum re ipſa ipſo careat, neque ſi dolor ſit naturalis, quamuis, qui accedit putet eſſe ſufficiẽtem, & eſſe ſupernaturalem.

4 Prima pars videtur eſſe contra Syluestrum V. confeſſio num. 26. & Filliucium cap. 7. quęſito. 9. & 11. quibus videtur fauere D. Tho. in 4. diſt. 17. q. 1. art. 4. quæſtion. 1. Probatur tamen ex Trid. ſeſs. 14. cap. 4. vbi aſſignantur partes eſſentiales huius Sacramenti contritio, ſeù attritio, confeſsio omnium peccatorum mortalium, quorum pœnitens poſt diligentem diſcuſſionem ſuæ conſcientiæ recordatur, cum propoſito non peccandi de cetero, & ſatisfactio. Ex quo loco ſic argumentor. Ad hoc vt detur aliquod Sacramẽtum validũ debent etiã dari partes eſſentialiter conſtituentes ipſum Sacramentum: ſed inter partes requiſitas pro materia Sacramenti pœnitentiæ ex Tridentino requiritur dolor, ſcilicet contritio, vel attritio de peccatis; ergò ſi quis, dum confitetur peccata ſua, non habet hunc dolorem, neque poteſt confici Sacramentum; cum ſine debita materia confici non poſſit.

5 Secunda pars eſt contra Victoriam, Nugnum, Ledeſmam, & alios, quos citat, & ſequitur Diana part. 2. tract. 17. reſol. 30. & par. 3. tract. 4. reſol. 65. Probatur, quia Tridentin. loco cit. exegit diligens examen conſcientiæ: vel ergo pœnitens fecit examen ſufficiens, & cum eo bona fide acceſſit ad Sacramentum, et cum vero dolore confeſsus eſt omnia peccata ſua mortalia,

lia, quorum memoriam habuit; vel non fecit examẽ ſufficiens, & ſua culpa omiſſit in confeſſione aliqua peccata mortalia; Si primum, confeſſio non ſolùm erit valida, ſed etiam formata, cum omnia requiſita habeat ad veram confeſſionem ſacramentalem; ſi verò dicatur ſecundum, erit irrita, quod ſic probatur; quia illa confeſſio eſt irrita, quæ eſt peccaminoſa, & ſacrilega; ſed huiuſmodi eſt confeſſio, in qua quis ſua culpa omittit aliquod peccatum graue; ergo &c.

6 Dices. Poteſt quis ſe accuſare, quod accedat ſine ſufficienti examine; ergo tunc faciet confeſſionem validam, licèt informem. Sed contra, quia dum de hoc ſe accuſat, vel facit deinde ſufficientem diſcuſſionem conſcientiæ, vel ſaltem adiuuatur à confeſſario ad ſufficiens examen, vel adhuc cognoſcit ſe accedere ſine ſufficienti examine; ſi hoc ſecundum grauius, & expreſſius peccat, & ſic ſemper confeſſio eſt irrita: ſi verò dicatur primum, non ſolùm erit confeſſio valida, ſed etiam formata; ergo &c.

7 Tertia pars eſt contra Filliucium tract. 7. cap. 6. qu. 8. & 11. qui plures alios citat, & dicit hanc eſſe communem antiquorum, cõtra Bonacinam q. 3. p. 2. num. 9. & qu. 5. p. 3. & contra Aucrſam loco cit. qui probabiliter iudicat ſufficere dolorem naturalem, qui dolor ſit talis non ex parte motiui, ſed quia caret principio ſupernaturali influente; Probatur tamen; quia dolor, qui in Trid. loco citato aſsignatur pro parte materiali huius Sacramenti, aſsignatur etiam pro diſpoſitione ſufficienti cum Sacramento ad gratiam, & definitur, quod etiam attritio, quæ eſt dolor imperfectus, ſit donum Spiritus Sancti, non quidem inhabitantis, ſed mouentis, & conſequenter, quod ſit ſupernaturalis; ergo naturalis nullo modo ſufficit.

8 Dices; In alijs Sacramentis materia eſt naturalis, vt aqua in baptiſmo, oleum in extrema vnctione, & idem de materia ordinis, & aliorum Sacramentorum; ergo etiam idem dicendum de materia Sacramenti pænitentiæ. Sed contra, dato antecedente, nego conſequentiam; ratio diſparitatis deſumenda eſt ex voluntate Chriſti inſtituentis, qui potuit inſtituere, quod in alijs Sacramentis materia proxima eſſet naturalis, in Sacramento autem pænitentiæ eſſet ſupernaturalis; & quod Chriſtus ſic inſtituerit, conſtat ex Trid. quod aſsignans pro materia huius Sacramenti contritionem, vel attritionem, docet etiam eſſe ſupernaturalem, & eumdem actum eſſe materiam, & diſpoſitionem ad gratiam, quod non euenit in aliis Sacramentis, in quibus ſemper materia eſt diuerſa à diſpoſitione, & hæc ſemper eſt ſupernaturalis. Dixi dato antecedente; nam poteſt etiam negari; cum multi ſuſtineãt materiam confirmationis eſſe Chriſma ab Epiſcopo benedictum, & materiam Subdiaconatus eſſe calicem conſecratum, & extremæ vnctionis oleum benedictum. Ideo &c.

9 Concluſio 2. Probabile eſt dari confeſsionem validam, ſed informem, ſi quis accedat ad Sacramentum cum dolore ſupernaturali omnium peccatorum, quorum recordatur, & doleat de illis peccatis non propter motiuum aliquod vniuerſale, ſed ob ſpecialem deformitatem, & turpitudinem quæ reperitur v.g. in furto, vel luxuria &c. & ex alia parte commiſerit alia peccata mortalia, quorum non recordatur. Probatur: tunc datur Sacramentum validum ſed informe, quando dantur omnes partes conſtituentes Sacramentum, & gratia non confertur: Sed quando quis confitetur peccata ſua, & de illis dolet propter ſpecialem turpitudinem, quæ in illis reperitur, & alia peccata commiſit, quorum non habet memoriam, dantur omnes partes conſtituentes Sacramentum pænitentiæ, & gratia non confertur; ergo & ipſum Sacramentum datur validum, ſed informe: maior per ſe patet: probanda igitur eſt minor: partes huius Sacramenti ſunt confeſsio peccatorum, quorum quis recordatur, dolor de illis ob eorum turpitudinem, qui dolor ſit ſupernaturalis voluntas ſatisfaciendi, & quod miniſter cum vera intentione abſoluat: ſed hæc omnia dantur in eo, qui habet plura peccata mortalia, & confitetur ea, quorum recordatur, & dolet ob eorum turpitudinem, & ex alia parte cum iſte dolor non ſit vniuerſalis, nec ſe extendat ad retractanda peccata, quorum non recordatur, conſequenter iſta non remittuntur, neque gratia ſanctificans confertur: ergo in tali caſu dabitur Sacramentum pænitentiæ validum, ſed informe.

10 Dices primò. Dolor, qui requiritur ad hoc Sacramentum, tendit ad reconciliationem cum Deo: ſed non poteſt tendere ad reconciliationem cum Deo, niſi ſit dolor ſaltem virtualiter de omnibus peccatis; ergo ſi eſt dolor de omnibus, non ſolùm faciet validum, ſed etiam fructuoſum ipſum Sacramentum. Sed contra falſa maior, dolor enim, qui eſſentialiter requiritur, eſſe debet ſupernaturalis, & ſufficit ſi ſit ex motiuo

Digitized by Google

motiuo turpitudinis alicuius peccati, vt colligitur ex Trid dupliciter autem poteſt eſſe, quod iſte dolor tendat ad reconciliationem cum Deo, vel ex intentione pænitentis, vel ex natura ſua: in caſu, quod Sacramentum eſſet validum, ſed informe, tenderet tantùm ad reconciliationem cum Deo ex intentione pænitentis, qui ſic exiſtimaret, non re ipſa; eo modo, quo quis ſi exiſtimaret ſe eſſe diſpoſitum, & re ipſa non eſſet, & accederet ad hoc Sacramentum, vtique haberet animum reconciliandi ſe cum Deo, & tamen re vera non reconciliaretur; ita à pari in propoſito dicendum eſt.

11 Dices 2. Ex Trid. requiritur ad hoc Sacramentum propoſitum vniuerſale non peccandi de cetero: ſed non poteſt quis habere verum propoſitum non peccandi de cetero, niſi ſit ex motiuo vniuerſali, & conſequenter, quod virtualiter retractet omnia peccata præterita: ſi autem retractantur omnia peccata, iam Sacramentum erit formatum; ergo &c. Sed contra. Poteſt quis habere propoſitum verum non peccandi de cetero, & tamen non retractare præterita; vt patet in eo, qui proponeret non peccare de cetero ex motiuo malitiæ quæ inuenitur in reincidentia in mortale; hic certè haberet animum amplius non peccandi in futurum, & tamen vi illius actus non deteſtaretur peccata præcedentia, quia hæc non haberent malitiam reincidentiæ; ſequitur ergo, quod quis poſſit habere propoſitum non peccandi in futurum, quamuis non retractet præcedentia.

12 Dices 3. Eadem attritio, quæ eſt pars Sacramenti, eſt etiam diſpoſitio ad effectum illius, ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4 & 5. ergo numquam poteſt eſſe validum, niſi etiam ſit formatum. Sed contra, quia ſequitur tantùm, quod regulàriter loquendo ita ſit; non verò, quod aliquando non poſſit dari attritio, quæ ſit pars neceſſariò requiſita, deficiat tamen à ratione veræ diſpoſitionis, eo quod non ſit dolor vniuerſalis, vt ſupra dictum eſt.

13 Dices quartò. Sequeretur ſi quis ex ignorantia inuincibili exiſtimaret nõ eſſe mortale accedere ſine dolore omnium, & ſufficere dolorem alicuius mortalis, quod iſte faceret confeſſionem validam, licèt aduertenter non doleret de aliquo. Suarez diſp. 20. ſect. 4. nu. 26. concedit caſum; ſed re vera melius negatur ſequela, nam re vera eo ipſo, quod quis recordatur alicuius mortalis à ſe commiſſi, & de illo non dolet, moraliter etiam cenſetur ſe complacere in illo, & quod adhuc duret moraliter complacentia, quam habuit in illo peccato, dum illud commiſit, quod non euenit de peccato, cuius quis non recordatur.

14 Concluſio tertia. Probabilius eſt non dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, ſed informe. Probatur ex Trid. ſeſſ. 14. c. 4. vbi loquens de dolore requiſito ad Sacramentum Pœnitentiæ habet; *Declarat igitur Sancta Synodus hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* Ex quo loco ſic argumentor. Per Concilium ad Sacramentum requiritur non ſolùm propoſitum non peccandi de cetero, ſed etiam odium vitæ veteris, & hoc abſolutè dicitur à Concilio: ſed non poteſt eſſe verum propoſitum non peccandi de cetero, niſi pœnitens habeat voluntatem non peccandi in quacumque materia; ergo neque poteſt eſſe verum odium vitæ veteris, niſi pœnitens doleat, ſaltem in vniuerſali de omnibus peccatis à ſe commiſſis; quo caſu Sacramentum erit formatum; & ſi huiuſmodi dolor non detur, neque dabitur materia ſufficiens pro Sacramento. Confirmatur, quia Trident. non diſtinguit inter dolorem, qui requiritur tamquam materia, vt fiat Sacramentum, & inter dolorem, qui requiritur tamquam diſpoſitio ad gratiam; ergo ſemper erit commentitia diſtinctio, quæ à nobis fingitur de dolore requiſito, vt materia, & vt diſpoſitione.

15 Dices. Hæc opinio eſt nimis rigida, & facit onus confitendi peccata nimis graue; non debemus autem hoc onus grauius facere, cum ſit omnium grauiſſimum, quod ſit in Eccleſia Dei. Sed contra, quia data hac vltima ſententia, non redditur grauius hoc onus, niſi repetendi peccata illa, quando detegitur defectus, ceterum, ſi bona fide quis confeſſus fuit, nec defectus detegatur, huiuſmodi peccata, vel remittuntur per actus contritionis, & amoris, vel dum recipiuntur alia Sacramenta cum attritione ſufficienti; neque huiuſmodi obligatio iterum confitendi peccata eſt adeò grauis; ſicuti enim, ſi quis ſciret Confeſſarium non habuiſſe veram intentionem abſoluendi, vel caruiſſe iuriſdictione, teneretur peccata iterum confiteri, & hæc non cenſetur tam grauis obligatio; ita in propoſito dicendum eſt.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XIII.

An confeſſio Sacramentalis ſit in præcepto: quando, & quomodo obliget.

1 Confeſsionẽ ſacramentalem eſſe neceſſariam neceſſitate medij, & inſuper eſſe iure diuino præceptam, & quando hoc præceptum obliget dictum fuit ſupra in fine quæſtionis 3. nunc igitur per varia quæſita, cum tota hæc quæſtio ſit moralis, quæ ibi deſiderari poterant, & quando, & quomodo Eccleſię præceptum obliget ad ſacramentalem confeſsionem explicabimus.

2 Quęres 1. an præceptum diuinum obliget ad ſtatim confitendum peccata ſua, ſi quis timeat obliuionem ſuorum peccatorum.

Reſpondeo negatiuè: ita communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Diana Tom. 2. tract. 4. reſol. 155. quibus addo Lugum diſp. 15. ſec. 3. n. 41. & Arriagam diſp. 51. ſec. 6. n. 36. contra Medinam cod. de pœnit. tract. 2. q. 14. §. 2. & Nugnum apud Dianam loco cit. Ratio eſt, quia huic periculo ſe exponunt communiter qui differunt confeſſionem de anno ad annum, & tamen nullus obligat illos ad ad confeſſionem frequentius faciendam Tum quia ex Trid. dum quis confitetur tenetur explicare ea omnia peccata mortalia, quæ poſt diligentem conſcientiæ excuſſionem memoriæ occurrunt, reliqua verò, quorum quis non recordatur per infuſſionem gratiæ ſimul cum alijs remittuntur; ergo etiamſi quis timeat ne obliuiſcatur peccatorum ſuorum, non per hoc tenebitur ſtatim eadem confiteri. Conſulenda quidem eſt omnibus frequentia confeſſionis; at non eſt in præcepto.

3 Quæres 2. An ſi quis iudicaret ſe lapſurum in peccatum mortale, niſi cõfeſſionem faceret, teneatur confiteri, vt tentationes vincat, & non cadat.

Reſpondeo non dari huiuſmodi obligationem. Sic Lugus diſp. 15. ſection. 4. Arriaga diſp. 51. num. 37. & communis contra aliquos, quos adducit Lugus, qui contrarium ſentire videntur. Probatur; quia ſi eſt neceſſaria iſta confeſſio frequens, maximè quia eſt medium neceſſarium ad vincendas aliquas tentationes: ſed hoc per ſe eſt falſum; ergò & vndè ſequitur: maior eſt fundamentum contrariæ opinionis: probatur minor: per hoc quod in lege gratiæ fuerit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ non habent homines maiores tentationes ad peccandum, quam habuerint in lege ſcripta, & naturæ: ſed in lege naturæ, & ſcripta poterant homines vincere tentationes cum gratia Dei, & eliciendo actus contritionis, & amoris; ergò etiam id poſſunt facere in lege gratiæ; quod ſi poſſunt, ſequitùr clarè, quod confeſsio non ſit medium neceſſarium ad vincendas tentationes. Confirmatur: ſi confeſsio frequens eſſet medium per ſe vincendi tentationes, ſequeretur, quod omnes illi, qui frequenter accedunt ad hoc Sacramentum ſemper vincerent tentationes, nec caderent; quod tamen eſt contra experientiam; cum plures adſint, qui hoc Sacramentum frequentant, & nihilominùs in plura etiam mortalia ſæpius labuntur; fateor tamen, quod ſi quis in ſe experiatur non poſſe alio modo vitare mortalia, niſi ſæpiùs accedendo ad hoc Sacramentum, quod talis per accidens teneatur huiuſmodi Sacramentum frequentare; & Confeſsarij debent huiuſmodi pœnitentes ad frequentiam hortari, imo ſi exiſtimarent eſſe vnicum medium ad mortalia vitanda, tenerentur eos monere de obligatione contra Arriagam, Lugum, & alios, qui contrarium docent. Per accidens poteſt quis eſſe obligatus ad frequentem confeſſionem.

4 Quæres 3. an præceptum diuinum obliget ad confeſsionem per interpretem?

Reſpondeo negatiuè. Sic Scotus in 4. diſt. 17. q. vn. §. Ad aliud. Caiet. verbo confeſsio cond. 11. Angel. eodem verbo. q. 1. num. 33. Vaſquez quæſt. 91. art. 4. dub. 3. Coninch. diſp. 5. dub. 10. conc. 2. Amicus diſp. 17. num. 64. qui citat Tabien. Sotum, Medinam, Nauarrum, Toletum, Layman. & alios; Arriaga diſp. 51. ſec. 7. & alij. Contra Sylueſtrum V. Confeſsio num. 15. Canum relectione de pœnitentia p. 6. Lugum diſp. 15. ſec. 5. num. 65. Probatur: Iuxtà communem doctrinam, quam omnes amplectuntur: ſi quis probabiliter timet Confeſſarium reuelaturum ſuum peccatum alteri, quamuis prudentiſsimo, non tenetur illud confiteri; ergò etiam non tenetur quis confiteri per interpretem: tum quia ex Trid. ſeſs. 14. cap. 5. delicta non ſunt ex pręcepto diuino in publica confeſſione explicanda: ſed confeſſio per interpretem eſſet aliquo modo publica; ergò &c. tũ quia in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi diuinum præceptum determinatur dicitur: *Vt omnis fidelis omnia ſua peccata ſolus confiteatur proprio Sacerdoti*; ergò ſi præceptum eſt de ſolo, interpres excluditur.

5 Dices: quando quis habet caſum reſeruatum tenetur confiteri, & Prælato, & confeſſario; ergo etiam tenebitur confiteri per interpretem. Sic arguit Lu-

Digitized by Google

Lugus. Sed contra: quia quando quis habet caſum reſeruatum poteſt adire Prælatum, & petere, vt ab ipſo abſoluatur, quo caſu non eſt neceſse, quod ſuū peccatum confiteatur confeſsario inferiori. Si verò Prælatus non eſt Sacerdos, poterit licentia peti per Confeſsarium, neque pœnitens tenetur duobus peccatum ſuum aperire.

6 Quæres 4. an hoc ſit etiam verum in articulo mortis.

Reſpondeo affirmatiuè, dummodò quis ſit moraliter certus ſe habere contritionem, nam ſi habeat tantùm probabile iudicium de contritione, teneretur confiteri, vt certiori modo, quo poſſet prouideret ſaluti animæ ſuæ: ſic cōmuniter Doctores ſupracitati. Dixi dummodò quis ſit moraliter certus ſe habere contritionem, contra Suarez diſp. 36. & Dianam tom. 2. tract. 4. reſol. 129. qui exiſtimant ſufficere, quod pœnitens habeat probabile iudicium de contritione.

7 Probatur: quia in tali caſu homo tenetur adhibere media certa, quibus poſsit conſulere animæ propriæ; cum agatur de æterna ipſius ſalute: ſed qui ſolùm habet probabile iudicium poteſt in eo errare, & proindè, ſi non haberet contritionem damnaretur; quia probabile iudiciū non facit ipſum contritum; ergò non ſufficit probabile iudicium, quod habeat contritionem, ſed debet quis eſſe moraliter certus, ſe eſse contritum: quare ſi hanc moralem certitudinem habere non poteſt, tenebitur, vt ſaluti ſuę conſulat, per interpretem confiteri. Verum equidem eſt, quod in tali caſu non tenebitur confiteri materialiter omnia peccata ſua, ſed ſufficiet confeſsio integra formalis, & quod pęnitens confiteatur aliqua peccata mortalia, quorū conſcientiam habet, & de illis doleat ex motiuo vniuerſali; ſic enim moraliter ſit certus de ſalute ſua. Sic Lugo, Arriaga, Amicus, & alij locis citatis.

8 Quæres quintò. An ſaltem ſit obligatio confeſsionem faciendi per ſcripturam, ſi aliter peccata explicari non poſsunt? Sermo non eſt de confeſſione facta per litteras in abſentia de hoc enim ſupra egimus, ſed de confeſſione facta in præſentia, & coram confeſsario, quam fieri poſse ſuppono, ſi quis enim tradat ſcripturam confeſsario, in qua ſcripta ſint omnia peccata ſua, deinde dicat: *Doleo de his omnibus, & peto abſolutionem*, vtique poteſt abſolui, vt docent communiter Doctores, & in terminis Lugus loco citato, & Arriaga, qui etiam docent, quod in huiuſmodi caſibus debet pęnitens aliquid dicere, quo oſtendat ſe dolere de peccatis, & petere abſolutionem, cum aliter faciendo ſit contra conſuetudinem receptam in Eccleſia; quæſtio igitur eſt, ſi quis non poſsit aliter peccata ſua explicare, & vrgeat præceptum confeſſionis; an tunc teneatur confiteri per Scripturam tradendo ſchedulam, in qua ſcripta ſint peccata ſua.

19 Reſpondeo affirmatiuè. Sic D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtione 3. ad 1. Paludanus, Syluester, Caietanus, & Petrus Soto, Vaſquez loco cit. Suarez diſp. 36. ſect. 6. Lugus diſp. 15. ſec. 5. num. 87. Amicus diſp. 17. num. 72. Arriaga loco cit. & plures alij contra aliquos, quos citat Diana tract. 4. de Sacra. reſol. 128. Ratio eſt: quia quilibet tenetur confiteri eo modo, quo poteſt ſine graui damno; ſed confitendo per ſcripturam nullum ſequitur damnum; ergò ſi pœnitens alio modo confiteri non poteſt, tenetur per ſcripturam confiteri.

10 Dices: Scriptura eſt de ſe publica, & expoſita varijs periculis, ergo nullus tenetur per ſcripturam peccata ſua confiteri. Sed contra, quia ſi quis tradat ſcripturam ſecretò confeſsario pręſenti, qui poſtquam peccata legerit, vel illam laceret, vel reddat pęnitenti, certè in hoc caſu, neque ſcriptura eſt publica, neque vllis periculis expoſita; ergo tenetur pęnitens hoc modo confiteri, ſi aliter non poteſt, & hoc exiſtimo verum, non tantum in articulo mortis, ſed etiam, vt ſatisfaciat præcepto annuę confeſsionis; quia præceptum debet adimpleri; cum quis ſine graui damno poteſt.

11 Quæres 6. Quo iure confeſsio præcepta ſit ſingulis annis? Confeſsionem ſingulis annis eſse præceptam conſtat ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus &c.* de Pęnit. & remiſ. in Concilio Lateranenſi & ex Trid. ſeſs. 14. cap. 5. Quarè, quod hic inquirimus eſt, an præceptum latum in illo cap. *omnis &c.* ſit diuinum, vel merè Eccleſiaſticum, vel quale ſit.

12 Reſpondeo præceptum annuæ confeſsionis non eſse merè Eccleſiaſticum, imò nec tale potuiſse eſse, ſed eſſe diuinum modificatum. Hæc reſponſio eſt communis, & conſtat ex Triden. ſeſs. 14. cap. 5. vbi habetur. *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſtifideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſse intellexerat, ſed vt præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perueniſſent impleretur.* Ratio eſt; quia præceptum de confeſsione non ſolum

eſt

Digitized by Google

eſt de actibus externis, ſed etiam de internis cogitationibus: ſed confeſſio actuum internorum non poteſt præcipi ab Eccleſia: nulla enim poteſtas poteſt illud præcipere, cuius tranſgreſſionem punire non poteſt; fruſtra enim ferentur leges, niſi poſſent tranſgreſſiones puniri; ergò confeſſio abſolutè non poterat ab Eccleſia præcipi: præceptum igitur annuæ confeſsionis eſt diuinum modificatum, & detrimentum ab Eccleſia, vt quotannis à fidelibus adimpleatur.

13 Quæres ſextò: An Eccleſia poſſit præcipere, vt idem peccatum iam confeſſum, & abſolutum denuo quis confiteatur.

Reſpondeo negatiuè. Ita D. Tho. Medina, Vaſquez qu. 91. art. 3. dub. 7. & plures alij apud ipſum, Lugus diſp. 15. num. 92. Arriaga diſp. 52. num. 6. contra Henricum, Maiorem, & alios apud Vaſquez. Probatur: quia Eccleſia non poteſt abſolutè præcipere confeſſionem, vt ſupra dictum eſt, ſed tantùm modificare præceptum diuinum: ſed eo ipſo, quod aliquis confeſſus eſt peccata ſua, & abſolutus ab illis, iam ſatisfecit præcepto diuino; ergo non poteſt amplius ab Eccleſia obligari ad idem confitendum.

14 Dices primò. Pro ordine Ciſtercienſium adeſt ſtatutum à duobus Pontificibus confirmatum, quo Religioſi tenentur confiteri ſemel in anno ſuo Prælato omnia peccata, quæ per annum fuerant confeſſi ordinariis confeſſarijs; ergo poteſt Eccleſia præcipere, quod idem peccatum per ſecundam confeſſionem clauibus ſubijciatur. Sed contra ex hoc nihil concluditur contra nos; hoc enim eſt peculiare pro religioſis, qui ſicuti voluntariè emittunt vota, ad quæ Eccleſia non poteſt ex ſe obligare, ita obligantur ad ſtatuta religionum, inter quæ vnum eſt, quod teneantur idem peccatum bis confiteri; & hoc nō solùm eſt proprium Ciſtercienſium, ſed etiam obſeruatur in noſtra Congregatione, & lib. 2. conſt. cap. 4. habetur. *Præter confeſſionis tempus ſupra expreſſum, ſexto quoque menſe conſcientiam ſuam examinent, & generalem confeſſionem pro toto eo tempore faciant, quod quidem omninò præſtetur ab ijs, qui profeſſuri ſunt, & ordines ſuſcepturi*; quod in pluribus alijs religionibus, & præſertim in Societate obſeruatur.

15 Dices ſecundò Martinus V. in Extrauaganti *Ad vberiorem fructum, &c.* mandat, vt qui mendicantibus confitentur, ſemel ſaltem in anno ſuis Parochis confiteantur; ergò Eccleſia poteſt obligare ad ſecundam confeſſionem. Sed contra ex hoc nihil deducitur; nam in primis non eſt neceſſe, vt peccata ſemel confeſſa ſuis Parochis confiteantur, ſed ſolùm, quod ſemel illis confiteantur peccata alias non confeſſa; ſecundò dico, quod poſſunt tales non confiteri mendicantibus, & velle ſemel in anno ſuis Parochis confiteri.

16 Dices tertiò. In varijs Religionibus adeſt vſus, vt in itinere poſſint abſolui à Confeſſarijs cum onere tamen ſe præſentandi ſuperioribus, cum primùm domum redierint; ergò &c. Sed contra neque ex hoc quicquam deducitur, & varias ſolutiones ad hanc obiectionem dant Doctores, quæ tamen non ſubſiſtunt, vndè illis omiſſis, dico in tali caſu adeſse pactum implicitum Prælati cum Religioſis ſubditis, vt ſi volunt, in itinere abſolui poſsint, dummodo, cum domum redierint, ſuperiori ſe præſentent; vndè ſi hoc pactum non acceptaſſent, non poſſet hæc lex imponi; tenentur autem ſubditi hoc pactum implicitè acceptare, ſecus non eſsent abſoluti, nam non aliter Prælatus dat facultatem, vt abſoluantur, niſi poſita tali conditione, vt ad longum hoc explicant Lugus, & Arriaga locis citatis.

17 Quæres ſeptimò: Qualis debeat eſſe confeſsio, vt præcepto Eccleſiæ ſatisfiat.

Reſpondeo non ſufficere confeſſionem ſine dolore, & ſine animo ſuſcipiendi Sacramentum, ſed requiri validam, ſufficere tamen informem. Prima pars eſt contra Fagundez, Gabrielem, Victoriam, & quoſdam alios, quos refert Diana tom. 2. tract. 4. reſol. 120. Eſt tamen Nugni, Layman, Soti, Nauarri, Filliucij, Suarez, Coninch, & aliorum, quos citat, & ſequitur Diana loco citato, eſt Vaſquez loc. cit. q. 91 art. 3. dub. 5. Lugi num. 136. Arriagæ loco cit. nu. 37. Prima pars probatur: quia Eccleſia, vt ſupra dictum fuit determinat tempus: quo præceptum diuinum impleri debet: ſed præceptum diuinum obligat ad veram confeſsionem, & non fictam, ergò, &c.

18 Secunda pars probatur. Nam confeſsio informis eſt vera confeſsio valida, & verum Sacramentum; ergò ſi quis ſuſcipit Sacramentum pænitentiæ informe cum validam confeſsionem faciat, verè ſatisfacit.

19 Quæres 8, Quas perſonas obliget præceptum Eccleſiaſticum confeſsionis?

Reſpondeo obligare omnes, & ſolas perſonas, quæ poſt baptiſmum in mortale inciderunt. Probatur, quia præceptum Eccleſiaſticum eſt modificatio præcepti

Digitized by Google

cepti diuini: ſed diuinum obligat omnes, & ſolas perſonas, quæ poſt baptiſmum in mortale inciderunt, vt conſtat ex Trid.ſeſſ.6.cap.14. & ſeſſ.14. cap.1.2. & 3. vbi definitur Sacramentum Pœnitentiæ eſſe inſtitutum tamquam ſecundam tabulam poſt naufragium deperditæ gratiæ pro iis, qui poſt baptiſmum in mortale laberentur; ergo & Eccleſiaſticum eodem modo obligat.

20 Dixi: *Qui poſt baptiſmum in mortale inciderunt*; nam ſi quis haberet tantùm venialia non teneretur confiteri, neque enim propter venialia deberent imponi pœnæ excommunicationis, & priuationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ; tum quia, vt conſtat ex Trid.ſeſſ.14. cap.5.nõ eſt neceſſarium confiteri venialia, cum multis alijs modis tolli poſſint: Communis tamen vſus eſt, quod ſi quis in Paſchate non habeat mortalia, nihilominus venialia confiteatur, vt Euchariſtiam ſumat, qui certè mos ſumma ratione ſeruari debet. Sic communiter Doctores.

21 An verò Summus Pontifex teneatur ad annuam confeſſionem. Communis ſententia docet ipſum teneri, quo ad vim directiuam, eo modo, quo legiſlator tenetur ſuis legibus, quia ex cõmuni ſententia legiſlator tenetur ſua lege, vel ſui prædeceſſoris quamdiu non eſt abrogata ea vniuerſali ratione, vt nimirum caput conſouet toti corpori, vnde eſt illud dictum: *Patere legem, quam tu ipſe tuleris.* Non tenetur tamen, quo ad vim coactiuam; nam Pontifex eſt ſupra Concilium, à quo lata fuit lex, vnde non teneretur ad pœnam ſubeundam, ſi hoc præceptum non impleret.

Papa an teneatur ad confeſſionem.

22 Ex his patet primò. Infideles nõ obligari præcepto annuæ confeſſionis. Ratio eſt, quia materia confeſſionis eſt peccatum mortale poſt baptiſmum cõmiſſum: Infideles verò necdum baptiſma ſuſceperunt.

23 Patet ſecundò. Pueros, qui ſciũt peccare mortaliter etiam obligari ad annuam confeſſionem. Sic communiter Doctores contra Sotum in 4.diſt 12. q.1. ar.11. qui negat pueros ante annum duodecimum obligari. Ratio noſtræ reſponſionis colligitur clarè ex prædicto cap. *Omnis &c.* ibi enim definitur teneri omnes fideles ad confeſſionem, cum ad annos diſcretionis peruenerint; conſtat autem multoties pueros ante annum duodecimum libertatem, & diſcretionem ad peccandum habere; ergo etiam tenebuntur ad hoc præceptum.

24 Dices. Pueri non tenentur præcepto Euchariſtiæ; ergo neque confeſſionis. Sed contra, nego conſequentiam: diſparitas, quia ad hoc, vt quis obligetur ad confeſſionem, ſufficit vſus rationis, & quod diſtinguat bonum à malo: ad Euchariſtiam verò requiritur, quod cognoſcatur latens diuinitas; facilius autem pueri diſcernunt bonum à malo, quam ſacrum à prophano; non enim vſus rationis contingit ſimul circa omnia: adde, quod Sacramentum Euchariſtiæ nõ eſt tantæ neceſſitatis, ſicut illud pœnitentiæ; vnde ad Eccleſiam ſpectauit pueros doli capaces hoc præcepto obligare, vt ſtatim, ac periclitari poſſunt, remedium etiam poſſent habere.

25 Quæres octauò. Quomodo debeat annus Eccleſiaſticus computari quo ad hoc præceptum?

Reſpondeo, miſſis nonnullis opinionibus, quæ ſunt ſine ſolido fundamento. Primam opinionem probabilem computare annum à Paſchate vſque ad Paſcha, intelligendo pro Paſchate quindecim illos dies, qui fluunt à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè. Sic Suarez diſpu,36.ſect.3. Coninch. diſp.5. dub.6. & alij apud Dianam tract.4. de Sacramentis, reſolut.3 : tum quia talis eſt conſuetudo introducta, vt fideles tali tempore confiteantur: tum quia Trid.ſeſſ.14.cap.5. habet: *Obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ, quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur tamquam pium, & meritò retinendum.* Conſuetudo autem per decennium ſeruata, & quæ per Concilium approbatur, habet vim legis.

26 Nihilominus probabiliorem exiſtimo opinionem, quæ illa verba, *Semel in anno*, intelligit de anno naturali, hoc eſt à prima die Ianuarij vſque ad finem Decembris. Sic Vaſquez diſpu.90. art.3. dub.1. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art.4. Nugnus 3.par q.7.ar 5. Amicus diſp.18. nu. 52. & alij apud ipſum Diana tom. 2. tract.13.reſol.54.Sylius, & alij, quos ipſe citat, Arriaga diſp.52 num.53. Ratio eſt; quia præcepta obligant, vt ſonant: atqui in dicto cap. *Omnis* habetur: *Vt ſaltem ſemel in anno fideles confiteantur*; ergo ſi quis ſemel in anno confiteatur peccata ſua, quacumq; anni parte hoc faciat, ſatisfacit huic præcepto; & eſt differentia de hoc præcepto, & præcepto communionis, quod hoc obligat in Paſchate, illud autem ſemel in anno, vnde illi ſatiſfieri poteſt quocumq; anni tempore.

27 Quæres nonò. An per confeſſionem venialium quis ſatisfaciat præcepto?

Reſpondeo, quod ſi quis in principio anni, vel in Paſchate confeſſus eſt tantùm venialia, eo quod mortale non habe-

Digitized by Google

habebat, ſi poſtea incidat in mortale, tenetur illud confiteri; nec per confeſſionem venialium ſatisfecit. Ratio eſt clara, quia obligatio confeſſionis eſt de mortalibus ſemel in anno; ergo, qui habet in anno conſcientiam mortalis non ſatisfecit huic præcepto, ſi tantum venialia confeſſus eſt. Sic Arriaga loco cit. nu. 55. Lugus, & alij.

28 Quæres 10. An, qui non eſt confeſſus intra annum teneatur cõfiteri initio ſequentis anni?

Reſpondeo affirmatiuè. Sic Scot. in 4. diſt. 18. ar. 4. §. *Grauior tamen*, Medina Cod. de confeſſione ſemel in anno. Nauarrus in ſumm. cap. 21. nu. 25. Suarez, Vaſquez, Coninch. Nugnus, Amicus, & alii apud ipſum loco cit. nu. 66. Arriaga diſp. cit. nu. 62. Contra D. Antoninum, Tabienam, Megalam, & alios apud Dianam tract. 4. de Sacram. tom. 2. reſol. 133. Ratio eſt, quia finis præcepti fuit, nè nimium differretur confeſſio; ergo ſi neglecta fuit confeſſio toto anno, cum dilatio illa eò magis creſcat, quo magis differtur confeſſio vltra annum; ſequitur, quod ſi quis toto anno non ſit confeſſus, teneatur initio ſequentis anni confiteri.

QVÆSTIO V.

De Satisfactione.

SATISFACTIONEM eſſe partem integralem Sacramenti Pænitentiæ iam ſupra vidimus, congruenterq; inſtituta fuit, quia; cum Sacramentum Pœnitentiæ ſit per modum iudicij, ſicuti in foro externo poſt latam ſententiam requiritur ſatisfactio, ita in interno: tum quia per pœnitentiam tota pœna non remittitur, ſed æterna; congruum ergo fuit addere aliquam ſatisfactionem, vt pœna temporalis auferatur: tum quia talis, fuit voluntas Chriſti ſic inſtituentis; quare eſſe partem integralem definitur in Florent. in decreto vnionis, & in Trid. ſeſſ. 14. cap. 3.

ARTICVLVS I.

An ſatisfactio cauſet gratiam ex opere operato.

1 PRima ſententia affirmat ſatiſfactionem cauſare, tum remiſſionem pœnæ temporalis ex peccatis iam condonatis relictæ, tum auxilia quędam actualia ad faciliùs præcauenda peccata in futurum, tum augmentum gratiæ habitualis. Sic Caiet. infra quæſt. 90. ar. 2. Sotus diſt. 17. q. 1. ar. 2. Gonet. diſput. 13. art. 3. Suarez diſput. 38. ſect. 2. & alij.

Secunda ſententia negat ſatisfactionem cauſare augmentum gratiæ habitualis. Sic Palatius diſt. 24. diſp. 1. col. 11. & diſt. 16. q. 1. ar. 1. Coninchus diſpu. 10 nu. 94. Vaſquez quæſt. 84. ar. 1. dub. 2. Lugus diſp. 25. ſect. 1. Amicus diſp. 16. ſect. 2. Arriaga diſp. 47. ſect. 1. Martinonus diſp. 51. ſect. 8. & alii.

2 Aduerte; quod ſatisfactio dupliciter conſiderari poteſt: primò, vt iniungitur à Confeſſario, & acceptatur à pœnitente antequam ei detur abſolutio. Secundò poteſt conſiderari, vt in executione ponitur poſt datã abſolutionem. Hoc poſito: ſatisfactionem ex opere operato habere pro effectu remiſſionem pœnæ temporalis ex peccatis remiſſis relictæ, & dare auxilia quædam ſpecialia ad facilius præcauenda peccata in futurum, fatentur communiter Doctores, quare dubium ſolùm remanet, an etiam concurrat ad cauſandam gratiam ſanctificantem ex opere operato.

3 Cõcluſio prima. Satisfactio vt imponitur à Confeſſario, & acceptatur à pœnitente antequam ei detur abſolutio, cauſat ex opere operato augmentum gratiæ. In hoc libentiſſimè conuenio cũ prima ſententia; ſed neque puto diſcordare auctores ſecundæ opinionis; qui non videntur loqui, niſi de ſatisfactione, vt in executione ponitur poſt datam abſolutionem. Probatur primò ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. vbi habet: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatiſfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenam, & perfectam remiſſionem peccatorum ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pęnitentiæ partes dicuntur.* Sed remiſſio peccatorum ſemper fit per gratiam; ergo ſatisfactio, quæ eſt pars huius Sacramenti illam cauſat.

4 Probatur ſecundò. Omnis vera pars Sacramenti cauſat gratiam ex opere operato: ſed ſatisfactio, vt imponitur à Confeſſario, & acceptatur à pœnitente, eſt vera pars Sacramenti Pœnitentię, vt conſtat ex Trid. loco cit. ergo cauſat ex opere operato gratiam.

5 Concluſio ſecunda. Satisfactio, quæ à pœnitente executioni mandatur poſt datam abſolutionem non cauſat ex opere operato augmentum gratiæ, ſed remiſſionem ſolùm pœnę temporalis ex peccatis remiſſis relictæ, & dat auxilia ad facilius præcauenda in futurum peccata. Probatur, quia iam Sacramentum Pœnitentiæ cauſauit gratiã, quando data fuit abſolutio; ergo non debet eam iterum cauſare, cum ponitur ſatisfactio:

pro-

Digitized by Google

probatur conſequētiā à pari:ſicuti enim in Sacramento Euchariſtiæ, dum quis accipit hoſtiam,recipit gratiam,& maiorem gratiam non recipit, ſi poſtea recipiat aliqua fragmēta,vel ſumat calicem, quia iam Sacramentum ſuum effectum cauſauit; ita in propoſito dicendum eſt: tum quia, ſi adeſt aliqua ratio, cur dicamus ſatisfactionem debere cauſare ex opere operato gratiam, maximè quia eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ: ſed verè,vt pars eſt, dum à Sacerdote iniungitur,& à pœnitente acceptatur, iam cauſauit gratiam ſimul cum toto Sacramento; ergo non eſt neceſſe, quod iterum eamdem gratiam, vel augmentum eius cauſet, ſed ſufficit, quod concurrat ad remiſſionem pœnæ temporalis relictæ, & det auxilia ad faciliùs præcauenda peccata in futurum.

6 Obiicies primò cōtra ſecundam. Pars Sacramenti debet participare naturam totius: ſed natura totius eſt conferre gratiam ex opere operato; ergo & pars: huiuſmodi autem eſt ſatisfactio reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ.

Reſpondeo maiorem eſſe veram, ſi ſuper illam partem cadat forma, ſecus ſi non cadat: ſuper ſatisfactionem autem, vt iniungitur, & acceptatur cadit forma, & ideò cauſat gratiam: cum autem non cadat ſuper ſatisfactionem, vt fit in executione, ideò non eſt neceſſe, quod augmentum gratiæ ex opere operato cauſet,ſed ſufficit ſi cauſet remiſſionem pœnæ temporalis relictæ.

7 Obiicies ſecundò. Si ſatisfactio habita fuiſſet ante abſolutionem cauſaſſet gratiam ex opere operato; ergo etiā ſi habeatur poſt.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia ſi habita fuiſſet ante abſolutionem concurriſſet ſimul tamquam maior diſpoſitio, quando Sacramentum eſſentialiter completum cauſat gratiam; at ſi poſtea ponatur, cum iam gratia ſit cauſata,nō debet iterum cauſari; quemadmodum ſi ante abſolutionem ſit dolor internus de peccatis,hic ſimul cum Sacramento cauſaret maiorem gratiam ex opere operato, quia Sacramentum maiorem confert gratiam melius diſpoſitis: at ſi talis dolor ponatur poſt abſolutionem,amplius non cauſat gratiam ex opere operato; ita &c.

8 Quæres primò. Vtrum ſatisfactio impoſita à Cōfeſſario poſſit licitè adimpleri in peccato, & per eam ſatisfieri obligationi à Confeſſario impoſitæ?

Reſpondeo affirmatiuè. Ita Paluda. Syluester, Adrianus, Caietanus, & alij, quos citat, & ſequitur Lugus diſput.25. ſect.3. Arriaga diſp.47.ſec.3 & alii communiter contra Alenſem, Barboſam. & Suarez diſp 38.ſect.8. Ratio eſt, quia in omnibus aliis præceptis de ieiunio, de miſſa audienda, de officio dicendo &c. non requiritur ſtatus gratiæ ad ſatisfaciendū præcepto;neque quis peccat audiendo miſſam, vel ieiunando,vel dando eleemoſynam &c. ergo etiam in propoſito idem dicendum eſt.

9 Dices primò. Satisfactio eſt par Sacramenti, & ſatisfactoria: ſed non poteſt eſſe ſatisfactoria, & pars Sacramenti niſi fiat in gratia; ergo &c. Sed contra: quia falſum eſt, quod ad hoc,vt aliquid ſit pars Sacramenti debeat fieri in gratia,vt patet de confeſſione ipſa, & de attritione, quæ vt ſunt ante abſolutionem ſunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen non ſupponunt hominem in gratia,nec requiritur, quod actu ſemper ſit ſatisfactoria, ſufficit enim ſi ex ſe ſit ſatisfactoria,licèt actu, & per accidens à peccato impediatur.

10 Dices ſecundò. Recipere partem Sacramenti indignè, & impedire effectum gratiæ eſt peccatum:ſed qui adimplet pænitentiam in peccato recipit partem Sacramenti indignè, & impedit effectum gratiæ;ergo &c. Sed contra, quia falſum eſt, quod recipiat indignè partem Sacramenti, & quod impediat effectum gratiæ; nam in primis talis ſatisfactio nō eſt cauſatiua gratiæ magis, quam ieiunium, auditio miſſæ, aut aliud bonū opus; & tamen per hoc, quod quis efficiat bona opera non peccat; ita &c. neque eſt receptio indigna; ſicuti enim, ſi quis confiteatur peccatum ſuum cum ſola attritione recipit partem Sacramenti in peccato,& tamen non indignè,hoc eſt non recipit cum nouo peccato, ita in propoſito: quare vt tollatur æquiuocatio; ſi ly *Recipere indignè* ſignificat recipere partem Sacramenti cum nouo peccato, falſum eſt; ſi ly *Recipere indignè* ſignificat recipere partem Sacramenti ſine gratia, & in peccato, ſed ſine nouo peccato in receptione,ſic poteſt cōcedi, ſed nihil contra nos.

11 Quæres ſecundò. An ſatisfactio exhibita in ſtatu peccati habeat aliquem effectum ex opere operato?

Reſpondeo, ſatisfactionem ſacramentalem in ſtatu peccati factam non habere tunc ſuum effectum, ſed poſtea recedente fictione. Sic Caietan. tom. 1. opuſc. tract.6. quæſt.2. Petrus Soto lect. vlt. de ſatisfact. Nauarrus in cap. 1. de pœnitentia dub.6. num.48. & in ſumm. cap.3. num.5. Suarez diſp.38.ſect.8. Coninch.diſp.10. dub.11. Lugus diſput.25. ſect.3. Fay quæſt.14.art.3.diſp.1. Fagun-

Digitized by Google

des, Laymam, & alij quos citat, & ſequitur Diana par.3.tract.4.reſol.85. Gaſpar Hurtadus diſp.14. diff.14. Arriaga diſp.47.ſect.3.num.30. eſt tamen contra Scotum in 4.diſt.15.q.1.in 2.par.principali art. 4. Vaſquez hic qu. 94. art.2. dub.5. Marſilium, Medinam, & alios apud ipſum, qui volunt talem ſatisfactionem etiam in ſtatu peccati remittere ex opere operato pęnam proportionatam, & hoc probabile reputat Arriaga loco cit. eſt etiã contra Magiſtrum in 4.diſt.15. Adrianum, Ledeſmam, Turrianum diſp.38. dub.3. & alios, qui negant talem ſatisfactionem habere tunc, vel habituram poſtea effectum. Probatur noſtra reſponſio, quo ad primam partem; quia remiſſio pœnæ temporalis eſt aliqua gratia, quæ fit à Deo: ſed homini exiſtenti in peccato, & inimico Dei nulla fit gratia; ergo &c. tum quia ſi ſatisfactio haberet vim conferendi gratiam ex opere operato, vt plures, quos ſupra citauimus volunt, hanc tunc non conferret, ſed tantùm ablato obice: ergo etiam idem dicendum de pęna.

12 Secunda pnrs probatur, quia, vt vidimus de Sacramentis in communi; omnia Sacramenta habent vim cauſandi ſuum effectum recedente fictione: Sed remiſſio pœnę eſt effectus ſatisfactionis, quæ eſt pars Sacramenti pęnitentiæ; ergo ablato obice debet cauſare ſuum effectum, & ex opere operato remittere pęnam proportionatam.

13 Quæres 3. an etiam per actionẽ peccaminoſam poſſit ſatisfieri obligationi impoſitæ à confeſſario v. g. confeſſarius impoſuit pro pęnitentia roſarium, vel eleemoſynam, & quis recitat roſarium, vt videatur ab alijs, vel dat eleemoſynam ob finem etiam mortaliter malum, an per tales actus ſatisfaciat obligationi impoſitæ.

Reſpondeo, quod ſi quis adimplet opus iniunctum a confeſſario ob finem extrinſecè, & venialiter ſolùm malum per tale opus adhuc ſatisfieri, ſecus verò ſi tale opus faciat ab finem mortaliter malum. Quo ad primam partem eſt cõtra Arriagam diſp. cit. 47. n.25. Tannerum apud ipſum, qui volunt opus debere eſſe vndequaque bonum: eſt tamen Suarez dict. diſp. 38. Vaſquez loco cit. n. 18. Lugi n. 33. Auèrſæ q. 13. ſec. 6. Henriquez & aliorum. Quo ad ſecundam eſt contra ipſum Vaſquez & Lugum locis citatis.

14 Probatur 1. prima pars, quia ad ſatisfaciendum alijs præceptis Eccleſiaſticis ſufficit opus ſecundùm ſubſtantiã bonum, licèt ex aliqua circumſtantia venialiter malum. Sic, ſi quis recitet horas canonicas, vel audiat Miſſam in die feſto cum leui aliqua diſtractione, ſatisfacit præcepto; ergo etiam in propoſito ſatisfaciet obligationi à confeſſario impoſitæ.

15 Probatur 2. eadem pars: quia ex contraria opinione nimis durum eſſet adimplere ſatisfactionem impoſitam; cum fere moraliter ſit impoſſibile recitare roſarium integrum ſinè aliqua diſtractione venialiter culpabili, & idem de alijs bonis operibus, quæ iniungi ſolent ferè dicendum eſt; vnde pęnitentes deberent ſemper eſſe anxij, an verè ſatisfecerint, vel huiuſmodi opera deberent repetere: hoc autem quis non videat eſſe abſurdum, & à communi ſenſu fidelium omnium alienum: fatendum igitur eſt poſſe ſatisfieri obligationi a confeſſario impoſitæ per opus bonum extrinſecè, & venialiter malum.

16 Secunda pars probatur: quia Concilia, dùm loquuntur de hac parte Sacramenti pęnitentiæ, vocant eam abſolutè ſatisfactionem, dicuntque eam eſſe in ſcripturis commendatam, illamq; conſiſtere in operibus ſatisfactorijs, & mouentibus Deum ad auertendam irã ſuam à nobis, & Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. præcipit confeſſarijs vt iniungant ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones: Sed hæc omnia non poſſunt verificari de opere mortaliter malo: hoc enim eſt eſſentialiter incapax ſatisfactionis, & per ipſum promeretur homo nouam pœnam, & indignationem Dei, non remiſſionem pœnæ antiquæ; ergo per opus mortaliter malum homo non ſatisfacit.

17 Dices Poteſt quis ab finem malum ſuſcipere baptiſmum, & nihilominus talis voluntas eſt ſufficiens ad baptiſmi ſuſceptionem, & quis poteſt ob finem malum audire miſſam, & tamen in tali auditione ſatisfacit præcepto; ergo & in propoſito poteſt quis adimplere ſatisfactionem ob finem mortaliter malum. Sed contra, quia ex Concilijs habemus ſatisfactionem debere eſſe opus bonum, quod non habemus de alijs; vnde eſto, quod quis ex voluntate mala poſſit ſuſcipere baptiſmum, aut ſatisfacere præcepto auditionis Miſſæ, hoc tamen nõ poſſumus dicere de ſatisfactione; cum opus malum eſſentialiter, & in ſe ſit incapax, vt ſit ſatisfactio, ſed eſt peccatum, quod promeretur nouam pęnam.

18 Dices 1. Hinc ſequi, quod neq; opus bonum, & venialiter, & extrinſecè malum poſſit eſſe ſatisfactio; nam & hoc meretur pœnam. Sed contra reſpondeo, quod opus bonum, qua talè eſt ſatisfactorium, & meretur pœnam

ſolùm

ſolũm, quã venialiter malum; ſicuti autem diximus in tractatu de gratia quæſtione vltima de merito, quod poteſt idem opus eſſe meritorium, licèt venialiter malum; ita poteſt eſſe ſatisfactorium; vide quæ ibi dicta ſunt, eſt enim eadem, & par ratio.

19 Ex dictis ſequitur ſatisfactionem in ſe bonam, & venialiter malam factam in peccato reuiuiſcere ablato obice, & cauſare ex opere operato remiſſionem pœnæ; non verò opus mortaliter malum; nam hoc eſt eſſentialiter incapax, vt ſit ſatisfactio.

20 Quæres 4. An ad ſatisfactionem requiratur intentio explendi pœnitentiam impoſitam?

Reſpondeo negatiuè. Ita Sanchez lib 1. in decalogum cap.13. n.17. Lugo loco cit. num. 34. Arriaga num. 35. & alij contra Auerſam q.13.ſect.6. in fine. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod pænitens acceptauit pænitentiam, cenſetur ſaltem habere habitualem intentionem eam explendi; ſicuti ergo ad recipiendum Sacramẽtum ſufficit habitualis intentio; ita ad recipiendam partem Sacramenti ſufficit: tum quia ad ſatisfaciendum alijs præceptis non requiritur intentio; ergo neque ad ſatisfaciendum obligationi impoſitæ à confeſſario; cum in hoc eadem ſit paritas.

ARTICVLVS II.

An pænitentes teneantur acceptare ſatisfactionem.

1 SVppono primò. Teneri Sacerdotes imponere pænitentiam: Colligitur ex Trid.ſeſſ.14. cap.8. vbi habetur: *Debent ergo Sacerdotes Domini quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pænitentium facultate ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere.* Et ratio eſt, quia cum ſatisfactio ſpectet ad integritatem Sacramenti, requiritur nè mutiletur Sacramentum: tum quia Chriſtus dedit poteſtatem non tãtùm ad ſoluendum, ſed etiam ad ligandum. Excipitur tamen caſus, quo quis ſit infirmus, & ſenſibus deſtitutus, mortiq; vicinus, & nihil poſſit percipere; nam ſi percipiat debet ei ſignificari, vt ſi conualuerit eam perficiat; & addo, quod ſi infirmus non poteſt aliam exequi pænitentiam, niſi eleemoſynam, hæc debet illi imponi. Excipitur 2. caſus, quando quis confitetur, vt martyrium ſubeat; nã cũ per hoc extinguatur omne debitum pænæ temporalis; martyrium ipſum eſt loco ſatisfactionis: Communiter etiam ſolet hæc ſatisfactio ante abſolutionem iniungi, tum quia eſt pars Sacramenti, & materia, quæ debet præire formam: tum quia, dum pænitens illam acceptat, magis diſponitur, vt gratiam vberiorem per abſolutionem recipiat: addunt alii, nè forte pænitens poſt abſolutionem obtentam recuſaret acceptare pænitentiam.

2 Suppono ſecundò. Hæc opera non poſſe determinari, ſed relinqui poteſtati, & prudentiæ Confeſſarij, qui pro modo culpæ pænitentiam iniungat, & reducuntur ad eleemoſynas, orationes, & ieiunia, poteſt etiam iniungi pro pænitentia, vt quis abſtineat à communione aliqua die, contra Ioannem Sancium in ſelectis contrarium docentem, & hoc vt maiori deuotione, & fructu poſtea quis accedat; hoc tamen cautè faciendum eſt. Poſſunt etiam iniungi opera alias debita, vt ieiunium alias debitum, vel huiuſmodi; regulariter tamen loquendo debet pænitentia eſſe ex operibus liberis, & Sacerdotes grauem obligationem habent iniungendi pænitentias proportionatas, & peccant, ſi pro grauibus peccatis leuiſſimam imponant pænitentiam; minorem tamen poſſunt imponere, ſi pænitens ſit ſuſcepturus Iubileum, vel Indulgentiam plenariam. His poſitis hic quærimus, an ſicuti Sacerdos tenetur imponere pænitentiam; ita pænitens teneatur illam acceptare, & exequi.

2 Scotus in 4.diſt.15.q.1.§. *De ſecundo principali*, & diſt.19.§. *Ad quæſtionem motam.* Gabriel diſt.18. q.1.art.3.dub.1. Faber diſt.10. diſp.35. Nauarrus in ſumm. cap.20.nu.26. Villalobos in ſumm.tom. 1. tract.9. dub.28. & plures alii, quos refert, nec reprobat Diana par.2. tract. 15. reſol. 52. tenent pænitentem non teneri acceptare pænitentiam, ſed ſi dicat ſe habere diſplicentiam de peccatis, & firmum propoſitum non peccandi, eſſe abſoluendum: teneri tamen, illam exequi, ſi eam acceptauit.

Alij, inter quos Abbas in cap. *Significauit* de pænitentia nu.2. Reginaldus tom.1.tract.7.cap.2.nu.15. Homobonus in examine par.1.tract.5.cap.15.quæſt.2. Molfeſius tom.1. tract.3. cap.85.nu.57. docent non teneri pænitentem acceptare grauem pænitentiam arbitrio Confeſſarii proportionatam, eſſeq; abſoluendum ſi paruam aliquam acceptare contentus ſit, vt vnum Pater noſter. Imò Caiet.tom.1.opuſc.tract.6.q.1.ad 22. vult non ſolùm non teneri pænitentem acceptare ſatisfactionem, ſed licèt eam acceptauerit non teneri poſtea illam exequi.

Communis tamen, & vera ſenten-

tia

Digitized by Google

tia docet teneri pænitentes acceptare condignam ſatisfactionem, & acceptatam teneri illam exequi. Sic Magiſt. in 4.diſt.18.D.Thom.ibidem q.1.ar.3.quæſtiunc.3.Richard.Maior,Durand. Alenſis,D.Antonin.Bellar. Nugnus,Syluius, & plures alij,quos citat,& ſequitur Diana par.3.tract.4.reſol.51. Gonet.diſp.13. nu.46. Suarez diſp.38.ſect.7. Vaſquez q. 94.dub.1.ar.2.Coninchus diſp.10.dub.9. Lugus diſp.25.ſec.5.Arriaga diſp 48.ſec. 1.Auerſa q.13.ſect.5.& apud ipſum plures alij.

4 Concluſio. Tenentur pænitentes acceptare iuſtam pænitentiam, & illam exequi, alioquin non ſunt abſoluendi. Probatur primò. Chriſtus Dominus dedit Sacerdotibus poteſtatem ligandi, & retinendi; ſed hæc fertur ad pænitentiam iniungendam; ligare enim eſt obligare,& ita declarat Trid.ſeſſ.14 cap.8.& can.15. expreſsè damnauit: *Si quis dixerit claues Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſoluendum, & non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clauium &c.* Ecce Concilium definit Sacerdotes habere poteſtatem ligandi imponendo pænitentias: ſed ſi pænitens non teneretur acceptare pænitentiam, & illam exequi, vtique non ligaretur, ſed adhuc liber eſſet ab hoc vinculo; ergo ſi verè ligatur, etiam tenetur acceptare pænitentiam.

5 Probatur ſecundò.Sacerdos habet veram poteſtatem imponendi pænitentiam;ergo etiam pænitentes veram obligationem illam acceptandi: patet conſequentia; nam vnum non poteſt eſſe ſine alio; ſunt enim correlatiua, & ex alia parte deluſoria eſſet illa poteſtas imponendi pænitentias. Confirmatur, quia hoc Sacramentum eſt per modum iudicij: ſed Iudex poteſt compellere reum, vt exequatur pænas; ergo in iſto foro ſaltem poterit obligare.

6 Obijcies primò. Non tenetur pænitens in hac vita ſatisfacere pro pœna temporali in Purgatorio luenda:ſed pænitentia, quæ iniungitur à Confeſſario eſt pro pœna temporali in Purgatorio luenda; ergo pœnitens non tenetur eam acceptare, ſed poterit dicere, ſe velle illam facere in Purgatorio.

Reſpondeo abſolutè loquendo veram eſſe maiorem, falſam verò eſſe ex ſuppoſitione inſtitutionis huius Sacramenti; nam cum per inſtitutionem Sacramenti data ſit Sacerdotibus poteſtas ligandi pœnitentias iniungendo; etiam conſequenter pænitentes, dum ſe ipſos clauibus ſubijciunt, poterunt obligari.

7 Obiicies ſecundò.Non poteſt Cõfeſſarius abſoluere nolentem abſolui; eſt enim hoc iudicium liberum pænitenti; ergo neque etiam poterit obligare nolentem acceptare pænitentiam.

Reſpondeo, hoc iudicium eſſe liberum,vt quis ad illud accedat,vel non accedat,& quod accedat ad hunc, vel illum Confeſſarium; nihilominus ſuppoſito, quod liberè ad aliquem accedat, tenetur ex inſtitutione huius Sacramenti acceptare pænitentias,& illas exequi.

8 Quæres primò. An non adimplere ſatisfactionem iniunctam ſit peccatum lethale?

Reſpondeo, ſi ſatisfactio iniuncta ſit in ſe grauis, & propter mortalia peccata confeſſa, eam non adimplere eſſe peccatum mortale.Ita communiter Doctores, & deducitur ex dictis pro probãda noſtra concluſione; etenim ſi Confeſſarius poteſt obligare ad pęnitentias exequendas,& pęnitens tenetur eas exequi, ſequitur conſequenter, quod ſi pænitentiæ ſint in ſe graues, & pro peccatis mortalibus, ſit peccatum mortale eas non adimplere.

9 Quęres ſecundò. An quando confeſſio facta fuit de ſolis venialibus, aut de mortalibus ritè alias cõfeſſis,ſit mortale,vel tantùm veniale pænitentiam iniunctam non adimplere?

Reſpondeo, probabilius eſſe, quod obligatio ſit tantùm ſub veniali. Sic Sotus in 4.diſt.20.q.2. art.2. Palud.q.1. Ledeſma 2.par.4 quæſt.11.ar.3.dub.5.Layman lib.5.tract.6. cap.15.num.7. Suarez diſp.38.ſect.7.nu.5.Auerſa quæſt.13.ſec. 6. qui citat Filliuccium, Villalobos, Nauarrum, Armillam,& alios; eam ſuſtinet Diana par.3.tract.4. reſol.102.& 136. Eſt tamen contra Ioannem Sancium in ſelectis diſp.15.num.14. ſuſtinentem eſſe mortale eam non adimplere, quamuis pænitentia ipſa ſit in ſe leuis, vt oratio Dominica, vel ſalutatio Angelica ſemel recitanda, quando hæc eſt materia totalis. Eſt etiam contra Nugnum hic q.13. ar.2. diff.2. concl.4. Coninchum diſput. 10.dub.9. Lugum diſp.35.ſect 5. Arriagam loco cit. nu.3. quando materia impoſita, & adimplenda eſt in ſe grauis. Probatur tamen noſtra reſponſio. Obligatio exequendi pænitentiam iniunctam correſpondet obligationi Confeſſarii illam imponendi: ſed obligatio Confeſſarii non eſt grauis,quando non cadit ſupra materiam grauem, & neceſſariam; ergo neque obligatio pænitentis adimplendi pænitentiam iniunctam, quando non cadit ſuper materiam grauem,& neceſſariam non erit grauis. Cõfirmatur, quia ſi tenetur pænitens ſub

mor-

Digitized by Google

mortali adimplere pænitentiam iniunctam pro venialibus, vel pro mortalibus alias confeſſis, vel hoc prouenit ex ipſa integritate Sacramenti, ſcilicet, nè reddatur ipſum Sacramentum mutilum, & imperfectum, vel quia materia ipſa pænitentiæ impoſitæ ſit in ſe grauis: ſed ex neutro capite tenetur pœnitens ſub mortali adimplere pænitentiam pro venialibus, aut mortalibus ritè aliàs confeſſis; ergo ex nullo capite: probatur minor: non tenetur ex eo, quod Sacramentum reddatur mutilum; nam vt fatentur etiã aduerſarii, ſi materia pænitentiæ impoſitæ ſit in ſe leuis, non eſt mortale illam non exequi, cum materia leuis non poſſit fundare obligationem grauem, neq; eſt grauis irreuerentia Sacramenti, ſi relinquatur mutilum hac parte integrali, quando materia non fuit grauis, & neceſſaria. Et hoc verum eſt ad hominem contra ipſum Ioannem Sancium; nam ſi quis tenetur recitare Roſarium integrũ pro pœnitentia iniuncta, & omittat recitare pro complemento Roſarii vnicam ſalutationem Angelicam non peccat mortaliter, quia leuis eſt materia, & nihilominus redditur ex hac parte Sacramentum mutilum; ergo ex eo præcisè, quod Sacramentum reddatur mutilum hac parte integrali non eſt peccatum mortale: neque tenetur ſub mortali ex eo, quod pænitentia iniuncta pro venialibus, vel mortalibus aliàs ritè confeſſis ſit materia grauis; etenim, ad hoc, vt materia grauis inducat grauem obligationem, debet eſſe neceſſaria, non libera; hoc eſt debet illa pænitentia iniuncta cadere ſuper materiam neceſſariam confeſſionis, non liberam: ſed pænitentia, quę imponitur pro venialibus, aut mortalibus aliàs ritè confeſſis cadit tantùm ſuper materiam liberam; ergo nullo modo poteſt obligare ſub mortali.

10 Dices primò ex Arriaga. Quis non tenetur, neque etiam ſub veniali confiteri venialia, aut mortalia alias ritè confeſſa; & tamen ſi quis ea confiteatur, tenetur ſaltem ſub veniali adimplere pænitentiam; ergo etiam poterit teneri ſub mortali, ſi materia ſit in ſe grauis. Sed contra dato antecedenti, nego conſequentiam, & diſparitas eſt; quia licèt liberum ſit pænitenti confiteri, vel non venialia, vel mortalia alias confeſſa; nihilominus ex eo, quod velit ea confiteri conſurgit in Confeſſario obligatio ritè adminiſtrandi Sacramentum, & in pænitente illud ritè ſuſcipiendi; vnde ſicuti in Confeſſario eſt obligatio ritè adminiſtrandi, & imponendi aliquam pænitentiam pro venialibus; etiam in pænitente eſt obligatio, illam exequendi; verùm cum hæc obligatio non poſſit eſſe maior, quam ſit materia ipſa ſupra quam cadit, quæ ſunt peccata venialia, ſequitur, quod obligatio eiuſmodi pænitentiam adimplendi non poſſit eſſe, niſi ſub veniali.

11 Dices ſecundò ex Lugo: Si quis voueret ieiunium, vt ſatisfaceret pro venialibus, teneretur ſub mortali ad tale votum; quia votum ieiunii eſt de re grauis; ergo etiam ſi Confeſſarius pro venialibus imponat pœnitẽtiam in ſe grauem, erit mortale illam non adimplere. Sed contra: nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia ex voto poteſt quis ſe voluntariè obligare etiam ſine vlla relatione ad peccata, ſed ex pura deuotione: at Confeſſarius non poteſt, niſi ex relatione ad peccata; & cum hęc non ſint materia neceſſaria, ſequitur, quod neque Confeſſarius poſſit pœnitentem grauiter obligare ad pœnitentiam adimplendam.

12 Dices tertiò ex Ioanne Sancio. Qui poſt ſumptam guttam aquæ communicaret, aut venderet rem ſacrã minimo pretio, peccaret grauiter, ergo etiam qui nullo modo adimplet pænitentiam iniunctam, quia ſic redderet mutilum Sacramentum, peccaret grauiter; integritas enim Sacramenti eſt res in ſe grauis. Sed contra concedo antecedens, & nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia præceptum de non communicando fracto ieiunio, & de non vendenda re ſacra eſt in ſe grauiſſimum, & conſiſtit in indiuiſibili, & ideò eius violatio eſt peccatum mortale, quod non euenit in Sacramento, dum non adimpletur pœnitentia; nam in primis Sacramentum iam eſt eſſentialiter perfectum cum ſuis partibus, quando data fuit abſolutio, quia iam impoſita fuit, & acceptata ſatisfactio, vt ſuppono; & hæc impoſitio, & acceptatio pœnitentiæ eſt vera pars integralis huius Sacramenti; executio autem pœnitentiæ impoſitæ, licèt ſpectet ad integritatem quodammodo extenſiuam Sacramẽti; nihilominus non eſt res grauis illam relinquere, ſi materia propter quam fuit impoſita, erat tantùm libera, & non neceſſaria; hoc eſt erat de venialibus tantùm, aut de mortalibus aliàs ritè confeſſis.

ARTICVLVS III.

An ſatisfactio ſacramentalis poſſit commutari.

1 SVppono primò cum communi ſententia tamquam certum pœnitentiam iniunctam alicui debere ab eodem executioni mandari, & ipſum non

non poſſe eamdem commutare, vt fiat ab alia perſona. Ratio eſt. quia hæc eſt obligatio perſonalis; ergo ſi alicui fuit iniunctum ieiunium, aut oratio, talis nō ſatisfacit, ſi mandet ieiunium, aut orationem ab alio fieri; ſi tamen iniuncta ſit eleemoſyna, cū hæc ſit obligatio realis ſatisfacit pœnitens, ſiue illam per ſe ipſum largiatur, ſiue per ſeruum, vel alium.

2 Suppono ſecundò, quod licèt ſit probabile, poſſe ab ipſo pœnitente commutari ſatisfactionem iniūctam in aliud opus euidenter melius, vt docent Laurentius Portel, & Villalobos apud Dianam tom.1.tract.1. miſcellan.reſol.53.& tom.2. tract.40. de Sacram. reſol.53. eo quod ſi pœnitens rogaret Confeſſarium de hoc, paratus fuiſſet dare illi licentiam: tum quia poteſt aliquis propria auctoritate commutare votum in euidenter melius; ergo etiam poterit commutare pœnitentiam in aliud opus euidenter melius. Nihilominus contraria eſt communis, & cenſetur omnino certa. Sic Sanchez lib.4. in decalog. cap.11.nu.36. Reginaldus tom.1.lib.7.cap.8.nu.85.Coninchus diſp.10. dub.12. nu.103. Henriquez lib.5. cap.20. nu.3. Lugus diſp.25. ſect.6. num.96. Ioann.Sancius in ſelectis diſp.14.nu.22. Turrianus in ſelectis part. 2.diſp.31.dub.62. Auerſa quæſt.13.ſect. 8.Arriaga diſp.48.ſect.5. Ratio eſt, quia pœnitens in hoc iudicio eſt reus, non iudex, ſed dare pœnitentiam, vel illam commutare ſpectat ad Iudicem non ad reum; ergo non poteſt reus illam propria auctoritate commutare: tum quia in puncto obedientiæ non tam conſideratur rei præceptæ bonitas (licèt hæc ſupponatur) quam quod ſubditus ſubijciat propriam voluntatem ſuperiori, & permittat ſe ab illo regi: vnde eſt illud 1.Reg. 15. *Melior eſt obedientia, quam victimæ*: ſed exequi pænitentias iniunctas ſpectat ad obedientiam; ergo debet exequi iniunctas, non in alias, quamuis meliores, arbitrio ſuo commutare. Neque contrariæ opinionis fundamenta ſunt ſolida: non primum; nam licet concedi poſſit Confeſſarium ab initio permiſſurum fore talem mutationem, nihilominus poſtquam impoſuit certum opus, iam hoc eſt, ad quod pænitens ſacramētaliter tenetur: non ſecundum de voto; nam hoc eſt propria voluntate contractum, & ideò poteſt propria auctoritate in melius commutari; quod non euenit de pænitentia iniuncta à Confeſſario; vt de ſe patet. Ideò &c.

3 Dubium ergo oritur, an ſatisfactio ab vno confeſſario impoſita poſſit ab alio commutari vel in meliorem, vel æqualem, vel mitiorem.

4 Sotus in 4. diſt.20. q.2. ar.3. Vaſquez hic. q. 94. ar. 2. dub. 3. Nugnus q.13. ar.2. dub.4. Ledeſma tom.1. ſum. tract. de pœnitentia cap. 23. Angelus, Victoria, & alij negant, poſſe hanc mutationem ab vllo confeſſario fieri.

Ex aduerſo Nauarrus in ſumma cap. 26. num. 22. Valentia qu. 14. puncto.4. Sylulus in addit. ad 3. p. q.18. ar.3. dub. 4. & plures alij Summiſtæ, quos citat, & ſequitur Diana tom.2.tract.15. reſol. 53. affirmant poſſe, vel extra confeſſionem ſi ſit ſuperior, vel ſaltem in confeſſione de alijs peccatis.

Communior tamen, & vera ſententia docet poſſe confeſſarium commutare, vel diminuire pœnitentiam à priori confeſſario impoſitam, audiendo tamen ſaltem in generali eadem peccata. Sic Suarez diſp. 38. ſec. 10. Coninchus diſp. 10. dub. 12. Lugus diſp. 25. ſec. 6. Gonet diſp. 13. ar. 4. Auerſa diſp. 13. ſect. 8. qui citat Peſantium, Syluestrum, Roſellam, Fagundez, Filliucium, Reginaldum, Molſeſium, Megalam, & alios, eamdem docent Arriaga diſput. 48. ſect. 6. & Amicus diſput.16. ſect.4. cum alijs.

5 Concluſio prima. Poteſt confeſſarius audita iterum confeſſione commutare, vel diminuere pœnitentiam à priori confeſſario impoſitam. Dixi audita iterum confeſſione; nam extra confeſſionem alius ſacerdos, qui peccata non audiuit nullam habet iuriſdictionem, & in ordine ad confeſſionem ſe habet ac laicus: ſed hic non poteſt permutare ſatisfactionem à confeſſario iuiunctam; ergo nec alius ſacerdos extra confeſſionem.

6 Probatur: quia ſecundus confeſſarius habet tantam poteſtatem, ac habeat primus, & licitum eſt ſæpè eadem peccata confiteri; ergo eo ipſo, quod ſunt confeſſa, ſubſunt iudicio ſecundi confeſſarij, qui poteſt pro libito ſuo imponere pœnitentiam.

7 Dices primò. Par in parem non habere imperium: ſed ſecundus confeſſarius eſt tantùm par priori in auctoritate, & iuriſdictione; ergo non poteſt mutare id, quod ipſe determinauit. Sed contra: quia ſecundus confeſſarius non exercet imperium contra priorem confeſſarium, ſed in pœnitentem, qui voluntariè illi ſe ſubiecit; ſicuti ergo in iudicijs externis, quando vnus iudex ſuccedit alteri poteſt ſecundus corrigere, vel mutare, quæ prior fecit, vt vnus Epiſcopus reuocare, quæ ſtatuerat alius, ita in propoſito poteſt vnus confeſſarius ſuccedere alteri.

8 Dices 2. Non eſt in poteſtate confeſſarij facere Sacramentum mutilum; ſed

ſed ſi quis in ſecunda confeſſione confiteretur ſolùm peccata confeſſa in prima, & poſtea confeſſarius commutaret pænitentiam, iam faceret primum Sacramentum mutilum; ergo &c. Sed contra reſpondeo negando minorem: nam duobus modis poteſt ſe gerere confeſſarius; primo poteſt commutare priorem ſatisfactionem in aliam, & deinde aliquam aliam addere pro ſecunda confeſſione: ſecundò etiamſi vnicam ſolùm imponat pænitentiam, hæc poteſt valere pro prima, & ſecunda confeſſione, & ſic nullum Sacramentum redditur mutilum.

9 Quod verò confeſſarius commutans ſatisfactionem debeat aliquo modo prius audire peccata patet; quia in hoc exercet officium iudicis: non poteſt autem hoc officium exercere, & congruam imponere pœnitentiam, niſi aliquo modo cognoſcat peccata, ſecus exponeret ſe periculo grauiſsimè errandi: poſset enim pro enormibus peccatis leuiſsimam imponere ſatisfactionem; ergo, vt congruentem poſsit imponere, debet aliquo modo peccata prius confeſſa cognoſcere.

10 Concluſio ſecunda. Inferior confeſſarius non poteſt mutare ſatisfactionem à ſuperiore propter peccata reſeruata impoſitam. Sic Gonet, Arriaga, Lugus locis citatis, & Diana tom. 2. tract. 15. reſol. 53. & plures alij apud ipſum contra Vaſquez, Fernandez, & alios apud eundem Dianam. Probatur ad eamdem poteſtatem ſpectat commutare pœnitentiam, ad quam ſpectat eam imponere: ſed pro peccatis reſeruatis non poteſt inferior imponere pænitentiam, cum ab ipſis non poſsit abſoluere; ergò nec commutare pænitentiam poteſt.

11 Dices. Peccata illa iam non ſunt reſeruata; ergo poteſt ſecundus confeſſarius inferior ea abſoluere, & pænitentiam commutare, ſed contra, quia aliud eſt, quod nunc non ſint reſeruata, aliud eſt, quod pro prima confeſſione non fuerint reſeruata, & conſequenter etiam pænitentia pro eis iniuncta non ſit reſeruata: primum eſt verum, & ideò ſequitur, quod in ſecunda confeſſione poſſit confeſſarius inferior ea abſoluere, & pænitentiam iniungere: at ſecundum eſt falſum, ſicuti enim pro prima confeſſione ſunt reſeruata, ita etiam pænitentia pro ipſis in tali confeſſione impoſita eſt reſeruata, nec poteſt ab inferiore commutari.

12 Quæres primò; an ſi quis ſit oblitus pænitentiæ impoſitæ, teneatur adire confeſſarium, vt noua pœnitentia imponatur?

Reſpondeo quod ſi immediatè poſt confeſſionem obliuiſcatur pænitens impoſitæ ſibi ſatisfactionis, tenetur adire eumdem confeſſarium, vt vel priorem, vel aliam ei imponat, & ſic in praxi ſæpiùs pænitentes faciunt; & ad hoc tenentur, ne reddant Sacramentum mutilum: ſi verò eumdem confeſſarium adire non poteſt, vel ſi adeat, hic nullo modo recordetur pænitentiæ impoſitæ, neque peccatorum confeſſorum, aut ſtatus pænitentis; tunc pænitens ad nihil obligatur, ſed debet iudicari, ac ſi factus eſset impotens ad eam perficiendam; onus enim grauiſsimum eſset iterum repetere confeſsionem peccatorum, quorum iam directam abſolutionem obtinuit; ſic cum alijs Arriaga loco citato in fine.

13 Quæres ſecundò. An ſi ſit impoſitum ieiunium pro primo die veneris, aut confeſsio ſingulis menſibus, ſi quis non ieiunet primo die veneris, aut non confiteatur primo menſe, teneatur ieiunare die veneris ſequentis hebdomadæ, vel confiteri in principio menſis ſequentis.

Reſpondeo teneri. Sic Nauarrus in Summa cap. 12 num. 54. Lugus diſp. 25. num. 88. Auerſa quæſt. 13. ſect. 6. Arriaga diſp. 48. ſec. 4. Ratio eſt, quia ſubſtantia præcepti fuit ad ieiunium, & ad confeſsionem, & ſtatuiſse præſumitur circumſtantiam diei ad ſolicitandam, non ad extinguendam obligationem.

14 An verò differre ſatisfactionem iniunctam ad aliud tempus contra id, quod præſcriptum fuit à confeſſario ſit peccatum. Reſpondent affirmatiuè communiter Doctores, & ipſa dilatio erit culpa leuis, vel grauis iuxta eius menſuram, & rei præceptæ qualitatem, ſic ſupracitati Auctores. Plura poſsent de ſatisfactione adhuc inquiri, quæ prorſus moralia ſunt, & poſsunt videri, paſsim apud Auctores, & Summiſtas, & hæc de ſatisfactione.

QVÆSTIO VI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

EGIMVS de eſsentia, & partibus Sacramenti pænitentiæ, ad complementum huius tractatus remanet tractandum de Miniſtro, qui dicitur etiam confeſſarius, eo quod apud ipſum fiat confeſsio: Iudex in foro pænitentiæ, eo quod ſententiam proferat, dum abſoluit; & Pœnitentiarius, eo quia pœnitentias

Digitized by Google

tias ſalutares pænitentibus iniungat.

ARTICVLVS I.

An omnis Sacerdos in articulo mortis ſit Miniſter huius Sacramenti.

1 SVppono primò tamquam certum de fide, ſolos Sacerdotes eſſe poſſe miniſtros huius Sacramenti. Ita definitum eſt in Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. vbi habetur: *Circa miniſtrum autem huius Sacramenti declarat Sancta Synodus, falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes clauium miniſterium pernicioſè extendunt.* Et can. 10. *Si quis dixerit non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis &c. anathema ſit.* Et hæc veritas definita fuit contra Vvicleffum, & Lutherum, qui dixerunt, à quolibet Chriſti fideli poſſe abſolutionem ſacramentalem dari; Verùm horum hæreticorum error non ſolùm in prædictis locis Trid. damnatur, ſed eſt contra id, quod tota Eccleſia ab initio ſemper conſtantiſſimè tenuit.

2 Ex hoc clarè ſequitur, quod ſi quis prius non accipiat poteſtatē conſecrandi, & Epiſcopus exiſtimans aliquem eſſe validè conſecratum, eidem daret poteſtatem abſoluendi per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata remittentur eis*; nihilominus nullo modo haberet poteſtatem abſoluendi. Et ratione patet, quia vt aliquis ſit miniſter huius Sacramenti debet eſſe Sacerdos: atqui talis non eſſet Sacerdos; cum non habeat poteſtatem conſecrandi; ergo nec poteſt habere poteſtatem abſoluendi.

3 Hinc colligitur, quomodo intelligendum ſit id, quod dicit Magiſter in 4. diſt. 17. cap. 4. D. Thom. ibi q. 3. ar. 3. quæſtiunc. 2. & nonnulli alii antiqui tradiderunt, nempe in caſu neceſſitatis deficiente Sacerdote nos debere confiteri laico; id enim intelligendum eſt non de confeſſione ſacramentali ad remiſſionem peccatorum obtinendam; ſed vt ex tali confeſſione pænitens magis humilietur, & diſponatur ad habendam contritionem, qua remittentur peccata; vnde notat Gonetus, non debere talem laicum abſoluere pænitentem dicendo: *Ego te abſoluo &c.* ſed ſolùm deprecatiuo modo, dicendo: *Abſoluat te Deus &c.* Et quamuis antiquitus eſſet vſus aliquis huiuſmodi confeſſionis; at nunc propter exortam hæreſim Lutheri talis vſus ceſſauit in Eccleſia; nec debet, niſi præmiſſis cautionibus exerceri.

4 Suppono ſecundò. Non quemlibet Sacerdotem eſſe poſſe miniſtrum huius Sacramenti, ſed ad validè abſoluendum requiri, quod quis habeat etiā iuriſdictionem, vel ordinariam, vel delegatam. Hoc clarè definitur in Trid. ſeſſ. 14. c. 7. his verbis: *Quoniam natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe hæc Synodus confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet ordinariam, aut ſubdelegatam poteſtatem.* Ecce Concilium rationem affert, cur requiratur in Sacerdote iuriſdictio, ad hoc vt poſſit validè abſolutionem impendere. Nam miniſter huius Sacramenti eſt Iudex: Iudex autem non poteſt ſententiam ferre, niſi in ſubditos; igitur ſi Sacerdos non habet iuriſdictionem ſuper aliquem, vel ordinariam, vel ſubdelegatam, nec etiam validè poterit abſoluere. His poſitis.

5 Omnem Sacerdotem in articulo mortis poſſe eſſe ſufficiētem miniſtrum huius Sacramenti. Conſtat ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi ſic definitur: *Piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſint.* Et cum Concilium loquatur vniuerſaliter de omnibus Sacerdotibus; fatendum eſt pro tali articulo omnes veros Sacerdotes etiā excommunicatos, ſiue degradatos, ſiue hæreticos poſſe validè abſoluere.

6 Vnde verò tunc omnes habeant, quod poſſint abſoluere, vel à Chriſto, vel ab Eccleſia. Dico probabilius eſſe, quod id habeant ab Eccleſia, vt docent communiter Doctores, quos citant, & ſequuntur Vaſquez q. 93. art. 1. Suarez diſput. 26. num. 7. & Arriaga diſp. 39. ſect. 2. cōtra Durandum, Canum, Paludanum, & Ruardum, qui volunt eſſe à Chriſto. Probatur tamen noſtra reſponſio ex eo, quod Concilium dicit: *In Eccleſia Dei hoc ſemper fuiſſe cuſtoditum*; & ex eo, quod Pontifices, quando ſibi reſeruant abſolutionem alicuius peccati, ſemper addunt: *Præterquam in mortis articulo*; ſed ſi omnes Sacerdotes haberent à Chriſto pro mortis articulo auctoritatem abſoluendi, non eſſet neceſſe, quod Pontifices illa verba adderent; ergo nè ſint otioſa, fatendum eſt hoc eſſe ex permiſſione, & voluntate Eccleſiæ, nè ſi etiam pro tali articulo aliquos caſus reſeruaret, aliquis fidelium pereat; hæc certa cum ſint.

7 Dubium modò oritur, an omnes Sacerdotes in articulo mortis etiam ſi ſint præſentes ſuperior, & Parochus, aut

alius

Digitized by Google

alius, qui habeat poteſtatem abſoluendi poſſint nihilominus abſoluere, prę́ſertim à reſeruatis, vel hoc ſolùm poſſint facere illi, qui habent ordinariam, vel delegatam poteſtatem.

8 Prima opinio affirmat omnem Sacerdotem, etiam præſente ſuperiore, vel Parocho, vel alio habente poteſtatem abſoluendi poſſe validè, & licitè cōfeſſionem moribundi excipere ipſumq; abſoluere. Sic Nauarrus, Sâ, Petrus Ledeſma, Emanuel Rodriquez, Vega, Henriquez, Barboſa, & alii, quos citat; & ſequitur Diana par. 1. tract. 5. reſol. 5. & par. 4. tract. 4. reſol. 161. & par. 5. tract. 3. reſol. 65. quam opinionem putat probabiliorem Tannerus diſp. 6. q. 9. dub. 3. & abſolutè ſequuntur Arriaga diſpu. 39. ſect. 2. ſubſ. 2. Marchinus, & alii.

Secunda communior, & certior negat poſſe licitè, & inualidè ſimplicem Sacerdotem abſoluere præſente proprio, vel alio habente auctoritatem delegatā. Sic Sotus in 4. diſt. 18. q 4. ar. 4. Nugnus hic in addit. ad 3. par q. 8. ar. 6. dub. 3. Vaſquez quęſt. 93. ar. 1. dub. 4. Valentia q. 10. pun. 2. Suarez diſp. 26. ſect. 4. de Cenſuris q. 22. ſect. 1. Coninchus diſp. 8. dub. 2. Lugus diſp. 18. ſect. 2. & quamplurimi alii, quos citat, & ſequitur Auerſa quæſt. 16. ſect. 3.

6 Concluſio. Probabilius eſt, non poſſe ſimplices Sacerdotes abſoluere in articulo mortis, quando eſt præſens proprius Paſtor, vel alius Confeſſarius habens, vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem abſoluendi. Probatur concluſio; quia in tantùm data eſt facultas omnibus Sacerdotibus abſoluendi in articulo mortis quoſcumq; & à quibuſuis caſibus, nè ſi fieret reſeruatio pro illo caſu hac occaſione aliquis pereat: vt colligitur ex Trid. loco citato: ſed præſente Sacerdote habente facultatem ordinariam, vel delegatam ceſſat hic finis, cum ceſset periculū, & poteſt moribundus ab habente facultatem abſolui; ergo ab hoc abſolui debet, non à ſimplici Sacerdote. Confirmatur exemplo aliorum Sacramentorum; nam præſente Parocho, aut habente ab eo auctoritatem, nullus alius in articulo mortis poteſt adminiſtrare viaticum, aut extremam vnctionem; ergo neque poterit impendere abſolutionem, ſi adſit alius habens vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem; & experientia ipſa conſtat, quod in tali articulo non audet ſimplex Sacerdos confeſſiones excipere, & abſoluere, ſi adſit Parochus, vel habens delegatam poteſtatem. Confirmatur ſecundò, quia ex cap. *Eos qui, de ſententia excommunicationis in 6.* Si quis ſit in mortis articulo conſtitutus, & ſit innodatus aliqua cenſura reſeruata, ſi adſit ſuperior habens facultatem ab ea abſoluendi, debet ab eo abſolui; nec pænitens ſuperiore abſente poteſt ab inferiore abſolui, niſi cum onere ſe præſentandi ſuperiori, ſi conualuerit, vt ab eo abſolutionem obtineat; ergo ſi præſens ſit non poteſt alius ipſum abſoluere; ergo, & de peccatis idem dicendum eſt, nempe non poſſe abſolui à ſimplici Sacerdote ſi prę́ſens ſit alius habens facultatem ordinariam, vel delegatam.

10 Dices primò cum Arriaga eſſe diſparem rationem de cenſura, & de peccatis; nam cum illa ſit ordinariè nota, nulla eſt difficultas pænitenti ſe manifeſtandi ex eo, quod recurratur ad Epiſcopum; peccata verò ſunt occulta: ſecunda diſparitas eſt, quia abſolutio à cēſura non eſt ad ſalutem neceſſaria; ſic autem abſolutio à peccatis. Sed contra prima diſparitas non ſubſiſtit; nam poteſt eſſe occultiſſima, vt ſi quis lapſus eſt in hęreſim occultiſſimam, ſed externam; & tamen tunc non poteſt abſolui, niſi cum onere ſe præſentandi ſuperiori, ſi conualeſcat; & idem poteſt dici de omnibus caſibus Bullæ cænæ Domini: fateor tamen ſecundam diſparitatem eneruare vim facti argumenti in confirmatione ſecunda, at nihilominus probatio concluſionis noſtræ ſemper firma manet.

11 Dices ſecundò Trid. abſolutè dicit in articulo mortis nullam eſſe reſeruationem; ergo vniuerſaliter intelligendum eſt omnes æquè poſſe abſoluere. Sed contra, quia Trid. dicit nullam eſſe reſeruationem in articulo mortis: *Nè hac ipſa occaſione aliquis pereat*; ergo ſi nulla eſt occaſio pereundi, cum adſit Sacerdos habens facultatem, cui poteſt infirmus confiteri, eidem non ſimplici Sacerdoti confiteri debet, & ſic etiam vſus, & conſuetudo obtinuit, quæ cum ſit generalis, & recepta eſt optima legis interpretatio.

12 Excipiuntur tamen à Lugo, Diana, Auerſa, Sanchez, & aliis locis citatis varii caſus. Primus eſt, ſi Confeſſarius approbatus eſſet præſens, & nollet audire, poſſet tunc ſimplex Sacerdos abſoluere, quia idem eſt, ac ſi non adeſſet. Secundus, ſi ob inſtans periculum infirmus incepit confeſſionem cum ſimplici Sacerdote, etiamſi ſuperueniat Parochus, vel approbatus, poteſt cum ſimplici perficere, quia per inceptionem acquiſiuit iuriſdictionem. Tertius, ſi confeſſionem irritam fecit, & fuit abſolutus poteſt iterum confiteri, & validè abſolui propter eamdem rationem. Quartus,

Digitized by Google

ſi incepit confeſſionem inſtante periculo, ſi poſtea ceſſet, adhuc poteſt perficere; non poteſt tamen ceſſante periculo illi iterum confiteri de aliis peccatis fortè oblitis.

13 Quæres: Cuinam debeat infirmus confiteri, ſi adſint duo Sacerdotes vnus cenſura innodatus, hæreticus, vel ſchiſmaticus; alius ſimplex.

Reſpondeo, debere confiteri non impedito; ſic enim poſtulat ratio ipſa, & charitas erga proximum. Sic prædicti Doctores.

ARTICVLVS II.

An quilibet Sacerdos vi ordinationis habeat integram poteſtatem abſoluendi à venialibus, & mortalibus iam confeſſis.

1 QVæſtio præſens, an quilibet Sacerdos poſſit abſoluere à venialibus, & mortalibus iam antea confeſſis, ſupponit vt prius explicemus hanc aliam, an quilibet Sacerdos iure diuino in ipſa collatione Sacerdotii recipiat completam poteſtatem abſoluendi quemcumq; Chriſti fidelem, vt nihil ei deſit ex parte principii ad abſoluendum; an verò aliquid ei deſit ex parte principii ad abſoluendum.

2 Prima opinio eſt Armacani lib. 11. de quæſt. Armenorum, quam probabilem cenſent Durandus, licèt contrariam ipſe ſequatur ſic in 4. diſt. 19. q. 2. & Almainus diſt. 17. q. 1. art. 4. Hæc vult omnem Sacerdotem, ſicuti iure diuino accipit poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti hancq; completam; ita accipere etiam completam poteſtatem abſoluendi quemlibet in hoc foro; & ſolùm iure Eccleſiaſtico prohibitum eſſe, nè quilibet Sacerdos in quemlibet hanc exerceat poteſtatem. Non multum ab hac opinione differt illa, quã ſequitur Amicus diſp. 15. ſect. 1. n. 10. vult enim quemlibet Sacerdotem vi ſuæ ordinationis iure diuino accipere completam poteſtatem ſuper omnia peccata quorumcumque fidelium abſoluenda, dummodo fideles ſponte ſe ſubmittant huic ſacro iudicio, & ſub conditione, niſi Eccleſia prohibuerit; & pro ſua opinione citat Rubionem in 4. diſt. 12. q. 2. ar. 1. D. Antoninum 3. part. ſumm. tit. 17. cap. 4. & alios.

Secunda opinio eſt Scoti in 4. diſt. 19. art. 4. in fine, Maioris qu. 11. Alberti diſt. 18. ar. 2. & 5. Vaſquez, & aliorum, quos ipſe citat quæſt. 93. dub. 2. hæc docet Sacerdotem in ſua ordinatione accipere completam poteſtatem abſoluendi, quantum eſt ex parte principij, nullam tamen accipere materiam, in qua poſſit hanc poteſtatem exercere, hancq; determinari ab Eccleſia; ab hac opinione non multùm in re differt Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 7. & Palat. in 4. diſt. 18. diſp. 1.

Tertia opinio diſtinguit duplicem poteſtatem, vnam ordinis, alteram iuriſdictionis; dicit ergo omnes Sacerdotes accipere in ſua ordinatione poteſtatem ordinis, non iuriſdictionis, quæ requiritur, & confertur ab Eccleſia ad hoc, vt quis licitè, & validè abſoluere poſſit. Sic Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2. Medina cod. de confeſſ. quæſt. 35. Canus de pœnitentia par. 5. §. in hoc igitur. Suarez diſp. 16. ſect. 3. Coninch. diſput. 8. dub. 2. Valentia q. 10. pun. 2. Lugus diſp. 15. ſect. 2. Faber, Bordonus, Turrecremata, & alii, quos citat, & ſequitur Auerſa q. 16. ſect. 2.

3 Concluſio prima. Reijcitur prima ſententia Armacani. Sic autem impugnatur. Si Sacerdotes recipiunt in ſua ordinatione poteſtatem abſoluendi, ſicuti accipiunt poteſtatem conſecrandi, ſequitur, quod ſicuti quilibet Sacerdos validè cõſecraret, etiam ſi haberet prohibitionem ab Eccleſia non conſecrandi; ita quilibet Sacerdos validè abſolueret, licèt haberet prohibitionem ab Eccleſia non abſoluendi: ſed hoc eſt apertè contra Trid. definiens nullius valoris eſſe illam abſolutionem, quam Sacerdos profert in eum, in quem ordinariam, aut delegatam non habet iuriſdictionem; ergo & id vnde ſequitur falſum eſt.

4 Dices, eſſe diſparem rationem de conſecrante contra prohibitionem Eccleſiæ, & de abſoluente; quod abſoluens inualidè abſoluit, quia pœnitens, qui ſcit hanc prohibitionem, ſi accedat, indignè accedit, & conſequenter, ſi actualiter peccat, nullius roboris eſt illa abſolutio: at conſecrans cum conſecret materiam aptam, vt ſuppono, licèt peccet, nihilominus validè conſecrat. Sed contra, eſto, quod quando pœnitens mala fide contra prohibitionem Eccleſiæ accedit, inualidum fiat Sacramentum, quia pænitens ipſe actualiter peccat: at ſi bona fide accederet, vtique validè abſolueretur, licèt Sacerdos peccaret; hoc autem eſt contra Concilium, quod dicit huiuſmodi abſolutionem eſſe inualidam, & nullius roboris.

5 Et hoc argumento reiicitur opinio Amici: nam ſi daretur Sacerdos, & pænitens, qui ignorarent hanc prohibitionem, ſi vnus bona fide confiteretur pec-

Digitized by Google

peccata ſua, & alius ipſum abſolueret, verè eſſet abſolutus: quod tamen falſum eſt; ergo &c. Confirmatur. Nullum aliud fundamentum eſt dicendi Sacerdotes omnes in ſua ordinatione accipere poteſtatem completam abſoluendi, niſi quia Epiſcopus dum ordinat dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta erunt*. Sed ex hoc potius probatur, quod abſolutè detur talis poteſtas; nam de conditione, niſi Eccleſia prohibuerit, nullo modo ex tali auctoritate deducitur; ergo ſolùm gratis fingitur, vt pro libito ſuo theologicam concluſionem ſuſtineat.

6 Concluſio ſecunda. Sacerdotes in ſua ordinatione accipiunt ſolùm poteſtatem ordinis, non iuriſdictionis. Probatur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi ſic habet: *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit. & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* Ex quo loco ſic argumentor. Ad abſoluendum validè à peccatis requiritur non ſolùm poteſtas ordinis, ſed etiam iuriſdictionis: ſed Sacerdotes in ſua ordinatione accipiunt tantùm poteſtatem ordinis, non verò poteſtatem iuriſdictionis; ergo non habent ex ſua ordinatione poteſtatem completam abſoluendi. Confirmatur, quia datur in aliquibus poteſtas iuriſdictionis, non ordinis; vt patet in Parocho nondum ordinato, vel Epiſcopo itidem nondum ordinato; ergo etiam poteſt dari poteſtas ordinis non iuriſdictionis.

7 Ex his colligas, auctores ſecundæ opinionis verum dicere, & ſolùm à noſtra opinione diſcrepare in modo explicandi: nam dum dicunt Sacerdotes accipere completam poteſtatem abſoluendi, quantum eſt ex parte principii, ſed illam non poſſe exercere, quia non habent materiam, circa quam poſſint illam exercere, hancq; eſſe ab Eccleſia determinandam; vel habere poteſtatem in actu primo, non in actu ſecundo; idem in re dicunt, quod nos, nempe ſimplices Sacerdotes in ſua ordinatione recipere poteſtatem ordinis, non iuriſdictionis: Melius tamen loquuntur Doctores noſtræ opinionis, quia ſic dicendi habent fundamentum in auctoritate, & ratione Tridentini.

8 Dices. Omnis Sacerdos habet facultatem abſoluendi Summum Pontificem: ſed hanc facultatem non poteſt accipere ab ipſo Summo Pontifice; quia cum ſit eſſentialiter ſupra omnes, non poteſt dare alicui poteſtatem ſupra ſe ipſum; ergo illam accipit in ſua ordinatione, & per conſequens in ſua ordinatione accipiet non tantùm poteſtatem ordinis, ſed etiam iuriſdictionis. Sed contra retorqueo argumentum; quia ſi eſſentialiter Pontifex eſt ſupra omnes; ergo Sacerdos neque à Chriſto poteſt recipere poteſtatem, vt Pontificem abſoluat; quia neque Chriſtus poteſt facere, vt aliquis ſit ſupra illum, qui eſſentialiter eſt ſuper omnes; cum hoc implicet; eſſet enim eſſentialiter ſuper omnes, & non eſſet. Dico igitur talem iuriſdictionem accipere Sacerdotem ab ipſo Pontifice; qui licèt eſſentialiter, & abſolutè ſit ſupra omnes, nihilominus in hoc poteſt voluntariè ſubdi alicui Sacerdoti. Quemadmodum Reſpublica poteſt communi conſenſu Regem eligere, cui tribuit iuriſdictionem; at electo Rege, tenetur Reſpublica ipſi obedire; ita in propoſito &c. Abſoluens Papã à quo habeat iuriſdictionẽ

9 Hinc facilè explicabitur, an quilibet Sacerdos poſſit abſoluere à venialibus, & à mortalibus iam confeſſis.

Faber de pœnitentia diſput. 25. à num. 71. Beia part. 3. caſu 37. Bordonus tom. 1. variarum reſolut. 36. quæſt. 20. negant abſolutè quemlibet Sacerdotem habere facultatem abſoluendi à venialibus &c. Et de hac facultate dubitant Medina loco citato, Nauarrus in ſumm. cap. 24. num. 5. & in cap. *Placuit*, num. 22. & Salas 1. 2. tract. 8. num. 101. & 286.

Communis tamen opinio docet, omnes Sacerdotes poſſe abſoluere à venialibus, & à mortalibus iam confeſſis, & ritè abſolutis. Sic Capreolus, Caietanus, Lugus, Suarez, Coninchus, Arriaga, & plures alii, quos citant Lugus diſput. 8. ſect. 3. & Auerſa quæſt. 16. ſect. 3. licèt poſt ea Doctores diuerſi ſint in explicando, an iuriſdictionem abſoluendi à venialibus recipiant Sacerdotes immediatè à Chriſto, vel ab Eccleſia.

10 Concluſio tertia. Probabilius eſt omnes Sacerdotes habere facultatem abſoluendi à venialibus, & à mortalibus iam ritè confeſſis, & iuriſdictionem, vt poſſint ab his abſoluere, recipere ab Eccleſia.

Prima pars nulla alia ratione probatur, niſi ex communi ſenſu Doctorum, & fidelium, qui ſic exiſtimant. Aduertant tamen Sacerdotes ad confeſſiones non approbati, nè de facili alio- Sacerdos non approbatus non dubitet exci pere venialia.

Digitized by Google

aliorum confeſſiones excipiant; tum quia facilè continget aliquem habere conſcientiam mortalis: tum quia poſſent in foro externo puniri; nam in hoc foro non debet diſcerni, an pœnitens habuerit ſolùm materiam liberam confeſſionis; ſed actus ipſe externus punietur; eo quod ſine approbatione auſus ſit confeſſiones excipere.

11 Secunda pars probatur à contrario; quia Eccleſia priuat Sacerdotem excommunicatum vitandum iuriſdictione etiam ad confeſſionem venialium; vt docent Homobonus noſter 1. part. cap. 3. aſſert. 1. Suarez diſput. 26. ſect. 5. Coninchus diſput. 8. dub. 2. Henriquez, Bonacina, Medina, Lugus diſput. 18. ſect. 3. Auerſa loco citato, & alii; ergo etiam ab Eccleſia prouenit iuriſdictio ad venialium confeſſionem; nam ſi eſſet à Chriſto, ab Eccleſia priuari non poſſet: tum quia docent communiter Doctores poſſe venialia reſeruari, licèt non expediat, eo quod ſint materia libera confeſſionis; ergo Eccleſia eſt, quæ dat iuriſdictionem pro eorum abſolutione.

12 Obiicies. Ad validam abſolutionem venialium &c. requiritur nedum poteſtas ordinis, ſed etiam iuriſdictionis: ſed hanc poteſtatem iuriſdictionis non habent ex ſua ordinatione Sacerdotes; nam hęc conuenit ſolis Paſtoribus, & quilibet Sacerdos non eſt Paſtor ex ſua ordinatione; ergo neque habent iuriſdictionem pro abſolutione venialium.

Reſpondeo, hanc iuriſdictionem non habere quidem ex vi ordinis à Chriſto, ſed ex conceſſione Eccleſiæ, vt ex communi vſu, & conſuetudine colligitur; ſicuti enim poteſt Eccleſia excommunicatum Sacerdotem vitandum priuare facultate abſoluendi etiam à venialibus; ita à contrario ipſa eſt, quæ hanc iuriſdictionem aliis Sacerdotibus tribuit.

ARTICVLVS III.

In quo explicantur varij caſus de miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

1 AD confeſſiones excipiendas, & validam abſolutionem requiri non ſolùm poteſtatem ordinis, ſed etiam iuriſdictionis vidimus: Hæc autem duplex eſt altera ordinaria, ſubdelegata altera: Prima eſt in Summo Pontifice pro toto orbe, in Epiſcopis pro ſuis diœceſibus, in Parochis pro ſuis Parochiis; In Generalibus Ordinum, Prouincialibus, & Superioribus locorum, quo ad eorum ſubditos, & poſſunt ſibi eligere Confeſſarium. Sic communiter Doctores, vt refert Diana tom. 2. tract. 2. de dubiis Regularium reſolut. 1. & tom. 3. tract. 4. miſcell. reſolut. 1. & hæc veriſſima ſunt ſecundùm ius commune; nam ſecundum ſpeciales conſtitutiones aliquorum ordinum inferiores Prælati habent aſſignatum ſibi Confeſſarium à Generali, vel Prouinciali. Excipe tamen Parochos, quibus non competit facultas eligendi Confeſſarium. Parochi nō poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.

2 Subdelegata verò poteſtas iuriſdictionis eſt in illis, qui hanc habent, vel à Pontifice, qui poteſt eam concedere cuilibet Sacerdoti pro quocumq; fideli; eſt enim Papa omnium Paſtor; vel ab Epiſcopis, qui illam poſſunt dare pro ſuis diœceſibus; & à Parochis pro ſuis Parochianis, hi tamen debent ſupponere approbationem factam ab Ordinario, vt Trident. requirit, & Generales, Prouinciales, & Superiores locales religionum poſſunt eam concedere pro ſuis ſubditis.

3 Quæres primò. An, qui habet poteſtatem ſubdelegatam audiendi confeſſiones poſſit eam ſubdelegare?

Reſpondeo, non poſſe ordinariè loquendo, de cetero poſſet Ordinarius concedere facultatem non ſolùm audiendi confeſſiones, & abſoluendi pœnitentes, ſed etiam alios ſubdelegandi. Ita Suarez diſput. 26. ſect. 2. Amicus diſput. 15. ſect. 2. Lugus, Arriaga, & alii. Prima pars patet; quia ſunt actus diſtincti audire confeſſiones, & delegare iuriſdictionem audiendi confeſſiones; ergo dum quis delegat aliquem ad audiendas confeſſiones, non dat facultatem ſubdelegandi.

4 Quod verò Ordinarius poſſit etiam ita delegare facultatem audiendi confeſſiones, & poſſit delegatus eam etiam ſubdelegare: patet, quia hoc pendet a voluntate ſuperioris.

5 Quæres ſecundò. An ad confeſſiones recipiendas requiratur etiam approbatio facta ab Ordinario?

Reſpondeo affirmatiuè. Sic decernit Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. de reform. Vnde ſi pœnitens confiteatur Sacerdoti non approbato tenebitur iterum confiteri, quia nullius valoris eſt illa abſolutio. Sic Gonet. diſput. 9. num. 37. Amicus diſp. 15. ſect. 3. & communiter Doctores.

6 Quæres tertiò. An poſſint Epiſcopi approbare Confeſſarios tantùm ad cer-

Digitized by Google

certum tempus, v. g. ad annum, ad ſex menſes &c.

Reſpondeo poſſe, & talis eſt nunc conſuetudo recepta Romæ, vbi tam ſæculares, quàm regulares approbantur ordinariè tantùm ad tempus. Ratio eſt, quia approbatio eſt ſimul coniuncta cum iuriſdictione ad audiendas confeſſiones, dependet autem à voluntate Ordinarij velle hanc facultatem ſubdelegare, vel ad beneplacitum, vel tantùm ad certum tempus. Vide conſtit. Clem. X. quæ incipit: *Superna.*

7 Et hæc dicta ſunt de toto tractatu de pœnitentia, reliqua enim, quæ poſſent deſiderari potius ſpectant ad materiam moralem, quam ſpeculatiuam; & per hoc muneri meo, & promiſſis ſatisfeciſſe exiſtimo. Vtinam pro peccatis meis ita in hac vita Deo ſatisfacere per pœnitentiam poſſim, vt poſt huius vitæ periodum lætus æternum Iudicem expectare valeam, cui honor, & gloria ſimul cum Beatiſſima Virgine, Gentium Doctori, & Angelico. Omnia autem à me hucuſque ſcripta, vel Deo auctore ſcribenda Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matri, & Magiſtræ cenſuræ, & correctioni humillimè ſubijcio.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

Tractatuum, Quæſtionum, & Articulorum, quæ in hac Tertia Parte continentur.

TRACTATVS I.

De ſacroſancto Incarnationis Myſterio. pag. 1.

QVAESTIO I.

De poſſibilitate, & conuenientia Incarnationis, pag. 2.

ART. 1. *An aliquis intellectus creatus poſſit cognoſcere poſſibilitatem Incarnationis.* 2.

ART, 2. *An conueniens fuerit Deum incarnari.* 6.

ART. 3. *An fuerit incarnatio conueniens ex parte Verbi, naturæ humanæ, & circumſtantiarum,* 7.

QVÆSTIO II.

De neceſſitate Incarnationis. 9.

ART. 1. *An Deus fuerit neceſſitatus ad ponendam Incarnationem.* 9.

ART. 2. *An purus homo poſſit condignè pro ſuo mortali ſatisfacère.* 14.

ART. 3. *An homo per actus contritionis ſaltem ex iuſtitia imperfecta ſatisfaciat pro peccatis ſuis.* 21.

ART. 4. *An purus homo poſſit ſatisfacere pro peccato commiſſo abſque aduertentia offenſæ Dei.* 25.

ART. 5. *An pro ſuo veniali poſſit iuſtus condignè ſatisfacere.* 27.

ART. 6. *An ſatisfactio Chriſti fuerit ſufficiens, & ſuperabundans pro peccatis omnium hominum.* 30.

ART. 7. *An opera Chriſti Domini fuerint infiniti valoris ad ſatisfaciendum.* 36.

ART. 8. *An Chriſti Domini ſatisfactio fuiſſet ſufficiens ſi eius opera non fuiſſent infiniti valoris.* 41.

ARTs. 9. *An Chriſti ſatisfactio fuerit ex iuſtitia.* 42.

ART. 10. *An iuſtitia Dei ad homines, & Chriſtum fuerit commutatiua, & quomodo.* pag. 46.

ART. 11. *An in ſatisfactione Chriſti ſeruatæ ſint omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ.* 53.

ART. 12. *An Deus potuerit Chriſti ſatisfactionem non acceptare.* 57.

QVAESTIO III.

De Dominicæ Incarnationis motiuo. 59.

ART. 1. *An ſi Adam non peccaſſet Chriſtus incarnatus fuiſſet.* 59.

ART. 2. *Quale fuerit primarium motiuum Incarnationis Verbi diuini.* 60.

ART. 3. *An ſi fuiſſet tantùm originale ſine actualibus, vel ſolùm actualia ſine originali Verbum incarnatum fuiſſet.* 70.

ART. 4. *An aliqua creatura poſſit eſſe cauſa phyſica vnionis hypoſtaticæ ſaltem inſtrumentalis.* 72.

ART. 5. *An humanitas Chriſti vnionem ſuam ad Verbum mereri potuerit.* 74.

ART. 6. *An Chriſtus per opera ſubſequentia vnionem eamdem mereri potuerit.* 79.

ART. 7. *An Chriſtus continuationem vnionis, & circumſtantias Incarnationis meruerit, vel mereri potuerit.* 82.

ART. 8. *An antiqui patres potuerint mereri Incarnationem, vel circumſtantias Incarnationis.* 85.

ART. 9. *An B. Virgo aliquo modo meruerit maternitatem Dei.* 89.

QVAESTIO IV.

De conſtitutiuis intrinſecis myſterij Incarnationis. 92.

ART. 1. *An per Incarnationem ſint in Chriſto duæ naturæ diuina, & humana.* 92.

ART. 2. *An in Chriſto ſint etiam duæ perſonæ, ſubſiſtentiæ, vel hypoſteſes.* 95.

ART. 3. *An perſona Chriſti ſit compoſita.* pag. 98.

ART. 4. *An natura humana vniatur ſe ipſa Verbo, vel per modum.* 99.

ART. 5. *Quomodo differant vnio, vnitio, aſſumptio, humanatio, & incarnatio.* 103.

ART. 6. *Quomodo per vnionem Verbum mutatum non ſit.* 104.

ART. 7. *An humanitas Chriſti maneat violenter in Verbo, & appetat propriam ſubſiſtentiam.* 106.

ART. 8. *An vnio hypoſtatica ſit maxima omnium vnionum.* 108.

ART. 9. *An Verbum diuinum aſſumpſerit humanitatem ratione diuinæ eſſentiæ, vel ratione perſonalitatis.* 109.

ART. 10. *An ſola perſona diuina, vel etiam creata poſſit alienam naturam aſſumere.* pag. 112.

ART. 11. *An poſſit fieri vnio in ſubſiſtentia abſoluta tantùm.* 114.

ART. 12. *An omnes diuinæ perſonæ poſſint eamdem naturam aſſumere.* 116.

ART. 13. *An ratione vnionis hypoſtaticæ Pater, & Spiritus Sanctus ſint per concomitantiam in Chriſti humanitate.* 117.

ART. 14. *An qualibet natura ſit à Verbo aſſumptibilis.* 119.

ART. 15. *An natura retenta propria perſonalitate potuerit à Verbo aſſumi.* 123.

ART. 16. *Quid de facto Verbum aſſumpſerit, & an aſſumpſerit ſanguinem.* 125.

ART.

Digitized by Google

ART. 17. *Quo ordine partes aſſumptæ fuerint à Verbo.* 129.

QVAESTIO V.

De Gratia Chriſti &c. 130.

ART. 1. *Vtrum humanitas Chriſti fuerit ſancta ſanctitate increata.* 131.

ART. 2. *An humanitas Chriſti ſanctificetur ſanctitate ſubſtantiali per modum vnionis, vel diuinitate, aut perſonalitate.* 133.

ART. 3. *An ſanctitas Chriſti ſit infinita.* 135.

ART. 4. *An in Chriſto detur gratia habitualis, & ad quem finem.* 137.

ARTIC. 5. *An gratia Chriſti fuerit infinita.* pag. 140.

ART. 6. *An in Chriſto fuerint auxilia actualia virtutes, dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis data.* 143.

ART. 7. *An Chriſtus ſit caput Triumphantis, & Militantis Eccleſiæ.* 146.

QVAESTIO VI.

De ſcientia Chriſti. 147.

ART. 1. *Quotuplex fuerit in Chriſto ſcientia creata.* 148.

ART. 2. *An cognouerit Chriſtus per ſcientiam beatam præſentia, præterita, & futura.* pag. 149.

ART. 3. *Vtrum anima Chriſti videat omnia poſſibilia.* 151.

ART. 4. *An Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouerit omnia naturalia, cordis cogitationes, futura conditionata, & omnia poſſibilia.* pag. 153.

ART. 5. *An per hanc ſcientiam cognouerit omnia myſteria gratiæ creata.* 155.

ART. 6. *An Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouerit myſterium Trinitatis, & quomodo.* 157.

ARTIC. 7. *An Chriſtus cognouerit obiecta ſcientiæ infuſæ ſemper in actu ſecundo.* 158.

ART. 8. *An Chriſtus de nouo in hac vita ſcientiam acquiſierit.* 160.

QVAESTIO VII.

De voluntate Chriſti. 163.

ART. 1. *An in Chriſto fuerint duæ voluntates, & appetitus ſenſitiuus.* 163.

ART. 2. *An voluntas humana in Chriſto fuerit ſemper conformis voluntati diuinæ.* pag. 165.

ART. 3. *An Chriſtus peccare potuerit.* 167.

ART. 4. *An humanitas Chriſti potuerit peccare amittendo vnionem.* 171.

ART. 5. *An ſaltem potuerit anima ipſius habere originale, vel habituale mortale, vel veniale.* 173.

ART. 6. *Quomodo Chriſti impeccabilitas non repugnet libertati eiuſdem in executione præcepti.* 174.

ART. 7 *An in Chriſto fuerit libertas cum viſione beatifica.* 179.

QVÆSTIO VIII.

De merito Chriſti. 182.

ART. 1. *Vtrum Chriſtus meruerit in primo inſtanti ſuæ conceptionis, & quando deſierit eius meritum.* 182.

ART. 2. *Quid ſibi meruerit Chriſtus.* 184.

QVÆSTIO IX.

De adoratione Chriſti, & communicatione idiomatum. 188.

ART. 1. *An humanitas Chriſti adoranda ſit adoratione latriæ.* 188.

ART. 2. *An adoratio latriæ, qua adoratur humanitas Chriſti ſit omnino æqualis cum adoratione, qua adoratur diuinitas.* 190.

ART. 3. *An humanitas conſiderata præciſiuè à Verbo poſſit adorari adoratione diſtincta à latria.* 192.

ART. 4. *An Imagines Chriſti, & Sanctorum ſint adorandæ, & quo cultu.* 105.

ART. 5. *In quo dubia de adoratione ſoluuntur.* 199.

ART. 6. *De communicateone Idiomatum, & modo loquendi in myſterio Incarnationis.* pag. 200.

TRACTATVS II.

De Sacramentis in communi. 203.

QVÆSTIO I.

De eſſentia Sacramenti. 203.

ART. 1. *An eſſe ſignum ſacrum ſit de ratione generica Sacramenti vt ſic.* 203.

ART. 2. *An Sacramenta non ſolùm ſint ſigna ſanctitatis, ſed etiam cauſæ.* 205.

ART. 4. *An Sacramentum debeat eſſe ſignũ ſenſibile, & cuius rei ſignum.* 210.

ART 4. *In quo variæ difficultates explicantur.* 114.

ART. 5. *An omnia Sacramenta conſtent rebus, & verbis.* 217.

ART. 6. *An omnia Sacramenta nouæ legis conſtent rebus, & verbis, vt materia, & forma.* 118.

ART. 7. *Vtrum ſignificatio à Chriſto impoſita Sacramentis ſit duplex, vel vna indiuiſibilis.* 221.

ART. 8. *Quanta ſimultas inter materiam, & formam requiratur ad conſtituendum Sacramentum.* 222.

ART. 9. *An verba in Sacramentis ſint conſecratoria, an verò ſolùm concionatoria.* pag. 224.

ART. 10. *An omnia Sacramenta nouæ legis habeant determinatas res, & verba.* pag. 225.

ART. 11. *An mutatio materiæ, & formæ inualidet Sacramentum, & quomodo.* 228.

ART. 12. *An error miniſtri poſſit inducere mutationem ſubſtantialem in Sacramentis.* pag. 231.

ART. 13. *An intentio miniſtri ſit pars intrinſeca componens Sacramentum.* 235.

ART, 14. *Quid in Sacramentis ſit res tantùm, Sacramentum tantùm, & res, & Sacramentum.* 239.

QVÆSTIO II.

De neceſſitate Sacramrntorum. 240.

ART. 1. *An in ſtatu innocentiæ debuerint eſſe Sacramenta.* 240.

Digitized by Google

ART. 2. *An in lege naturæ fuerit Sacramẽtum ad tollendum originale.* 242.
ART. 3. *Soluuntur quædam dubia circa Sacramentum legis naturæ.* 244.
ART. 4. *An in lege ſcripta, & gratiæ debuerint eſſe Sacramenta.* 247.
QVÆSTIO III.
De principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia. 248.
ART. 1. *An aliqua Sacramenta antiquæ legis cauſarent gratiam* 248.
ART. 2. *An Sacramenta noua legis ſint cauſa gratiæ.* 251.
ART. 3. *An Sacramẽta noua legis ſint cauſa morales gratiæ, & in quo conſiſtat hæc cauſalitas moralis.* 252.
ART. 4. *An noſtra Sacramenta ſint etiam cauſæ inſtrumentales phyſicæ gratiæ.* 255.
ART. 5. *Quando nam Sacramenta gratiam conferant.* 262.
ART. 6. *An omnia Sacramenta habeant vim conferendi primam gratiam.* 267.
ART. 7. *An gratia ſacramentalis ſit diuerſa ab habituali, & in quo conſiſtat.* 272.
ART. 8. *Quænam diſpoſitio requiratur, vt Sacramenta conferant gratiam.* 274.
ART. 9. *An Sacramenta æqualiter diſpoſitis æqualem conferant gratiam.* 278.
ART. 10. *An Sacramenta recedente fictione conferant gratiam.* 280.
ART. 11. *An etiam omnia alia Sacramenta reuiuiſcant.* 282.
ART. 12. *Qualis diſpoſitio requiratur, vt Sacramentum fictè ſuſceptum reuiuiſcat.* pag. 284.
ART. 13. *An Sacramenta dum reuiuiſcunt producant gratiam iuxta diſpoſitionem ſubiecti, an verò minimam tantùm, & quædam alia circa Sacramentorum reuiuiſcentiam explicantur.* 287.
QVÆSTIO IV.
De Charactere ſacramentali. 289.
ART. 1. *An aliqua Sacramenta imprimant characterem.* 289.
ART. 2. *Quid ſit character ſacramentalis.* pag. 291.
ART. 3. *In qua ſpecie qualitatis ſit character.* 294.
ART. 4. *In quo ſubiecto ſit character, & an ſit indelebilis.* 297.
QVÆSTIO V.
De cauſis Sacramentorum. 299.
ART. 1. *An Chriſtus omnia Sacramenta nouæ legis immediatè inſtituerit.* 299.
ART. 2. *An potuerit puræ creaturæ communicari poteſtas inſtituendi Sacramenta,* pag. 301.
ART. 3. *Quis poſſit eſſe miniſter Sacramentorum.* 303.
ART. 4. *An ad valorem Sacramentorum requiratur intentio miniſtri.* 304.
ART. 5. *Qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti.* 3-9.
ART. 6. *An intentio debeat eſſe abſoluta, vel ſufficiat conditionata, at quædam alia dubia explicantur.* 313.
ART. 7. *Quid requiratur vt miniſtri rectè Sacramenta adminiſtrent.* 318.
ART. 8. *An licitè peti poſſint Sacramenta ab iniquo miniſtro.* 321.
ART. 9. *Qualis ſit obligatio non miniſtrandi Sacramenta indignis.* 324.
ART. 10. *Qualis intentio requiratur in ſuſcipientibus Sacramenta.* 329.
TRACTATVS III.
De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento. 333.
QVÆSTIO I.
De Euchariſtiæ Sacramento ſecundum ſe, pag. 333.
ART. 1. *An detur verum Euchariſtiæ Sacramentum.* ibid.
ART. 2. *An Sacramentum Euchariſtiæ ſint ſpecies conſecratæ, vel corpus Chriſti, vel vtrumq; ſimul.* 337.
ART. 3. *An conſecratio ſit pars intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ.* 341.
ART. 4. *An vſus Euchariſtiæ ſit de eſſentia huius Sacramenti.* 343.
ART. 5. *An Sacramentum Euchariſtiæ ſit vnum ſpecie atoma, vel multiplex ſpecie.* pag. 346.
ART. 6. *Au Sacramentum Euchariſtiæ ſit neceſſarium ad ſalutẽ tam paruulis, quàm adultis.* 348.
QVÆSTIO II.
De materia Sacramenti Euchariſtiæ. 352.
ART. 1. *Qualis debeat eſſe materia, ex qua conficitur Euchariſtia.* 352.
ART. 2. *Qualis debeat eſſe materia conſecrationis calicis.* 356.
ART. 3. *An aqua mixta vino immediatè conuertatur in ſanguinem.* 358.
ART. 4. *An materia conſecranda debeat eſſe præſens miniſtro ſub certa quantitate,* pag. 363.
ART. 5. *An quælibet paruitas materiæ poſſit validè conſecrari.* 366.
QVÆSTIO III.
De conuerſione panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini. 368.
ART. 1. *An tota ſubſtantia panis, & vini conuertatur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti.* 368.
ART. 2. *An per abſolutam potentiam poſſint eſſe ſubſtantia panis ſimul cum corpore Chriſti.* 372.
ART. 3. *An deſitio panis, & vini ſit adnihilatio.* 373.
ART. 4. *Quid ſit præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus.* 374.
ART. 5. *An præſentia ſacramentalis pendeat à naturali.* 378.
ART. 6. *Quinam ſit terminus productus per actionem conuerſiuam.* 381.
ART. 7. *An actio conuerſiua panis in corpus Chriſti inducat mutationem in corpore Chri-*

Digitized by Google

Chriſti, & quædam alia quæſtio explicatur. 386.
ART. 8. Vtrum qualibet res poſſit in aliam conuerti. 388.
AR. 9. Quæ prædicata dici poſſint de Chriſto ratione præſentiæ ſacramentalis. 390.
QVÆSTIO IV.
De modo quo Chriſtus eſt ſub ſpeciebus. pag. 391.
ART. 1. An totus Chriſtus cum omnibus ſuis accidentibus ſit in hoc Sacramento 391.
ART. 2. An totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte, & indiuiſibili ſpecierum. 393.
ART. 3. An aliqua forma ſubſtantialis ponatur in Sacramento ex vi verborum. 396.
ART. 4. An quantitas, & aliæ accidentia ſint in hoc Sacramento ex vi verborum, vel per concomitantiam. 400.
ART. 5. An Verbum, diuinitas, & aliæ perſonæ ſint in hoc Sacramento, & quo modo. 402.
ART. 6. An Chriſtus in hoc Sacramento poſſit moueri localiter, & agere, & pati actione corporea. 404.
ART. 7. An anima Chriſti in hoc Sacramento poſſit intelligere, & velle. 407.
ART. 8. An Chriſtus in hoc Sacramento exiſtens poſſit cognoſci ab alijs, & præſertim ab oculo corporeo videri. 407.
ART. 9. Quando, & quomodo Corpus Chriſti deſinat eſſe in hoc Sacramento. 410.
QVÆSTIO V.
De accidentibus Euchariſticis. 412.
RAT. 1. Quomodo accidentia maneant ſine ſubiecto. 412.
ART. 2. Quomodo ſpecies agere, & pati poſſint. 414.
ART. 3. An ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquid generari, & nutriri poſſit. 415.
QVÆSTIO VI.
De forma Sacramenti Euchariſtiæ. 417.
ART. 1. Quæ ſit forma conſecrationis corporis. 417.
ART. 2. Quæ verba ſint neceſſaria ad conſecrationem calicis. 418.
ART. 3. An verba conſecrationis proferantur recitatiuè, vel ſignificatiuè. 422.
ART. 4. Quid ſignificet pronomen Hoc, vel Hic. 424.
ART. 5. An per plures formas conſecrationis poſſit ſimul conſecrari eadem materia. pag. 425.
QVÆSTIO VII.
De effectibus, vſu, & miniſtro Euchariſtiæ pag. 428.
ART. 1. Quinam ſint præcipui effectus Euchariſtiæ. 428.
ART. 2. Quando nam Euchariſtia producat gratiam in anima. 430.
ART. 3. An Euchariſtia cauſet gratiam quã diu perſeuerat in ſtomacho. 431.
ART. 4. An vtraque ſpecies Euchariſtiæ conferat maiorem gratiam. 433.
ART. 5. Quodnam ſit ſubiectum capax huius Sacramenti. 436.
ART. 6. Quando, & quomodo obliget præceptum communionis. 438.
ART. 7. Quæ diſpoſitio requiratur ex parte corporis ad dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ. 441.
ART. 8. Quam diſpoſitionem requirat hoc Sacramentum ex parte animæ. 447.
ART. 9. Quinam ſit miniſter huius Sacramenti. 452.
QVAESTIO VIII.
De Sacroſancto Miſſæ ſacrificio. 453.
ART. 1. Quid ſit ſacrificium in communi acceptum. 453.
ART. 2. An in Miſſa offeratur verum ſacrificium. 455.
ART. 3. In qua Miſſæ actione conſiſtat eſſentialiter vera ratio ſacrificij. 456.
ART. 4. An ex diſpenſatione Papæ poſſit ſacrificium fieri ſub vna ſpecie ſine alia. 461.
ART. 5. A quibus, & pro quibus poſſit offerri Miſſæ ſacrificium. 461.
ART. 6. Quinam ſint effectus huius ſacrificij Miſſæ. 467.
ART. 7. An valor ſacrificij ſit infinitus, vel infinitus, tum intenſiuè, tum extenſiuè. 469.
ART. 8. An ſuperior poſſit contra voluntatem offerentis applicare ſacrificium. 472.
ART. 9. Quo titulo accipi poſſit ſtipendium pro Miſſa. 474.
TRACTATVS IV.
De virtute, & Sacramento Pœnitentiæ. 476.
QVAESTIO I.
De quidditate virtutis Pœnitentiæ. 476.
ART. 1. An Pœnitentia ſit virtus. 477.
ART. 2. An pœnitentia ſit virtus ab alijs diſtincta, & quodnam ſit eius obiectum. pag. 478.
ART. 3. Qualis virtus ſit pœnitentia. 482.
ART. 4. An Pœnitentia ſit neceſſaria ad ſalutem de omnibus peccatis, ſeu de obiecto materiali pœnitentiæ. 484.
ART. 5. An pœnitentia efficaciter deteſtetur peccatum præteritum. 480.
QVAESTIO II.
De contritione, & attritione. 487.
ART. 1. An ſi quis doleat de peccato ex motiuo, quod ſit inferius charitate talis actus ſit ſufficiens ad iuſtificationem. 487.
ART. 2 An contritio neceſſaria ad ſalutem per actum proprium ſufficiat ſi ſit virtualis, & implicitè talis. 490.
ART. 3. An vera contritio debeat deteſtari peccatum ſuper omne aliud malum. 493.
ART. 4. An vnum peccatum ſit alio deteſtabilius. 495.
ART. 5. An vera contritio debeat cadere ſuper omnia peccata diſtinctè recogitata. 496.
ART. 6. An ad veram contritionem requiratur formale propoſitum non peccandi, vel ſufficiat virtuale. 500.

Digitized by Google

ART. 7. *An contritio eſſentialiter ſit dolor, vel deteſtatio. & odium de de peccato commiſſo.* 502.

ART. 8. *An per contritionem omnia peccata remitti poſſint.* 504.

ART. 9. *An per Pænitentiam poſſit remitti vnum peccatum mortale ſine alio.* 506.

ART. 10. *An dum remittitur peccatum mortale, ſemper etiam debeat remitti pæna æterna.* 507.

ART. 11. *An contritio ſit in præcepto, & quomodo obliget,* 509.

ART. 12. *An hoc præceptum obliget ſtatim. pag.* 511.

ART. 13. *Quando nam præceptum contritionis obliget.* 514.

ART. 14. *An contritio eſſentialiter differat ab attritione.* 516.

ART. 15. *An attritio ex timore pęnarum ſit honeſta.* 517.

ART. 16. *An attritio ſit ſufficiens diſpoſitio in Sacramento ad iuſtificationem.* 519.

QVAESTIO III.

De eſſentia Sacramenti Pænitentiæ. 521.

ART. 1. *An detur verum Sacramentum pænitentiæ à Chriſto Domino inſtitutum.*

ART. 2. *Quænam ſunt partes Sacramenti pænitentię.* 522.

ART. 3. *Quænam ſit forma Sacramenti pęnitentię.* 524.

ART. 4. *Quem ſenſum habeant illa verba Abſoluo te.* 527.

ART. 5. *An hoc Sacramentum ſit neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem.* 529.

QVAESTIO IV.

De Confeſſione. 531.

ART. 1. *Quæ peccata ſint materia neceſſaria, vel ſufficiens confeſſionis ſacramentalis. pag.* 531.

ART. 2. *An dum quis facit confeſſionem generalem teneatur diſtinguere peccata aliàs confeſſa, à non confeſſis.* 532.

ART. 3. *An peccata dubia ſint neceſſariò in confeſſione explicanda.* 534.

ART. 4. *An peccatum confeſſum vt dubium ſi poſtea cognoſcatur vt certum, ſit iterum in confeſſione explicandum.* 536.

ART. 5. *Quid ſit confeſſio ſacramentalis, & & quæ eius conditiones.* 538

ART. 6. *An ſint neceſſariò confitendæ circumſtantiæ aggrauantes.* 539.

ART. 7. *An vt ſaluetur integritas confeſſionis ſit explicanda circumſtãtia perſonę complicis mutans ſpeciem, & alia &c.* 542.

ART. 8. *An aliquando ſit obligatio idem peccatum bis confitendi, & confeſſionis repetendæ.* 546.

ART. *An poſſit abſolui infirmus, qui nullum ſignum dedit doloris, nec confeſſionem petijt.* 550.

ART. 10. *An confeſſio in abſentia facta ſit valida.* 551.

ART. 11. *An vnicus dolor de peccatis ſufficiat pro diſtinctis confeſſionibus.* 553.

ART. 12. *An poſſit dari Sacramentum Pænitentiæ validum, ſed informe.* 555.

ART. 13. *An confeſſio ſacramentalis ſit in pręcepto, & quando, & quomodo obliget. pag.* 558.

QVAESTIO V.

De Satisfactione. 562.

ART. 1. *An ſatisfactio cauſet gratiam ex opere operato.* ibid.

ART. 2. *An pænitens teneatur acceptare ſatisfactionem.* 565.

ART. 4. *An ſatisfactio ſacramentalis poſſit commutari.* 567.

QVAESTIO VI.

De miniſtro Sacramenti Pænitentiæ. 569.

ART. 1. *An omnis Sacerdos in articulo mortis ſit Miniſter huius Sacramenti.* 570.

ART. 3. *An quilibet Sacerdos vi ordinationis habeat integram poteſtatem abſoluendi à venialibus, & mortalibus iam confeſſis.* 572.

ART. 3. *In quo explicantur varij caſus de miniſtro Sacramenti Pęnitentiæ.* 574.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Tertio Tomo comprehenduntur.

Prior numerus indicat paginam, ſecundus notas marginales deſignat.

A

Accidens.

Accidens in Euchariſtia exiſtit per ſe negatiuè non poſitiuè, 123.29.

Duo accidentia ſolo numero diuerſa poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, 180.7.

Accidentia omnia remanent in Sacramento, 212. 1.

Accidentia Euchariſtica omnem illam actionem, quam habent in proprio ſubiecto habent etiam extra illud, 414. 2. Etiam actiones reales aſſimilatiuas habere poſſunt, ibid. 3. Et diſponere poſſunt ad formam ſubſtantialem, ibi.4. verè nutriunt, & ex ipſis generantur alia, 415.ar.3. per tot.

Actio, Actus.

Per veram actionem producitur complexum hypoſtaticum, & actio eſt complexum non modus, 103.1. Actiones reparatiuæ in Euriſtia, à quo proueniant, 414.5.

Actus amoris, & contritionis reddunt Deo, quantùm ablatum fuit phyſicè per peccatum, non ſecundùm humanam exiſtimationem, 19. 18. Neque compenſant damnum intentatum Deo, 20.21. Huiuſmodi actus non ſunt formæ ſanctificantes, 22.5.

Actus meritorius qualis debeat eſſe, ibid.

Actus contritionis quomodo tollat peccatum, 24. 14.

Vnus actus quomodo non poſſit eſſe premium alterius actus, 40.19.

In actibus intellectus, & voluntatis Dei dãtur quadam ſigna rationis ſecũdum prius, & poſterius, 63.3.

Actus, qui licet non ſint peccata, nihilominus apud ſapientes cenſentur imperfecti, Chriſtus non potuit illos efficere; potuit tamen efficere actus minus perfectos, 181.11.12. 13. vide contritio, attritio, & amor.

Adam.

Si Adam non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet, 59.3.

Adam habuit gratiam dependenter à Chriſto Redemptore, 68.17.

Si Adam non peccaſſet quid facturus eſſet Deus, neſcimus, 70. 22. vide Chriſtus, Decretum, peccatum.

Adoratio.

Adoratio quid ſit, quos actus requirat, & in quo conſiſtat, 188. 1. 2. Alia eſt abſoluta, alia reſpectiua, & vtraq; diuiditur in latriam, duliam, & hyperduliam, & quid ſint, ibid.3.

Ad veram adorationem ſufficit actus internus, ibi 4.

Eadem adoratione adoratur humanitas Verbo vnita, qua Diuinitas, 187.7.8.

Adoratio, qua Angelus adorauit Verbum ante incarnationem, eſt alia ab illa, qua adorauit Chriſtum, ibi 9.10.

Caro Chriſti adoratur propter diuinitatem vnitam, 190.11.

Adoratio humanitatis Chriſti eſt abſoluta nõ reſpectiua, ibi 13.

Reſpectus adorationis ad diuinitatẽ eſt perfectior, quam ſit reſpectus adorationis ad humanitatem vnitam, ibi 3.

Ad veram adorationem requiritur etiam actus intellectus dictans, eſſe honeſtum ſe ſubmittere tali excellentiæ, 191.4.

Adorationis reſpectus, licèt ſint inæquales; omnes tamen ſunt latriæ, ibi 5.6.

Adoratio latriæ debetur Deo per eſſentiam, humanitati per vnionem, ibi 7.

Carnifices picti cum Chriſto cur non adorentur, 192. 8.

Humanitas apprehenſa non vt vnita Verbo, ſed vt habens cetera dona ſupernaturalia poteſt adorari hyperdulia, 193. 3.4.5. & ſeq.

Adoratio hyperduliæ quomodo humanitati Chriſti conueniat, & explicanda Concilia in contrarium, 194.8.9.

Adorandæ ſunt imagines Chriſti, & Sanctorum, 195. 1.

Adoratio imaginum cur non ſit idololatria, ibi. 2.

Imagines non ſunt tantùm conditiones adorandi prototypum, ſed eis debetur vera adoratio, 196.4.5.

Adorantur imagines, quia vno, & eodem actu adorantur cum prototypo, ibi 7. & ſeq. ar.4. per totum.

Adoratio eſt pars poteſtatiua iuſtitiæ, 198. 12.

Adoratione latriæ Crux Chriſti adoratur, ſed reſpectiua, & Crux vera duplici titulo adoratur, 199. 2.3.

Adoratur B.V. hyperdulia, ceteri Sancti adorantur dulia, ibi 4.5.

Adorantur imagines B.V. hyperdulia reſpectiua,

Digitized by Google

ctiua, Sanctorum verò dulia reſpectiua, ibi.6.
Adorantur etiam reliquiæ, & quo cultu, ibi. 7.

Adultus.

Adulti non indigebant remedio originalis, vt iuſtificarentur, ſed debebant iuſtificari proteſtando veram fidem, 245.23.
Adultorum fides, vt iuſtificarentur debebat eſſe formata, 246.8.
Adulti vt recipiant Sacramenta mortuorum, ſi mortalia habent, debent ſaltem habere attritionem, 275.6.7.ar.8.per totum.
Vt recipiant Sacramenta viuorum ſufficit ſtatus gratiæ, veniale non eſt obex; licèt poſſit impedire ſacramentalem, 276.12.
Adulto cum mortali cognito numquam licèt accedere ad Sacramēta viuorum, 279.18. excipitur vnus caſus, ibid.
Adultus vt recipiat per Sacramēta gratiam, ſi eſt in peccato, debet ſaltem conteri; pro Euchariſtia verò requiritur etiam confeſſio, 279.14. vide Sacramentum, Gratia.

Amans, Amor.

Amantem non redamare peruerſum eſt, 490.4.
Actus amoris Dei ſuper omnia eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationom extra Sacramentum, 499.3.5. eſt perfectiſsima conuerſio in Deum, ibid.4.
Amor Dei ſuper omnia odio habet omnia peccata præſentia, præterita, & futura, 492.10.
Actum amoris Dei ſine formali deteſtatione peccati poteſt elicere, qui non aduertit, vel ignorat ſe peccaſſe, ibid.12.
Actus amoris in eo, qui habet conſcientiam mortalis cur non poſſit iuſtificare ſine pænitentia, ibi.13.
Actus efficax amoris Dei in habente peccatum non poteſt eſſe ſine odio, & deteſtatione peccati, ibid.14.
Poſſumus tamen amare Deum ſine pænitentia ſi peccata ſint remiſſa, 493.15. vide actus, contritio.

Angelus.

Angelus potuit cognoſcere poſſibilitatē vnionis naturæ humanæ cum perſona diuina, 3.4. clarè cognouit ſubſiſtentiam reſpectu naturæ humanæ nullam exercere cauſalitatē, ibid. & etiam cognouit poſſe naturam ſpoliari propria ſubſiſtentia, ibid.7.
Angelus poteſt cognoſcere priuationem inductam actione ſupernaturali, 4.9.
Angelus licet potuerit cognoſcere poſsibilitatem incarnationis, non tamen potuit cognoſcere alios effectus ſupernaturales, & & cur, 4.11.
Cognoſcit Deum eſſe actum puriſſimum, & poſſe ſupplere ſubſiſtentiam creatam, 5.13.
Angelus poteſt ſe communicare per ſocietatem politicam, non per vnionem hypoſtaticam, 9.8.
Angelus potuit ſe in primo inſtanti diſponere ad gratiam, non humanitas Chriſti, 77.16.
Angelus ſi aſſumeret naturam humanam, ſi poſſet eamdem regere, nè peccet, teneretur, 170.16.
Angelus dum occupat maius ſpatium fit præſens per extenſionem quandam in actu ſecundo, 383.9.
Angeli, & animæ ſeparatæ poſſunt proferre verba ſignificatiua, et conficere Sacramenta, 304.7.

Anima.

Anima Chriſti non fuit facta omnipotens, 163.
Anima rationalis non ponitur in Sacramento ex vi verborum, 397.3.
Anima vt dat eſſe ſpecificum non diſtinguitur virtualiter à ſe ipſa, vt dat eſſe corporeum, ibid.6. vide Angelus, Forma.

Appetitus.

Appetitus alius naturalis, alius elicitus, & quid ſint, 106.2.
Humanitas vnita Verbo non habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam in actu ſecundo, 107.5.
Si daretur huiuſmodi appetitus, humanitas eſſet violenter in Verbo, ibid.6.7.
Appetitus in actu primo, & conditionatus datur in humanitate, 108.8.
Appetitus obedientialis per ſe primò ſaciatur per vnionem ad Verbum, ſecundariò naturalis, ibid.9.
Appetitus ſenſitiuus fuit in Chriſto, 164.6.

Aqua.

Aqua poteſt conuerti in vinum moraliter, vel phyſicè, 358.3.
Vt aqua conuertatur in ſanguinem non eſt neceſſe, vt phyſicè prius vertatur in vinum, ſed ſufficit ſi vertatur moraliter, ibi.4. & ar.3. per totum.
Si aqua verteretur phyſicè in vinum, hoc deberet habere eaſdem vires, ac antea, ibid.5.
Aqua ex vino multis experientijs extrahitur, 359.7.8.
Aqua, quod non poſſit verti in vinum rationibus non demonſtratur, ibid.9. immediatè mixta vino vertitur in ſanguinem, 360.10. & ſeq.
Aquam vino miſcuit Chriſtus in conſecratione, ibi.14. modica aqua mixta vino moraliter eſt vinum, 361.16. & 18.
Si aqua phyſicè conuerteretur in vinum totum illud non eſſet de genimine vitis, ibid.17.
Aqua ſi miſceretur vino poſt inchoata verba con-

Digitized by Google

conſecrationis, non verteretur in ſanguinem. 363.24.

Attritio.

Attritionis diuiſio à Trid. facta eſt adæquata, 516. 6.
Ad attritionem non requiritur ſemper metus pœnæ æternæ, ſed ſufficit temporalis, vt à Deo immiſſæ, 517. 8.9.
Attritio ex metu gehennæ eſt bona, & honeſta, 517. ar.15.
Attritio ſupernaturalis eſt ſufficiens ad iuſtificationem cum Sacramento, 519.2. etiã ſi ſit ob turpitudinem, 520.9.
Qualis debeat eſſe attritio, 521. 10. vide Contritio, Baptiſmus.

B.

Baptiſmus.

BAptiſmus recedente fictione reuiuiſcit, 281.4.
Baptiſmus dum reuiuiſcit remittit reatum non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ, ibid.7.
Peccata ante baptiſmum commiſſa non poſſunt remitti, niſi per ipſum in re, vel in voto, 282.8.
Actus contritionis elicitus ante baptiſmum includit ipſum in voto, ibid.9.
Baptiſmus dum reuiuiſcit moraliter cauſat gratiam, ibid. 10. & 11. Ipſe baptiſmus eſt, qui reuiuiſcit, ibid.12.
Baptiſmus validè ſuſceptus non poteſt amplius iterari in re, vel in voto, 283.4.
Vt baptiſmus reuiuiſcat, ſi quis non peccauit in eo recipiendo, ſufficit attritio, 284. 3.
Imò ſi adultus non peccauit ante mortaliter ſufficiunt ſpes, & fides, 285.4.
Si quis recipiendo baptiſmum peccauit mortaliter, vel poſt, vt reuiuiſcat requiritur contritio, vel attritio cum confeſſione Sacramentali, ibid.5.
Peccatum ſacrilegæ fictionis eſt ſubſequens baptiſmum, ibid.6.
Per baptiſmum non remittuntur peccata hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ, 286.7.
Baptiſmus reuiuiſcens per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, ſimul, & ſemel remittit peccata, ibid.8.
Baptiſmus, & pœnitentia tunc, an ſint cauſæ totales, vel partiales, ibi.9.
Peccatum, quod committitur in receptione baptiſmi debet explicari in confeſſione, ibid.10.
Vt non obſeruetur præceptum recipiendi baptiſmum, & pœnitentiam ſola impotentia excuſat, 322.7.
Præceptum recipiendi baptiſmum, & pœnitentiam in articulo mortis eſt diuinum, ibid.
Qui baptiſmum ſuſcipit, ſubit obligationem obſeruantiæ legis, 330.5.
Infidelis, ſi habeat actum attritionis, & poſtea amittat vſum rationis, nec dum poteſt baptizari, & cur, 331.15.

Beatus.

Beati amant Deum neceſſariò, in ceteris verò non ſemper appetunt meliora, 14.14.
Poſſunt etiam eſſe neceſſitati ad volendum illud, quod magis placet Deo, ibi.
Beati cur non ſint Prophetæ, 146.18.
Beatus potius deberet eligere carere beatitudine, quam peccare, 4/5.18.

Bonum.

Nullum bonum creatum neceſſitat volnutatatem noſtram, ſed ſemper poteſt ſuſpendere actum, 13.13.

C

Cauſa.

CAuſa principalis creata vnionis non datur, ſed eſt ſolus Deus, 72.2.
De potentia abſoluta potuit B. V. aut alia creatura eſſe cauſa inſtrumentalis vnionis, 73.4.
Vt cauſa vniat vnum extremum alteri, non debet vtrumq; in ſe continere, ibidem 5. De facto tamen nulla creatura fuit cauſa inſtrumentalis vnionis, ibid.7.
Cauſa ſecunda, ſi eſſet inſtrumentum vnionis non produceret Verbum, ſed complexum, 74. 9.
Cauſa gratiæ alia phyſica, alia moralis, 206. 3.

Character.

Character quid ſit, & quæ Sacramenta characterem imprimant, 289.1.3.& ſeq. Cur tria Sacramenta tantùm imprimant characterem, 290.7.
Characteres ordinis ſunt plures ordinati ad Sacerdotium, nec vnus ſupponit eſſentialiter alium, character tamẽ baptiſmi ſupponitur ad omnes alios, & Sacerdotis ad Epiſcopatum, ibid.10.
Per Sacramenta antiquæ legis character non imprimebatur, & in noua baptiſmus, confirmatio, & ordo ſolùm imprimunt characterem, 291. 11.12.
Character non eſt ens rationis, aut relatio prædicamentalis, ibidem 2. Sed eſt ſignum ſpirituale impreſſum in anima, 292. 5. Et eſt qualitas ſpiritualis, & ſignum ad placitum Dei, 293.8.
Non eſt modus, ibid.9.& ſeq. Quo ſenſu poſſit dici relatio tranſcendentalis, ibid.13.
Character in qua ſpecie qualitatis ſit, 294. ar.5. per totum.
Character potius reducitur ad potentiam, quam ad aliam ſpeciem; eſt tamen potentia moralis, 295.4.5. Recipitur in anima, vt in ſubiecto, 297.2. & ſeq. Eſt indelebilis, & manet etiam poſt mortem, 298. 8. non eſt intenſibilis, aut remiſſibilis, & eſt ex natura ſua indelebilis, 299.12.13.

Chri-

Chriſtus.

Chriſtus verè ſatisfecit ſufficienter pro originali, & pro peccatis omnium hominum, 30.3.
In quo ſenſu dicamur empti, & redempti à Chriſto, 31.4.5.
*Chriſtus ſatisfecit etiam pro pœnis debitis peccatis hominum.ibi.*6.*& eius ſatisfactio fuit ſuperabundans,ibid.*7.
Quomodo probetur Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſuperabundantem, 33.14.
*Chriſti ſatisfactio non fuit ſuperabundans, quia Verbum aſſumpſerit opera humanitatis,*31.9.
*Neque quia eius opera orirentur etiam à voluntate diuina,*32.10.
*Neque ratione rei ablatæ,ibid.*11. 12.*&* 13.
*Chriſti ſatisfactio quamuis eſſet Deo debita varijs titulis, adhuc fuit ſuperabundans, ibid.*15.
*Chriſti ſatisfactio, vt nobis proſit debet applicari, ibid.*16.
Chriſti ſatisfactio non fuit facta à ſolo homine, ſed ab homine Deo, 34.17. *Creſcit ex duplici capite, ibid.*18.
*Chriſtum peccare implicat,ibid.*20.
Cur verè Chriſtus ſatisfecerit ad æqualitatem, 35.21.
An dici poſſit Chriſtum ſatisfeciſſe pro beneficijs, 36.23.
*Chriſti opera fuerunt infiniti valoris,ibid.*3.
Quod Chriſti opera fuerint infinita nõ probatur dicendo peccatum eſſe infinitum,ibidem 4.
*Neque quia fuiſſent ſufficientia ad redimendos infinitos mundos,*37.5.
*Neque quia humanitas erat infinitè ſanctificata, ibid.*7.
*Sed quia proueniebant à dignitate perſonæ, ibid.*9.
Chriſtus ſatisfecit vt Deus homo, 39.15.
Actus Chriſti quomodo eſſent inæquales, ibi. 16. *& eis deberetur præmium infinitum,* 40. 17.
Si duo eſſent Chriſti eſſent conformes in voluntate, ibid. 18.
Chriſti opera plus placuiſſent Deo, quamuis finita, quam diſplicerent omnia peccata, 41.35.
*Chriſtus quomodo nos redemerit à poteſtate diaboli,*42.6. *fuit veluti fideiuſſor,* 44.9.
*Chriſti ſatisfactio debuit eſſe ex iuſtitia propria,& commutatiua,*44.10.11.
Chriſtus ſuſcepit illam obligationem ſatisfaciendi ad quam homines tenebantur ex natura rei, 45.14.
*Habuit peculiare dominium in opera ſua,*48. 10.
Eius ſatisfactio habuit omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ, 53.8.
Etiam Verbo potuit ſatisfacere ex iuſtitia, & quomodo, 54.9.10.
Chriſti opera quomodo eſſent propria Verbi, & non eſſent ſub dominio Dei, 55. 13.14.
Eius ſatisfactio non fundatur in liberalitate creditoris, 56. 15. 16. *De facto non potuit à Deo non acceptari, abſolutè tamen eam potuit non acceptare præſcindendo à pacto,* 57. 2. 3. *Licet Deus potuerit Chriſti ſatisfactionem non acceptare, adhuc tamen fuit perfectiſſima,* 58.7.8.
Chriſtus per decretum efficax non potuit decerni,vt præſcindit ab hac, vel illa perſona,hac,vel illa natura, 61.9.
*Chriſtus reuelatus fuit Angelis, & Adamo, vt eorum Princeps,& caput,*62.10.
Non potuit decerni, vt abſtrahens à paſſibili,& impoſſibili, 64.7.
Fuit primus volitus à Deo in genere cauſæ finalis, & meritoriæ,licèt in genere cauſæ materialis volitus fuerit dependenter à peccato Adæ, 65.9.
Fuit magis dilectus à Deo, quam genus humanum, vt redimendum, 66. 11. *Vt Redemptor non poteſt intendi, niſi præuiſo peccato, ibid.*12. *Vnico ſimpliciſſimo actu volitus fuit à Deo cum meritis,*70.25.
Venit, vt nos redimeret ab omni peccato, 70.2.
*Principaliùs tamen venit in remedium originalis,*71.4. *Et probabilius eſt,quod veniſſet originali ſolo exiſtente, ibidem* 5.6. *Et ſi veniſſet manſiſſet idem decretum quo ad ſubſtantiam,ibid.*7.
*Si non fuiſset originale,incertũ eſt, an Chriſtus veniſset,ibid.*8.
Chriſtus non meruit Incarnationem, 75.5e.
*Prius eſt ſubſiſtere,quam operari, ibid.*7.
*Per opera vnionem ſequentia non potuit mereri vnionem,*79.2.
Nec meruit gratiam Sanctis Patribus per merita futura, ſed per ea, vt exiſtentia, 81. 9.
Probabile eſt Chriſtum meruiſse continuationem, & circumſtantias Incarnationis, 82. 3.*&* 84.10.
Chriſto ea,quę habuit debemus meliori modo, quo poſsumus,concedere, 83.4.
Quomodo Chriſtus potuerit mereri continuationem vnionis, & circumſtantias, 84. 7.
*Chriſtus meruit, vt vnio poneretur in Sacramento Euchariſtiæ,ibid.*8.
*Poteſt dici productus per duas productiones totales,& per vnicam,*92.17.
In Chriſto vnica eſt tantùm perſona diuina, 95. 34.
Chriſtus ſignificat Deum humanitati vnitum, 96. 7.
Poteſt dici perfectior extenſiuè natura diuina,non intenſiuè, 99. 9.
Chriſtus cur ſit verè filius Virginis, 127. 14.
*In ipſo vltra gratiam habitualem etiam fuerunt auxilia actualia,*143.3.
Fuerunt etiam omnes virtutes ſtatui beati-

Digitized by Google

ſico non repugnantes, ibidem 4.5.

Chriſtus cur ſcientiam acquiſierit non virtutes, 144.5.6.

Fides in quo ſenſu fuerit in ipſo, ibid.7.

Fuerunt etiam in illo actus naturales, 145. 10.

An pœnitentia in ipſo fuerit, ibid.12. & ſeq.

Fuerunt etiam omnia dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ, 145.16.& ſeq.

Eſt caput triumphantis, & militatis Eccleſiæ, non membrum, 146.1.2.

Eſt etiam caput omnium hominum, non creaturarum irrationalium, ibid.3.

Poteſt dici caput infidelium, et hæreticorum, ibid. 4.

Fuit caput Adami in ſtatu innocentiæ, & omnium Angelorum, 147.5.& ſeq.

Gratia capitis in Chriſto quid ſit, ibid.9.

Quomodo profecerit ætate, & ſapientia, 162. 10. Et confortatus ab Angelo, 163.10.

In Chriſto fuit liberum arbitrium, non fuit tamen, nec potuit eſſe peccatum, 167.1.2. & ſeq.

Si potuiſſet peccare, etiam Verbum peccare potuiſſet, 168.7.& ſeq.

Chriſtus totus eſt in hoc Sacramento, & ſub ſingulis ſpeciebus eius, 392. 4. Quomodo hoc probetur, ibid.5.

Totus Chriſtus continetur ſub quauis parte hoſtiæ minima non tantùm ſeparata, ſed etiam coniuncta, 394.3.4.5.

Eius præſentiæ in Sacramento ſunt ſincategorematicè infinitæ, ibid.16.

Poſſunt dici infinitæ proportionales, ſed non diſcretæ, ibid.7.

Etiam continetur totus Chriſtus ſub quolibet puncto ſiue continuatiuo, ſiue terminatiuo, 395.9.10.11.

Non eſt tamen ſub punctis, quæ reſultant poſt conſecrationem, 396.14.

Chriſtus in Sacramento exiſtens non poteſt actus intellectionis à phantaſmate dependentes elicere, licèt etiam contrarium ſit probabile, 407. ar.7.per totum.

Poteſt vt eſt in Sacramento loqui cum Angelis, ibid. 7. Vide Corpus, Incarnatio, Sacramentum, Euchariſtia.

Circumciſio.

Circumciſio erat verum Sacramentum: Ad quem finem daretur: Per illam dabatur gratia, 248.ar.1. per totum.

Per ipſam tollebatur originale in paruulis, ibid. 6.

Non erat tamen cauſa gratiæ, ſed tantùm conditio, 249. 8.10. 11. Cur non daretur fœminis, 256.14.

Circumſtantia.

Per circumſtantias myſterij Incarnationis quid intelligatur, 82. 1.

Circumſtantias meruit Chriſtus, 82.3.& 84. 10.

Circumſtantiæ Incarnationis quamuis fuerint prædefinitæ, potuerunt cadere ſub merito, 84.11.12.

Circumſtantiæ aliæ ſunt mutantes ſpeciem, aliæ aggrauantes, & quænam ſint, 539.2.

Circumſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione, ibid.4.

Circumſtantiæ aggrauantes in intenſione eſt impoſſibile, quod poſſint explicari, 570.7.

Nec eſt neceſſe, quod explicetur hæc circumſtantia, quando eſt cum vehementia affectus, ibid. 8.

Circumſtantia durationis facit diuerſa numero peccata, 541.11.

Quomodo Eccleſia poſſit ſibi reſeruare peccata cum circumſtantijs aggrauantibus, ibid. 13.

Circumſtantia complicis mutans ſpeciem eſt neceſſariò explicanda, 543.9.

Ex confeſſione circumſtantiæ complicis ſequitur vtilitas in pœnitente, ibidem 10. & 11.

Ex eius confeſſione non directè infamatur complex, 544.12.

Communicatio idiomatum.

Communicatio idiomatum quid ſit, 200.art. 6. per totum. Variæ regulæ ſeruandæ in loquendo ratione communicationis idiomatum, ibid.

Complexum.

Complexum vnionis eſt ſubſtantiale, inadæquatè finitum, inadæquatè infinitum, 103, 19.

Vnio naturæ humanæ cum Verbo non eſt modus. ſed complexum, 100.6.

Complexum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti cauſat gratiam, 339.12.

Concretum.

Concreta ſubſtantialia non ſemper includunt in ſuo ſignificato ſubſiſtentiam, 404.10.

Quænam ſint concreta ſubſtantialia, quæ includunt ſubſiſtentiam in ſuo ſignificato, ibidem.

Conditio.

Conditio de præſenti, vel de præterito non obſtat valori Sacramentorum, 314.5.

Qualis debeat eſſe conditio, quæ in Sacramentis apponitur, ibid.

Conditio de futuro cur non ſit valida, ibid.

Cur poſſit dari abſolutio ab excommunicatione ſub conditione de futuro, non autem à peccatis, ibid.7.

Conditio, quæ verificetur de præſenti, licèt ſit de obiecto futuro, poteſt eſſe valida, ibid. 8. 9.

Conditio, quæ apponitur in matrimonio, ſi alter conſenſerit, eſt neceſſaria in omnibus contractibus, 315.10.

Confeſſarius.

Quis cenſeatur non habere copiam Confeſſarij, & varij caſus deducti, 488.4.5.

An ſi Confeſſarius ſit abſens duo, vel tria milliaria quis dici poſſit non habere copiam Confeſſarij, ibid 6.

Digitized by Google

Si Confeſſarius non habeat ſacultatem abſoluendi à reſeruatis, & quis habeat reſeruata poteſt dimidiare confeſſionem, 448. 4

Et etiam probabile eſt teneri pœnitentem dimidiatam confeſſionem ſacere, 449. 10.

Confeſſarius in tali caſu abſoluit à reſeruatis indirectè, ibid. 11. 12. vide Confeſſio.

Confeſſarius ignarus non ſe habet, vt dormiens, 547. 8.

Confeſſarius ignarus peccat ſe exponendo ad confeſſiones, ibid, 9.

Vt Confeſſarius poſſit abſoluere ſufficit ſi recordetur in confuſo peccatorum, 549.

Confeſſio.

Si quis haberet ſola venialia, & reſeruatum teneretur confiteri venialia non habenti auctoritatem abſoluendi à reſeruato, 449. 13.

Probabilius tamen eſt teneri pœnitentem integrè omnia confiteri, ibid. 14.

Quid ſi aliquis ſit excommunicatus, et non adſit habens auctoritatem abſoluendi, ibidem 15.

Si in confeſſione quis oblitus eſt peccati, & illius recordatur ante communionem, debet illud confiteri, 450. 16. 17.

Confeſſionis materia proxima, & remota quæ ſit, 531. 1.

Peccata ante baptiſmum commiſſa non ſunt materia confeſſionis, 532. 2.

Sic verò commiſſa in receptione baptiſmi, & poſt baptiſmum, ibid. 34.

Mortalia ſunt materia neceſſaria, venialia, & mortalia alias confeſſa ſufficiens, ibid. 4. & ſeq.

Dum ſit confeſſio generalis non eſt neceſſe diſtinguere peccata alìàs confeſſa à non confeſſis, 533. 3.

Si tamen Confeſſarius interroget probabile eſt teneri explicare, licèt poſſit non directè reſpondere. 533. 8.

In confeſſione generali poteſt pœnitens retinere peccata alìàs ritè confſſa, 534. 11.

Peccatum dubium eſt neceſſario vt tale in confeſſione explicandum, 534. 3.

Eſſe confitendum eſt moraliter certum, ibidem 5.

Praxis confitendi peccata dubia ortum habet ab Apoſtolis, 535. 6.

Opinio contraria non eſt probabilis, ibid. 9.

Si quis ſit certus peccatum commiſiſſe, dubius verò, an illud confeſſus fuerit, tenetur illud confiteri, ibid. 10.

Cur peccata dubia teneamur confiteri, non verò ſemper teneamur adire ſuperiorem, ſi caſus ſint in dubio reſeruati, ibid. 11.

Peccata dubia debent neceſſariò explicari vt dubia cum numero, & circumſtantijs mutantibus ſpeciem, 536. 12.

Peccatum confeſſum vt dubium, ſi deprehendatur vt certum, probabile eſt non eſſe iterum in confeſſione explicandum, ibid. 3.

Peccatum confeſſum vt dubium fuit directè abſolutum, ibid, 3. & 4.

Vt quis abſoluatur debet cõfiteri peccatum, vt eſt in conſcientia, 537. 5.

Peccatum vt poſſibile non eſt materia confeſſionis ibid. 7. ſi quis oblitus ſit confiteri circumſtantiam mutantem ſpeciem, debet poſtea illam confiteri, non dubium iam confeſſum, dum cognoſcitur certum ibi 8. In praxi tamen contraria eſt tenenda ibi 10. ſi quis confeſſus eſt certò aliquod peccatum, de quo dubitat an ſi mortale, vel veniale, ſi poſtea cognoſcat eſſe mortale, non tenetur amplius illud confiteri ibi 11. ſi fiat confeſſio omnium peccatorum cum circumſtantijs mutantibus ſpeciem, & numerum Confeſſario ignaro, erit verè abſolutus 538. 12. quãtus numerus intelligatur, dum quis confitetur ſe decies plus minuſuè peccaſſe. ibi 13.

Confeſſio quomodo deſcribatur ibi 2. quæ ſint conditiones bonæ confeſſionis ibi 3.

Varij caſus, in quibus confeſſio eſt bona licèt non ſit integra materialiter 542. 3. 4. & ſeq. quæ peccata ſint confitenda, dum ſit confesſio non integra materialiter ibi. 4.

Differentiæ inter iudicium confesſionis, & publicum 544. 13. Ex inſtitutione Chriſti confesſio debet eſſe omnium peccatorum mortalium, & circumſtantiarum mutantium ſpeciem 545. 15. Si confesſio non poteſt fieri integra niſi manifeſtetur complex, debet manifeſtari ibi 16. cur complex poſſit manifeſtari in confesſione ibi 17. diminutio famæ apud confeſſarium eſt connexa cum confesſione ibi 18 abſurda, quæ ſequuntur ex opinione contraria ibi 19.

Complex peccati venialis, vel mortalis alias confesſi in confesſione non poteſt explicari 546. 21. etiam perſona non complex poteſt aliquando in confesſione manifeſtari ibi. 22. excipitur caſus ibi. In quibus caſibus repetenda ſit confesſio ibi 2. 3. 4.

Si quis confiteatur confeſſario omnino ignaro repetenda eſt confesſio 547. & hoc abſolutè eſt verum ſi pænitens ex induſtria quærit hunc confeſſarium ibi. 6. niſi pænitens ſuppleat defectum confeſſarij ibidem: ſi tamen pænitens bona fide acceſſit confeſſio eſt valida ibi 7. ſi quis oblitus ſit circumſtantiæ mutantis ſpeciem, vel numeri debet & ſpeciem, & numerum iterum confiteri 548. 10.

Si quis aduertat confeſſerium dormire dum facit confesſionem, quid agere debeat ibi. 11. 12. 13. ſi facta fuit confesſio ſemel inualida, & poſtea plures fuerunt facta validè, ſufficit repetere inualidam ibi 14. ſi quis in confesſione oblitus eſt circumſtantiæ mutantis ſpeciem, ſi non poteſt illam explicare, niſi repetendo peccatum, debet illud in confeſſione repetere 549. 19. ſi moribundus non petijt confesſionem, nec dedit ſignum non poteſt abſolui 550, ar. 9. probabilitate tamen

non ca-

Digitized by Google

non caret contraria ibi 8. Poſt factam confeſſionem generalem, ſi quis de repente corruat, non eſt abſolutè abſoluendus 551.9. ſi quis tamen non petijt abſolutionem, ſed dedit ſigna doloris eſt obſoluendus ibi 10. Confeſſio per litteras, vel per nuncium abſenti facta non eſt valida ibi 1. ſi confeſſio fiat per litteras, vel nuncium abſenti, poteſt poſtea abſolui à confeſſario præſente, ſi ratificet confeſſionem 552.5. ſi tamen moribundus in abſentia petijt confeſſionem, poteſt à confeſſario præſente abſolui ibi 8. & 9. in hoc caſu vt abſoluantur moribundi ſufficit teſtis de auditu 553. 12. & ſufficit, quod hoc teſtimonium innoteſcat confeſſario ibi 13. Nec requiritur quod teſtis ſit catholicus ibi 12. & habita hac notitia tenetur confeſſarius abſoluere pœnitentem ibi 14. & abſolutio debet dari abſolutè ibi 15. Ad veram confeſſionem fructuoſam requiritur dolor ſopernaturalis 553.1. nec ſufficit vnicus dolor pro duplici confeſſione 554. 4. Confeſſio ſine dolore non eſt valida 555. 4. neque ſi ſit ſine ſufficiente examine ibi 5. neque ſi ſit dolor tantùm naturalis 556 7. Probabile eſt poſſe dari confeſſionem informem, & validam ibi 9. & ſeq. at probabilius eſt contrarium 557.14. annua confeſſio eſt ex præcepto Eccleſię modificantis diuinum 559 12. confeſſio, quę ſatisfaciat præcepto Eccleſię, debet eſſe valida. Vide Confeſſarius, Pręceptum, Sacramentum.

Conſecratio.

Panis triticeus, & vinum de vite eſt materia conſecrationis 352.2.

Conſecratio ſiue in azimo, ſiue in fermentato eſt valida 354. 16.

Materia conſecrationis debet eſſe determinata 364. 9.

Non poteſt ſacerdos conſecrare punctum, aut ſolam ſuperficiem, nec medietatē hoſtiæ cum puncto continuante 396. 12. 13. Vide Euchariſtia, materia &c.

Contritio.

Contritio, vt ſit diſpoſitio ad iuſtificationem debet oriri ex charitate 488.3. & ſeq.

Contritio perfecta eſt ſemper charitate formata 489. 8. vt eſt deteſtatio mali alicuius, eſt formaliter amor illius ibi 9. Eſt neceſſaria ad iuſtificationem per actum proprium 490. 1. ſine contritione, ſi quis memor ſit peccati non poteſt iuſtificari 491. 6. Votum contritionis ad ſalutem non ſufficit, & cur ibi. 7. actus amoris Dei ſuper omnia non eſt votum contritionis ibi 8. Vt ſit vera contritio non debet eſſe ſumma intenſiuè, neque habere aliquem gradum intenſionis 493. 4. & 6. imo ſumma intenſio eſt moraliter impoſſibilis 494. 5. debet eſſe ſumma appretiatiuè ibi 7. & debet eſſe ſuper omne malum, & quomodo ibi 9. & ſeq. vt habeatur vera contritio quid requiratur 496. 1. vera contritio eſt de omnibus peccatis 497. 2. ſufficit ſi ſit de omnibus in generali ibi 4. & ſeq. eſt etiam ſufficiens, & vera contritio, ſi quis doleat de vno peccato quatenus eſt offenſa, Dei ſuper omnia dilecti ibi 7. & ſeq. Eadem contritio eſt ſufficiens pro omnibus peccatis 499.16.

Ad veram contritionem requiritur propoſitum non peccandi ſaltem virtuale, & quomodo explicetur hoc virtuale propoſitum 500.1. Vera tamen ordinariè habet annexum propoſitum formale ibi 3. etiam in articulo mortis requiritur propoſitum non peccandi ibi 5. poteſt tamen eſſe vera contritio ſine formali propoſito 501. 6. & ſeq. eſt eſſentialiter dolor, & deteſtatio peccati 502. 2. Ex vi nominis quid ſignificet ibi 3. eſt deſtructiua peccati ibi 4. in Beatis deteſtatio peccati non eſt contritio, & cur 503.5.

Nullum eſt peccatum, quod per contritionem non poſſit deleri 504. 3. quomodo differat ab attritione 516. 1.2.3. Contritio perfecta eſſentialiter differt ab attritione ibi 4. Attritio numquam poteſt fieri contritio, ex attritio tamen quis poteſt fiieri contritus, & quomodo ibi 5. vide actus, amor, pœnitentia.

Conueniens.

Conueniens fuit potius Verbum Incarnari, quam Pater, aut Spiritus Sanctus 8.2.

Fuit magis conueniens, quod aſſumeretur natura humana, quam Angelica. 8. 3.5.

Incarnatio fuit conuenienter peracta tali tempore ibi 6. & in tempore, quo B. V. erat in mundo 9. 7. etiam reſpectu Angelorum fuit conuenienter peracta. ibi 11.

Conuerſio.

Conuerſio quid ſit, & quotuplex: in conuerſione ſemper interueniunt duæ mutationes 368. 1.2.

Conuerſio Euchariſtica eſt vera tranſubſtantiatio 381. 2. Conuerſionis nomine quid intelligamus ibi 3. Ad veram conuerſionem quot conditiones requirantur ibi 4. Conuerſio tranſubſtantiatiua non poteſt dici creatio 387.5. ex natura conuerſionis panis eſt incompoſſibilis cum corpore Chriſti 388. 10. 11. Qualibet creatura poteſt diuinitus conuerti in aliam 389. 7.

Corpus.

Corpus poteſt eſſe ſine figura, non verò ſine vbicatione, & cur 5. 13. ſi vbitatio eſſet modus, corpus poteſt eſſe nullibi ibi.

Corpus Chriſti quomodo reproducatur de nouo, & ſit idem 386. 21. 22. Per tranſubſtantiationem non mutatur, niſi terminatiuè 387. 2. & 3. licèt ſit glorioſum poteſt de nouo produci in Sacramento ibi 4.

Corpus Chriſti dum deſinit eſſe in Sacramento, cur non dicatur mutari in vermes 389. 10.

Corpus quod ponitur in Sacramento ex vi verborum non eſt ſola materia prima 397 4. Nec includit animam, quatenus dat eſſe corporeum, neque vt connotans formam ibi.5.

Digitized by Google

ibi 5. neque ponitur forma, vt abſtrabit ab anima, & forma cadaueris 398. 7. neque materia cum organizationibus ſubſtantialibus, aut accidentalibus ibi 8. 9. & ſeq. ſed eſt materia cum formis partialibus 399. 13. 17.

Corpus viuentis non conſtituitur per vnicam formam 400. 18. & ſeq. Nomine Corporis humani intelligitur corpus cum carne, oſſibus tali figura &c. 401. 24.

Corpus, quod ex vi verborum ponitur in Sacramento non dicit corpus vnitum Verbo. 403. 7. 8.

Corpus Chriſti in Sacramento poteſt moueri ad motum ſpecierum, nec retinet ſuam grauitatem, & cur 404. 1 Non poteſt tamen ſe mouere motu progreſſiuo 405. 5. poteſt tamen ab anima moueri motu delatiuo ibi 6. & etiam ab Angelo ſine ſpeciebus ibi 7. Non poteſt tamen à corporibus aliquid recipere, aut alterari 406. 14.

Corpus redactum ad indiuiſibile ſi proijceretur in fornacem non comburreretur ibi 15.

Corpus Chriſti in hoc Sacramento non poteſt vllam actionem corpoream exercere ibi 17. Nec poteſt naturaliter videri ab oculo corporeo 407. 1. poteſt tamen cognoſci à beatis per ſcientiam infuſam 408. & diuinitus videri ab oculo corporeo ibi 4. & ſeq poſſet etiam videri, licèt non poſſet videri modus ibi 7. Non deſinit eſſe in Sacramento, niſi debeat ſuccedere alia ſubſtantia ſpecie diuerſa 410. 3. & deſinit, quia amittit illud eſſe ſubſtantiale ſacramentale, quod habebat 411. 7. & ſeq.

An deſinat Corpus Chriſti in Euchariſtia per apparitiones miraculoſas ibi 10.

Corpus Chriſti quamdiù duret in ſtomacho ibi 12. vide Chriſtus, Euchariſtia, Sacramentum.

Creatura.

Nulla creatura quanis gratia ornata poteſt pro ſuo mortali condignè ſatisfacere 14. 4. Etiamſi eſſet conſtituta caput humani generis, vel vt Chriſti membrum, vel vt coniuncta cum ſatisfactione Chriſti 30. 15. & ſeq.

Pro veniali viribus naturæ nulla creatura poteſt ſatisfacere, poteſt tamen iuſtus ex gratia condignè ſatisfacere 27. 2. 3. Vide peccatum pœnitens, ſatisfactio.

D.

Dæmon.

DÆmonia quomodo credant Chriſtum 5. 14. Potuit Incarnatio Dæmoni occultari 6. 15. ex coniecturis tamen poterat ſuſpicari factam eſſe Incarnationem, & poſt tot miracula amplius non dubitabat. ibi.

Decretum.

Decreti Incarnationis ſeries quomodo ordinanda 67. 15. Deus volendo primò Incarnationem in remedium peccati non debet decernere peccatum, ſed ſufficit, ſi velit illud permittere 68. 19. 20. Vnico indiuiſibli decreto Deus voluit Chriſtum cum omnibus rebus; & aliæ res non fuerunt motiuum Incarnationis 69. 21. 22.

Decretum intentiuum, ſi dat aliquando exiſtentiam non diſtinguitur ab executiuo 82. 10. vide Deus. Incarnatio.

Deus.

Deus quomodo delectetur de Incarnatione facta 7. 5. Ab æterno habuit omnia intrinſecè conuenientia, non verò extrinſeca 7. 7. Homo factus quomodo retineat maieſtatem ibi 8. Nec phyſicè, nec moraliter fuit neceſſitatus ad volendum Incarnationem 10. 3. Eſt actus puriſſimus nullo indigens ibi 4. ſi eſſet neceſſitatus ad volendum Incarnationem non eſſet ſibi ſufficiens ibi 5. 6. & 11. 7. Potuit nolle redimere homines ibi 8. Deo concedendum eſt id, quod perfectiſſimum eſt intrinſecè, non extrinſecè 12. 10. In Deo inclinatio ad ſe communicandum per Incarnationem, an ſit finita, vel infinita 13. 12.

In Deo infinita perfectio quomodo probetur. 37. 6.

Deus poteſt eſſe nobis debitor gloriæ promiſſæ ex iuſtitia 46. 3. In Deo debitum mercedis, & coronæ non eſt tantùm fidelitatis 46. 5. 6. ſed etiam iuſtitiæ commutatiuæ 47. 7. hæc enim non repugnat in Deo ibi 9. de facto iuſtitia Dei ad Chriſtum fuit commutatiua ibi 10. & 48. 12. Deus cur poſſit eſſe nobis debitor 49. 14.

Deus ſe obligans ex iuſtitia creaturis non fit ſeruus, ſed in hoc magis elucet eius maieſtas ibi 17. nec magis repugnat, quod Deus obligetur ex fidelitate, quam ex iuſtitia ibi 18. Non ſe obligat Deus, niſi ad dandam gratiam, & gloriam, non ad alia 51. 19. Dando ius creaturis contra ſe, non facit, quod ipſe habeat ius contra ſe ipſum ibi 20. præciſo tamen pacto Deus non tenetur nobis ex iuſtitia ibi 21. vt inter Deum, & nos oriatur iuſtitia, ſufficit ſi promiſſio ſit acceptata ab Eccleſia 52. 22 Non obſtat iuſtitia, quoſ res eo ipſo, quod eſt debeat eſſe ſub dominio Dei ibi 23. neque quod res ſit præcepta ibi 24.

Deus non potuit in primo ſigno decernere Chriſtum propter excellentiam myſterij, & non decernere Chriſtum vt Redemptorem. 61. 8. Nec præuidit prius ordinem naturæ, deinde gratiæ, & tertiò vnionis 64. 4. 5.

Diuinitas magis diligitur à Deo, quam humanitas cum perſonalitate diuina 135. 3. 4.

Deus non poteſt conuerti in creaturam, neque hæc in Deum 388. 2. 3. ſi Deus aſſumeret naturam humanam deſtruendo perſonalitatem, hæc non conuerteretur in Deum ibi 4. Neque partialiter poteſt creatura conuerti in Deum ibi. 5.

Diſpō-

Digitized by Google

Diſpoſitio.

Diſpoſitio ad Sacramentum variat etiam ſignificationem practicam ipſius 280. 10. diſpoſitiones non ſolùm remouent obicem, ſed etiam ſunt conditiones dandi gratiam ibi 11 Quid intelligatur nomine melioris diſpoſitionis ibi. 12.

Quando diſpoſitiones ſunt ſufficientes ſine Sacramento ad gratiam, vltra illam, quæ datur ex opere operato datur alia ex opere operantis ibi 13.

Quæ diſpoſitio requiratur tam ex parte animæ, quam corporis ad recipiendam Euchariſtiam 441. Vide Eccbariſtia, Sacramentum.

Diſtinctio.

Diſtinctio includentis, & incluſi quotuplex ſit, 102.15.

Complexum vnionis eſt inadæquatè diſtinctum à natura, & Verbo, 103.16.

Dominium.

Dominium duorum in ſolidum non repugnat, 47.8.

Dominium perfectiſsimũ Dei quomodo ſtet, licèt poſsit obligari ex iuſtitia creaturis, 50. 16. Vide Deus.

Dubium.

Dubium aliud facti, aliud iuris, & quid ſit, 534.1,

Dubium ſe tenet ex parte cognoſcentis, 536. 4.

E

Effectus.

IDem effectus poteſt eſſe à pluribus cauſis totalibus, 117.7.

Effectus formalis ſubſiſtentiæ quis ſit, 120. 7.

Effectus non poteſt præuideri exiſtens ſine cauſa, poteſt tamen ſine conditione, 208. 12.

Effectus varij, & præcipuè Euchariſtiæ quinam ſint, 428. ar. 1. per totum.

Epiſcopus.

Epiſcopus damnatus in inferno non poteſt conſecrare, nec Sacramentum aliquod adminiſtrare, 304.10.

Epiſcopus conficiens Chriſma, benedicens oleum, aut conſecrans Eccleſiam in mortali non peccat mortaliter, 320. 12.

Error.

Errores Neſtorij, Eutichetis, & aliorum circa myſterium Incarnationis. 92.1.2.

Error Arnaldi de Villanoua in quo conſiſtat, 153. 6.

Errores hæreticorũ circa voluntatem Chriſti, 163.1.

Errores hæreticorum circa Euchariſtiam, 333.2.3.

Errores circa materiam Euchariſtiæ, 352.1.

Errores circa præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, 369.4.

Errores hæreticorum circa Pœnitentiam, 476.

Errrores circa Sacramentum Pœnitentiæ, 521. 1.

Eſſentia, & Exiſtentia.

Eſſentia, & exiſtentia non communicantur à Verbo naturæ humanæ vnita, 120. 8.

Euchariſtia.

Euchariſtia eſt Sacramentum etiam extra ipſius vſum, non alia Sacramenta, 236..3.

Euchariſtiæ nomine quid intelligatur, 333.1.

Eſt verum, & proprium Sacramentum, 334. 4. ar. 1. per totum.

Chriſtus in Euchariſtia non poteſt lædi, nec fœditatibus ſubiacet, 336.14.

Eſt diuerſum Sacramentum ab alijs, & etiam à confirmatione, 337.1.2.3.

Eſt omnium præſtantiſſimum, ibid. 4.

Eſſentialiter, & adæquatè conſiſtit in ſpeciebus conſecratis, & corpore, & ſanguine Chriſti, ibid. 6. & ſeq.

Species conſecratæ non ſunt adæquatè Sacramentum, ſed requiritur etiam Chriſti corpus, 338.7.8.

Sub altera tantùm ſpecie eſt verum Sacramentum, ibid. 9. Eſt adorandum adoratione latriæ, ibid. 10.

In Euchariſtia quid ſit res tantùm, & Sacramentum tantùm, 339. 13..

Corpus Chriſti propriè non dicitur contineri ſub hoc Sacramento, ſed ſub ſpeciebus, ibid. 14.

Vt corpus Chriſti ſit pars Sacramenti Euchariſtiæ, ſufficit ſi ſit ſenſibile per accidens, 341.15.16.

Quomodo corpus Chriſti ſpectet ad eſsentiã Euchariſtiæ, ibid. 17. Eſt inſtrumentum ſeparatum, & quomodo, ibid. 18.

Euchariſtia quid importet in recto, & pro quo ſupponat, ibid. 19.

Verba conſecrationis ſunt pars intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ, 341.3. & ſeq.

Hæc verba reſpectu Euchariſtiæ poſſunt eſſe cauſa efficiens, & forma, 342.7.8.

Forma conſecrationis quomodo permaneat in Euchariſtia, ibid. 9.

Sunt ſignum gratiæ, & facta conſecratione, licèt retractentur, adhuc permanent, 343. 12.

Tranſubſtantiatio nõ eſt pars intrinſeca Euchariſtiæ, 343. 1.2.

Vſus Euchariſtiæ non eſt de eſsentia, ſed tantùm conditio, vt cauſet gratiam, 344.5. & ſeq. Et eſt ſolùm applicatio Sacramenti iam facti ſubiecto, ibid. 8.

Dum datur fidelibus non conficitur, ſed ſupponitur, quod non militat in alijs Sacramentis, 345.9.10.

Euchariſtia eſt cæremonia ſacra practica gratiæ in actu primo, ibid. 2.

Si miraculosè Euchariſtia poneretur in ſtomacho non cauſaret gratiam ex opere operato, 346.16.

Digitized by Google

Euchariſtia materialiter eſt plura, Sacramenta, formaliter eſt vnum ſpecie atoma, ibi. 3. 4. Non vnum genere, 347.5.
Cibus, & potus in Euchariſtia eamdem producunt gratiam, ibid. 6.
Suffeciſſet ſub vna ſpecie in ordine ad ſanctificationem noſtram, non in ordine ad perfectam ſignificationem, ibid. 7.
Tam ſub ſpecie panis, quàm vini eſt ſignum gratiæ cibantis, ibid. 8. Cur vocetur Sacramenta in plurali, ibid. 9.
Vnitas numerica phyſice, & inadæquatè deſumitur à ſpeciebus diſcontinuatis, moraliter à diuerſis ſumptionibus, 348. 12. & ſeq.
Euchariſtia quomodo tribuatur reſurrectio, 351. 19.
Et ſit finis omnium Sacramentorum, ibid. 20.
Paruulis cur non ſit neceſſaria ex vi præcepti, 352. 22.
Panis, & vinum ſunt materia huius Sacramenti, ibid. 2.
Solus panis triticeus, non verò confectus ex alijs granis eſt materia, ibid. 3. 4.
Siligo eſt materia dubia; quid de ſpelta, 353. 5. & 6.
Panis debet eſſe confectus ex aqua naturali, ibid. 7.
Si lac, vel aqua roſacea ponantur in parua quantitate adhuc eſt ſufficiens, ſed illicita ibid. 9.
Si remanet odor olei, vel butiri non eſt panis, ſed placenta, ibid.
Si farinæ triticeæ miſceatur alia hordei, vel mily &c. ſed in modica quantitate, vt adhuc panis ſit triticeus, eſt materia ſufficiens, ſecus ſi è contra, 354. 10.
Paſta, vel laganum non eſt materia apta, ſed debet eſſe panis triticeus igne coctus, ibid. 11. 12.
Mica panis cocti, ſi reducatur in maſſam eſt ſufficiens, ibid. 14.
Panis confectus ex amydo non eſt ſufficiens, ibid. 15.
Eſt valida materia Euchariſtiæ ſiue panis ſit azimus, ſiue fermentatus, ibid. 16.
Græci tenentur conſecrare in fermẽtato, Latini in azimo, ibid. 17.
Non licet Latino, vt audiatur miſſa in die feſto, vel vt communicetur infirmus, conſecrare in fermentato, nec Græco in azimo, ibid. 18.
In proprijs templis Latini ſemper tenentur conſecrare in azimo, Græci in fermentato, 355. 20.
Nec peregrinanti eſt licitum, quamuis probabile ſit contrarium, ibid. 23.
Quo caſu teneatur Græcus conſecrare in azimo, & Latinus in fermentato, ibid. 24.
In Euchariſtia poſt conſecrationem nihil remanet ſubſtantiæ panis, & vini, 369. 6.
Si ſubſtantia panis remaneret Chriſtus non potuiſſet verè dicere, Hoc eſt corpus meũ, ibid. 7.
Ex Trid. quomodo hoc probatur, ibid. 8.
Remanente ſubſtantia panis Chriſtus non dixiſſet verum, 370. 9. 10.
Subſtantia panis non manet hypoſtaticè vnita in Euchariſtia, ibid. 11.
Neque remanet materia, vel forma, vel ſubſiſtentia panis, 371. 12. 13.
Cur Euchariſtia adhuc dicatur panis, ibi. 14.
Poteſt Deus ponere præſens corpus Chriſti remanente ſubſtantia panis, 372. ar. 1. per totum.
Quomodo poſſit poni cum ſubſtantia panis corpus Chriſti, ibid. ar. 4.
Deſitio panis, & vini in Euchariſtia non eſt adnihilatio, 373. 3. Quomodo probetur hoc, ibid. 4. 5.
Deſitio panis tendit in corpus Chriſti, 374. 8.
Euchariſtia conſtituitur per hoc, quod reproducatur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, 385. 18.
In Euchariſtia nõ datur vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus, 386. 19.
Euchariſtia non producit gratiam, niſi manducetur, 430. 1.
Gratiam producit, dum aliquid ſpecierum deglutitum fuit, ibid. 4.
Nec Euchariſtiam recipit, nec gratiam, qui ſpecies ore recipit, & poſtea expuit, 431. 9.
Non producit maiorem gratiam ex opere operato quamdiu remanet in ſtomacho, 432. 3. & ſeq.
Semel tantùm producit gratiam ex opere operato, dum manducatur, ibid. 9.
Præſentia tamen Chriſti in ſtomacho poteſt conferre ad maiorem gratiam ex opere operantis, 433. 10.
Non plus gratiæ confert per duplicem ſpeciem, quam per vnicam tantùm, ibid. 3. & ſeq.
Dum quis ſucceſſiuè plures particulas ſuſcipit non plus gratiæ recipit ex opere operato, 454. 7. Senſus Patrum Trid. circa hoc, 434. 10.
Gratia tota recipitur dum ſumitur ſpecies panis, 435. 13.
Euchariſtiæ non ſunt capaces Angeli, nec animæ ſeparatæ, 436. 1. Nec fructuosè poteſt recipi ab homine ante baptiſmum, ibid. 2.
Infantes, & perpetuò amentes ſunt capaces fructus Euchariſtiæ, ibid. 4.
Cur nihilominus iſtis non detur, ibid. 6.
In articulo mortis an amentibus danda ſit Euchariſtia, ibid. 7.
Datur præceptum diuinum, & Eccleſiaſticum de Euchariſtia, 437. 8. Diuinum obligat in articulo mortis, & aliquoties in vita, ibid. 9. 10. Eccleſiaſticum quando obliget, ibid. 10.

Quid

Digitized by Google

Quid pro Euch. ſumenda intelligatur nomine Paſchatis,438.1.
Licitum eſt pluries in eadem infirmitate cõmunicare ſine ieiunio,445.25.
Quantum ſpacij debeat intercedere inter vnam communionem,& aliam per modum viatici,ibid.26.
Infirmi ſi poſſunt ieiuni Euchariſtiam ſumere, debent ſic ſumere, 446. 27.
Ad ſumendam Euchariſtiam requiritur ſtatus gratiæ, & ſi quis habet mortale debet prius illud confiteri, 447.1.
Præceptum confeſſionis ante Euch, eſt diuinum poſitiuum, ibid. 2.
Sine confeſſione licitum eſt aliquando Euch, ſumere, 448. 2. Vide Ieiunium,Materia, Sacramentum.

Excommunicatus.

Excommunicatus occultus, an poſsit ſepeliri in loco ſacro,446.16.
An in miſſa Sacerdos oret pro excommunicatis occultis, ibid.17.
Poſſunt admitti ad cantandum officium, ibidem 18.
Excommunicatus ſcienter accedens ad Confeſſarium non habentem iuriſdictionem facit confeſsionem irritam; ſecus ſi bona fide accedat, 548.15.

F

Fictio.

Fictio alia eſt contra ſubſtantiam Sacramenti alia ex parte diſpoſitionis,& hæc duplex culpabilis, & inculpabilis, 280.1.
Fictio in recipiente Sacramenta alia poſitiua,alia negatiua,284.1. Vide Baptiſmus, Sacramentum.

Fides.

Fides, qua paruuli iuſtificabantur in lege naturali, erat implicitè Chriſti venturi, 245. 5. 7.
Fides non requiritur ad dandum valorem baptiſmo, 246.10.
Fides diuerſo modo eſt neceſſaria ad ſalutem neceſsitate medij, ac ſit pœnitentia, 492. 11.

Filius.

Filius Dei vt ſubſiſtens in natura humana poteſt dici compoſitus, non ſecundùm ſe, 99. 10.
Facta fuit vera vnio tum animæ,tum corporis cum perſona Filij,ibidem 1.Vide Verbum.

Finis.

Noſtra ſalus fuit finis cui Incarnationis nõ finis cuius gratia, 67.16.
Finis cuius gratia aduentus Chriſti eſt excellentia myſterij,ibid.
Chriſtus vt Redemptor fuit primus volitus in genere cauſæ finalis, 68.18.

Fomes.

Fomes peccati nec fuit, nec potuit eſſe in Chriſto; imò nec in Virgine Matre, & quomodo,174.7. Vide Chriſtus.

Forma.

Forma non poteſt poni in ſubiecto, quin ei conferat ſuum effectum formalem,105.5.
Si daretur forma continens omnes perfectiones formarum, materia habens hanc formam aliam non appeteret, 107.5.
Forma Sacramentorum tunc mutatur eſſentialiter, cum mutatur eſſentialiter ſenſus, 229.6.
Mutatio idiomatis non eſt mutatio eſſentialis formæ, ibid.7.
Neque ſi verba ſint ſynonima, ibid.8.
Si verba non ſint ſynonima, nec ita clarè ſignificent, erit mutatio ſubſtantialis formæ, 230.9.
Si verba ſint æquiuoca, & hic, & nunc determinentur ad verum ſenſum erit mutatio tantùm accidentalis, ibid. 11.
Erit mutatio eſſentialis formæ, ſi verba non ſignificent ex vſu communi, ibid.12.
Si per detractionem mutetur verus ſenſus formæ erit mutatio eſſentialis, ſecus ſi è contra,ibid.13.
Idem dicendum ſi addantur verba formæ, 231.14.
Eodem modo dicendum, quando tranſponuntur verba,vel adeſt interpollatio,16.18.
Mutatio conſtructionis formæ actiuæ in paſsiuam eſt accidentalis,ibid.17.
Mutatio verborum formæ in ſigna, & nutus in matrimonio eſt accidentalis,& alijs Sacramentis eſſentialis, ibid.19.
Formas dari colligimus ex diuerſis accidentibus, 399.14.
Caro, & oſſa differunt per formam ſubſtantialem, ibid.15.
Si Deus auferret omnes formas partiales relicta materia cum anima, tale compoſitum non eſſet homo, 401.23.
Forma, quæ producitur ex accidentibus Euchar. producitur ab agente naturali, 416. 11.12.
Forma conſecrationis corporis ſunt tantùm illa verba, Hoc eſt corpus meum, 417. 3.& ſeq.
Si quis tamen omitteret particulam enim peccaret, 418.10.
Forma conſecrationis calicis, quæ ſit, 419. ar.3. per totum.
Huiuſmodi forma fuit determinata à Chriſto,420.7.
In forma conſecrationis calicis, quæ verba ſint addenda ex præcepto,ibid.8.
Verba,quæ dicuntur ex præcepto propriè non poſſunt dici de ſubſtantia formæ, ibid.9.
Verba formæ conſecrationis proferuntur recitatiuè,& ſignificatiuè, 422.ar.3. per totum.
Ad valorem conſecrationis non eſt neceſſe, quod proferantur recitatiuè, 423.8.
Quid ſignificent pronomina hic, & hoc in for-

Digitized by Google

formis conſecrationis,424.ar.4.per totum.
Quando liceat pluribus formis eamdem hoſtiam conſecrare, 425.1.2.
Si plures formæ in eodem inſtanti abſoluantur ſuper eamdem materiam, etiam ſimul efficiunt Sacramentum. 426.5.
Quomodo omnes formæ concurrant, dum plures Sacerdotes ſimul conſecrant, 427.à nu 6.
Forma Sacramenti Pœnitentiæ eſſentialiter conſiſtit in verbis, 524.2.
Verba verò eſſentialia formæ ſunt illa Abſoluo te, 525.5.6.
In forma pœnitentiæ ea verba, In nomine Patris &c. non ſunt cauſatiua gratiæ, 526. 9.10.
Ponitur ſtatim gratia, ac ſunt prolata cum intentione illa verba Abſoluo te, ibidem 9.10.
Forma Sacramenti Pœnitentiæ deprecatoriè prolata non eſt valida, ibid.11.
Neque etiam apud Græcos, 527.14.15.
Quem ſenſum habeat forma abſolutionis, 527. per totum. Vide Euchariſtia, Pœnitentia, Sacramentum.

G

Generans.

Generans vt cauſa principalis vnit materiam cum anima rationali, 73.5.

Gloria.

Gloria cur poſſit dari in præmium non vnio, 82.13.

Gratia.

Gratia eo ipſo, quod ponitur in ſubiecto eſt formalis remiſsio offenſæ, 23.9.
Gratiam, & gloriam quomodo Deus ex meritis Chriſti teneatur nobis dare, 58.7.
Gratia non habet proportionem de condigno cum vnione, 76.10.
Omnis gratia in Chriſto ſubſecuta eſt vnionem, 77.14.
Gratia ſanctificans poteſt cadere ſub meritum de congruo, non perſeuerantia, 84.7.
Gratia, & gloria ſunt maioris æſtimationis, quam maternitas Dei, 90.10.
Gratia habitualis eſt vnica cauſa noſtræ iuſtificationis, 132.6.
Gratia diuerſo modo eſt amabilis, ac ſit perſonalitas verbi, 136.7.
Gratia habitualis datur in Chriſto, 137.1.
Non fuit tamen neceſſaria, vt humanitas ſanctificaretur, neque vt mereretur, neque vt diſponeret ad vnionem, 138.3.4.5.
Sed vt eſſet Chriſtus principium proportionatum actuum ſuper naturalium, & vt in eo eſſet omnis ſanctitas poſſibilis, ibid.6.7.
Per hanc gratiam non conſtituitur Chriſtus filius adoptiuus Dei, 139.8.
Licèt fuerit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, ibidem 11.
Fuit tamen diuerſa quo ad modum eam habendi, ibid.12.
Fuit diſpoſitio conſequens vnionem, ibid.13.
Et cõnaturaliter debebatur humanitati vnitæ, 140.15.
Probabilius eſt gratiam in Chriſto fuiſſe infinitè intenſam, ibid.34 & ſeq.
Poſſunt gradus gratiæ eſſe homogenei; & heterogenei, 142.10.11.
Si infinitum implicat gratia in Chriſto fuit ſumma, ibid. 14.
Gratiæ ſanctificantis cauſa quænam ſint, 256. 5. Sanctificans alia prima, alia ſecunda, & quid ambæ ſint, 267.1.
Gratia ſacramentalis differt à communi virtutum, non differt tamen per habitum, ſed per complexum cum auxiliis, actualibus, quæ debito tempore dantur, 272.3.4.
Gratia ſacramentalis datur ad obtinendas peculiares fines Sacramentorum, 273.5.
Gratiæ auxilia in quo conſiſtant, ibi.6.7.
Non omnis gratia, quæ obtinetur per Sacramenta poteſt haberi ſine illis, aut ſaltem ſine voto illorum, ibid. 8.
Nec ius ad auxilia datur extra Sacramentum, ibid.
Id, quod ſuperadditur gratiæ ſanctificanti eſt ius ad auxilia peculiaria, 274.9.
Gratiæ auxilia aliquando ſunt efficacia aliquando ſolùm ſufficientia, ibid.11.

H

Homo.

Homo cur dicatur mundus paruus, 8.4.
Homo per peccatum erat ſub poteſtate diaboli, & quomodo, 10.1.& 44.6.
Purus homo non excludit gratiam, 14.4.
Purus homo quamuis eſſet conſtitutus caput humani generis non poteſt perfectè ſatisfacere, 21.1.
Homo verum dominium habet in opera ſua, 49.15.
Homo in ſtatu innocentiæ in intelligendo dependiſſet à phantaſmatibus, & vt ſuſtentaret vitam indiguiſſet cibis corporalibus, 247.7.
In tali ſtatu potuiſſet peccare, ibidem 8.
Et debuiſſet colere Deum per ſacrificia, ibidem 9.
Dum iuſtificatur ſine in Sacramentis, ſiue extra recipit etiam fidem, ſpem, & charitatem, 272. 1.

Humanitas.

Humanitas Chriſti potuit de potentia abſoluta per opera tempore, vel natura præcedentia mereri vnionem de congruo, non de condigno, 76.9.
Humanitas Chriſti non potuit præuideri, vt operatura præſcindendo à ſubſiſtentia creata, & increata, 80.7.
Deus debuit prauidere ea merita humanitatis, quæ aliquando extiterunt, 80.8.

Digitized by Google

Humanitas,& homo non ſunt idem,126.6.
Humanitas adæquatè per vnicum complexum, & per duplex inadæquatè fuit aſſumpta à Verbo,129.1.
Non prius tempore extitit,quam fuerit vnita, ibid.2.
Aſſumptio humanitatis non eſt diſtincta ab illa partium,130.10.
Humanitas Chriſti fuit ſancta ſanctitate increata, 131.3.4.5.
Cur non reddatur immenſa, omnipotens, & æterna,132.9.
Nec poſſit intelligere intellectione increata, 133.11.12.
Non ſanctificatur ipſa vnione, ſed perſonalitate, ibid.3.
Nec ſanctificatur diuinitate, 134.4.
Sanctitas humanitatis eſt ſimpliciter infinita in genere ſanctitatis communicata per vnionem, 136.5.
Non eſt tamen humanitas amabilis per eſſentiam,ibid.6.
Amatur vnico indiuiſibili actu cum perſonalitate,ſed non æqualiter,137.8.
Neque adoratur eadem æquali adoratione, ibid.9.
Humanitas Chriſti ad patranda miracula quomodo concurrat, 163.
Peccare non potuit peccato deſtruente vnionem, 171.ar.4.per totum.
Impeccabilitas humanitatis Chriſti quomodo differat ab illa confirmatorum in gratia,172.6.
In Chriſti humanitate habitus vitioſi eſſe non potuerunt, 174.9.

I

Ieiunium.

IEiunium naturale frangit quælibet paruitas materiæ,et impedit communionem, 442.6.
Quid requiratur, vt violetur ieiunium naturale, ibid.7.
Si humor à capite in os defluat, nō violat ieiunium, nec reliquiæ, quæ remanſeruntinter dentes præcedentis diei, & quomodo hoc intelligendum, ibid.7.8.
Quid de abluente os, aut de reſpirante, & attrahatur muſca, & deglutiatur, 443.9 & 10.
In nocte Natiuitatis quomodo ſeruetur ieiunium à Cardinali celebrante in Sacello Pontificis, ibid.11.12.
In quibus caſibus liceat ſumi Euchariſtia à non ieiuno,ibid.à n.13.ad 17.
Sacerdos non ieiunus in periculo mortis pro communicando ſe ipſo poteſt celebrare,non tamen pro communicando alio infirmo, 446.28.29.
Ex diſpenſatione Papæ poteſt ſumi Euchariſtia à non ieiuno,446. vide Euchar.

Ignorantia.

Ignorantia inuincibilis Dei non datur,25.1.
Suppoſito tamen, quod detur poteſt homo pro peccato ſuo commiſſo ſatisfacere, ibi.3.
Peccatum factum cum ignorantia Dei non offenderet Deum,ibid.& 25.5.
Offenſa Dei non poteſt incurri, ſi non cognoſcatur;ſecus dicendum de pœna, ibid.6.

Incarnatio.

Incarnationis nomine quid intelligatur,1.
Cur hoc myſterium dicatur Incarnatio, ibid.
Tractatus Incarnationis diuiſio, & obiectum, ibid.
Incarnationis myſterium euidenter negatiuè eſſe poſſibile cognoſcitur, 2.1.
Eo modo, quo factum eſt à nullo intellectu creato poteſt cognoſci vt poſſibile, ibi.4.
Incarnationis myſterium eſſe factum potuit cognoſci à beatis, à nobis per fidem, per euidentiam in atteſtante,& per miracula, 5.14.
De fide eſt incarnationem eſſe factam,6.1.
Incarnatio fuit conueniens Deo, vt Deo, ibidem 3.
Fuit etiam conueniens ex parte Verbi, naturæ humanæ, & circumſtantiarum, 7.ar. 3.
In incarnatione maximè elucent attributa diuina, 9.9.
Incarnatio cur fuerit neceſſaria, 18.16.
Quomodo fuerit neceſſaria,30.18.
Incarnatio vt præuiſa eſt principium meritorum Sanctorum Patrum, 85.4.
Vt præuiſa tantùm futura,& non in executione nō poteſt eſſe meritorum principium, ibid.5. Vide Chriſtus,Verbum.

Indifferentia.

Indifferentia voluntatis non eſt carentia determinationis, 183.10. Quid propriè ſit, ibid.
Poteſt dici carentia præciſiua, non formalis, ibidem.

Inſtrumentum.

Inſtrumentum poteſt eleuari ad creandum, 74.10.
Sacramenta noſtra ſunt inſtrumenta gratiæ, 257.10. Vide Sacramentum, cauſa.

Intellectus.

In intellectu Chriſti fuit triplex ſcientia, 148.2.
Intellectus finitus poteſt attendere ad obiecta infinita, 152.5. Vide Chriſtus, Scientia.

Intentio.

Intentio miniſtri eſt de intrinſeca ratione Sacramentorum in fieri, 236.4.
Non tamen eſt de eſſentia Sacramentorum in facto eſſe, ibid.5.6.
Intentio recipientis cur non ſit intrinſeca Sacramento, 237.12.
Intentio mala miniſtri quomodo non ingrediatur eſſentiam Sacramenti, 238.15.
Intentio Sacramenti Matrimonij quotuplex

Digitized by Google

ſit, & quomodo ſit de intrinſeca ratione matrimonij, ibid.
Ad valorem Sacramenti requiritur aliqua intentio, 305. 1.
Non ſufficit tamen intẽtio faciendi actionem exteriorem, ibid.3.& ar.4.per totum.
Eccleſia non ſupplet intentionem miniſtri, poteſt tamen quiſque eſſe certus, & quomodo, 306. 6.7.
Quæ intentio fuerit in D. Athanaſio, dum puer baptizauit, & D. Geneſius quomodo cum vera intentione fuerit baptizatus, ibid.8.
Potuit Chriſtus inſtituere, vt Sacramentum poſſet perfici ſine intentione, 307. 9. Cur requiratur intentio,ibid.10.
Quale ſit obiectum intentionis, qua miniſter intendit facere quidquid facit Eccleſia, 308.13.
Non eſt aliquid impoſſibile, ibid.14.
Nec voluntas faciendi Sacramentum, licèt hoc in aliquo ſenſu poſſit defendi, ibi. 15.
Sed eſt velle quidquid vult Chriſtus,& Eccleſia, 309.17.18.
Intentio eſt triplex actualis,virtualis,& habitualis,& quid ſint, ibid.2.3.4.
Datur etiam intentio interpretatiua, & qualis ſit, 310.4.
Intentio habitualis, & interpretatiua non ſufficiunt ad valorem Sacramenti, ibid.5.
Sufficiunt tamen ad applicãdum ſacrificium, & cur, ibid.6. Et ad recipiendum Sacramentum, ibid.7.8.
Intentio virtualis ſufficit ad validè conficiendum Sacramentum, 311.10.
Vera intentio virtualis non eſt neceſſe, quod ſit actu,ſed ſufficit ſi ſit in effectu, ibid.11. & ſeq.
Vt intentio virtualis cenſeatur durare ſufficit ſi ſemel in principio habuerit intentionem, licèt amplius in ſe non duret, 312. 15.
Quomodo virtualis diſtinguatur ab habituali, ibid.17. 18.
Quomodo virtualis licèt non exiſtat poſſit donare gratiã,313.19.Et ſit libera,ib.20.
Intentio debet eſſe abſoluta,aut conditionata de præterito,vel præſenti,non de futuro, ibid.2.
Intentio de præterito, & præſenti tranſit in abſolu tam, ibid.3.
Intentio conditionata de futuro cur non ſufficiat, 314.3.4.
Qualis debeat eſſe conditio, quæ intentioni apponitur,ibid.5.
Si conditio ſit de futuro nullum fit Sacramentum, ibid.6.
Intentio miniſtri debet eſſe circa materiam determinatam, 315. 12.
Miniſter debet habere intentionem miniſtrandi Sacramentum præſenti, ibid.13.
Cur hæc intẽtio poſſit eſſe inualida in matrimonio,non in alijs Sacramentis, 316.14.
Intentio debet cadere ſuper omnia verba eſſentialia formæ, ibid.16.
Intentio mali finis, aut diſparati non tollit veritatem Sacramenti, 317.17.
Deficiente intentione miniſtri neceſſariò requiſita Deus, & Eccleſia eam non ſupplent tam in paruulis,quàm adultis, ibid. à n.18.& ſeq.
In paruulis non eſt neceſſaria intentio, vt recipiant Sacramenta, quorum ſunt capaces,329.2.
In adulto ad recipiendum Sacramentum requiritur intentio, & qualis debeat eſſe, 330.& ſeq.
Cur ad recipienda Sacramenta requiratur intentio in adultis non in paruulis, ibid.9.
Qui chriſtianè vixit præſumitur in morte habere intentionem recipiendi Sacramenta, 331.11.
Hoc tamen non ſufficit pro Sacramento Pœnitentiæ,& cur,ibid.12.
Sufficit tamen pro recipienda Eucharistia,ibi. 14.Et ad matrimonium, ibid.16.
Intentio Sacerdotis in conſecratione qualis debeat eſſe,365.16.vide Euchariſtia,Materia, Miniſter, Sacramentum.

Iuſtitia.

Iuſtitia alia poteſtatiua,alia ſubiectiua,42. 2.
Subiectiua diuiditur in diſtributiuam, & cõmutatiuam,& quales ſint, ibid.3.
Iuſtitiæ obiectum quid ſit, ibid.
Aequalitas tum gemetrica, tum arithmetica in iuſtitia quomodo penſanda, ibid.4.
Iuſtitia generalis non eſt propriè iuſtitia, 44.7.8.
Iuſtitia quomodo poſſit eſſe inter Patrem, & Filium,45.15.
Iuſtitiæ conditiones quot ſint; omnes ad vnã reducuntur, 53.2.& ſeq. Vide Creatura, Chriſtus,Deus.

L

Libertas.

Libertas Chriſti quomodo non repugnet cum impeccabilitate eiuſdem in executione præcepti, 174.ar.6.per totum.
Non ſaluatur eius libertas cum impeccabilitate dicendo, nullum fuiſſe in Chriſto præceptum impoſitum, ibid.n.2. & ſeq.
Neque ex eo, quod præceptum fuerit impoſitum Chriſto dependenter ab ipſius voluntate,175.6.& ſeq.
Neque ex eo, quod potuerit petere diſpenſationem, 176.10.
Neque ex eo, quod potuerit non mori in ſenſu diuiſo, ibid.11.12.
Neque quia fuerit impeccabilis tantùm ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ, 177.13.
Neque quia fuerit liber ſolùm ad moriendum in hoc,vel illo loco, ibid.14.15.
Quomodo ſaluetur libertas Chriſti cum eius impec-

Digitized by Google

impeccabilitate in executione præcepti, 178.16.17.

Libertas Chriſti ſtat etiam cum viſione clara Dei, & liberè potuit elicere aliquos actus charitatis circa Deum, 179.3.4.

Liberè, & neceſſariò potuit Chriſtus amare Deum vnico, vel pluribus actibus, 180.5.

Libertas illi conueniebat ratione ſcientiæ infuſæ, & quatenus viator erat, 180.0.7. *et* 8. *Vide Chriſtus*.

Lumen.

Lumen gloriæ in Chriſto probabile eſt, quod fuerit infinitum, non per hoc tamen comprehendiſſet Deum, 142.12.

Lumen infinitum non repugnat, 150.7.

Lumen inſeruiens pro ſcientia infuſa non eſt gloriæ, ſed medium ordinatum ad obiecta creata, 154.5. *Vide Chriſtus, Scientia.*

M

Malum.

Malum aliud eſt culpæ, aliud pœnæ; & hoc aliud temporale, aliud æternum, 493.1.

Contritio debet deteſtari peccatum ſuper omne malum pœnæ, 494.7.

Peccatum eſt maius malum, quam qualibet pœna etiam æterna, *ibid*.8.

Quomodo deteſtatio peccati debeat eſſe ſuper omne malum, *ibid*.9.11.12. *Vide Contritio.*

Manducatio.

Manducatio quando fiat, 430.2.

Ad manducationem non eſt neceſſe, quod cibus deglutiatur irreuocabiliter, ibid. 5.6. *Vide Euchariſtia.*

Martyr.

Pro Martyre cur non oret Eccleſia, 288.9.

Materia.

Materia licèt careat exiſtentia propria, poteſt aſſumi à Verbo, 121.19.

Materia, & forma in Sacramentis nouæ legis ſunt determinatæ à Chriſto, 225.2.

Materia in Sacramentis Matrimonij, & Ordinis quomodo non ſit mutata 226. 4. 5. *& ſeq.*

Materia Sacramemnti Euchariſtiæ cur non poſſit mutari vllo modo, ſicut materia ordinum 228. 8. *mutatio ſubſtantialis materiæ & formæ inualidat Sacramentum, non accidentalis* 229.2.3.

Non eſt mutatio ſubſtantialis materiæ quando conuenit nomine, & ratione cum illa quam præſcripſit Chriſtus ibi 4.

Dum manet eſſentialiter materia, & forma & intentio faciendi, quod facit Eccleſia, etiamſi miniſter intendat introducere nouum errorem, ſit Sacramentum 232. *ar* 12. *per totum.*

Materia conſecrationis calicis eſt vinum de vite non de alijs fructtbus 356. 2. *Agreſtum non eſt materia ibi* 3. *In vino aceſcente eſt peccatum conſecrare; In vuis verò exiſtens non eſt materia, quæ poſſit conſecrari ibi* 3.

Lora, & aquauita non ſunt materia conſecrationis ibi.

Vinum congelatum totum eſt materia dubia, non verò ſi parum ſit congelatum ibi 5.

Muſtum eſt materia, quæ poteſt validè conſecrari 357.7. *Quid dicendum de ſucco expreſſo ex vuis paſſis ibi* 8.

Vino conſecrando miſcenda eſt modica aqua, & cur ibi 9. *Hoc præceptum Eccleſiæ habitum fuit ex traditione ibi* 11. 12.

Aqua miſcenda debet eſſe naturalis, & modiciſſima ibi 13.

Vinum tamen non aqua eſt materia conſecrationis calicis 358.3.

Tota materia, quæ eſt in calice vertitur in ſanguinem 301.15.

Materia conſecranda debet poſſe demonſtrari pronomine hoc, *vel* hic 363.2.

Non poteſt conſecrari materia exiſtens poſt parietem, vel in cubiculo clauſo, niſi quis tangat materiam poſt parietem exiſtentem ibi 3. *Vt materia conſecranda ſit præſens non ſufficit ſi ſit per parietem præſens* 264. 4. 5.

Materia longè diſtans quamuis videatur non poteſt conſecrari ibi 7.

Debet eſſe determinata materia, & determinatio ſit ex intentione agentis ibi 9.

Caſus aliqui in hac materia deducuntur ibi 10. *&*. 11.

Omnes particulæ, quæ ſunt ſuper aram, & corporale cenſentur conſecratæ, non, quæ ſunt extra 365.12.

Niſi tamen ſacerdos habeat expreſſam intentionem conſecrandi ſolùm hoſtiam, quam habet in manibus, & non alias ibi. 13.

Guttæ vini extra calicem non ſont conſecratæ ibi 14. *Imo probabilius eſt guttas ſeiunctas à vino, quod eſt in fundo calicis non eſſe conſecratas ibi* 15.

Fragmenta minima hoſtiæ inhærentia probabilius eſt eſſe conſecrata 366.17.

An particulæ non conſecratæ ſi miſcerentur conſecratis, poſſint conſecrari, & quomodo ibi 18.19.

Materia producitur, dum ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquid generatur 416. 8. *& probabilius eſt eſſe eamdem, quæ erat prius ibi.*

Hæc materia reproducitur per creationem ibi 10. *Vide Euchariſtia, Mutatio, Sacramentum.*

Matrimonium.

In matrimonio quomodo non ſit mutata materia 226. 4.5.

Matrimoniū quando celebratur inter abſentes quomodo poſſit phyſicè cauſare gratiam 260.19.

Medium.

Medium propinquius ad manifeſtandam gloriam Dei, & attributa eſt Incarnatio in remedium peccati 62.13.

Digitized by Google

Agens liberum poteſt ordinare media eo modo quo vult ibidem.

Meritum.

Meritum debet eſſe ante præmium 75. 7. *&* *habere proportionem cum præmio* 76. 10.

Niſi ſit tantùm de congruo 77. 12.

Meritum hoc potuit prouenire in humanitate Chriſti à gratia tum actuali, tum habituali 78. 19.

Meritum vt ſit debet præuideri exiſtens. 79. 3.

Principium meriti non poteſt cadere ſub merito ibi.

Merita futura non ſunt merita, ſicuti nec demeritum futurum eſt actu demeritum ibi 4. *&* 82. 10.

Vnio data fuit Chriſto ſine meritis 79. 5.

Si meritum in intentione fuiſſet meritum Chriſtus de facto meruiſſet vnionem 80. 6.

Quod datur gratis, poteſt etiam dari per meritum 83. 5.

Meritum æquiuocè poteſt ſumi pro diſpoſitione: verùm apud ſcholaſticos eſt actus cui debetur præmium 86. 6.

Si meritum non debet præuideri in executione Chriſtus meruiſſet executionem vnionis ibi 7. 8.

Meritum cauſat in quantùm alicit præmiantem ad dandum præmium 90. 11.

Si eſt condignum habet proportionem cum præmio ibi 10. 11.

Noſtra merita poſſunt de condigno mereri ſcientias, nec meritum debet eſſe ex natura ſua ordinatum ad tale præmium ibi.

Meritum fuit in Chriſto, & quid ad meritum requiratur 182. 1. 2.

Meruit Chriſtus a primo inſtanti conceptionis vſque ad inſtans mortis ibi 4. *& ſeq.*

Poteſt etiam dici, quod meruerit in inſtanti mortis 183. 11. *& ſeq.*

Vulnus tamen lanceæ non fuit meritorium niſi in cauſa ibi 14.

Gratiam, & gloriam potuit mereri, imo probabile eſt gratiam, & alios habitus ſupernaturales meruiſſe 184. 3. *& ſeq.*

Habere gratiam, & gloriam per meritum non præiudicat perfectioni Chriſti 185. 9. 10.

Poteſt quis mereri beatitudinem ſiue ſpe. ibidem 13.

Beatitudo licèt debita potuit cadere ſub merito 186. 14. *& ſeq.*

Probabilius tamen eſt Chriſtum gratiam, & gloriam non promeruiſſe 187. 22.

Meruit tamen gloriam corporis, & ſui nominis exaltationem ibi 23.

Meruit etiam iudiciariam poteſtatem, & gratiam capitis ibi 25. *&* 26.

Quid Chriſtus nobis meruerit ibi 27.

Meſsias,

Meſsiam iam veniſſe eſt de fide 2. 1. *vide Chriſtus, Incarnatio.*

Miniſter.

Miniſter quomodo non habeat voluntatem contrariam Eccleſiæ, ſi vult introducere nouum errorem 233. 9.

Miniſter ſi in conſecratione calicis ſumeret ly hic aduerbialiter, non conficeret Sacramentum 235. 12. *&* 14.

Miniſtri Sacramentorum qui ſunt 303. 1.

Soli homines non Angeli ſunt miniſtri: de via tamen extraordinaria Angeli, animæ ſeparatæ, & multò magis ſi quis Sacerdos reſurgeret poſſunt adminiſtrare Sacramenta 303. 4. 5. 6.

Sacerdos reſurgens haberet characterem, vt poſſet miniſtrare 304. 6.

Qualis debeat eſſe miniſter, vt Sacramenta adminiſtret 318. 1

Miniſter ſolemniter miniſtrans, vel conficiens Sacramentum in mortali peccat mortaliter 318. 3. 4.

Probabile eſt quemcumque miniſtrum peccare mortaliter in lethali adminiſtrans ibi 5.

Excipitur tamen caſus extremæ neceſſitatis. 319. 7.

Etiam miniſter diſtribuens Euchariſtiam in mortali peccat mortaliter ibi 8.

Miniſter plures ſucceſſiuè communicans vnum peccatum committi 320. 9.

Miniſter in mortali celebrans & alteri Euchariſtiam præbens tria peccata committit ibi.

Etiam Diaconus, & Subdiaconus in mortali miniſtrantes ſolemniter probabilius eſt peccare mortaliter ibi 10.

Hoc tamen non eſt verum de miniſtrantibus in ordinibus minoribus ibi 11.

Miniſter audiens confeſſionem in mortali peccat mortaliter; non tenetur tamen præmittere confeſſionem 321. 15. 16. 18.

A quonam miniſtro numquam ſit licitum petere Sacramenta 321. 1.

Miniſter alius eſt præciſus, ſed toleratus, alius præciſus, & non toleratus ibi 2.

Si non adſit neceſſitas, vel vtilitas non eſt licitum petere Sacramenta, vel illa recipere ab iniquo miniſtro ſiue tolerato, ſiue non 322. 4.

A miniſtro no tolerato ſi non adſit extrema neceſſitas non licet petere, aut recipere Sacramenta ibi 5. 6.

A miniſtro præciſo, ſed tolerato licet petere Sacramenta, dum eſt rationabilis cauſa ibi 8. 9.

Contraria tamen opinio, in quo ſenſu ſit vera 323. 10.

Si miniſter ſit proprius Parochus excommunicatus, ſed toleratus non licet ab illo petere Sacramentum, ſi illud poſſum ab alio obtinere ibi 11.

Si duo ſint miniſtri præciſi, ſed tolerati, & vnus ſit paratus, alius non, debeo à primo petere, non a ſecundo ibi 12.

Vt poſſim petere Sacramentum à miniſtro præciſo, ſed tolerato, quanta debeat eſſe vtilitas ibi 13.

Miniſter conficiens Euchariſtiam eſt ſolus Sacerdos 452. 1.

Miniſter

Digitized by Google

Miniſter diſtribuens Euchariſtiam eſt Sacerdos, qui poteſt alijs, & ſibi eam miniſtrare ibidem 2.

Etiam Diaconus *in caſu neceſſitatis poteſt Euchariſtiam adminiſtrare ibi 3,*

Proprium Diaconi erat miniſtrare ſanguinem ibi 5.

Nullus alius poteſt eſſe Euchariſtiæ miniſter ibi 6.7.

Vt quis ſit miniſter huius Sacramenti requiritur licentia Parochi 453.8,

Sufficit tamẽ præſumpta ibi. In Paſchate tamen, & per modum viatici ſolus Parochus eſt miniſter ibi 9.10.

Soli Sacerdotes ſunt miniſtri Sacramenti Pęnitentię 570.1.

Si quis non eſſet conſecratus Sacerdos, licet Epiſcopus daret poteſtatem abſoluendi nullo modo poſſet abſoluere ibi 2.

Laicus ſi audiat confeſſionem, an ſit miniſter ibi 3.

Vt quis ſit miniſter debet etiam habere iuriſdictionem, vel ordinariam, vel delegatam ibi 4.

In *articulo mortis omnis ſacerdos poteſt eſſe miniſter ibi 5.*

Probabile eſt tunc miniſtros habere iurisdictionem ab Eccleſia ibi 6.

Quando eſt præſens proprius paſtor, vel habens iurisdictionem probabile eſt ſimplices Sacerdotes non poſſe abſoluere 571.9.

Præſente proprio miniſtro, & Parocho in articulo mortis nullus poteſt miniſtrare viaticum, aut extremam vnctionem ibi.

Si quis ſit in articulo mortis innodatus cenſura, & adſit ſuperior, debet ab ipſo abſolui ibi 9. & 10.

Excipiuntur tamen, quo ad hoc varij caſus ibidem 12.

Si ſint duo miniſtri in articulo mortis vnus cum cenſura hæreticus, vel ſchiſmaticus, alius ſimplex, huic debet infirmus confiteri. 572.3.

Sacerdotes non accipiunt in ſua ordinatione poteſtatem abſoluendi, ſicut conſecrandi ibi 572.63.

Sed accipiunt ſolùm poteſtatem ordinis non iuriſdictionis 573.6.

Sententia aliquorum quomodo non ſit contraria ibi 7.

Miniſter abſoluens Papam à quo habeat iuriſdictionem ibi 8.

Quilibet Sacerdos poteſt eſſe miniſter abſoluendi venialia, & mortalia alias confeſſa ibidem 10.

Nullus tamen non approbatus debet excipere venialia ibi.

Miniſtri Sacerdotes vt abſoluat à venialibus accipiunt auctoritatem ab Eccleſia 574.12.

In quibus miniſtris ſit poteſtas iuriſdictionis ibi 1.

In quibus delegata ibi 2.

Miniſter habens poteſtatem delegatam audiendi confeſſiones non poteſt ordinariè eam ſubdelegare ibi 3.

In miniſtro ſubdelegato requiritur approbatio ab ordinario ibi 5.

Hæc poteſtas poteſt ad tempus ſubdelegari ibidem 6.

Vide confeſſarius, Sacerdos, Sacramentum.

Miſsa.

Miſſa vnde dicatur 455.1.

In miſſa verum ſacrificium offertur Deo ibidem 3.

Et adeſt vera oblatio facta Deo ibi 5.

In miſſa non fit tantùm commemoratio ſacrificij cruenti 455.7.

Miſſæ ſacrificium in qua actione conſiſtat 456. ar.2. per totum.

Quæ miſſæ actiones non ſpectent ad rationem ſacrificij 457.4.

Conſiſtit miſſæ ſacrificium eſſentialiter in conſecratione, & ſumptio eſt tantùm pars integralis ibi 7.

Conſecratio eſt mutatio victimæ 458 9.

In miſſa dum ſacerdos conſecrat, etiam offert ibi 10.

Per conſecrationem repræſentatur ſacrificium cruentum crucis ibi 12.

Miſſæ ſacrificium aſſimilatur holocauſtis ibidem 14.

In miſſa quomodo mutetur victima per conſecrationem 459.16. & ſeq.

Conſecratio in miſſa non eſt ſicuti Incarnatio in ordine ad ſacrificium crucis 460. 22.

Miſſæ ſacrificium quomodo applicetur defunctis ibi 23. & 24

Sumptio in miſſa quomodo à ſacerdote fiat in perſona Chriſti ibi 2.

Fideles non tenentur aſſiſtere miſſæ in die veneris ſancti, ſi eſſet dies feſtus 461. 29.

Species panis, & vini ſunt pars rei oblatæ in ſacrificio miſſæ ibi 30.

Pontifex non poteſt diſpenſare, vt in miſſa quis conſecret tantùm ſub ſpecie panis ibi 2.

Si conſecratio fieret ſub vna tantùm ſpecie non ſaluaretur ſubſtantia ſacrificij à Chriſto inſtituti ibi 2.3. Vide ſacrificium.

Modus.

Modus exiſtendi Chriſti in Euchariſtia non eſt ſupernaturalis, & ſi eſſet adhuc poſſet videri 419. 8.

Modus quo per ſe exiſtat quantitas in Euchariſtia eſt impoſſibilis 413. 4, & ſeq. vide Chriſtus, Euchariſtia.

Mutatio.

Quæ mutatio ſufficiat ad verificanda contradictoria de eodem ſucceſſiuè 103. 16.

Mutatio ſubſtantialis materiæ, & formæ inualidat Sacramentum, non accidentalis 229. 2.3.

Non eſt mutatio ſubſtantialis materiæ quando conuenit nomine, & ratione cum illa, quom præſcripſit Chriſtus ibi 4. Vide materia Sacramentum.

Neceſsi-

Digitized by Google

N

Neceſſitas.

NEceſsitas moralis dicit imperfectionem in Deo, 14.15.
Neceſsitas medij, & præcepti diſtinguuntur, & quomodo, 348.3. vſque ad 8.
Quæ ſunt neceſſaria neceſsitate medij ſine ipſis in re, vel voto non poteſt haberi ſalus, 349.7.
Res Sacramenti Euchariſtiæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, 350.9.
Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſsitate medij, neque paruulis, neque adultis ad ſalutem, ibid. 12.13.
Quod eſt neceſſarium neceſsitate medij debet eſſe ex ſua ratione ordinatum ad dādam primam gratiam, ibid. 14.
Neque Euchariſtia eſt neceſsaria in voto, ibidem 15.
Neque ad perſeuerantiam, 351.16.
Diuerſo modo eſt neceſſaria, ac ſit baptiſmus, ibid. 18.
Neceſsitas communicandi qualis ſit, & varij caſus, 450.18. & ſeq.
An cenſeatur neceſsitas, ſi quis ſit ad cancellos, & recordetur peccati, ibid. 19.
Vrgente neceſsitate celebrandi, vel communicandi in peccato, ſemper præmittenda eſt contritio, 451.22. Vide Euchariſtia, Confeſſarius, Confeſsio, Sacramentum.

Natura.

Natura humana in Chriſto habet propriam exiſtentiam, 74.10.
Natura debet prius compleri ſubſtantialiter per ſubſiſtentiam, quam operetur, 76.8.78.17.
Vt poſſit operari ſufficit, ſi ſit exiſtens, 76.11.
Natura poteſt intelligi præciſa ſubſiſtentia, 78.18.
Natura humana in Chriſto habet rationem potentiæ, Verbum verò rationem actus, 99.6-7.
Natura non indiget modo, vt vniatur propriæ ſubſiſtentiæ, 101.8.9.
Quomodo determinetur ad vnionem cum Verbo, 103.18.
Non poteſt aſſumi ad exiſtendum exiſtentia diuina, niſi exiſtentia diſtinguatur ab eſſentia, 115.4.
Natura Angelica, & quælibet alia eſt aſſumptibilis à Deo, 119.3.
Natura accidentalis non poteſt aſſumi neq; ad exiſtendum, neque ad ſubſiſtendum, niſi data Thomiſtarum ſententia, 122.16. & ſeq.
Poteſt tamen natura accidentalis aſſumi in hypoſtaſi, ibid. 19.
Natura humana poteſt aſſumi etiam retenta propria perſonalitate, 123.4. & ſeq. Vide Perſona, Subſiſtentia, Verbum.

O

Obex.

OBex gratiæ quid ſit, 275.4.
Duplex eſt alius poſitiuus alius negatiuus, ibid.

Offenſa.

Offenſa deſumitur à perſona offenſa, 18.16.
Et ex modo tenendi, & proportione cognitionis, ibid. 17.
Offenſa ſemper creſcit ex perſona offenſa, 19.19.
Offenſa illata Deo eſt in bonis honoris, 20.20.
Offenſa Dei eſt altioris ordinis, quam poſſit eſſe vlla noſtra ſatisfactio, ibid. 23.
Minor eſt offenſa, quæ fit à creatura, quam quæ fieret ab alio Deo, 34.19. Vide Satiſfactio.

Opus.

Opera Chriſti infinita non eodem modo placent Deo, ac eſſentia diuina, 38.12.
Opera noſtra ſunt vtilia ad gloriam, & laudem extrinſecam Dei, 53.25.

Ordo.

Ordo aſſumendi humanitatem, & eius partes poteſt eſſe ſecundùm intentionem, & ſecundùm executionem, 129.3.
Ordine executionis prius aſſumptum fuit corpus, quam anima, ibid. 6.
Ordine verò intentionis prius aſſumpta fuit humanitas, quam partes, & prius anima, quam corpus, ibid. 5.
Ordine executionis verò è contra, 130.9.

P

Papa.

PApa non poteſt diſpenſare in ſubſtantia ſacrificij miſſæ, 461.2.
Nec in ijs, quæ ſunt iuris diuini, 462.4.
Poteſt tamen diſpenſare in votis iuramentis, matrimonio rato, & reſidentia Epiſcoporum, non verò vt conſecratio fiat ſub vna ſpecie tantùm, ibid. 6.
Papa præcepto annuæ confeſsionis tenetur quo ad vim directiuam, non coactiuam, 561.21.
Papam abſoluens, à quo habeat iuriſdictionem. 573.8.

Pars.

Naturæ, & ſubſiſtentia Verbi non ſunt partes in Chriſto, 98.5.
Partes prius aſſumptæ fuerunt, quam vnitæ, 130.7.
Partes eo ipſo, quod ſunt inuicem vnitæ, & Verbo tota humanitas dicitur vnita, 130.11. Vide Pœnitentia.

Paruulus.

Paruuli quomodo dicantur iuſtificari in fide parentum, 243.6.
Paruuli iuſtificatio in lege naturæ, in quo ſenſu eſſet

Digitized by Google

ſu eſſet facilior, 244.9.
Vt iuſtificarentur requirebatur fides parentum, nec ſufficiebat, quod intendiſſent facere, quod facit Eccleſia, 245.5. & *ſeq.*
Non erat tamen neceſſe, quod fides offerentis eſſet formata gratia, 246.8.
Validè poterant omnes applicare remedium originalis paruulis, ſed licitè ſoli parentes, 247.13.14. *Vide Puer.*

Paſcha.

Qui in Paſchate omiſit communionem, tenetur quam primum communicare, 441. 12.
Præceptum communionis in Paſchate quale ſit, ibid. 13.
Qui præuidet non poſſe communicare in Paſchate, an teneatur anticipare, ibid. 15. *Vide Communio, Euchariſtia, Præceptum.*

Pater, Patres.

Pater æternus per accidens à Chriſto poteſt exigere ſatisfactionem infinitam, 36.22.
Perſona Patris, & Spiritus Sancti ratione vnionis ſunt ſpeciali ratione in humanitate, 118.4.
Non dicuntur tamen incarnatæ, 119.6.
Pater, & Spiritus Sanctus quomodo teneantur regere humanitatem Chriſti nè peccet, 170.18.
Patres antiqui non potuerunt de condigno mereri incarnationem, neque quo ad executionem, 85.24.
Meruerunt tamen circumſtantias, 86.9.
Non per hoc tamen principium meriti, cadit ſub meritum, 87.10.
Solum de congruo Patres meruerunt circumſtantias, ibid. 11.
Subſtantiam Incarnationis non meruerunt, ad illam tamen ſe diſpoſuerunt, 87.12.
Accelerationem Incarnationis quomodo meruerunt, 88.14. & *ſeq. Vide Chriſtus, Incarnatio, Vnio.*

Peccator.

Peccator publicus quis ſit, & quot modis ſit publicus, 324.2.
Peccatori occulto publicè petenti non eſt denegandum Sacramentum, ibid. 3.
Occultus peccator non perdit ius petendi publicè, ibid. 4.
Negare Sacramentum occulto peccatori publicè petenti cur ſit peccatum, 325.5.
Qui dat Sacramentum occulto peccatori publicè petenti, facit actionem bonam, ibid. 7. & 8.
Si quis ſciat aliquem velle ſumere Euchariſtiam, vt eam conculcet, vel in locum immundum proijciat, tenetur illam ipſi denegare, 326.9.
Peccatori occulto publicè petenti non eſt licitum dare hoſtiam non conſecratam, ibidem 10.
An quilibet Sacerdos teneatur dare Euchariſtiam peccatori occulto publicè petenti, ibid. 11.
Si peccator occultus occultè petat eſt ei denegandum Sacramentum, ibid. 12.13.
Non tamen ſi petat coram aliquo, qui eius peccatum neſciat, ibid. 14.15.
Sacerdos ſciens peccatorem retinere peccatum in confeſſione non poteſt ei denegare abſolutionem, neque ſciens peccatum ex confeſſione poteſt ei denegare Euchariſtiã, 327. 16.17.
Peccatori publico ſemper eſt denegandum Sacramentum, ibid. 19.
Neque extra caſum mortis poteſt admitti, niſi publicè pœniteat, ibid. 20.
Eſt etiam denegandum peccatori grauiter ſuſpecto de aliquo crimine, 328.21.
Quot perſonæ requirantur, vt delictum dicatur publicum, ibid. 22.
Si delictum ſit publicum toti monaſterio, non ſæcularibus, religioſo petenti coram ſæcularibus eſt denegandum Sacramentum, ibid. 23.24.
Baptiſmus non eſt denegandus, ſiue ſecreto, ſiue publico peccatori, dummodo velit in futurum chriſtianè viuere, 329.25.
Ordo tamen poteſt denegari etiam peccatori occulto, ibid. 26.
In matrimonio ſi adſit impedimentum Parochus non poteſt aſſiſtere, ſi verò ſolùm peccatum poteſt, ibid. 27.

Peccatum.

Peccatum ſiue in ratione malitiæ, ſiue offenſæ eſt finitum, 15.5.6.
Peccatum non magis priuat gratia, & gloria, quam actus contritionis, vel amoris Dei, vt vnum deſtruat peccata omnia, ibidem 7.8.
In quolibet peccato eſt malitia contra iuſtitiam, 45.12.
Peccatum magis repugnat in Chriſto, quam mors, ibid. 19.
Non potuit eſſe in Chriſto, licèt eius corpus formatum fuiſſet virtute ſeminis, 173. 2. 3.
Quodcumq; peccatum ſiue originale, ſiue actuale, mortale, vel veniale, ſiue habituale pugnat cum Chriſto, 173.4.
Originale quomodo opponatur cum vnione, ibid. 5.
Peccata ſunt in multiplici differentia, 484.1.
Non ſunt æqualia, & quo vnum eſt alio grauius eo eſt deteſtabilius, 495.1.2.
Peccatum numquam poteſt eligi, ibid. 3.
Si quis eligeret potius infernum, quam peccare, non iret in infernum, ibid. 14.
Poteſt tamen conſuli peccatum leuius, vt vitetur grauius, 496.4.
Peccatum ſi eligatur ſub ratione minoris mali non eſt malum, ibid. 5.
Peccatum proprium magis eſt deteſtandum, quam alienum, licèt hoc ſit leuius, ibi. 7.
Ratione confeſſionis eſt neceſſaria ad iuſtificationem diſtincta recogitatio omnium peccatorum, 499.12.

Exci-

Digitized by Google

Excipiuntur tamen aliqui caſus, ibid. 13. 14.
Peccata omnia quomodo contrarientur pœnitentiæ, 499. 16.
Peccatum in Spiritum Sanctum, quomodo dicatur irremiſibile, 505. 7.
Quid dicendum de peccato, quod Deus reuelaret nolle remittere, ibid. 8. 9.
Nec de facto, nec de poſſibili poteſt remitti vnum peccatum mortale, ſine alio, 506. 3. 5. & ſeq.
Peccata deteſtari quoties memoriæ occurrunt vtile eſt, 511. 11.
Vide Peccator, Pœna, Pœnitentia, Præceptum.

Perſona, Perſonalitas

Perſona Verbi eſt veluti forma dignificans omnia opera Chriſti, 38. 11.
Perſona Verbi dat infinitatem operibus, 39. 13.
Et influit moraliter in operationes, ibid. 14.
Perſona vilis cur non vilificet operationes, 41. 12.
Ex dignitate perſonæ creſcit meritum, non eſſe maiori gratia, 41. 11.
Perſona infinita vltra propriam naturam poteſt terminare alienam, 96. 9. 10.
Perſona quomodo ſit incommunicabilis, 97. 12.
Perſona creata cur terminare nõ poſsit alienam naturam, ibid. 13.
Perſona Chriſti eſt verè compoſita ex duabus naturis, & ſubſiſtentia Verbi, 98. 3. 4.
Poteſt videri vna perſona ſine alia, & eſſentia ſine relationibus, 111. 10.
Si Deus eſſet vnica tantùm perſona non poſſet fieri vnio in perſona, niſi fieret in natura, 115. 7.
In creatis poteſt fieri vnio in natura non in perſona, & è contra, ibid.
Omnes perſonæ diuinæ poſſunt eamdem naturam aſſumere, 116. 3. & ſeq.
Hoc tamen dato non eſſet idem effectus à pluribus cauſis totalibus, 117. 7.
Eadem perſona poteſt ſimul plures naturas terminare, ibid.
Si tres perſonæ aſſumerent eamdem naturam, vel vna plures naturas quomodo daretur communicatio idiomatum, ibidem 9. & 11.
Si perſona diuina aſſumeret tres naturas humanas, non eſſent plures homines, niſi inadæquatè, ibid. 12.
Perſonæ diuinæ, & diuinitas quomodo ſint in Sacramento, 404. 11.
Perſonalitas creata non eſt modus, ſed res, & dato quod ſit modus, adhuc Verbum deberet vniri naturæ ſine modo, 100. 7.
Perſonalitas creata ſi alienam naturam terminaret, mutaretur non increata, 106. 11.
Perſonalitas Filij licèt terminet humanitatem, hanc non refert ad Patrem, 112. 12.
Perſonalitas diuina quomodo poſsit ſatisfacere, 134. 7.

D. Petrus.

D. Petrus ſi reſurgeret poſſet Sacramenta adminiſtrare, non eſſet tamen Papa, 304. 9.

Pœna.

Pœna cur poſsit partim remitti, non peccatum, 506. 3. & ſeq.
Dum culpa remittitur, etiam pœna æterna relaxatur, 507. 2.
Et hoc eſt verum etiam de poſsibili, ibid. 5.
Etiam quo ad pœnam ſenſus, 508. 6.
Attenta tamen ſola potentia Dei poteſt ſanctus deſtinari ad pœnas æternas, ibid. 7.
Pœna æterna quomodo mutetur in temporalem, ibid. 10.
Cur per ſecundam contritionem non tollatur tota pœna temporalis, 507. 13.

Pœnitens, Pœnitentia.

Pœnitens imperfectè, & de congruo poteſt pro ſuo mortali ſatisfacere, 22. 6. 7. 8. vide Satisfactio.
Datur virtus pœnitentiæ, 476.
Errores hæreticorum de pœnitentia, ibid.
Non omnis pœnitentia eſt virtus, ſed illa ſolùm, quæ ſecundum Deum eſt, 477. 1.
Pœnitentia, ſecundum ſe, eſt abſolutè propria virtus, ibid. 2.
Huius pœnitentiæ actus ſunt boni, & laudabiles, ibid. 3.
Tenet medium inter duo extrema, ibid. 4.
Eius obiectum formale, ſemper eſt bonum, ibid. 5.
Quomodo pœnitentia ſit expetibilis, ibid. 6.
Pœnitentia cur ſit virtus, non pudor, 478. 7.
Pœnitentia dolet de peccato, ſed gaudet ſe dolere, ibid. 8.
Abſolutè tendit ad deſtruendum peccatum, ibid. 9.
Non eſt virtus generalis, 479. 3.
Poteſt tamen concipi vt tranſcendens, ibi. 4.
Pœnitentia vt eſt ſpecialis virtus non habet pro obiecto bonum compenſationis pro peccato commiſſo, ibid. 5. & ſeq. Odio habet peccatum, 480. 6. Et poteſt optare nè ponatur, ibid. 7.
Pœnitentia, & gratitudo quomodo ſint diuerſæ, ibid. 8.
Pœnitentia non habet pro obiecto bonum pacis cum Deo, ibid. 9.
Sed eius obiectum eſt tendere ad deſtructionem peccati, ibid. 10.
Cur pœnitentia ſit virtus diſtincta, ibid. 12. & 13.
Eſt etiam diſtincta à religione, 481. 14.
Opponitur omni vitio, ibid. 15.
Eſt virtus moralis, ibid. 17.
Pœnitentiæ obiectum eſt diuerſum ab obiecto charitatis, 482. 19.
Quomodo cum ſit diuerſa à religione poſſit huius actus imperare, ibid. 20.
Pœnitentia reducitur tamquam pars poteſtatiua ad iuſtitiam commutatiuam, ibid. 3. & ſeq.

Diffe-

Digitized by Google

Differentia inter pœnitentiam, & iuſtitiam vindicatiuam, 483.7.
Pœnitentia eſt neceſſaria ad ſalutem, 484.1.
De originali tamen non eſt neceſſaria pœnitentia, licèt poſſit eſſe, ibid. 3.4.
Poteſt pœnitentia dolere de originali, quod ſit offenſa Dei, ibid. 5.
Pœnitentia eſt neceſſaria de omnibus mortalibus commiſſis, 485.7.
De venialibus non eſt neceſſaria, vt gratiam conſequamur, ſed vt ſalutem cõſequamur, ibid. 9.10.
Pœnitentia quomodo agenda de oblitis, ibidem 12.
Quid de commiſſis per ignorantiam, alienis, & nondum commiſſis, 486.13. & ſeq.
Pœnitentiæ actus quot ſint, et quis præcipuus, ibid. 1.2.
Pœnitentia deteſtat peccatum præteritum actu efficaci ſecundum quid, ibid. 4.
Qualis ſit voluntas, ſecundùm quid efficax, & cur poſſit dici talis, 478.6.7.
Huiuſmodi voluntas eſt honeſta, ibid. 8.
Datur præceptum pœnitentiæ, 510.3.
Ex quibus capitibus teneamur agere pœnitentiam, ibid. 4.
Impœnitentia quando ſit ſpeciale peccatum, ibid. 6.
Pœnitentia debet eſſe perpetua negatiuè, non poſitiuè, 511.10.
Errores circa Pœnitentiæ Sacramentum, 521.1.
Datur verum Sacramentum Pœnitentiæ à baptiſmo diſtinctum, ibid. 2. art. 1. per totum.
Partes Sacramenti Pœnitentiæ metaphyſicæ quænam ſint, 522.1.
Quæ requirantur ad hoc, vt Sacramentum Pœnitentiæ detur, & ſit fructuoſum, ibidem 2.
Sacramentum Pœnitentiæ poteſt conſiderari in fieri, & in facto eſſe, 523.4.
Quænam ſit materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ, ibid. 5.
Sacerdos, Ordo, Iuriſdictio, Baptiſmus requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſed non ſunt partes intrinſecæ Sacramenti, ibid. 7.
Omnes partes Sacramenti Pœnitentiæ cauſant gratiam, 524.9.
Satisfactio quomodo ſit pars Sacramenti pœnitentiæ, ibid. 11.
In Sacramento Pœnitentiæ, quæ partes dicantur in recto, ibid. 12. Vide Præceptum, Sacramentum.

Pollutio.

Pollutio, vel copula, an impediat eo die Euchariſtiam, 442.2. vſque ad 5.

Potentia.

Non omnis potentia obedientialis eſt ſupernaturalis, 5.12.
Potentia obedientialis tum actiua, tum paſſiua datur in omnibus rebus, & quid ſit, 256.3.4.
Quomodo diſtinguatur à potentia naturali, ibid.

Poteſtas.

Poteſtas abſoluendi fundatur in charactere, 237.10. Vide miniſter, Confeſſarius.

Præceptum.

An quis teneatur ad præceptum communionis ſi ſit adultus, & habeat dubium vſum rationis, 438.16.
Præceptum diuinum Euchariſtiæ afficit immediatè tantùm fideles baptizatos, 439.2.
Probabile eſt obligare eum in articulo mortis, qui paulò ante communicauit, ibid. 4.5.
Nullus ſatisfacit huic præcepto ſumẽdo Euchariſtiam in peccato, ibid. 6.
Præceptum ſumendi Euchariſtiam eſt ſumendi eam in gratia, 440.7.
Neque præcepto Eccleſiaſtico fit ſatis ſumendo Euchariſtiam in peccato, ibid. 8. & ſeq.
Præcepto baptiſmi ſatisfit, etiam ſi quis in peccato illum recipiat, ibid. 9.
Qui mane ex deuotione communicauit, ſi à prandio incidat in periculum mortis, poteſt iterum communicari per modum viatici, vt ſatisfaciat præcepto diuino, 448.18.
Per communionem factam extra periculum mortis non ſatisfit præcepto diuino obliganti in periculo mortis, ibid. 19.20.
Vt præceptum obliget in articulo mortis debet talis articulus cognoſci, ibi. 21. & ſeq.
Probabile tamen eſt ſatisfieri præcepto diuino per communionem paulò ante articulũ mortis factam, 445.24.
Datur præceptum pœnitentiæ, 510.3.
Hoc præceptum non ſolùm eſt poſitiuum diuinum, ſed etiam naturale, ibid. 5.
Præceptum pœnitentiæ reducitur ad primum præceptum decalogi, 511.8.
Præceptum contritionis non obligat ſtatim, 511.2. & ſeq.
Cur teneamur ex præcepto corripere fratrem data opportunitate, non verò agere pœnitentiam, 513.8.
Neque in diebus feſtis eſt præceptum conterendi, & hoc etiam eſt verum de religioſis, 514.12.
Præceptum contritionis obligat in articulo, & periculo mortis, & aliquoties in vita, ibid. 1.3. & ſeq.
Obligat etiam inſtante periculo perpetuæ amentiæ, & cum recipienda ſunt Sacramenta viuorum, & adminiſtranda Sacramenta, ac in aliis caſibus, 515. à num. 6. ad 10.
Inſtante periculo, vel articulo mortis etiam obligat, quamuis pœnitens poſſit confiteri, ibid. 11.12.13.
Præceptum diuinum confeſsionis non obligat, vt quis ſtatim confiteatur peccata, 358.2.
Neq; obligat vt vincantur tentationes, ibi. 3.

Digitized by Google

Per accidens poteſt quis teneri ad frequentem confeſſionem, ibid.

Præceptum diuinum non obligat ad confeſſionem per interpretem, ibid. 4. 5.

Et hoc etiam in articulo mortis, dummodo quis ſit moraliter certus ſe habere contritionem, 559. 6. 7.

Eſt tamen obligatio confitendi per ſcripturam, ibid. 9. 10.

Præcipere non poteſt Eccleſia, vt idem peccatum quis bis confiteatur, 560. 13.

Religioſorum præcepta, quomodo in hoc non ſint contraria, ibid. 14. 15, 16.

Præceptum annuæ confeſſionis obligat omnes, qui poſt baptiſmum in mortale inciderunt, ibid. 19. 20.

Ad præceptum annuæ confeſſionis infideles non tenentur, 161. 22.

Pueri tamen doli capaces tenentur; licèt non teneantur ad Euchariſtiam, ibid. 23. 24.

Annus præcepti confeſſionis quomodo debeat computari, ibid. 25. 26.

Nullus ſatisfacit præcepto confeſſionis per confeſſionem venialium, ſi poſtea cadat in mortale, ibid. 27.

Si quis non eſt confeſſus intra annum, debet confiteri in principio anni ſequentis, 562. 20. Vide Euchariſtia, Pænitentia, Puer.

Præſentia.

Præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus non eſt ordinis, neque relatio, neq; actio, neq; modus, 375. 3. vſque ad 8.

Sed eſt complexum ſacramentale corporis Chriſti cum ſpeciebus, & ſpacio, 376. 8. & ſeq.

Eſt quid reale, & opus diuinæ potentiæ, 377. 12. 13.

Ratione huius præſentiæ ad motum ſpecierum mouetur Chriſti corpus, ibid. 14. 15.

Præſentia naturalis, et ſacramentalis quomodo conueniant, & differant, 378. 1.

Præſentia ſacramentalis ſupponit eſſe corporis Chriſti, ibid. 2.

Sacramentalis non pendet eſſentialiter à naturali, ibid. 4.

De facto tamen probabile eſt pendere, & quomodo, 379. 6.

Si corpus Chriſti deſineret extra Sacramentum, non deſineret in Sacramento, imò poſſet mori extra Sacramentum, non in Sacramento, ibid. 7. 8. 9. 10.

Potuit Deus prius ponere Chriſtum ſub præſentia ſacramentali, quam ſub naturali, 380. 11.

De facto ſi deſtrueretur in naturali, deſineret in Sacramento, ibid. 12.

Quomodo ſacramentalis dependeat à naturali, ibid. 13.

Humanitas Chriſti quomodo poſſit eſſe inſtrumentum præſentiæ ſacramentalis, ibidem 13.

Ratione præſentiæ ſacramentalis verè Chriſtus eſt in loco, 381. 14.

Præſentia ſacramentalis eſt tantùm ſupernaturalis quo ad modum, 387. 6.

Hæc præſentia eſt complexū ex partibus penetratis cum loco, & ſpeciebus, ibid. 7.

Poteſt cognoſci hæc præſentia ab Angelo, ibidem 8.

Quæ prædicata poſſent dici de Chriſto ratione præſentiæ ſacramentalis, 390. art. 9. per totum. Vide Chriſtus, Euchariſtia.

Principium.

Principium realiter influens in operationes debet à Deo præuideri, 80. 8.

Promiſſio.

Promiſſio oneroſa quomodo inducat obligationem iuſtitiæ, 25. 17. & 48. 11.

Puer.

Pueri quando intelligantur peruenire ad annos diſcretionis, 437. 11.

Pueri an teneantur ex præcepto diuino in articulo mortis Euchariſtiam ſumere, ibi. 12.

Quid ſi necdum teneantur ex præcepto Eccleſiaſtico, ibid.

Quid dicendum ſi dubitetur de pueri capacitate, 438. 14. Vide Præceptum.

Q.

Quantitas.

Q*Vantitas an ſit accidens diſtinctum à ſubſtantia, 298. 4.*

Quantitas qualibet materiæ ſi poteſt demonſtrari pronomine hoc, poteſt conſecrari, 364. 6.

Vt conſecratio ſit valida debet determinari quantitas tum continua, tum diſcreta, ibidem 8.

Qualibet parua quantitas panis, & vini dummodo ſit ſenſibilis, poteſt validè conſecrari, 566. 3. & ſeq.

Dimidium minimi panis ſiue vnitum, ſiue ſeparatum non poteſt validè conſecrari, 367. 8. 10.

Negatis minimis qualibet parua quantitas, dummodo demonſtrabilis, eſt conſecrabilis, 368. 13.

Si quantitas non diſtinguitur à ſubſtātia materiali corpus Chriſti debet expellere ſubſtantiam panis, 388. 12. 13.

Quantitas corporis Chriſti cum omnibus ſuis accidentibus abſolutis eſt in Sacramento, 392. 8.

Sine quantitate ſubſtantia habet partes diſtinctas, ibid. 9.

Quomodo probetur Chriſtum habere in hoc Sacramento quantitatem, 293. 11.

Corpus Chriſti in hoc Sacramento eſt quantum in ordine ad ſe, non in ordine ad locum, & hoc etiam data opinione Nominalium, ibid. 12. 13.

De eſſentia quantitatis eſt exigentia impenetrabilitatis, ibid. 14.

Quantitas diuiſibilis quomodo poſſit comparari indiuiſibili, ibid. 15.

Quan-

Digitized by Google

Quantitas, & alia accidentia non ponuntur in Euchariſtia, niſi per concomitantiam, 402.ar.4.per totum.
Quantitas per ſe exiſtit in Sacramento,non per modum, 412.4.
Per hoc,quod non inhæreat, ſufficienter intelligitur per ſe,513.7.& ſeq.
Quantitas non gerit vicem materiæ,quando in Euchariſtia aliquid generatur, 415.6.
Vide Euchariſtia, Sacramentum.

R

Remiſio.

R*Emiſio mortalis per infuſionem gratiæ datur gratis pœnitenti, 21.3.*
Remiſionem peccati non poteſt mereri homo per actus præcedentes gratiam ſanctificantem, 22.4.

Religio, Religioſus.

Inter Religioſum, & Religionem cur non poſsit eſſe iuſtitia, 49.15.
Quo ſenſu poſsit Religio obligari Religioſo, ibid.16.

Rex.

Exemplum de Rege dante arma, & equum militi, quomodo diuerſum à gratia data à Deo, 81.10.11.

S

Sacerdos.

S*Acerdos in mortali exiſtens, neq;habens copiam Confeſſarij poteſt celebrare, non tamen ſi non ſit ieiunus,446.30.*
Sacerdos non poteſt vti pileolo in miſſa, aut perucca ſine diſpenſatione Papæ, 447. 33. & 34.
Non expedit, quod Papa diſpenſet à conſecratione vſque ad ſumptionem, ibidem 35.
Sacrdos vrgente neceſsitate celebrante ſine confeſsione debet quamprimum confiteri, 451.23.
An ſub hoc præcepto comprehendantur Sacerdotes communicantes,ſed non celebrantes, ibid.24.
Non comprehenditur ſub hoc præcepto Sacerdos voluntariè celebrans in ſtatu peccati, ibid.25.
Comprehenduntur tamen illi, qui bona fide inceperunt miſſam,deinde recordātur peccati, ibid.26.27.
Quomodo intelligatur illud quamprimum, ibid.29.
Sacerdos an aliquando poſsit conſecrare panem ſine vino, 462.9.
Si vellet conſecrare hoſtiam, & nollet expreſsè conſecrare vinum, adhuc hoſtia eſſet conſecrata, 463. 10. 11. Vide Sacramentum,Sacrificium, Miſſa,Pœnitentia.

Sacramentum.

Sacramentum quot modis ſumatur, 203.
Eſt ſignum ſacrum, 204. 3. Confert aliquam ſanctitatem, & ſignificat veram, ibidem 5.6.7.
Sacramenta quomodo ducant nos in cognitionem gratiæ, ibid.8.
Sunt ſigna ad placitum ex inſtitutione diuina,205.9.
Cur manna,& quædam alia non fuerint Sacramentum, ibid.10.11.
Sunt ſigna ſenſibilia, & habent aliquam ſimilitudinem cum re ſignificata, 205.2.
Sacramenta vt ſic non ſunt cauſæ morales ſanctitatis internæ, ſed legalis, 206. 4. & ſeq.
Sunt tamen ſigna practica ſanctitatis internæ,& in quo ſenſu,207.8.9.
Sacramenta antiqua cur non poſſint eſſe cauſæ morales, ibid. 10.
Sacramentum eſt ſignum practicum etiam quando ſuſcipitur cum obice peccati, 208. 14.15.
Martyrium cur non ſit Sacramentum, 209. 16.
Sacramenta antiqua quomodo egena, ibi.17.
Cur debeant poni potius in genere ſigni, quā cauſæ, ibid.18.
Quomodo cognoſcantur cæremoniæ ſacræ diuerſæ à Sacramentis in antiqua lege, 210. 20.
Omnia Sacramenta ſunt ſigna demonſtratiua gratiæ,rememoratiua paſsionis,& prognoſtica gloriæ, ibid.3.
Principale tamen ſignificatum eſt gratia, ibidem 4.
De eſſentia Sacramenti vt ſic non eſt, quod ſit rememoratiuum paſsionis, ibid.5.
De facto omnia Sacramenta ſunt ſigna ſenſibilia, imò implicat inſtitui Sacramentum pro omnibus hominibus,quod non ſit ſenſibile,211.7. & ſeq.
Potuit Deus inſtituere aliquod Sacramentum pro aliquo,quod non eſſet ſenſibile,ibid.12. & ſeq.
In Sacramentis diſtinguenda ſunt res tantùm, & res, & Sacramentum ſimul, 212. 15.
Actus internus, quo ſenſu poſsit eſſe Sacramentum pro omnibus, ibid.17.
Non poteſt dari aliquod ſignum naturale gratiæ,quod ſit Sacramentum, 213. 19.& ſeq.
Sacramentum eſt ſignum ſtabile pro aliquo tempore, poteſt tamen inſtitui aliquod ſignum in Sacramentum pro vnica tantùm vice, 214.2.3.
Sacramenti definitio quænam ſit, ibid.4.
Sacramentum pro formali non eſt ens rationis,ſed denominatio extrinſeca, ibid.6 7.
Omnia Sacramenta conueniunt vniuocè in ratione ſigni non cauſæ, 215.9.10.
In aliquo ſenſu tamen poſſunt etiam conue-

nire in ratione cauſæ, 216. 12.
Antiqua non ſolùm erant figuræ noſtrorum Sacramentorum, ſed etiam vera Sacramenta, ibid. 13.
De ratione Sacramenti vt ſic non eſt, quod conſtat rebus, & verbis, 217.2.
Omnia tamen nouæ legis conſtant rebus, & verbis, ibid. 4.
Sacramentum Pœnitentiæ quomodo conſtet rebus, & verbis, ibid. 5.
Materia Sacramẽtorum quomodo debeat eſſe ſenſibilis, 218.6.
In Sacramento Matrimonij, quæ ſit materia, forma, & intentio, ibid. 7.8.
Sacramentum Euchariſtiæ quomodo conſtet rebus, & verbis, ibid. 9.
Sacramentum eſt compoſitũ, & quale, 219.3.
Omnia Sacramenta nouæ legis conſtant rebus, & verbis tamquam materia, & forma, ibid. 4.5.
Matrimonium quomodo ſemper conſtet rebus, & verbis, ibid. 6.
In Sacramentis verba quomodo poſsint habere rationem formæ, 220.9.
In Euchariſtia permanente quomodo ſint verba, ibid. 10.
In Sacramentis ſignificatio eſt vnica, 221. 2.
Vt Sacramentum fiat non eſt neceſſe, quod partes ſint ſimul duratione, ſed ſufficit ſimultas moralis, & qualis, 222.3. & ſeq.
Nec requiritur eadem ſimultas in omnibus Sacramentis, ibid. 6. & ſeq.
Ea ſimultas ſufficit, quæ requiritur, vt poſſint verificari verba formæ, 223. 12.
In Sacramentis debet diſtingui fieri, & factum eſſe, 337.7.8.
Quid ſit in omnibus Sacramentis res tantùm, Sacramentum tantùm, & res, & Sacramentum ſimul, 239. ar. 14. per totum.
Durante ſtatu innocẽtiæ poterat congruenter Deus aliqua Sacramenta inſtituere, 240. 3.
De facto tamen nulla fuerunt, & incertum eſt, an futura fuiſſent durante ſtatu, 241. 5.6.
Ad quid in tali ſtatu inſeruiſſent, ſi fuiſſent, 242.2.8.
Remedium originalis in lege naturæ fuit verum Sacramentum, 243.3.
Non fuit hoc remedium fides interna parentum, ibid. 5.
Sed fuit oblatio quædam externa, ibid. 6.
Incertum eſt, an in lege naturæ fuerit aliud Sacramentum, fuerunt tamen ſacrificia, 247.15.
Sacramenta veteris legis fuerunt plura, quã noſtra, ibid. 2.3.
Erant tantùm conditiones dandi gratiam; at noſtra ſunt cauſæ, 250.12.13.
Omnia Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam non ponentibus obicem, 251.2. art. 2. per totum.
Cauſant gratiam ex opere operato, 252.1.
Sunt cauſæ morales gratiæ, ibid. 4.
Quomodo ſint cauſæ morales, 253.5. & ſeq. vſque ad 9.
Per Sacramenta antiqua non poterant applicari merita Chriſti fidelibus, 254. 10. & 11.
Neque applicabantur nomine Eccleſiæ, ſed erant proteſtationes in Chriſtum venturum, ibid. 12.
Conficiuntur noſtra Sacramenta in perſona Chriſti, etiam quando fiunt à malis miniſtris, 255.13.
Non cauſant gratiam per modum meriti, ſed pretij, & ſolutionis, ibid. 14.
Sacramenta vt ſint cauſæ inſtrumentales phyſicæ gratiæ non recipiunt in ſe qualitatem, nec ſolum vniunt gratiam cum anima, 256.6. & ſeq.
Sed quia faciunt complexum cum Deo principali agente, 257.10. & ſeq.
Dicere eſſe cauſas phyſicas, quia cauſant ſpeciem in ſenſibus eſt dicere non eſſe cauſas diuerſas ab antiquis, 259, 16.
Quomodo non cauſent gratiam indiſtans, 260. 19.
Diuerſimodè cauſãt gratiam, ac paſsio Chriſti, 261.20.
Poſſunt eleuari ad producendum ſpirituale, licet oculus non poſsit eleuari ad videndum ſpirituale, ibid. 21.
Quomodo per coniunctionem reddantur proportionata, 262.24. & ſeq.
Nullum Sacramentum confert gratiam ex opere operato antequam actu ſuſcipiatur, 262.3.
Dum ſuſcipitur in voto datur gratia ex opere operantis, 263.4.
Gratiam à Sacramentis produci, vel in primo ſui nõ eſſe, vel in parte indeterminatâ efficaciter non confutatur, 264.7. & ſeq.
Si componitur continuum ex punctis gratia producitur à Sacramento in inſtanti intrinſeco, in quo perficitur ſignificatio, 265.
Si verò continuum componitur ex partibus, & punctis, producitur in inſtanti, in quo perficitur Sacramentum, 266.16.
Sacramentum licèt incipiat extrinſecè, terminat intrinſecè, ibid. 17.
Tunc cauſat gratiam, quando eſt perfecta ſignificatio, ibid. 18. 19.
Omnes partes Sacramenti concurrunt per modum vnius, ibid. 20.
Eo ipſo producunt gratiam, quo cum vera intentione perfectus eſt ſenſus formæ, 267. 23.
Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ dicuntur Sacramenta mortuorum, alia viuorum, 267.2.
Sacramenta viuorum ſunt per ſe inſtituta ad dandam primam gratiam, 268.4.
Omnia habent vim producendi primam gratiam, & quomodo, ibid. 6.
Vt Sacramenta viuorum producant primam

Digitized by Google

gratiam ſufficit ſi quis non ponat obicem, 269. 7.8.
Potuit Chriſtus inſtituere Eucharistiam per modum cibi viuificantis mortuos, ibid. 9. & 10.
Sacramenta viuorum cauſare primam gratiam per accidens eſt illam cauſare, prater primariam intentionem Chriſti non ſecundariam, 270.11.12.
Non poſſunt tamen aſſumi directè propter primam gratiam, ibid.14.
Cur debeat abſolutè dari Sacramentum extremæ vnctionis illi, qui nulla dedit ſigna, non poſsit autem dari abſolutio, 271.15.
Sacramenta ſemper producunt gratiam in non ponentibus obicem, 274.2.
In pueris nullam requirunt diſpoſitionem, 275.3.
Noſtra maiorem producunt gratiam, quam antiqua, & quo digniora, eo maiorem etiã gratiam conferunt, 278.1.
Sacramenta eiuſdem ſpeciei æqualiter diſpoſitis æqualem conferunt gratiam, ibid.3.
Inæqualem verò inæqualiter diſpoſitis, 279. 5.& ſeq.
Eorum virtus, vt ſubeſt Deo, numquam poteſt deficere, 280.9.
Sacramenta poſſunt eſſe valida, & informia, 281.2.
Baptiſmus reuiuiſcit, alia incertum eſt, 283. 3.& ſeq.
Auxilia, quæ dantur per Sacramenta imprimentia characterem poſſunt haberi ex opere operantis ibi 5.
Si quis non peccauit in receptione Sacramentorum probabilius eſt, quod omnia reuiuiſcant ibi 6.
Si Euchariſtia ſacrilegè ſumatur non reuiuiſcit, idem eſt de alijs, baptiſmo excepto 284. 7.8.
Sacramenta ſunt medicinæ curatiuæ præcedentium non futurorum 286. 7.
Dum Sacramentum reuiuiſcit datur tantùm minima gratia 287.3.4.
In reuiuiſcentia diſpoſitio remouet tantùm obicem ibi 5.7.
Sacramenta reuiuiſcunt etiam reſpectu venialium 288. 8. & ſeq.
Cauſa Sacramentorum quænam ſit 299. 1.
Omnia Sacramenta nouæ legis ſunt à Deo inſtituta ibi 2.
Noua legis verò à Chriſto 300. art. 1. per totum.
Poteſtas inſtituendi Sacramenta potuit communicari creaturæ 301.3. & ſeq.
Inſtitutio Sacramentorum non incipit à Decreto Dei 302. 5.
Quomodo creatura poſſit Sacramenta inſtituere ibi 7.9.
Vt ſit nouum Sacramentum requiritur noua materia, & noua forma 554.5.
In Sacramento pœnitentiæ cur materia debeat eſſe ſupernaturalis 556, 8. Vide Euchariſtia, Baptiſmus, Pœnitentia, Sacrificium.

Sacrificium.

Sacrificium poteſt offerri Chriſto vt homini 192.9.
De facto tamen nullum ei offertur ibi 10.
Sacrificium ordinatur ad cultum Dei, Sacramentum ad noſtram iuſtificationem 208.13.
Sacrificium quid ſit 453.3.
Omnia ſacrificia ſemper fiebant cum aliqua deſtructione 454.7.
Mors martyrum cur non ſit ſacrificium ibi 8.
Sacrificia, & ethnicorum quomodo eſſent vera ſacrificia ibi 9.
Sacrificium debet eſſe publica auctoritate inſtitutum ibi 11.
Et debet eſſe ſenſibile ſaltem per accidens ibi 456.9.
Chriſtus in vltima cœna verum obtulit ſacrificium ibi 10.
Sub ſpecie panis, & vini eſt vnicum ſacrificium 463. 12.
Offerentes ſacrificium qui ſint ibi 1.
Chriſtus quomodo ſit offerens principalis in ſacrificio miſſæ ibi 3.
Omnes Sacerdotes poſſunt validè hoc ſacrificium offerre 464.5.
Eccleſia, & qui dat eleemoſynam, quomodo ſacrificium offerant ibi 7.
Fructus ſacrificij, quomodo participari poſſit ibi 9.
Omnes fideles ſunt capaces fructus impetrationis, ſoli verò iuſti ſatisfactionis ibi 10.
Pro excommunicato non poteſt offerri ſacrificium ibi 11.
Poteſt tamen quilibet vt perſona priuata pro excommunicato orare ibi 12.
Neque poteſt offerri ſacrificium pro excommunicato non vitando 465. 13.14.
Quo ſenſu aliqui offerant pro Prouincijs hæreſi infectis ibi 15.
Pro cathecumenis, & infidelibus, ad ſatisfaciendum non prodeſt ibi 19.
Poteſt tamen eiſdem prodeſſe, quo ad impetrationem 466.20.
Eccleſia pro ipſis offert ſacrificium ibi 21. 22.
Quomodo iſti fructum ſacrificij participent ibi 23.
Cur prohibitum ſit offerre ſacrificium pro cathecumenis defunctis ibi 24.
Non ſunt cathecumeni capaces offerendi cum ſacerdote ibi 25.
Prodeſt hoc ſacrificium animabus Purgatorij ex infallibili lege 467. 26.27.
Differentia inter ſacrificium, & indulgentiam pro defunctis ibi 27.
Pro beatis quomodo poſſit offerri ibi 28.
Damnatis nullo modo prodeſt ibi 29.
Sacrificium non confert primam gratiam, ſed ſolùm impetrat auxilia, & donum pænitentiæ 468.3. & ſeq.
Impetratio auxiliorum cauſatur ex opere operato à ſacrificio miſſæ in illis pro quibus offertur ibi 7.

Digitized by Google

Neque augmentum ſanctificantis gratiæ immediatè cauſat 469.8.
Etiam venialia remittit, ſed mediatè ibi 9.
Et pœnas peccatis debitas ibi 11.
Auxilia quæ impetrantur non ſemper ſunt efficacia ibi 12.
Hoc ſacrificium prout offertur nomine Eccleſiæ ſemper finitum eſt 469.1.
Et ſi offerens ſit excommunicatus ab Eccleſia nullum valorem habet, non ſic à Chriſto ibi 2.
Valor huius ſacrificij ad impetrandum eſt infinitus 470.4.
Quo ſenſu ſit infinitus ibi 4.5.
Valor ſacrificij, quò ad ſatisfaciendum eſt infinitus quo ad ſufficientiam, finitus quo ad efficaciam ibi 0.7.8.
Valor limitatur à deuotione recipientis ibi 9.
Habet valorem extenſiuum infinitum, & æquè multis, ac paucis prodeſſe poteſt 471. 10. & ſeq.
Cur ſi eſt infiniti valoris vnica miſſa non ſufficiat pro omnibus 472.16.
An poſſit alij applicari ex iuſtitia, alijs ex charitate ibi 17.
Cur non poſſit vnico ſacrificio ſatisfieri pro pluribus ſtipendijs ibi 18.
Ad applicandum ſacrificium, quæ intentio requiratur 472.1.
Sacrificij applicatio ſpectat ad celebrantem, non ad Prælatum, & ſi diuerſimode applicarent, valida eſſet ſubditi applicatio 473. 3.4.
Peccaret tamen non obediens Prælato ibi 5.
Sacrificium celebrans nullum fidelem ab illo excludere debet ibi 6.
In poteſtate Sacerdotis eſt diuidere effectum impetrationis ab effectu ſatisfactionis ibi 7.
Et ſi nulli ſacrificium applicetur totus fructus eſt celebrantis ibi 8.
Accipiens ſtipendium tenetur ex iuſtitia applicare ſacrificium 474.1.
Stipendium cur poſſit recipi ibi n.5. ar,3.
Stipendium cur licitum ſit pro ſacrificio miſſæ, non pro Sacramentis miniſtrandis ibi 6.
Etiam ſacerdotes diuites poſſunt accipere ſtipendium, & quale ſit iuſtum 475. 8.9. Vide Excommunicatus, Sacramentum, Sacerdos.

Sanctitas.

Sanctitas increata Chriſti pugnat cum quacumque peccato etiam de poſſibili 170. 15.
Sanctitas alia interna, alia legalis 306.3. Vide Sacramentum.

Sanguis.

Sanguis generationi deſeruiens non eſt ſanguis nutrimentalis 127.14.
Sanguinis veri Chriſti an detur aliqua pars nūc in terra 128.16.
In triduo mortis fuit vnitus Verbo ibi 17.
Sanguis, qui ponitur ex vi verborum, eſt materia cum forma ſanguinis 401.25.
Totus ſanguis, qui eſt in corpore Chriſti ponitur in Sacramento ibidem 26. Vide Eucharistia, Chriſtus.

Satisfactio Satisfacere.

Satisfacere cur non poſſit homo per ſuo peccato non probatur efficaciter à varijs DD. 15.7. & ſeq.
Quænam ſit ratio cur non poſſimus ſatisfacere Deo pro mortali 17.15.
Perfecta ſatisfactio in quo conſiſtat 18.16.
Satiſfactio deſumitur à perſona ſatisfaciente ibidem.
Satiſfactio eſt cauſa moralis remiſſionis debiti 23.10.
Vt ſit de congruo non debet eſſe à perſona grata ibi 11.
Sufficit, ſi habeat ius meriti ex parte operis 24 12.
Differentia de ſatisfactione humana, & diuina 24. 15.
Si non datur offenſa alicuius perſonæ, neque huic debetur ſatisfactio 26.7.
Satiſfactio pro veniali non poteſt viribus naturæ fieri; viribus tamen gratiæ fieri poteſt à iuſto condignè 27.2.3.
Satiſfactio diuerſo modo creſcit, ac creſcat offenſa 38.10.
Satiſfactio Chriſti quamuis finita fuiſſet ſufficiens pro peccatis totius mundi 41.2.
Licèt opera Chriſti non eſſent infinita, adhuc in ſatisfactione ſeruaretur æqualitas ibidem.
Chriſti ſatisfactio ad Deum fuit ex iuſtitia commutatiua 43.6.
Quid attendatur in ſatisfactione propter offenſam 55.11.
Cum eadem re poteſt quis ſatisfacere pro varijs titulis ibi
Satiſfactio vt imponitur à confeſſario, & acceptatur à pœnitente ante abſolutionem cauſat ex opere operato gratiam 562.3.
Satiſfactio vt imponitur à confeſſario, & acceptatur à penitente eſt vera pars Sacramenti ibi 4.
Satiſfactio, quæ executioni mandatur poſt abſolutionem non cauſat ex opere operato gratiam, ſed ſolùm remiſſionem pœnæ temporalis, & dat auxilia ad præcauenda peccata ibi 5.
Vt ſatisfactio cauſet gratiam debet ſuper illam cadere forma 563.6.
An te abſolutionem concurrit tamquam maior diſpoſitio ibi 7.
Satiſfactio impoſita licitè adimpletur in peccato, & per eam ſatisfit obligationi impoſitæ ibi 8.910.
Satiſfactio tamen in peccato facta non habet ſuum effectum, niſi recedente fictione ibi. 11.12.
Obligationi impoſitæ à confeſſario etiam ſatisfit per actionem bonam venialiter malam, non verò per actionem mortaliter malam 564. 13. & ſeq.
Satiſfactio in ſe bona, & venialiter mala reuiuiſcit ablato obice 565. 19.

Vt adim-

Digitized by Google

Vt adimpleatur ſatisfactio non requiritur intentio eam adimplendi, ibid.20.

Tenentur Confeſſarij pro qualitate criminum conuenientes ſatisfactiones iniungere, ibid.1.

Satisfactiones iniungendæ ad quot capita reducantur, ibid.2.

Tenentur pœnitentes acceptare, & exequi ſatisfactiones iniunctas, 566. 4.5.6.

Si ſatisfactio iniuncta eſt grauis, & propter mortalia illam non exequi eſt mortale, ibidem 8.

Non ſic quando eſt ſolum propter venialia, ibid.9.& ſeq.

Satisfactio alicui iniuncta debet ab ipſo executioni mandari, 567.1.

Nec poteſt ab ipſo pœnitente mutari in opus melius, 568.2.

Poteſt tamen alius Confeſſarius audita iterum confeſsione commutare, vel minuere ſatisfactiones iniunctas, ibid.5.

Non per hoc fit Sacramentum mutilum; ibidem 8.

Inferior tamen Confeſſarius non poteſt mutare ſatisfactionem à ſuperiore iniunctam propter reſeruata, 569.10.11.

Quid agendum ſi quis obliuiſcatur ſatisfactionis iniunctæ, ibid.12.

Si ſatisfactio iniuncta eſt ieiunium, v. g. pro primo die Veneris, ſi tunc non fiat debet fieri die Veneris ſequentis, ibid.13.

Differre ſatisfactionem vltra præſcriptum Confeſſarij peccatum eſt, vel graue, vel leue, ibid. 14. vide Confeſſarius, Chriſtus, Sacramentum.

Scientia.

Scientia quomodo poſsit eſſe de ſingulari, pag.1.

Scientia increata fuit in Chriſto; anima tamen ipſius per hanc non intellexit; 148. 1.

Fuit etiam in Chriſto triplex ſcientia creata, infuſa, & acquiſita, ibid.2.& ſeq.

Per ſcientiam beatam clarius vidit Deum, quam alius beatus, 149.1.

Vidit etiam creaturas in Verbo, ibid.2.

Et omnia vidit in Verbo, quæ videt Deus ſcientia viſionis, 150.4.& ſeq.

Vidit etiam diem Iudicij, 151. 9. & omnia poſsibilia, ibid. 2. Non comprehendit tamen Deum, 152. 3.4.

Scientia infuſa vti poterat ſine conuerſione ad phantaſmata, 153.1.& ſeq.

Pro hac ſcientia habuit ſpecies proprias, & probabilius eſt fuiſſe vnicam, ibid.4.

Quid cognouerit per hanc ſcientiam Chriſtus, 154.7.& ſeq.

Viſionem beatam, vnionem hypoſtaticam, & amorem beatificum non cognouit per hanc ſcientiam, 155.3.& ſeq.

Fides, gratia, & lumen gloriæ quomodo poſſint cognoſci per hanc ſcientiam, 156. 5. & ſeq.

Cognouit etiam Trinitatem quo ad an ſit, & per conceptus proprios, 157.3.4. & ſeq.

Cognouit in actu ſecundo ea, quorum habuit ſpeciem, non eſt tamen neceſſe, quod ſemper fuerit in actu ſecundo ſcientiæ infuſæ, 158.2.& 159.5. & ſeq.

Scientia infuſa potuit vti, & cum diſcurſu, & ſine diſcurſu, 160.10.11.

Hæc ſcientia in Chriſto fuit perfectior illa Adami, & Angelorum, ibid.12.

Fuit etiam in Chriſto ſcientia acquiſita, hancq; habuit vi propriæ inuentionis, non diſciplinæ, ibid.4.7. & ſeq. Vide Chriſtus.

Senſus.

Senſus non poteſt cognoſcere ſpirituale, 211. 11.

Significatio.

Significatio à Chriſto Domino inſtituta in Sacramentis eſt vnica non duplex, 221.2. & 3.

Eſt tamen compoſita ſignificatio ex hominum inſtitutione. ibid.3 4. vide Sacramentum.

Spiritus Sanctus.

Spiritus Sancti incarnatio non poſſet eſſe præmium operum Chriſti, 40.19.

Status.

Status legis naturæ quãtùm durauerit, 242. 1. Vide Sacramentum.

Subſiſtentia.

Subſiſtentia non cognoſcitur diſtincta, niſi ex fide, 78.18.

Subſiſtentia, hypoſtaſis, perſona, & ſuppoſitum quomodo differant, 95.2.

In diuinis dantur tres ſubſiſtentiæ, 111.8.

Subſiſtentia relatiua eſt virtualiter diſtincta ab abſoluta, ibid.9.

Natura creata poteſt terminari ſubſiſtentia aliena creata, 112.3.

Etiamſi eſſet modus, re tamen vera non eſt modus, 113.4.

Nec ad terminandum requirit virtutem infinitam, ibid.5.

Subſiſtentia per potentiam obedientialem dicit ordinem ad alienam naturam, etiam ſi eſſet modus, ibid.7.

Eſt res ſimplex realiter diſtincta à natura, 114. 9.

Eſt proportionata alienæ naturæ per potentiam obedientialem, etiamſi ſit cauſa formalis faciendi ſubſiſtere, ibid.10.11.

Per ſubſiſtētiam abſolutam poteſt Deus alienam naturam aſſumere, ibid.3.

Si vnio fieret in ſubſiſtentia abſoluta mediatè fieret in omnibus perſonis, 115.5.

Id tamen, quod reſultaret non eſſet perſona, niſi mediatè, ibid.8.

Subſiſtentia abſoluta Dei poteſt habere rationem termini, & terminabilis, 116.9.

Etiam in Angelis ſubſiſtentia diſtinguitur à natura, 119.3.

Quomodo ſubſiſtentia aliena faciat ſubſiſtere naturam in alio, 125.12.

Digitized by Google

T

Terminus.

Terminus de nouo productus in Eucharistia eſt Chriſtus ſub ſpeciebus, 73.6.
Terminus, qui producitur in Incarnatione eſt complexum ex Verbo, & humanitate, 102.12.
Terminus adæquatus eſt Chriſtus, formalis poteſt eſſe humanitas, vel Verbum ſub diuerſa ratione, ibid.13.
Terminus actionis conuerſiuæ eſt poſitio corporis Chriſti, 373.6.
Terminus formalis actionis tranſubſtantiatiuæ non eſt præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus, neque actio adductiua, 382.6.
Terminus tranſubſtantiationis non poteſt eſſe corpus Chriſti adductum, 383.9.
Neque vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus, neque corpus, vt ſuccedit ſubſtantiæ panis, 384.12.13.
Sed eſt ſubſtantia corporis Chriſti de non producta, ibid.14.15.
Terminus productus poteſt iterum produci, ibid.15.
Non implicat idem producere ſeipſum, 385.16.17.
Si terminus actionis tranſubſtantiatiuæ eſſet Solùm præſentia corporis Chriſti non verificarentur verba formæ conſecrationis, 386.20.

Tranſubſtantiatio.

Tranſubſtantio non tantùm includit terminum à quo, ſed etiam ad quem, 382.7.
Tranſubſtantiatio non poteſt eſſe ſolùm per ſucceſſionem vnius ſubſtantiæ loco alterius, ibid.8.
Tranſubſtantiatio non ſaluatur, niſi corpus Chriſti de nouo producatur, 383.10.11. Vide Conuerſio, Terminus.

Triſtitia.

Triſtitia, mæſtitia, & timor quomodo fuerint in Chriſto ſimul cũ Beatitudine, 164.7.8.

V

Veniale peccatum.

Veniale eſt reparabile per condignam ſatisfactionem, 27.3.
Non tollit ius ad gloriam, ibid.4.
Nec deletur per ſatis paſſionem, ſed per actum, 28.5.
Differentia inter veniale, & mortale, & cur pro veniali poſſimus ſatisfacere, ibid.7.
Non eſt ſimpliciter offenſa, ſed ſecundum quid, ibid.9.
Per veniale non deſeritur ſimpliciter Deus, ibid.10.
Cur poſſimus pro veniali ſatisfacere, 29.11.
In quo ſenſu dicatur gratis remitti, ibi.12.
Satisfactio pro veniali, cur à Deo poſſit non acceptari, ibid.13.
Actus contritionis quomodo ſit ſatisfactio adæquata pro veniali, ibid.14.

Verbum.

Verbum debuit incarnari ad perfectè ſatisfaciendum Deo, 21.1.
Verbum factum eſt caro per vnionem non conuerſionem, 94.5.
Verbum non aſſumpſit hominem, ſed humanitatem, 96.6.
Ad vnionem humanitatis cum Verbo infinito requiritur proportio in ratione actus, & potentiæ, ibid.8.
Verbum vt terminans naturam humanam nullam cauſalitatem exercet, quam non exerceat tota Trinitas, 104.3. & ſeq.
Verbum hoc ſolùm habet peculiare, quod eſt vnitum per modum termini, ibid.6.7.
Non ſaluatur, quod Verbum non fuerit mutatum pe r hoc, quod ſit eminenter homo, 104.2.
Neque per hoc, quod dicatur tantùm extrinſecè vnitum humanitati, 105.3.
Neque per hoc, quod ex parte Verbi detur vnio increata, ibi.4.5.6. aut ſolùm adhæreat humanitati, ibi.7.
Sed quia perſonare non dicit mutationem in perſona, ibid.8. & 9.
Verbum numquam fuit in potentia ad vnionem, ſed humanitas, 106.10.
Factum fuit intrinſecè homo, ibid.12.
Verbum in triduo mortis fuit vnitum corpori, & ſanguini ab anima ſeparatis, 120.5. & 6.
Verbum poteſt aſſumere naturam irrationalem ob varios fines, ibid.9.
Fuit tamen magis conueniens, quod aſſumeret naturam humanam. 121.10.
Poſſunt à Verbo aſſumi partes non totum, non poſſemus tamen tunc dicere Deus eſt materia, vel forma, ibid.11.12.
Verbum aſſumpſit verum corpus, & animã, & aſſumpſit omnes partes integrales, quæ informantur anima, 125.1.2.3.
Non tamen aſſumpſit hominem, ibid.5.
Aſſumpſit ſanguinem, & alios humores, qui ſunt de integritate naturæ, 126.8. & ſeq.
An aſſumpſerit ſanguinem nutrimentalem, 127.12. & ſeq.
Aſſumpſit carnem mediante anima, 129.4.
Verba Sacramentorum ſunt conſecratoria, non concionatoria, 224. ar.9. per totum.
Verbum, & vnio hypoſtatica non ſunt in Sacramento ex vi verborum, ſed per concomitantiam, 402. art. 5. per totum, vide Chriſtus.

Violentum.

Violentum quid ſit, & quas conditiones requirat, 106.3.
Humanitas non manet violenter in Verbo, 107.6. vide Appetitus.

Vinum.

Si vino conſecrato miſceatur non conſecratum, non per hoc deſinit ibi Chriſtus, nec

Digitized by Google

vnum conuertitur in aliud, 410.4.5.

Virgo.

Beata Virgo verè eſt Mater Chriſti, licèt non fuerit inſtrumentum vnionis, 74.8.
Non meruit vllo modo, vt eligeretur in Dei Matrem, 89.4.
Fuit tamen condignè diſpoſita, vt eſſet Mater, ibid.6. *Et de congruo meruit maternitatem, non de condigno*, 90.7.
In ipſa fuit cumulus omnium gratiarum, ibid.8.
Habuit pro adæquato præmio, gratiam, & gloriam, non maternitatem, ibid.9.
De poſsibili potuit de condigno maternitatem mereri, ibid.10.
Quo modo meruerit maternitatem, 91.12.
Hanc meruit ordine executionis, ibid.13.
Et in quo ſenſu, ibid.14.& ſeq.
Maternitatem meruit, & impetratoriè, & merito retributionis, 92.18.
Beata Virgo cur ſit Mater Dei, 96.7.

Vnio.

Vnionis continuatio quid ſit, 82.1.
Et quid ſuperaddat ſuper vnionem ipſam, 83.6.
Per vnionem naturæ humanæ cum Verbo ſunt in Chriſto duæ naturæ impermixtæ, 93.4.
Nec poteſt fieri vna tertia, ibid.4. *Nec ſunt duo Chriſti*, 94.7.
Vnio hypoſtatica non eſt relatio prædicamentalis, vel qualitas ab extremis diſtincta, 100.3.
Prius debet intelligi vnio, quam reſultet relatio, ibid.4. *Hæc vnio eſt complexum*, ibidem.6.
Si vnio eſſet modus poſſent dari tres modi vnientes tres perſonas, & naturas, 101.& 11.
Vnio hypoſtatica quomodo diſtinguatur à Verbo, & à natura humana, 102.14.
Vnio, vnitio, aſſumptio, humanatio, & incarnatio ſunt idem realiter, 105.2.
Vnio hypoſtatica eſt maxima vnionum ratione dignitatis, & excellentiæ, 108.4.
Eſt eſſentialiter attractiua Verbi, ibid.5.
Eligibilius eſt habere vnionem, quam gratiam, aut gloriam, ibid.6.
Ex parte extremorum, quæ vniuntur non eſt maxima, ibid.7.
Eſt tamen maxima ratione eius, in quo vniãtur, ibid.8. & 9.
Vnio humanitatis cum Verbo facta eſt immediatè cum perſonalitate filij, non cum aliquo communi, 110.4.5.
Si facta fuiſſet cum ſubſiſtentia abſoluta naturæ, Pater, & Spiritus Sanctus eſſent mediatè homines, ibid.6. *vide Chriſtus, Incarnatio.*

Voluntas.

Voluntas diuina amat neceſſariò Deum, reliqua liberè, 12.11.
Differentia inter intellectum, et voluntatem, ibid.
Illud eſt primò volitum, quod habet rationem finis, 66.11.
Duæ voluntates fuerunt in Chriſto non ſolùm quo ad actus, ſed etiam quo ad potentias, 163.3. et ſeq.
Voluntates diuina, et humana in Chriſto fuerunt ſemper conformes non ſolùm ſi loquamur de efficacibus, ſed etiam inefficacibus, et quomodo, 166.3.et ſeq.
Voluntas ſuperior tenetur regere inferiorem, et quomodo, 169.11.et ſeq.

FINIS.

Errata ex te ipſo corrige, Candide Lector, & ignoſce Typographorum incuriæ; etenim dum acuratè omnia corrigere cupiebam, in ipſa correctione noua ſemper inueniebantur. Vale.

Digitized by Google

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

A a Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg.

Omnes ſunt Duerniones, præter G g g g. quæ eſt Terniones.





ROMÆ, Ex Typographia Michaelis Herculis. MDC.LXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google